BIBLIOTHECAE PATRVM CISTERCIENSIVM.

SIVE
OPERVM ABBATVM ET MONACHORVM CISTERCIENSIS Ordinis, qui sæculo S. Bernardi, aut paulò post ejus obitum floruerunt.

TOMVS QVARTVS

Complectens
- Opera Beati Guillelmi quondam Abbatis S. Theodorici, pòst Monachi Signiacensis, quorum ipse Catalogum texuit.
- Disputationē Abbatis anonymi adversus Petrum Abaëlardum; qua etiam imposturæ ejusdem Abaëlardi adversus S. Bernardum confutantur.
- Disputationem Iacobi de Thermis, Abbatis Caroliloci, adversus impugnatores exemptionum & privilegiorum Canonicis & Religiosis à Summis Pontificibus concessorum.
- Cum annotationibus pauculis in fine operis.

Labore & studio F. BERTRANDI TISSIER, *Doctoris Theologi, Boni-fontis in Therascia ejusdem Ordinis Prioris.*



BONO-FONTE,
Anno Domini. M. DC. LXII.

Venit Parisijs in Collegio S. Bernardi, & in vico S. Iacobi apud Edmundum Couterot, sub signo Boni-Pastoris

PERMISSV SVPERIORVM.

REVERENDO ADMODUM PATRI ET DOMINO
DOMINO ROBERTO PEAN VALLIS-CLARÆ ABBATI.

OPus ingens aggressus sum, *Reuerende admodum Pater, & Domine*, cùm ad veterum Ordinis Cisterciensis Patrum moniméta literaria typis excudenda animum addixi. Nec defuit tunc, qui velut alter Iethro mihi insusurraret. *Vltra vires tuas est negotium: solus illud ferre non poteris.* Sanè præter varias ad diuersa loca peregrinationes, ad codices conquirendos susceptas, præter laborem, quē in illis describendis exhaurire oportuit, preterq; impensas viarum, immensi sumptus typographiæ erant ferendi: quibus vix inchoandis parem me esse sentiebam. Non despondi tamen animũ, & quod mente conceperam, parturiui: sed vires non habebã parturiens, donec tandé obstetricante benigna manu tua, feliciter in lucem eductus est tergeminus fœtus. Ecce autem & quartus, qui mihi quidem primus olim, aut etiam solus, fuerat in mente. Quem proinde tibi nuncupandum censui: vt hac publica confessione, quantùm tibi obstrictus sim, fiat omnibus manifestum. Tu mihi velut alter Ambrosius Adamantio, ad hoc literarium opus sumptuũ partem non modicã suppeditasti, pecuniæ aliquid liberaliter erogando, multùm etiam absque spe fœnoris mutuando. Quo adjut⁹ auxilio Guillelmũ quondam cœnobij tuo vicini Presulem, aliosque ei subiunctos, è tenebris, in quibus diu latuerunt, erutos, in lucem educo, atque gratitudinis ergo nomini tuo nuncupatos adduco. Vale, *Reuerende Pater, & Domine*: meque fovere, vt cœpisti, perge,

Addictissimum tibi servum
F. B. TISSIER.

IN OPERA BEATI GVILLELMI
PRÆFATIO.
Vitam & Catalogum librorum ejus exhibens.

Ex Anonymo Scriptore, ac ex vita & epistolis S. Bernardi, & ex Chronico Signiacensi.

BEATVS GVILLELMVS *Leodij genere nobilis ortus, adolescens studiorum causa Remos missus, absoluta encyclopedia Religionis vestem in cœnobio S. Nicasij Remensis induit, & post aliquot annos S. Theodorici ad Remos Abbas est electus. Circa illud tempus fama virtutum S. Patris Bernardi longè lateque jam diffusa, Claram-vallem adyt, & cum Sancto Viro sacrum fœdus inijt, atque ab eo die arctissima illi necessitudine deuinctus fuit; de qua multa scribit ille lib. 1. vitæ ejusdem S. Bernardi: vbi etiã ait, se, cùm in suo S. Theodorici Cœnobio aduersa laboraret valetudine, à S. Bernardo Claram-vallem accersitũ, & per B. Gerardum ejus fratrem illuc deductum: vbi quantũ ex conuictu & sermonibus Sancti profecerit, declarat. Mutuum hunc amorem eorum scripta demonstrant. Guillelmus in epist. quæ præcedit librum De Sacramento Altaris, sic Patrem Sanctum salutat.* Carissimo suo electo ex millibus, suus ille seipsum. *Et in alia, quæ non extat.* Suus ille, *inquit*, quod suus. *Huic respondet epist. 86. S. Bernardus pari quoque salutatione. Epistola autem 85. amicè cum eo expostulat, quòd scripsisset, minus se à D. Bernardo diligi, quàm Bernardũ à se.* Fortè, *inquit*, verũ est, q̄ dicis, minùs scilicet à me amari te, quàm me diligis: sed certe certus sum, certũ non esse tibi. *Et infra Deum alloquens.* Quod, *inquit*, diligam illum *sc. Guillelmum*, ex dono tuo & suo merito, tu scis, & ego sentio: quatenus autẽ diligam, tu scis, ego nescio. *Deniq; S. Bernardus suum De gratia & libe. arb. librum, itemq; Apologiam pro Cisterciensibus, Guillelmo; & hic vicissim suum de sacramento Altaris opusculũ, & alterum aduersus Petrum Abailardum Bernardo nuncupavit: in quibus etiã quanti alter alterius eruditionem æstimaret, declaratur. Guillelmi siquidem censurã pro evulgando aut supprimendo libro prædicto expectare se dicit S. Pater: qui & epist. 79. ab Abbate Cuissiacensi consultus, Guillelmi nostri sapientiam his verbis cõmendavit.* Miror, quid tibi visum fuerit, me tam remotum expetere consultorẽ: cùm prope habeas virum sapientem, vestri Ordinis, & tuæ præcipuè dom⁹ amatorem, Guillelmum Abbatem S. Theodorici;

Cùm tanta inter illos animorum esset unio, aptaretque Guillelmus ad Cisterciensem Ordinē migrare, dissuasit tamen illam mutationem S. Bernardus: ut ex ejus epistola 86. constat. Prævaluit tamen Guillelmus, ac Signiacēse cœnobium adijt: ubi reliquum vitæ tempus egit. Testes sunt Anonymus vitæ Guillelmi scriptor, & Burchardus Abbas, in nota, quæ sequitur librum 1. vitæ S. Bernardi: uterque autem synchronus fuit horū Sanctorum. Idem testatur Chronicon Signiacense, & passim alij codices manuscripti Ordinis, quorum quidā mox producendi. Prius autem quàm Signiacum peteret, cùm Suessionem iret, consulturus quemdā amicum, sopore gravi in via cœpit urgeri: & sub arbore prope Bazochias dormienti beata Virgo apparuit, caput eius blandè cōplectens ac demulcēs, & mira suavitate animum eius afficiens. Cùm autem Signiacū adijsset, eius secessum molestè ferētes Abbates vicini interposita D. Raivaldi Remensis Archiepiscopi authoritate, & missa ad eum legatione, illum revocare tentarunt, sed non profecerunt. Postea verò gravi tētatione concussus est super asperitate victus: sed à monacho, qui eum secutus erat, & Præpositus S. Theodorici olim fuerat, roboratus est, ut priùs Christus ab Angelo. Socios habuit in eodem monasterio alios duos insignes viros, Arnulphum fratrem domini de Moriomex, Abbatem S. Nicasij Remensis, & Gerardum fratrem Domini de Orcimonte, Abbatem Florinensem: qui cū duodecim è suis monachis Signiacum venerat. Guillelmo nostro aliquando in ipso Signiacensi cœnobio ægrotanti monachus quidam assidens somno pressus vidit matronam venerabilem sibi pelliceam offerentem, ac dicentem, his operi illum. Monacho autem quærenti, quænam ipsa esset, respondit. Ego sum Domina de Bazochijs. Ignorabat ille, quid hoc esset, nesciens B. Virginem aliàs Guillelmo prope Bazochias apparuisse. Mox autem convaluit Guillelmus, postquam ei visionem suam monachus indicavit. Demum vitæ suæ cursum sancto fine beatus Guillelmus absolvens, obdormivit in Domino. Corpus eius in Claustro, juxta introitū Capituli, traditum est sepulturæ. At octogesimo circiter anno post mortem, translatum est cum corporibus prædictorum Arnulphi & Gerar. Domno Egidio nono Signiaci Abbate: de quo præfatum chronicon. Ipse ossa D. Guillelmi quondam Ab. S. Theodorici, Arnulphi Ab. S. Nichasij, & Gerardi Ab. Florinensis, de tumulis in quibus vsque ad tempus illud jacuerant, levavit, & eadem intra murum oratorij, & juxta introitum Ecclesiæ, à parte claustri, in quadam theca cum honore debito collocavit. Huic autem translationi vicini Abbates interfuerunt. Effigies eorum ibi depicta adhuc cernuntur, & nomina subscripta. Porrò quidam monachus ei familiaris olim rogarat eum, ut post mortem sua eum dignaretur visitatione, quod & promiserat B. Guillelmus: qui elapso anno eidem cum alijs duobus apparēs, rogatus, quomodo sibi esset, bene, inquit, mihi erit. De se quoque monachus ille sciscitatus, quando esset moriturus, unus ex comitibus Guillelmi respōdit, nondum eum oportere hoc scire. Multum autem perpendebat idem monachus verbum illud, bene mihi erit: quo tantus vir significabat se nondum gloriam assecutum esse. Nec tamen consequens erat, eum purgatorio igne puniri; cùm multi post mortē solo desiderij purgatorio affligantur post pœnam ignis, aut sine illa. Qua de re nos in Apologia pro Cæsario. Nunc de Scriptis Guillelmi agendum.

Horum catalogum texuit ipse in epistola ad P. de Monte-Dei præfixa libro, De vita solitaria, non qualis passim cernitur, mutila scilicet & media sui parte truncata, sed qualis in bibliothecis Ordinis reperitur: nominatimq; in Signiacensi, vbi illa ab authore exarata fuit: qui exordium ducit ab ipso libro De vita solitaria, quem vocat laborem suum quotidianum: alij enim libri quos posteà recenset, jam editi erant. Hi autem sunt. Speculum Fidei, Ænigma Fidei, Liber De contemplando Deo, Liber De natura & dignitate amoris, Libellus De Sacramento Altaris, Meditationes, In Cantica Canticorum, vsq; ad illum locum, Paulul. cum pertrāsissem eos, &c. Contra Petrum Abaëlardum, Expositio Epistolæ ad Romanos, Sententiæ Fidei, Liber De natura corporis: & Liber De natura animæ. Scripsit & idem Pater postmodum librum primum vitæ S. Bernardi, cui immortuus est. Librum autem De vita solitaria. ad Pat. de Monte-Dei, S. Bernardo à quibusdam ascriptum, illius non esse, iamdudum persuasum fuit etiam ijs, qui veteres operū eius editiones adornarunt. Nam codices omnes typis cusi, ante librum illum hanc notā habent. Hactenus habes opera, à D. nostro Bernardo cōposita: proinde quæ sequuntur illam notam, S. Bernardi esse negantur. Inter illa autē, quæ illius esse negantur, primo loco ponitur liber ille, seu epist. Ad Frat. de Monte Dei. Codices verò manuscripti ad vnū omnes opusculum illud Guillelmo Abbati S. Theodorici ascribunt. Vidi Signiacense, quo & vsus sum, exemplar: vidi & Longipontanum, ac Carolilocense. Dunense se vidisse testatur noster Henriquez, alij alia: quæ omnia Guillelmum parentem agnoscunt. Noster item Manrique eumdē librum eidem Auctori indubitanter tribuit. Bellarminus item Opusculum ipsum ait spiritum Bernardi habere, non stylum: cōmuniter autem tribui Guillelmo. Anonymus quoque scriptor vitæ ipsius Guillelmi, in catalogo operū eius librum illum De vita solitaria ponit. Extat & vetus codex in cœnobio S. Theodorici continens eorumdem operum catalogum, in quo etiam idem liber, seu Epistola ad Carthus. scripta, memoratur. Olim etiam in cœnobio Montis-Dei ipsum authographum Guillelmi habebatur ut testatus est mihi venerabilis Domnus Ganeron, ejusdem loci Religiosus; qui exemplar ex illo descriptum habet. Denique, qui librum illum scripsit, cùm sibi vindicet duodecim alia opuscula jam recensita, si librum illum S. Bernardo tribuimus, ei etiam tribui duodecim alia prædicta opuscula debent: quæ tamen Guillelmi nomen præferunt. Illius ergo est & prædictus liber De vita solitaria ad Patres de Monte-Dei. Librum de Sacramētis quidam Anselmo tribuunt, sed immeritò. 1. Quia Anselmus jam obierat, quando editus est liber ille. Nam Edinerus Anselmi discipulus, in eius vita, ait illum anno 1093. creatum Episcopum, & in Episcopatu vixisse annos 13. Ideoq; obijt anno 1106. At liber ille de Sacram. Altaris scriptus est post annum 1111. Prior enim pars hujus libri ad Rupertum Tuitiensem scripta est, eiusque verba, quæ habentur lib. 2. de Offic. c. 9. refutantur. At libri de Officijs scribebantur an. MCXI. Nam lib. 8. C. 4. refert miraculum ipso an. factum. Hoc, inquit, sancto Paschæ sabbato, quo cereo annus ab Incarna. Millesimus centesimus vndecimus inscriptus est, &c. Non potuit autem Anselmus refutare librum post eius mortem scriptum. 2. Edinerus in catalogo operum Anselmi non meminit hujus insignis libri De Sacramento Altaris: cur autem illum omisisset si hunc Anselmus scripsisset? Deniq; hic liber in manuscriptis Guillelmo passim ascribitur, Anselmo nunquam. Duo exemplaria habui ex Signiacensi cœnobio: vtrumq; autem quinquies exprimit nomen Guillelmi authoris. Sic & exemplar Vallis Claræ. In Cœnobio item Igniacensi libris Ruperti De Officijs, præmittitur Epistola prædicta, quæ eius errorē cōfutat, & Guillelmo nostro tribuitur eadem epistola. Circa disputationem adversus Abaëlardum nota, extare aliā Disputationem cujusdā Abbatis adversus eundem, tribus libris cōprehensam, sed imperfectā, & ex qua jāpridem exciderunt nonnulla, quæ Gaufr. Ab. Altacumba amissa quondā querebatur: sed illa vsq; hodie manet imperfecta. Hanc nostro Guillelmo quidam ascripserunt: verùm, quā hic exhibeo, ex Signiacensi cœnobio, vbi scripta est ab Authore nostro, sumpta est. Quis fuerit alter Abbas ille, ignoratur. Vt tamen curiosis fiat satis, illam addere visum fuit.

B. GVILLELMI COENOBII S. THEODORICI AD REMOS QVONDAM ABBATIS,

Liber De Vita solitaria.

PRÆFATIO


Sive Epistola ad Patres Carthusienses de Monte-Dei, non mutila, & plusquam media sui parte truncata, vt hactenus inter opera S. Bernardi edita est, sed plena & perfecta; ejusdem libri & omnium operum Authoris nuncupatoria.



CARISSIMIS Fratrib⁹ & Dominis N. Priori & cæteris, sabbatũ delicatum. Pene ĩpudenter, & plusquã decebat, os meum patet ad vos, Carissimi fratres ĩ Christo, nõ possum tacere, Deus scit. Ignoscite, quia cor meum dilatatum est. Dilatamini & vos obsecro, in visceribus vestris, & capite nos: quia totus vester sum in eo, in cujus visceribus invicem cupimus vos. Ideo exquo recessi à vobis vsque nunc, qualemcumque laborem meum quotidianum statui dedicare, non vobis, qui nõ indigetis; sed F. Stephano & socijs ejus fratribus iunioribus & novitijs venientibus ad vos, (quorum doctor Deus solus est;) vt habeant & legãt, si fortè ibi aliquid inuenerint vtile sibi ad solatium solitudinis suæ, & sancti propositi incitamentum. Offero quod possum, bonam voluntatem: ipsamque à vobis repeto cum fructibus suis. David saltãdo placuit Deo, non propter saltum, sed ptopter affectum. Similiter & mulier quæ vnxit pedes Domini, laudata est à Christo, nõ quia vnxit, sed quia amavit: & quia quod habuit hoc fecit, in eo justificata est. Deinde vobis etiam arbitratus sum dedicandum aliud quoddam opusculum, quod in consolationem suam, & in adjutorium fidei facere me compulit fratrum quorumdam plus anxia quàm periculosa necessitas: quorum tristitia plurimum mihi facere solet gaudium, nisi quòd eos contristatos videre non possum. Præ magnitudine quippe non solum fidei, sed etiam amoris, exosum adeò habent quidquid videtur esse contra fidem, vt si vel ad modicum seu ex spiritu blasphemiæ, seu ex ipso sensu carnis fuerint super hoc attentati vel pulsati, quasi ex solo auditu vel attactu læsam omnino in semetipsis æstiment conscientiæ pietatem vel puritatẽ: & miserabiliter defleãt semetipsos quasi reprobos circa fidem. Quibus & contingit à sæculi tenebris ad purioris vitæ exercitia venientibus, quod contingere solet repente prodeuntibus ad lucem à diutinis tenebris: vt sicut in illis lux ipsa, qua cætera videnda sunt, primò irruens infirmis oculis fit molesta: sic & isti ad primum fidei lumen cœcutiant, nec insolitos novæ lucis radios possint sustinere, donec ipso lucis amore adsuescant. Diuiditur autẽ illud opusculum in duos libellos, quorum primum, quia planus & facilis, Speculum fidei, alterum verò, quia rationes & formam fidei secundum dicta & sensum Catholicorum Patrum summatim continere videtur, & est aliquantulum obscurior, Ænigma fidei vocari statui; plus in hujusmodi studio fugiens otiositatem inimicam animæ, (quippe quem senium & ægritudo à communi labore, jam non quidem vt emeritum, sed vt pigrum & inutilem relaxat,) quàm cæterorum eruditioni insistens, quæ reuera non est speciosa in ore peccatoris; & illos tantummodò decet, qui quod dicendo plantant, viuendo confirmant. In primo quò accedere debeat, in secundo qua etiam cautela incedere, rudis docetur auditor. Nam hoc quoque ordine Dominus ad discipulos dicit. *Et quò ego vado scitis, & viam scitis*, Vnde & propheta. *Diuitiæ* inquit, *salutis sapientia & scientia.* Nam etiam in psalmo primùm *dies diei eructat verbum*; postea verò, *nox nocti indicat scientiam*, Sunt præterea & alia opuscula nostra: tractatus duo, primus De contemplando Deo, alter De natura & dignitate amoris: Libellus de Sacramento altaris: Meditationes nouitijs ad orandum formandis spiritibus non vsquequaq; inutiles: & super Cantica Canticorum, vsque ad illum locum, *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Nam contra Petrum Abaëlardum, qui prædictum opus ne perficerem effecit, (neque enim integrum mihi fore arbitrabar tã delicato intus vacare otio, ipso foris fines fidei nostræ nudato, vt dicitur, gladio tam crudeliter depopulante,) contra ipsum, inquã, quod scripsi, quia de fontibus Sanctorum Patrum hausi quod dixi, quemadmodum in Epistolã ad Romanos, & in cæteris, de quibus infrà dicturus sum, in quibus aut nihil omnino, aut non multum de meo dixi, melius est, si ita placuerit, vt suppresso nomine nostro inter anonyma relin-

Marginalia: *Librum de vita solita. dedicat.* — *2. Reg. 6.* — *Luc. 7.* — *Speculũ fidei & Ænigma libri Guillelmi.* — *Ioann. 14.* — *Isaia 33.* — *Psalm. 44.* — *Recenset Author alios libros suos.*

quantur, quàm vt prædixi, quæ non pepericõgregare videar. Excerpsi enim ex libris S. Ambrosij quicquid in eis disseruit super Cantica Canticorum, opus grande & inclytum: similiter & ex B. Gregorij, sed diffusiùs quàm Beda fecerit. Nam idem Beda, vt nostis, vltimũ in cęteris libris suis, hanc ipsam exceptionem constituit. Sententias de fide quas de Beati maximè Augustini libris extraxi, si vultis transcribere, fortes nimirum & graues sunt, cum supradicto opusculo, quod Ænigma fidei intitulari placuit, magis congruunt. Est etiam aliud opusculum nostrũ De natura animæ, scriptum sub nomine Ioannis ad Teophilum: cui, vt de toto homine, (quasi enim congruere videbatur,) aliquid perstringerem, præmisi etiam De natura corporis: hoc ex eorum, qui corporibus medentur; illud autem ex eorum, qui curandis animabus inuigilant, libris decerpens. Itaque legite omnia, & si non primi, tamen, si ita videtur, vel vltimi: ne si in eorum manus deuenerint, qui nihil ipsi facientes aliorum omnia rodunt, ego quoque, vt pote senex & deficiens, sicut de Isaac legitur; *Genes. 27.* deficiens inquam, non gressu, sed sensu, illæsus non possim effugere. Denique melius arbitror, si inutilia reperiantur, vt ea amicorum non tam iudicio quàm consilio vltor ignis absumat, quã vt in ea liuor irruens detractorum offendat. In pace enim vocauit nos Deus; & providẽda sunt bona, non solùm coram ipso, *sed etiam coram hominibus: vt si fieri potest, quod ex nobis est, cum omnibus pacem* habeamus. *Rom. 12.* Hoc enim summopere monet idem Apostolus judicandum, ne ponamus offendiculum fratri vel scandalum: *Rom. 14.* quamquam si quis fraterno animo legerit, etsi nullam consolationem ex eis vel ædificationẽ accipiat: nihil tamen in eis, vnde scandalizari vel stomachari velut contra præsumptorem debeat, repertutus est. Et vt de ædificatione taceam, qui amicus est, sustinebit & in hoc, siqua est, insipientiam meam: nec sinistro oculo interpretabitur simplicitatem meam: tum maximè propter causam, quam superiùs dixi, quia scilicet forensium prorsus ignarus operum, & non solum ætate, sed insuper infirmitate iam fract⁹, nisi sub hujus studij patrocinio, otiositatis, quæ teste Scriptura *multa mala docuit*; nullatenus effugere dominium valuissem. *Eccli. 33.*



LIBER B. GVILLELMI
DE VITA SOLITARIA

CAPVT PRIMVM.

Vita solitaria per viros simplices restituta, sicut olim mundus per pauperes conversus.



RATRIBVS de Monte-Dei, Orientale lumen, & antiquum illum in Religione Ægyptiũ fervorem tenebris occiduis & Gallicanis frigoribus inferentibus, vitæ scilicet solitariæ exemplar, & cœlestis formam conversationis, occurre & concurre anima mea in gaudio Sancti Spiritus, & risu cordis, in fauore pietatis, & in omni obsequio devotæ volũtatis. Quidni? Etenim epulari & gaudere in Domino oportet: quia Christianæ religionis speciosissima portio, quæ cœlos propinquiùs tãgere videbatur, mortua erat, & revixit; perierat & inventa est. Auditu auris audiebamus, nec credebamus: legebamus in libris, & mirabamur de ãtiqua vitæ solitariæ gloria, & magna in ea gratia Dei; cùm subitò *invenimus eã in campis sylua*, in Monte-Dei, in monte-pingui: vbi jam de ea pinguescunt speciosa deserti, & exultatione colles accinguntur. Ibi enim jam per vos offert se omnibus, & in vobis se demonstrat, & ignota hactenus innotescit in paucis simplicib⁹; ipso nobis eam ingerente, qui in paucis simplicibus totum olim sibi mundum subjecit, ipso mundo mirante. Licet enim magna & diuina planè fuerint miracula, quæ Dominus gessit in terris: hoc tamen vnum super õnia alia enituit, cætera cuncta illustrauit, quòd sicut dictum est, in paucis simplicibus totum mundum, & omnem sapientiæ ejus altitudinẽ sibi subjugauit.

Precipuum Christi miraculum fuit, quòd per humiles mũdũ subegit.

Quod & nunc cœpit operari in vobis. *Ita Pater, quoniam sic beneplacitũ est ante te. Abscondisti enim hæc à sapientibus & prudentibus* hujus sæculi; *& revelasti ea parvulis.* *Matt. 11.* *Nolite ergo timere pusillus grex*, ait Dominus: sed *Luc. 12.* omnino confidite, *quia complacuit Deo Patri dare vobis regnum.* Videte enim, fratres mei, vocationem vestram. *1. Cor. 1.* Vbi sapiens inter vos? Vbi scriba? Vbi conquisitor hujus sæculi. Nam etsi sunt aliqui sapientes inter vos, per simplices tamen sapiẽtes aggregauit, qui reges olim & philosophos mũdi hujus per piscatores sibi subjecit. Sinite ergo, sinite sapientes hujus sæculi de spiritu hujus mundi tumentes, alta sapientes, & terram lingentes, sapienter descendere in infernum. Vos autem dum foditur peccatori fouea, sicut cœpistis, stulti facti propter Deum, per stultum Dei, quod sapientius est omnibus hominibus, Christo duce humilem apprehendite disciplinam ascendendi in cœlum. Vestra namque simplicitas jam multos provocat ad æmulationem. Vestra sufficientia & altissima paupertas jam multorum confundit cupiditatem. Vestrum secretũ jam earum rerum, quæ tumultum facere videntur, pluribus incutit horrorẽ. Siqua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, siqua societas spiritus, siqua viscera misericordiæ, implete gaudium, non meum tantummodo, sed omnium diligentium nomen Dei: vt in varietate vestitus deaurati de auro sapientiæ Dei reginæ assistentis à dextris sponsi, vestro studio, vestrâ instantiâ, ad Dei gloriam

magnam coronam vestram, & gaudium omnium bonorum, hoc sanctæ nouitatis instauretur ornamentum. Nouitatem verò dico, propter linguas nequam, (à quarum cōtradictione abscondat vos Deus in abscondito faciei suæ,) hominum impiorum; qui cùm manifestum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo nouitatis nomine cauillantur, veteres ipsi, & in veteri mente nescientes noua meditari: vtres veteres non capientes vinum nouum, quod si eis infunderetur, rumperentur.

CAPVT. II.

Quinam primi vitæ Religiosæ & Eremiticæ cultores.

Vita Religiosa non est noua.

SEd hæc nouitas, non est nouella vanitas. Res enim est antiquæ Religionis, perfectio fundatæ in Christo pietatis, antiqua hereditas Ecclesiæ Dei à tempore Prophetarum præmonstrata; jamque novæ gratiæ sole exorto in Ioanne Baptista instaurata & innovata; ab ipso Domino familiarissimè celebrata, ab ejus discipulis ipso præsente concupita: cujus trāsfigurationis gloriam cùm vidissent, qui cum eo in mōte sancto erant, continuò Petrus (in eo quidem abreptus sibi, & nesciens quid diceret, quia visa Dei majestate commune bonum intra priuatum suum visus est concludere voluisse, in eo autem præsentissimus sibi, & scientissimus quid diceret, quia suauitate ejus gustata optimum sibi judicauit in hoc semper esse,) vitam hanc in cōtubernio Dei & ciuium supernorum, quos cū eo viderat, concupiuit dicens. *Domine bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum Moysi vnum, & Heliæ vnum.* In quo si auditus fuisset: factur[9] proculdubio erat postmodum alia tria, sibi vnum, Iacobo vnum, & Ioanni vnum. Post passionem verò Domini calente adhuc in cordibus fidelium effusi ejus sanguinis recenti memoria, solitariā hanc vitā profitentibus, paupertatem spiritus sectantibus, & in spiritualibus exercitijs & in contemplatione Dei pingue otium altero in alterum zelantibus, deserta repleta sunt. Ex quibus legimus Paulos, Macarios, Antonios, Arsenios, & alios quamplures, in sanctæ hujus conuersationis republica consulares viros, egregia nomina in ciuitate Dei, nobiles & triumphales titulos habentia de victoria hujus sæculi, & principis hujus mundi, & corporis sui, de cultu animi, & Domini Dei sui. Sileant ergo, qui in tenebris de luce judicantes, vos arguunt novitatis ex abundantia malæ voluntatis, ipsi potiùs arguendi vetustatis & vanitatis. Sed & laudatores & detractores semper estis habituri, sicut & Dominus. Laudatores præterite, & bonū quod in vobis amant, hoc in eis amate. Detractores dissimulate, & pro eis orate.

Matt. 17.

Laudatores & detractores habent Religiosi.

CAPVT. III.

Religiosis perfectio cordi esse debet.

ET obliti quæ retro sunt, prætergressis scandalis, quæ juxta iter vobis à dextris & à sinistris posita sunt, in anteriora vestra vos extēdite. Si enim ad singula volueritis vel laudatoribus respondere, vel cum detractoribus litigare, tempus perditis, cujus in proposito sancto nō levis est jactura. A terris enim ad cœlos festinantem qui moratur, etsi non detinet, plurimùm tamen nocet. Nolite ergo negligere, nolite tardare: grandis enim vobis restat via. Altissima est enim professio vestra. Cœlos transit, par Angelis est, Angelicæ similis puritati. Non enim solùm vouistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis cōsummationis finem. Non est vestrum circa communia præcepta languere, neque hoc solùm attendere, quid præcipiat Deus; sed quid velit; probantes, *quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Aliorum est enim Deo seruire, vestrum adhærere. Aliorum est Deum credere, scire, amare, reuereri: vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui. Magnum est hoc, arduum est hoc: sed omnipotens & bon[9] est, qui in vobis est pius promissor, fidelis redditor, & indefessus adjutor: qui magno ejus amore magna profitentib[9], & in fide & spe gratiæ ejus majora viribus suis aggredientibus, & voluntatem & desiderium suggerit in idipsum: & qui voluntatis gratiam prærogauit, subrogabit etiam virtutem ad prouentum. Cui cùm fideliter fecerit homo, quod homo potuerit, calumniante calūniatore, ipse misericorditer pauperi suo judicium faciet, & causam: quia quod habuit homo hoc fecit.

Religiosa professio Angelica est.

Rom. 12

CAPVT. IV.

Religiosis cauenda elatio.

ABsit tamen, fratres, à conscientiæ vestræ æstimatione, à paruitate & humilitate vestra, ab ore vestro, omnis altitudo; quia altum sapere mors est: & facile est in alto se contuentem obstupescere, & de vita periclitari. Nomen aliud vestræ professioni imponite: alium titulum operi vestro inscribite. Feras vos potiùs indomitas, & incaueatas bestias, (quæ aliter, & communi hominum more domari non poterant,) existimate & appellate: longè supra vos virtutē eorum suspicientes, & admirantes gloriam, qui ambidextri fortissimi, (sicut Ahod ille Iudex Israël, qui vtraq; manu vtebatur pro dextera,) & quamdiu licet, deuotissimè intus vacare amant charitati contemplādæ veritatis: & cùm necessitas vocat, vel officium trahit, prōptissimè se foras mutuāt pro veritate adimplendæ charitatis. Caue etiam serue Dei, caue, ne quoscumque imitari non vis, damnare videaris. Volo hoc facias adhuc in ægritudine tua, quod, cùm sanissimus esset, faciebat qui dicebat. *Venit Iesus Christus peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Neque enim hoc dicebat Paulus mentiendi præcipitatione: sed æstimandi affectione. Qui enim perfectè examinādo semetipsum intelligit, suo peccato nullius peccatum par esse existimat, quod non sicut suum intelligit. Nolo ergo, vt nusquam arbitreris lucere solem communem diei, nisi in cella tua: nusquam esse serenum, nisi penes te: nusquam operari gratiam Dei, nisi in conscientia tua. An solitariorum Deus tantùm? Imò & cōmunium. Miseretur enim omnium Deus, & nihil odit eorū quæ fecit. Malo te cogitare, vbique esse serenū, nisi penes te: & pejùs te de te, quàm de alio aliquo existimare. Cum timore potiùs & tremore vestram ipsorū salutem operamini.

Quàm humiliter de se sentire debeat Religiosus.

1. Timot. 1.

Qui bene se examinat, se peccatorū maximum indicat.

Cœnobitæ hic communes appellantur.

CAPVT. V.

Virtus feruenter colenda ad posterorum exemplū.

NEc quales sint alij, sed quales ex vobis fiāt, (quantum in vobis est,) cogitate, non solùmodò qui modò sūt, sed & qui pòst futuri sūt; quos in proposito sancto estis habituri imitatores. Ex vobis enim, ex vestro exemplo, & vestra authoritate, in regione hac pendere habet tota

posteritas hujus vestri Ordinis sancti. Vos in eo patres, vos in eo institutores cum debita imitationis reuerentia appellabimini à successoribus vestris. Quidquid à vobis statutum, quidquid vobis tenentibus & seruantibus in consuetudinem fuerit missum; absque omni retractatione à posteris vestris tenendum erit & seruãdũ: nec fas erit ab aliquo immutari. Sic enim de vobis erit apud eos, sicut de incommutabilibus legib⁹ summæ & æternæ veritatis est apud nos: quas scrutari omnibus expedit & scire; non autem licet alicui dijudicare. Deo autem gratias, quia nec indignum vobis erit, nec inutile posteris, si piè, si fortiter & vos tenueritis, & ipsi in vobis fideliter imitentur, quod interim tenetis. Et si quid adhuc aliter sapere oportuerit, & hoc vobis Deus reuelabit. Saluâ enim per omnia Carthusiæ sanctitate debita, & cum omni laude prædicanda reuerentia: multa in Alpinis illis horrendis & continuis frigoribus necessaria sunt, quæ frugalem sufficientiam & voluntariam paupertatem sectantibus in his dumtaxat regionibus non adeo necessaria videntur. Intelligitis quæ dico: dabit enim vobis Dominus intellectum. Gaudeo autem in vobis, & licet absens corpore, sed præsens spiritu, & videns ordinem vestrum, sed feruorem spiritus, sed abundantiam pacis, sed gratiam simplicitatis, in proposito rigorem, in dilectione mutuam ipsam Sancti Spiritus suavitatem, & plenã omnino in conuersatione vestra formam pietatis, in recordatione Montis-Dei totus exulto: & primitias Sancti Spiritus, & pignus gratiæ in spem crescentis in ea religionis deuotus adoro.

Primi Religiosi posteris sunt lex.

Caput VI.

Montis-Dei incolæ quid agere debeant.

NAm & ipsum Montis-Dei nomen bonæ spei præfert omen: scilicet, quòd, sicut Psalmista dicit de Monte Dei, habitatura sit in eo generatio quærentium Dominũ, quærentium faciem Dei Iacob, innocens manibus, & mundo corde, quæ non accepit in vanum animam suam. Ipsa est enim professio vestra, quærere Deum Iacob, non communi omnium more; sed quærere faciem Dei, quam vidit Iacob, qui dixit: *Vidi Dominum facie ad faciẽ, & salva facta est anima mea.* Faciem enim Dei, hoc est cognitionem ejus quærere. Facie ad faciem, quam vidit Iacob, de qua etiam dixit Apostolus: *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*: &, *nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, videbimus eum sicuti est.* Hanc in hac vita semper quærere per innocentiam manuum, & munditiam cordis, ipsa est pietas; quæ sicut dicit Iob, *cultus Dei est.* Quam qui non habet, in vanum accipit animam suam hoc est, frustra vivit, vel omnino non vivit: dum non vivit ea vita, propter quam vt in ea viueret, accepit animam suam. Pietas enim hæc est jugis Dei memoria, continua intentionis actio ad intelligentiam eius, indefessa affectio in amorem ejus, vt nulla vnquam inveniat seruum Dei, non dicam dies, sed hora, nisi vel in exercitij labore, & proficiendi studio, vel in experientię dulcedine, fruendi gaudio. Hæc est pietas, de qua Apostolus dilectum sibi discipulum admonet, dicens. *Exerce temetipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicũ vtilis est: pietas verò ad omne opus bonum est vtilis: habens promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ.*

Psalm. 23.

Genes. 32.

1. Cor. 13.

Quis in vanum animã acceperit.

Pietas.

1. Timo. 4.

Pietatis enim non solummodò formã, sed & veritatem in omnibus, & præ omnibus, habitus vester repromittit, propositum vestrum requirit. Nam sicut apostolus dicit, sunt aliqui *formam quidem pietatis habentes: virtutem autem ejus abnegantes.* Hanc quicumque vestrum non habet in conscientia, non exhibet in vita, non exercet in cella, non solitarius, sed solus dicendus est. Nec cella ei cella, sed reclusio & carcer est. Verè enim solus est, cum quo Deus non est: verè reclusus est, qui in Deo liber non est. Solitudo enim & reclusio sunt nomina miseriæ. Cella autem nequaquam debet esse reclusiio necessitatis, sed domicilium pacis: ostium clausum non latebræ, sed secretum. Cum quo enim Deus est, numquam minùs solus est, quàm cum solus est. Tunc enim liberè fruitur gaudio suo: tunc ipse suus est sibi, ad fruendum Deo in se, & se in Deo. Tunc in luce veritatis, in sereno mundi cordis vltro patet sibi pura conscientia: & liberè se in se fundit affecta de Deo memoria: & vel illuminatur intellectus, & bono suo fruitur affectus, vel liberè seipsum deflet humanæ fragilitatis defectus.

2. Timo. 3.

Solus est, cũ quo Deus non est.

Caput VII.

Cellæ & Cœli parallela.

PRopter hoc secundum formam propositi vestri habitãtes in cœlis potiùs quàm in cellis, excluso à vobis toto sæculo, totos vos inclusistis cum Deo. Cellæ siquidem & cœli habitatio cognatæ sunt: quia sicut cœlum & cella ad inuicem videntur aliquam habere cognationẽ nominis, sic & pietatis. Acælando enim cœlum & cella nomen habere videntur: & quod cælatur in cœlis, hoc & in cellis. Quod geritur in cœlis, hoc & in cellis. Quidnam est hoc? Vacare Deo, frui Deo. Quod cùm secundùm ordinem, cùm piè & fideliter celebratur in cellis: audeo dicere, sancti Angeli Dei cellas habent pro cœlis, & æquè delectantur in cellis ac in cœlis. Nam cùm in cella jugiter cœlestia actitantur; cœlum cellæ & sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & simili operis affectu proximum efficitur: nec jam spiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti, à cella in cœlum longa vel difficilis via invenitur. A cella enim in cœlum sæpe ascenditur: vix autem vmquam à cella in infernũ descenditur: nisi, sicut dicit Psalmista, *descendant in infernum viuentes*, videlicet ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpe cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim assiduè cõteplando revisere amãt gaudia cælestia, vt ardentiùs ea appetant: sic & dolores inferni, vt horreant & refugiant. Et hoc est, quod imprecantur inimicis suis orantes, scilicet vt descendant in infernum viuentes. Moriens autem vix aut numquam aliquis à cella in infernum descendit: quia vix vnquam aliquis nisi cœlo prædestinatus, in ea vsq; ad mortem persistit. Filium enim gratiæ, fructum ventris sui cella fouet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinẽ perfectionis perducit, & colloquio Dei dignum efficit: alienum verò vel suppositum abdicat à se citiùs & projicit. Vnde ait Dominus ad Moysen, *Solue calceamenta pedum tuorũ: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Morticinium enim mortuarum affectionum, vel hominem mortuum à corde, locus sanctus vel terra sancta nequaquam diu patitur. Cella terra sancta, & locus sanctus est: in qua Dominus

Inclusi cum Deo Religiosi.

Psalm. 54.

Quinã viuentes in infernum descendant.

Exod. 3.

& servus ejus sæpe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum. In qua crebrò fidelis anima Verbo Dei coniungitur; sponsa sponso sociatur, terrenis cœlestia, humanis diuina vniuntur. Siquidem sicut templum sanctum Dei, sic cella est serui Dei. Et in templo enim & in cella diuina tractantur: sed crebriùs in cella. In templo visibiliter & figuratimè aliquando Christianæ pietatis sacramenta dispensantur: in cellis verò sicut in cœlis, ipsa veritate, ipso ordine, etsi nondum ipsa puritatis majestate, vel æternitatis securitate res ipsa omnium sacramentorum fidei nostræ assiduè celebratur. Ideo, sicut dictum est, alienum, qui non est filius, citiùs à se projicit, quasi abortivum; euomit tamquã inutilem ac noxium cibum: nec diu talem pati potest in visceribus suis officina pietatis: venitque pes superbiæ, & asportat eum manus peccatoris, & mouet eum: & expulsus non potest stare; sed fugit miser nudus & tremebundus sicut Cain à facie Domini, expositus vitijs & dæmonibus, vt qui prior inuenerit eum, morte animæ eum occidat: vel si aliquãdiu durarerit in ea, nõ virtutis constantia, sed pertinaci miseria, sic ei cella est quasi carcer, aut sicut viuenti sepultura. Pestilenti verò flagellato, sapiens sapientior erit: & lauabit justus manus suas in sanguine peccatoris.

In Templo & in Cella eadem tractantur.

Prouer. 19.
Psalm. 57.

Caput VIII.

Tres status Religiosorum, & virtutis studiosorum.

SIcut ergo dicit Propheta, *Si conuerteris Israël, ad me conuertere*: hoc est perfectæ conuersionis culmen apprehende. Nulli enim in eodẽ statu diu esse conceditur. Seruo Dei aut semper proficiendum, aut deficiendum est: aut sursum nititur, aut in inferiora vrgetur. Ab omnibus autem vobis perfectio exigitur, licet non vniformis. Sed si incipis, incipe perfectè. Si jam in profectu es: & hoc ipsum jam perfectè age. Si autem perfectionis aliquid attigisti: teipsum in temetipso metire, & dic cum Apostolo. *Non quod jam apprehenderim, aut perfectus sim: sequor autem, si forte comprehendam, in quo & comprehensus sum. Vnum autem, quæquidem retro sunt obliuiscens, & ad ea quæ sunt priora extendẽs meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis in Christo Iesu.* Deinde addit. *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus.* In quo manifestè Apostolo docente declaratur, quia perfecta eorum quæ retro sunt obliuio, & perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominis justi in hac vita perfectio: & perfectio hujus perfectionis ibi erit, vbi erit brauij supernæ vocationis perfecta apprehensio. Hoc autem modo sicut stella à stella distat in claritate, sic cella à cella, in conuersatione scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum. Incipientium status potest dici animalis: proficientium rationalis, perfectorum spiritualis. Ignoscendum est in aliquib⁹ aliquando eis, qui adhuc sunt animales; in quibus ignosci non debet eis, qui jam habentur quasi rationales. Rursumque rationalibus in quibusdam ignoscitur, in quibus non ignoscitur spiritualibus; quorũ perfecta õnia esse debẽt, & imitatione & laude potiùs quàm reprehensione digna. Et cùm ex histribus hominũ generibus constet omnis status religionis; quæ sicut proprijs nominibus distinguuntur, sic etiam dignoscuntur ex suorum proprietate studiorum: debent omnes filij Dei in die qui est, semper diligẽter prospicere, quid desit sibi; vnde venerint; quousq; peruenerint; & in quo proficiendi statu singulis diebus vel horis sua se æstimatio deprehendat. Sunt etenim animales, qui per se nec ratione aguntur, nec trahuntur affectu: & tamen vel authoritate permoti, vel doctrina commoniti, vel exemplo prouocati, approbant bonum vbi inueniunt: & quasi cœci, sed ad manũ tracti, sequũtur; hoc est, imitantur. Sunt rationales, qui per rationis judiciũ, & naturalis scientiæ discretionẽ, habent & cognitionem boni, & appetitum: sed nondum habent affectum. Sunt perfecti, qui spiritu aguntur: qui à Sancto Spiritu pleniùs illuminãtur. Et quoniam sapit eis bonum, cujus trahuntur affectu, sapiẽtes vocantur. Quia verò induit eos Spiritussanctus, cujus affectu trahuntur, sicut induit olim Gedeonem, Spiritussancti indumento spirituales appellantur. Primus status circa corpus se habet: secundus circa animam se exercet: tertius non nisi in Deo requiem habet. Quorum singuli sicut habent certam proficiendi rationem; sic in genere suo certam habent perfectionis suæ mensuram. Initium boni in conuersatione animali, perfecta obedientia est. Profectus, subjicere corpus suum, & in seruitutẽ redigere. Perfectio, vsu boni consuetudinẽ vertisse in delectationem. Initium verò rationalis est intelligere, quæ in doctrina fidei apponuntur ei. Profectus, talia præparare, qualia apponuntur. Perfectio, cùm in affectum mentis transit judicium rationis. Perfectio verò hominis rationalis, initium est hominis spiritualis. Profectus ejus, reuelata facie speculari gloriam Dei. Perfectio verò, transformari in eamdem imaginem à* charitate in charitatem, sicut à Domini spiritu.

Philip. 3.

In quo sita perfectio.

Incipientiũ status animalis, &c.

Animales ad manum tracti.

Rationales affectu carentes.

Perfecti à Spiritu illuminati.

Iudic. 6.

Singulorũ profectus & perfectio.

* *Fortè à claritate in clarit.*

Caput IX.

Status Incipientium seu Animalium.

VT ergo primùm prosequamur de primo, scilicet de animali; animalitas est vitæ modus sensibus corporis seruiens, scilicet cùm anima quasi extra se per sensus corporis circa dilectorum delectationes corporum affecta, eorum fruitione pascit vel nutrit sensualitatem suam: seu cùm intra se regrediens, & corpora quibus forti glutino amoris & consuetudinis adhæsit, ad locũ incorporeæ naturæ secũferre non præualens, eorũ illuc secũ trahit imagines, & amicabiliter ibi cum eis conuersatur, quibus assuefacta cùm nil putat esse, nisi vel quale foris reliquit, vel quale intus contraxit: inde quamdiu licet, jucundum habet secundũ delectationes corporis viuere. Cùm autem ab eis auertitur, nescit nisi corporea imaginando cogitare. Cùm verò ad cogitanda spiritualia vel diuina se erigit: non aliud de eis, quàm de corporibus, vel de corporalibus potest æstimare. Hæc auersa à Deo fit stultitia, cùm nimium intra semeitpsam fuerit remissa, & tam bruta, vt regi vel nolit, vel non possit. Cùm verò ipsa sibi per superbiam extra se nimium fuerit abrepta, fit prudentia carnis: & ipsa sibi sapientia esse videtur, cùm stultitia sit, dicente Apostolo *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Porrò ad Deum conuersa fit sancta simplicitas, hoc est eadem semper circa idem voluntas: sicut fuit in Iob, qui dictus est *vir simplex & rectus, ac timens Deum.* Propriè enim simplicitas est perfectè ad

Animalitas quid sit.

Rom. 1.

Iob 1.

Deum conversa voluntas; vnam petens à Domino, hanc requirens, non ambiens multiplicari in sæculo. Vel est simplicitas in conversatione vera humilitas, scilicet virtutis magis conscientiam amplectens quàm famam: cùm non refugit vir simplex videri stultus in sæculo, vt sit sapiens Deo. Vel simplicitas est sola ad Deum conversa voluntas, scilicet nondum ratione formata, vt amor sit, id est formata voluntas: nondum illuminata vt sit Charitas, hoc est amoris jucunditas. Simplicitas ergo initium aliquod in seipsa habens creaturæ Dei, hoc est, doluntatem simplicem & bonam, quasi futuri boni hominis informem materiam, in primordio conversionis suæ offert authori suo eam formandam. Iam enim cum bona voluntate habens initium sapientiæ, id est timorem Domini, exipso colligit, nec per se eam formari posse; nec quidquam tam expedire stulto, quàm seruire sapienti. Itaque homini se propter Deum subjiciens, ipsam ei bonam voluntatem cõmittit in Deo formandam in sensu & spiritu humili. Iam timore Dei incipiente operari in eo omnem virtutum plenitudinem, dum per justitiam defert majori, per prudentiam non credit se sibi, per temperantiam refugit discernere, per fortitudinem totum se obedientiæ subjicit, non discernendæ, sed adimplendæ. Hæc enim vxor est, cui à Domino præcipitur. *Et ad virum tuum erit conversio tua.* Vir ejus, ratio vel spiritus est; suus, vel alterius. Huic enim viro rectè obedit vir simplex & rectus in semeripso. Rectiùs autem sæpe ac tutiùs in altero, quàm in semetipso. Ex præcepto ergo Dei, & ipso ordine naturæ habere debet vxor ad virum, animalitas ad spiritum suum, vel spiritualem aliquem virum, cõversionem legitimam, hoc est obedientiam perfectam. Perfecta verò obedientia est, maximè in incipiẽte, indiscreta: hoc est, nõ discernere quid vel quare præcipiatur: sed ad hoc tantùm niti, vt fideliter & humiliter fiat, quod à majore prę cipitur. Lignum enim scientiæ boni & mali in paradiso, censura discretionis est in conversatione religionis penes patrem spiritualem, qui diiudicat omnia, ipse verò à nemine judicatur. Ipsius est discernere, aliorum est obedire. Adã gustavit in malum suum de ligno vetito, edoct⁹ ab eo qui suggerendo ait. *Quare præcepit vobis Deus, vt de ligno non comederetis?* Ecce discretio, cur præceptum sit. Et addit. *Sciebat enim, quia qua die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij.* Ecce vt quid præceptum sit, scilicet quòd Deos fieri non sinat. Discreuit, comedit, & inobediens factus est: & de paradiso ejectus est. Sic & animalem discretum, nouitiũ prudentẽ, incipientẽ sapientẽ, in cella diu posse cõsistere, in cõgregatione durare, ĩpossibile est. Stultus fiat, vt sit sapiens; & hæc omnis sit ejus discretio, vt in hoc nulla sit ei discretio. Hæc omnis sapientia ejus sit, vt in hac parte nulla ei sit. In eo verò, in quo se sibi animalitas ratioq; conterminant, in natura animæ humanæ relict⁹ est à creatore bono intellectus & ingenium, & in ingenio ars, in quo constituit Deus hominẽ super opera manuum suarum, omnia sæcularia ista subjecit sub pedibus ejus: animali superbo, in testimonium naturalis dignitatis, & similitunis Dei amissæ: simplici verò & humili in auxilium recuperandæ dignitatis & conseruandæ similitudinis. In hoc quod notum est Dei, manifestum est in illis. In hoc æstimatur de creatura creator. In hoc cognoscitur justitia Dei: & quia qui bene agunt, digni sunt vita: qui verò aliter, digni sunt morte. In hoc creatura quæ sponte homini seruit, ad naturam subjicitur & aptatur, vt seruiat ad eam quæ ex peccato est, necessitatem, & ad voluntatem, & ad voluptatem. Hinc etiam quot & quanta vitæ huic necessaria, & à bonis & à malis hominibus facta sint, & fiant, omnibus manifestũ est. Hinc enim in literis, vel opificijs, per innumerabiliter multiplices hominum ad inventiones tot processerunt modi studiorum, tot genera professionum, subtilitates exquisitæ scientiæ, artes eloquentiæ, dignitatum officiorumque varietates, & innumerabiles conquisitiones hujus sæculi: quibus homines illi etiam qui dicuntur sapientes hujus mundi, cum eis qui sunt simplices & filij Dei, pariter vtuntur ad necessitatem & vtilitatem. Sed illi abutuntur eis ad curiositatem & voluptatem; & superbiam: hi autẽ vtuntur eis propter necessitatem, alibi habentes suam suauitatem. Ideo illos servos sensuum suorum & corporum suorũ sequuntur fructus carnis suæ: qui sunt fornicatio, immunditia, superbia, luxuria, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, invidiæ, comessationes, ebrietates, & his similia: quæ quicumque agunt, regnum Dei non consequentur. Hos autẽ, fructus spiritus; qui sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, bonitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, & pietas, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Hi vtrique quamdiu simul sunt in actu, homines vident similes actiones: Deus autem voluntates discernit & intentiones. Cùm verò vnusquisque redit in sua, vnũquemque ex fructibus intentionis suæ pascit cõscientia sua: nec tamen ab vtroque æquè ad conscientiam reditur: quia nemo amat ad eam redire post actionem, qui recta intentione ad agendum ab ea non proficiscitur. Qui tamen redit ad conscientiam, si nondum vicit concupiscentiam suam, inuenit ibi de ipsa concupiscentia sua vel suaues delectationes, vel graves corrosiones; & inde multiplicat cogitationes. Qui verò jam concupiscentiam vicit, quamdiu tamen veri boni major concupiscentia vel major delectatio mentem ejus non obtinuerit, cum exosa quadam voluptate gestorum, visorum, vel auditorum, patitur imaginationes: vnde in vtroque lumbi implentur illusionibus delectationum, & ad cogitanda diuina vel spiritualia lumen suorum oculorum & ipsum non est secum: qui cùm pugnat contra concupiscentias, patitur molestias; quia vincere adhuc non præualet ad perfectum affectiones. Qui verò jam ad libertatem aspirat, excutere à se non potest affectionum imaginationes; & noxias, vel occupatorias, vel otiosas, quæ exinde passim oriuntur, cogitationes. Huic in tempore psalmodiæ vel orationis, cæterorumque exercitiorum spiritualium, in corde serui Dei etiam nolentis & reluctantis imaginationes volvuntur, & phantasmata cogitationum versantur: à quibus velut ab avibus immundis insidentibus vel circumvolantibus sacrificiũ deuotionis vel omnino rapitur de manu tenentis, vel sæpe polluitur vsque ad lachrymas offerentis. Fitque miserabilis & iniqua miseræ animæ diuisio, spi-

Simplicitas est vxor, vir ejus spiritus, proprius vel alienus. *Genes. 3.*

Perfecta obedientia indiscreta.

Ibidem

Rom. 1.

Galat. 5. *Fructus carnis.*

Ibidem *Fructus spiritus.*

ritu & ratione voluntatem cordis & intentionẽ, & corporis sui promptum obsequium defendente: animali verò improbitate sibi affectum præripiente & intellectum; mente sæpius sine fructu remanente. Hinc in animis infirmiorib⁹, & in quibus concupiscentiæ carnis & sæculi necdum perfectè mortificatæ sunt, vitia passim curiositatis ebulliunt. Hinc solitudinis & silentij quæruntur inordinatæ, & proposito inimicæ consolationes: in via regia communium institutionum furtiua propriæ voluntatis diuerticula, solitorum fastidium, præsumptio nouitatum: quæquidem ægri animi pruritum & tædiũ quasi confricando videntur ad horam lenire: sed calefaciunt & accendunt; & vt postea nequiùs ferueat, & amplius pruriat, efficiunt. Hinc quotidiæ fiunt nouæ occupationes, novæ actionũ & laborum adinventiones, lectiones diuersæ, non ad ædificandum animũ, sed ad fallendum tardantis diei tædium: vt cùm damnauerit solitarius omnia vetera, omnia solita, & defecerint nova, non restet nisi odium cellæ, & fuga matura. Propter quod pia simplicitas, & in professione religionis & solitudinis novus homo qui non habet vel rationem ducentem, vel affectum trahentem, vel discretionem moderantem: sed vi quadam vtitur in semetipsum, tamquam à figulo figmentum, lege quadam mandatorũ Dei quasi manibus alienis faciendus est & formandus in omni patientia, & in rota volubilis obedientiæ, & in igne probationis suæ, psalmatoris & formatoris sui voluntati & arbitrio subdendus. Nam & si callet ingenio, si viget arte, si præeminet intellectu, instrumenta sunt hæc tam vitiorum quàm virtutum. Non ergo refugiat doceri vti eo in bono, quo & in malo vti potest, quod proprium virtutis opus est. Ingenium corpus adaptet, ars naturam informet, & intellectus non elatum faciat animũ, sed docibilem. Ingenium quippe, ars, intellect⁹, & alia hujusmodi, gratuitò habentur, aliter virtus. Virtus enim vult doceri cum humilitate, quæri cũ labore, haberi cum amore. Nam cùm omnibus his digna sit; nec aliter doceri, vel haberi potest. Primùm quidem docendus est rudis incola eremi, secundũ Apostolicam Pauli institutionem, vt exhibeat corpus suum *hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium* suum. Qui etiam compescens in novitio feruore animalis hominis, qui nondum percipit ea quæ Dei sunt, circa spiritualia ac diuina præproperam & curiosam inquisitionem, subjunxit dicens. *Dico enim per gratiã Dei quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere; sed sapere ad sobrietatẽ.*

Incipiẽs alienis manibus formandus est.

Rom. 12.

Ibidem

Capvt X.

Mortificatio carnis ab incipientibus exercenda.

Qvia enim omnis, vel præcipuè animalis hominis institutio circa corpus est, & exterioris hominis compositionem, docendus est rationabiliter mortificare corpus suum, & mẽbra sua quæ sunt super terram; & inter carnem & spiritum, quæ invicem jugiter aduersum se concupiscunt, justum rationis ac discretionis habere judicium; nec alicujus eorum in judicio accipere personã. Docendus est sic habere corpus suum, sicut ægrotum commendatum, cui etiam multùm volenti, inutilia sunt neganda, vtilia verò etiam nolenti ingerenda. Sic de eo agere, sicut de non suo, sed ejus à quo pretio magno empti sumus; vt glorificemus eũ in corpore nostro. Rursumque docendus est cauere, quod peccatori populo Dominus per Prophetam improperat: *Projecistis me*, inquiens, *post tergum vestrum.* Multumque esse cauendum, ne pro necessarijs hujus vitæ vel commodis, à propositi rectitudine, vel dignitate naturæ in amorem vel honorẽ corporis sui sinat in aliquo degenerare spiritum suum. Ideoque duriùs tractandum est corpus, ne rebellet, ne insolescat; sic tamen vt seruire sufficiat: quia ad seruiendum spiritui datum est. Nec sic habendum est, tamquam propter illud viuamus: sed tamquam sine quo viuere non possimus. Fœdus enim quod habemus cum corpore, non quandocumque volumus, possumus abrumpere: sed legitimam ejus resolutionem patienter nos expectare oportet; & interim quæ legitimi fœderis sunt obseruare. Sic ergo nobis est cum eo conuiuendum, vel conveniendum; quasi non diu nobis sit cum eo commorandum: sicque, vt si aliter euenerit, non vrgeamus ad exeundum. In quo multùm & scrupulosè laborandum, & periculosè sæpe fuerat errandũ, nisi lex obedientiæ & cellæ plenam communis institutionis formã semel tradens ingredienti de victu & vestitu, de labore & quiete, de silentio & solitudine, & omnibus quæ ad exterioris hominis cultum vel necessitatem spectant, fratrem obedientem & patientem &; quietum in reliquum cautũ redderet & securum. In quibus sic semel circumcisa sunt omnia, & præcisa superflua, sic intra congruæ sufficientiæ terminos & generalis cõtinentiæ limites circumscripta sunt omnia necessaria, vt sit quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant; nec vlteriùs quantitas concessorum lædere possit in aliquo vtentium cum gratiarum actione conscientiam: nec quæ sunt amputata, tentare debeant aliquatenus in seruo Dei corporis bene morigerati & rectè educati sufficientiã. In quibus sicut Salomon dicit, *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*: qui verò mentis est duræ corruet in malũ. Licet enim necessitas sic sit ordinata, vt nec querelæ sit locus vllus, & omnis sit superfluitas amputata: si quid tamen vel publicè vel priuatim addendũ est, vel minuendum, hoc in prioris est arbitrio, absque omni scrupulo obedientium subditorũ, vel periculo. Instituendus est ergo novus eremita ad communis institutionis normam concupiscentias carnis suæ præteritorum peccatorum pœnitentiâ continuâ domare, & ad contemnenda cætera ad sui ipsius contemptum venire.

Corpus instar ægroti curandum.

3. Reg. 14.

Lex obedientiæ securũ facit Religiosum.

Prouer. 16.

Capvt XI.

Præparandus est nouitij animus ad tentationes, quarum sentina est otium.

Præmuniendus est assiduè contra tentationes acriùs in solitarium nouitium desæuientes, cùm servum Dei gratis Deo seruientem nõ cessent solicitare vitia, mercedem oblatæ delectationis diabolo suggerente, carne concupiscente, sæculo concupiscenda ingerente. Tentat enim nos Dominus Deus noster; vtrum diligamus eum, an non: non vt ipse quasi nesciens agnoscat, sed vt plenius hoc in ipsa nobis tentatione innotescat. Sed illæ tentationes facile vincuntur; & facile à ratione eis occurritur, quæ vel suspectæ sunt, vel prima facie malæ esse innotescunt. Quæ verò sub specie boni se inge-

Quæ tentationes periculosiores. runt, & difficiliùs discernuntur, periculosiùs admittuntur. Sicut enim difficilimè tenetur modus in eo quod bonũ esse creditur: ita non semper tutus est õnis boni appetitus. Omnium autẽ tentationũ & cogitationum malarum & inutilium sentina, otium est. Summa etenim mentis malitia est otium iners. Numquam otiosus sit seruus Dei, quamuis feriatus sit. Nomen quippe tam suspectum & vanum & molle, rei tam certæ, tam sanctæ, tam seueræ imponendũ non est. Otiosum non est vacare Deo, negotium negotiorum omnium hoc est. Quod quicumque in cella non agit fideliter & feruenter; quodcũque agit, quod propter hoc non agit, scilicet vt Deo seruiatur, in eo quod agit, otiatur. Vbi pro vitando otio otiosa sectari, ridiculum est. Otiosum autem est, quod nullam habet vtilitatẽ, vel vtilitatis intentionem. Non autem hoc tantummodo agendum est, vt cum aliqua delectatione vel sine grandi nausea otij dies transigatur: sed vt etiam de peracta diæta ad profectum mentis sẽper aliquid in consciẽtia resideat, aliquid quotidie in thesaurum cordis congeratur. Nec ea die bonus cellita se vixisse debet existimare: in qua nil eorum se egisse recolit, propter quæ in cella viuitur. Quæris quid agas, vel in quo te occupes? Primùm extra quotidianum orationũ sacrificium, vel lectionis studium, quotidianæ conscientiæ discussioni, emendationi, morum compositioni pars sua diei neganda non est: deinde operandum est aliquid manibus quod injungitur; non tam quod animum delectando ad horam detineat, quàm quod spiritualibus studijs delectationem conseruet & nutriat; in quo remittatur ad horam animus, non resoluatur: vnde se facile, mox vt sibi ad seipsum redeundum esse visum fuerit, expediat, sine controuersia inhibentis voluntatis, absque contagio contractæ delectationis, vel memoriæ imaginantis *Non enim vir propter mulierem: sed mulier proter virum.* Non spiritualia exercitia sunt propter corporalia, sed corporalia propter spiritualia. Propterea sicut viro creato collatum est, vel comparatum ei adiutorium simile sibi ex ipsa hominis substantia: sic cùm in adjutorium spiritualis studij necessaria sint, non tamen in hoc semper æquè conuenire videntur omnia corporalia exercitia; sed quæ cum spiritualibus propriorem videntur habere similitudinem & affinitatem: sicut ad ædificationem spiritualem meditari quod scribatur, vel scribere quod legatur. Subdiualia enim exercitia & opera, sicut sensus distrahunt, sic sæpe etiã spiritum exhauriunt: nisi cum grauiore ruralium labore operum sit major contritio corporis vsque ad contritionem & humiliationem cordis: fatigationis enim suæ pressurã exprimunt sæpe vehementioris affectũ deuotionis. Quod etiam in labore jeiuniorum, vigiliarum, & omnium, in quibus affectio corporis est, crebrò fieri, manifestum est. Serius tamen animus & prudens ad omnem se comparat laborem: nec in eo dissoluitur, sed per eum magis in seipsum colligitur: qui semper præ oculis habens non tã quod agit, quàm quò agendo intendit, omnis consummationis attendit finem. Quo inquantum veriùs innititur, intantum etiam feruentiùs & fideliùs manib⁹ operatur: toti⁹ sibi corporis sui subjiciens seruitutem. Coguntur enim in vnum sensus à disciplina bonæ voluntatis; nec lasciuire eis vacat à pondere laboris: & subacti & humiliati in obsequium spiritus, docentur conformari ei, & in laboris participatione, & in consolationis expectatione. Exordinata enim natura per peccatum, & à conditionis suæ rectitudine exorbitans, si ad Deum fuerit conuersa, recuperat citò pro modo timoris & amoris quẽ habet ad Deum, quæcumque perdidit auersa: & vbi cœperit spiritus reformari ad imaginem conditoris sui, mox etiam reflorescens caro ex voluntate sua incipit cõformari reformato spiritui. Nam & contra sensum suum incipit eam delectare quidquid delectat spiritum suum. Insuper & pro multiplici defectu suo ex pœna peccati multipliciter sitiens ad Deum, nonnũquam etiam contendit præcedere rectorem suum. Delectationes enim non perdimus, sed mutamus à corpore ad animum, à sensibus ad conscientiam. Panis furfureus, & simplex aqua, & olera, & legumina simplicia, nequaquam res delectabiles sunt: sed in amore Christi & desiderio internæ delectationis, ventri bene morigerato gratanter ex his satisfacere posse, valde delectabile est. Quot millia pauperum ex his, vel ex aliquo horum satisfaciunt naturæ! Facillimum quippe & delectabile esset adjũcto amoris Dei condimento secundum naturam viuere, si insania nostra nos permitteret: qua sanata, statim naturalibus natura arridet. Eodem modo & de labore. Rusticus duros habet neruos, fortes lacertos: exercitatio hoc facit. Sine eũ torpere, mollescit. Voluntas facit vsum; vsus exercitium: exercitiũ vires in omni labore subministrat. Sed redeamus ad propositum. Hoc omnibus modis agat & labor & otiũ nostrum, vt numquam simus otiosi: & hoc semper sit negotium nostrum, vt perfecte consummetur in nobis, quod dicit Apostolus animalibus & incipientibus: *Humanum,* inquit, *dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire justitiæ in sanctificationem.* Audiat hoc hactenus amicum corporis sui mancipium animalis homo, qui jam incipit corpus suum subdere spiritui, & adaptare semetipsum ad ea quæ Dei sunt percipienda, & ad exuendam fide seruitutis necessitatem, & carnis suæ dominantem consuetudinem, se accingat: necessitatem faciat sibi contra necesitatem, & consuetudinẽ contra consuetudinem, & affectum sibi formet cõtra affectum: donec pleniùs mereatur accipere delectationem contra delectationem; vt delectationibus carnis ac sæculi secundum consiliũ Apostoli saltem tantum eum delectet carere, quantum eum delectabat primò eas habere: tãtùm delectet eum de membris sui corporis seruire justitiæ in sanctificationem, quantũ priùs delectabat eum seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem. Hæc est perfectio animalis hominis in suo statu, vel nouitij incipientis: qui cùm cõsummauerit hoc animale vel humanum, si non respexerit retro, sed fideliter in anteriora se extenderit, citò perueniet ad illud diuinum; vt incipiat apprehendere sicut apprehensus est, & cognoscere sicut cognit⁹ est. Hoc autẽ opus non in vno fit momento conuersionis: non est vni⁹ diei, sed multi tẽporis, multi laboris, multi sudoris: secundum gratiam Dei miserentis & studiũ hominis volentis & currentis.

Caput

Marginal notes: *Non otiosum est vacare Deo.* — *1. Cor. 11.* — *Corporalia exercitia sunt propter spiritualia.* — *Mens ad Deum conuersa non perdit delectationes, sed mutat.* — *Rom. 6.* — *Philip. 3.*

CAPUT XII.

Stabilitas in cella commendatur.

Cella virtutu officina.

OMnium verò bonorum horum officina est cella, & stabilis perseuerantia in ea. In qua cuicumque cum sua paupertate bene conuenit, diues est: & quicumque bonam voluntatem habuerit, secum habet, quidquid ad bene viuendum ei opus est: quamvis bonæ voluntati non semper credi expedit, sed frænanda est, sed regenda est, & maximè in incipiente. Regat sanctæ obedientiæ regula bonam voluntatem, illa verò corpus: & doceat illud posse consistere in loco, cellam pati, secumque morari: quod in proficiente bonæ compositionis initium est, & certum bonæ spei argumentum. Impossibile est, hominem fideliter figere in vno animum suum, qui non priùs alicui loco perseueranter affixerit corpus suum. Nam qui ægritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur, sic est sicut qui fugit vmbrã corporis sui. Seipsum fugit, seipsum circumfert: locum mutat, non animum. Eumdem vbique se invenit, nisi quod deteriorem facit ipsa mobilitas: sicut lædere solet ægrum, qui circumferendo concutit eum. Ægrum enim sesciat, & vacet circa causarias partes ægritudinis suæ. Si non interrumpitur quies, remedia continuata citò proficient: & sanatus animus ab alienationibus vel captiuitatibus & tentationibus suis, totus in Deo suus efficietur. Curã eget, & non modicã, non inquinata, sed infecta natura. Incumbat ergo immobiliter valetudinario suo, (sic enim solent appellare medici valetudinum curandarum officinã,) & remedij suscepti prosequatur vsum vsque ad sanitatis experimentum. Valetudinarium tuum, ô ægrote, ô languide, cella tua est: remedium quo curari cœpisti, est obedientia vera. Sed scito quod remedia crebro mutata nocent; naturã disturbant, & ægrum disterminant. Nam & qui aliquò pergit, si vnam certam tenuerit viam, citò perueniet quò tendit: itineris & laboris faciet finem. Si verò multas aggreditur vias, errat, nec laboris aliquando finem facit: quia error finem non habet. Non ergo remedium mutes, nec aliud pro alio accipias: sed vsque ad terminum perfectæ sanitatis, medicinalis obedientiæ remedio vtere: nec abjicias eam vt ingratus, cùm factus fueris sanus: sed tamen in reliquum alio modo eã vti permitteris. Si ergo ad sanitatem festinas, vide vt nil vel modicum de temetipsõ agere præsumas medico inconsulto: à quo si operam medicantis expectas, necesse est, vt vulnus tuũ semper ei detegere non erubescas. Erubesce, sed tamen reuela totum, ne abscondas. Sunt enim qui confitendo quasi fabulam enarrant suorum historiam peccatorum, ægritudines animæ suæ sine confusione dinumerant, & sine pœnitentia, & sine affectu doloris. Citò enim lachrymas inuenit, & resoluitur in gemitum, qui habet sensum doloris. Si verò malæ ægritudini desperabilior stupor accesserit, hic in eo quod non dolet, quantò sanitati videtur esse propinquior, tãtò ab ea fit remotior. Quòd si medicus quasi clementior fuerit, & quasi vnguentis & emplastris lenioribus omnia voluerit curare: tu age pro temetipso, & remedij fortioris & celerioris auidus, sanitatis ferrum require, cauterium exposce. Medicus semper tibi præsto est, paratus est.

Mutatio loci non sanat animu ægrũ

Inconsulto magistro nil agendum.

CAPUT XIII.

Tres Cellæ custodes.

NE enim horrori sit tibi tua solitudo, & vt tutiùs in cella habites: tres tibi deputari sunt custodes, scilicet Deus, cõscientia, & spiritualis pater. Deo debes pietatẽ, cui te totũ impẽdas: conscientiæ tuæ honorẽ, corã qua peccare erubescas: patri spirituali obedientiam charitatis, ad quem de omnibus recurras. Insuper vt gratum me habeas, addam tibi & quartum: & quamdiu parvulus es, & donec pleniùs addiscas diuinam cogitare præsentiam, pædagogum tibi procurabo. Elige tibi tu ipse hominẽ consilio meo, cujus vitæ exemplar sic cordi tuo insederit, reuerentia inhæserit; vt quoties ejus recordatus fueris, ad reuerentiã cogitati assurgas, & temetipsum ordines & componas: qui cogitatus ac si præsens sit, in affectum mutuæ charitatis emendet in te omnia emendanda, & tamen nullum patiatur damnum secreti sui solitudo tua. Hic præsens tibi adsit quamdocumque volueris: occurrat sæpe & cùm nolueris. Increpationes ejus prosint tibi cogitata sãcta, ej⁹ seueritas, consolationes, pietas & benignitas, exemplum sanctæ vitæ, sinceritas. Nam omnes cogitationes tuas cum ab eo videri cogitabis: ac si videat, ac si arguat; emendare cogeris. Sic secundum præceptum Apostoli, *sollicitè temetipsum custodi*: & vt temetipsum semper inspicias semper ab omnibus oculos auerte. Egregium instrumentum corporis est oculus, si sicut cætera, sic etiam videre posset semetipsum. Quod cùm interiori oculo concessum sit: si ad exterioris exemplum seipsum negligens vacat circa aliena: etiam cùm vult, non sufficit redire ad seipsum. Tibi vaca; multa tu ipse tibi sollicitudinis materia es. Exclude etiam ab oculis exterioribus, quod desueuisti videre: ab interioribus, quod amare: quia nil tam facile recrudescit, quàm amor: & maximè in tenerioribus & recentioribus animis. Aude etiam nonnumquã sapere, & æmulari charismata meliora: & tu ipse tibi esto parabola ædificationis. Alia cella tua interior, alia interior. Exterior est domus, in qua habitat anima tua cum corpore tuo. Interior est conscientia tua, quam inhabitare debet omnium interiorum tuorum interior Deus, cũ spiritu tuo. Ostium clausuræ exterioris, signum est ostij circũspectionis interioris: vt sicut sensus corporis per exteriorem clausuram foris vagari non permittitur, sic interior sensus ad suum semper interius cohibeatur. Dilige ergo interiorem cellam tuã, dilige exteriorem: & vnicuique suum impende cultum. Tegat te exterior, non abscondat; non vt pecces occultiùs, sed vt tutiùs viuas. Non enim scis, ô rudis incola, quid cellæ debeas; si non cogitas quomodo in ea non solummodo à vitijs tuis curaris, sed etiam non habeas rixari cum alienis. Nescis enim quem conscientiæ tuæ debeas honorem, quicũque in eã non experiris gratiam Sancti Spiritus, & internæ suauitatis dulcedinem. Da ergo vtrique cellæ honorẽ suum: & tu tibi in ea vindica primatũ tuũ. Disce in ea secundũ cõmunis instituti leges tu tibi præesse, & vitã ordinare, & mores cõponere, & temetipsũ iudicare, teipsũ apud teipsũ accusare, sæpe etiã condẽnare, nec impunitũ dimittere. Sedeat judicans justitia, stet rea, & seipsum accusans conscientia. Nemo te plus te diligit: nemo te fideliùs judicabit.

Cogitanda persona venerabilis nobis præsens.

2. Timo. 2.

Cella interior & exter.

CAPUT XIV.

Examen conscientiæ & alia pia exercitia peragenda.

MAne præteritæ noctis fac à temetipso exactionem: & venturæ diei tu tibi indicito canonem. Vespere, diei præteritæ rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionem. Sic districto nequaquam tibi aliquãdo lasciuire vacabit. Singulis horis secundum communis instituti canonem sua distribue exercitia: cui spiritualia, spiritualia: cui corporalia, corporalia: in quibus sic exolvat omne debitum spiritus Deo, corpus spiritui: vt si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo modo, suo loco, suo tẽpore non abeat impunitum vel irrecompensatum. In quibus extra illas horas, de quibus dicit Propheta, *Septies in die laudem dixit tibi*: matutinum ac vespertinum sacrificium ac mediæ noctis est maximè obseruandum. Non enim frustra ait Propheta: *Mane adstabo tibi & videbo*: sed quia tunc à curis exterioribus adhuc sumus jejuni: &, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*: quia tunc ab hujusmodi impedimentis jam quodammodo inuenimur digesti. Qui & in nocturnis vigilijs nostris, in quibus media nocte surgimus ad confitendum nomini Domini, confessionis ejusdẽ ordinem contexens, *In die*, inquit, *tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte coram eo, vel contra eum; & non sum deceptus*. Istis enim horis potissimum coram Deo debemus nosmetipsos cõstituere quasi facie ad faciem, & in lumine vultus ejus perspicere; tribulationem, & dolorem nobis de nobis ipsis inuenire, & nomen Dei invocare; scopando spiritum nostrum, donec incalescat: ambiendo ad memoriam abundantiæ suavitatis suæ, donec ipse in cordibus nostris dulcescat. Sed tunc maximè nobis agendum est, quod dicit Apostolus. *Malo in Ecclesia quinque loqui verba sensu meo: quàm decem millia verborum sine intellectu*. Et illud, *Psallam spiritu, psallam & mente. Orabo spiritu, orabo & mente*. Tunc enim menti & spiritui aggregandi sunt fructus sui, vt exinde vel in abundantia benedictionis Dei in quietem noctis relaxemur: surgentibus nobis ad laudes Dei omnis exinde tenor operis nostri in ipsius laudibus formetur ac viuificetur. Idcirco in præueniendis nocturnis vigilijs non expedit multitudine psalmorum obruere intellectum, & exhaurire spiritũ vel extinguere: sed quamdiu sobrius inuenitur, pietati afficiendus est, & suo itinere dirigendus ad Deum: donec dilatato corde currere incipiat vsque ad finem operis Dei; postmodum feruoris sui modum si vetenorem habiturus, nisi magna intercidatur negligentia, vel omittatur voluntaria misesia.

Mane vespereq; quid agendum.

Psal. 118.

Psal. 5. & 140.

Psal. 76.

Quid nos Deo statuere oporteat.

1. Cor. 14.

CAPUT XV.

Passio Christi recolenda: & lectioni vacandum.

SCit etiam, quicumque sensum Christi habet, quantùm pietati Christianæ expediat, quantum Dei servum, & servum redemptionis Christi deceat, & vtile ei sit, vna saltem aliqua diei hora passionis & redemptionis ipsius attentiùs recolere beneficia: ad fruendum suaviter in conscientia, & recondendum fideliter in memoria: quod est spiritualiter manducare corpus Christi, & bibere ejus sanguinem in memoriam ejus. Qui omnibus in se credentibus præcepit dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*. In quo etiam præter peccatum inobedientiæ, quàm impium sit, hominem tantæ Dei pietatis immemorem esse, palam omnibus est: cùm amici hominis abeuntis sub quolibet signo commendatam memoriam nefas sit obliuisci. Siquidem sanctæ hujus ac reverendæ commemorationis mysterium suo modo, suo tempore, suo loco, celebrare licet paucis hominibus, quibus in hoc creditum est ministerium: rem verò sacramenti vel mysterij in omni tempore & in omni loco dominationis Dei, modo quo traditum est, hoc est debitæ pietatis affectu agere, contrectare, & sumere sibi in salutem, omnibus in promptu est, quibus dicitur. *Vos autẽ genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuncietis ejus qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum*. Nam & sacramentum sicut accipit ad vitam dignus, sic ad mortem suam & judicium temerare potest indignus.. Rem verò sacramẽti nemo percipit, nisi dignus & idoneus. Sacramentum enim sine re sacramenti sumenti mors est: res verò sacramenti etiam præter sacramẽtum sumenti vita æterna est. Si autem vis, & verè vis, omnibus horis tam diei quàm noctis, hęc tibi in cella tua præsto est. Quoties in commemorationem ejus qui pro te passus est hoc facto ejus piè ac fideliter fueris affectus, corpus ejus manducas, & sanguinem bibis. Quamdiu in eo manes per amorem, & ipse in te per sanctitatis & iustitiæ operationem, in ejus corpore & mẽbris ejus computaris. Deinde etiam certis horis certæ lectioni vacandum est. Fortuita enim & varia lectio, & quasi casu reperta, non ædificat, sed reddit animum instabilem: & leuiter admissa leuiùs recedit à memoria. Sed certis ingenijs immorandum est, & assuefaciendus est animus. Quo enim spiritu Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant: ipso etiã intelligendæ sunt. Numquam ingredieris in sensum Pauli, donec vsu bonæ intentionis in lectione ejus & studio assiduæ meditationis spiritum ejus imbiberis. Numquam intelliges David: donec ipsã experientiã ipsos psalmorum affectus indueris. Sicque de reliquis. Et in omni scriptura tantùm distat studium à lectione, quantùm amicitia ab hospitio, socialis affectio à fortuita salutatione. Sed & de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ demittendum est, quod fideliùs digeratur, & sursũ revocatum crebriùs ruminetur: quod proposito conueniat, quod intentioni proficiat: quod detineat animum, vt aliena cogitare non libeat. Hauriendus est sæpe de lectionis serie affectus: & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis restituat. Intentioni seruit lectio. Si verè in lectione Deum quærit qui legit: omnia quæ legit cooperantur ei in bonum, & captiuat sensus legentis, & in seruitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum: nihilque tam sanctum, tam pium inuenit in Scripturis, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per prauũ intellectum, non applicet vel malitiæ vel vanitati. In omnibus enim Scripturis legentis initiũ

Semel in die passio Christi recolenda.

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Eucharistiæ sacrificium.

1. Petri 2.

Quo spiritu sint legendæ Scripturæ.

Oratio & lectio socientur.

debet esse timor Domini: vt in eo primò solidetur intentio legentis; & ex eo ordinetur & exurgat totius lectionis intellectus & sensus.

CAPVT XVI.

Exercitia corporalia vtilia, modo non obsint spiritualibus.

A spiritualibus vero exercitijs in corporalia numquam longè vel in totum recedatur, sed facile ad ea posse redire animus assuescat: & cùm illis se mutuat, istis semper inhæreat. Sicut enim suprà dictum est, non vir propter mulierem; sed mulier propter virum. Nec spiritualia propter carnalia: sed carnalia propter spiritualia. Corporalia verò exercitia nunc dicimus, quæ manuali opere corporaliter exercentur. Nam sunt & alia corporis exercitia, in quibus necesse est corpus laborare, sicut sunt vigiliæ, jejunia, & alia hujusmodi: quæ spiritualia non impediunt, sed juvant, si cum ratione discretionis fiant. Quæ si ex indiscretionis vitio sic agantur, vt vel deficiente spiritu vel languente corpore spiritualia impediantur; qui sic est, corpori suo tulit boni operis effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, Deo honorem: sacrilegus est, & horum omnium in Deu reus. Non quod, secundum Apostoli sensum, nó videatur humanum etiam hoc: & non deceat, & iustum non sit, caput aliquando dolere in seruitio Dei, quod olim sæpe vsque ad dolorem laborauit in vanitate sæculi: esurire ventrem vsque ad rugitum, qui sæpe repletus est vsque ad vomitum: sed modus in omnibus habendus est. Affligendum est corpus aliquando, sed non conterendum. Nam etiam *corporalis exercitatio ad modicum* quidé, sed tamen *vtilis est*. Propter quod & ad modicum, hoc est non in concupiscentijs, sed tamen cura carnis agenda est

1. Cor. 11.

Corporale exercitium duplex est.

1. Timo. 4.

CAPVT XVII.

Honestas seu decentia seruanda, & in cibo & somno modus.

Agenda verò est sobriè, & cum spirituali quadam disciplina; vt neque in modo ej⁹, neque in qualitate, neque in quantitate, appareat aliquid, quod non deceat servum Dei. Eis enim quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honorem circumdare debemus. Honesta verò nostra nullius egent. Non solum autem hoc, sed & omnem vitam nostram, quamvis hominibus occultam, exhibere debemus Deo sanctam & honestam, & omnem conuersationem nostram sanctis Angelis conspicabilé agere & delectabilem, quamvis inter domesticos parietes inclusam. *Omnia vestra*, inquit Apostolus, *honestè fiant in vobis*! Grata Deo res est honestas, & sanctorum Angelorum amica. Propter quod etiam iubet Apostolus velari mulieres, propter Angelos: qui cùm proculdubio tā die quàm nocte vobiscum sint in cellis vestris, vos custodientes, & vestris studijs congaudentes, & cooperantes: placet eis, vt etiam nullo homine vidente omnia vestra honestè fiant. Siue ergo manducetis, siue bibatis, siue aliquid aliud faciatis: omnia in Domino agite, piè, sanctè, & religiosè. Si manducas, mensam tuam per se satis sobriam sobrietas tua perornet. Et cùm manducas, nequaquam totus manduces: sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens suā non negligat: sed de memoria suauitatis Domini, vel Scripturarum aliquid quod eam pascat, meditando, vel saltem memorando, secum ruminet & digerat. Sed & ipsa necessitas non sæculariter, non carnaliter expleatur: sed sicut decet monachum, sicut convenit seruo Dei. Nam etiam quoad sanitatem corporis, cibus quantò honestiùs & ordinatiùs sumitur & ingeritur, tantò faciliùs & salubriùs digeritur. Obseruandus est ergo sumendi modus & temp⁹, cibi quātitas & qualitas: fugienda superflua & adulterina condimenta. Obseruandus est ergo sumendi modus, vt non effundat qui comedit, super omnem cibum animam suam: tempus, ne ante horam: qualitas, vt quibus vtitur communitas fraternitatis, exceptâ causâ manifestæ necessitatis. De condimentis verò sufficiant, obsecro, vt comestibiles fiant cibi nostri: non etiam concupiscibiles vel delectabiles. Sufficit enim concupiscentiæ malitia sua: quæ cùm vix aut nullo modo pertransire possit ad finem explendæ necessitatis, nisi per viam quantæcumque delectationis: si cœperit accipere irritamenta ab eis qui perpetuum suscepere bellum aduersus ejus oblectamenta; fiunt duo contra vnum, & sic periclitatur continentia. Deinde sicut de cibo dictū est, sic de somno. Caue, inquantum potes, serue Dei, ne totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati: non reparatio, sed extinctio spiritus tui. Suspecta res est somnus; & ex magna parte ebrietati similis. Exceptis enim vitijs, quibus in dormiente cum corpore dormitante ratione, non est qui contradicat, quantum ad debitum continui profectus, nihil temporis tam deperit de vita nostra, quàm quod somno deputatur. Iturus ergo ad somnum, semper aliquid defer tecū in memoria vel cogitatione, in quo placidè obdormias, quod nonnumquam etiā somniare iuuet: quod etiam euigilantem te excipiens in statum hesternæ intentionis restituat. Sic tibi nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in delicijs tuis. Placidè obdormies, in pace quiesces, facile euigilabis, & surgens facilis & agilis eris ad redeundum in id, vnde non totus discessisti. Sobrium enim cibū sobriumque sensum sequitur sobrius somnus. Carnalis verò somnus & brutus, & sicut dicitur letheus, abominandus est seruo Dei. De quo verò post congruam quietem facile est sensus corporis & mentis euocare, & quasi seruos domus patris familias ad opera necessaria spiritui suscitare & emittere: hujusmodi somn⁹ tempore suo modo suo aspernādus non est. Sic prudens & Deo deditus animus habere se debet in cella sua, in conscientia sua, sicut prudens paterfamilias in domo sua. Non habeat, sicut Salomon dicit, mulierem litigiosam carnem suam, sed ad sobrietatem moderatam, & assuefactam ad obedientiam, & ad laborem paratam: vbiq; institutam & esurire, & saturari; & abundare, & penuriam pati. Habeat sensus exteriores non duces, sed seruientes: interiores, sobrios, & efficaces. Habeat omnē omnino domum, vel familiam cogitationum suarum sic ordinatam & disciplinatam, vt dicat huic vade, & vadat: & alio veni, & veniat: & seruo corpori fac hoc, & absque contradictione faciat. Qui sic semetipsum ordinat & regit in conscientia sua: optimè sibi credendus & committendus est in cella sua. Sed hoc est perfectorum, vel perfici jam incipientium, quod ideo proposuimus incipientib⁹ nouitijs, vt sciant quid desit sibi, & quò

1. Cor. 14.

Vt corā Angelis standū sit in cella.

Quæ seruāda in refectione.

Somnus quies sit, non sepultura.

Psalm. 138.

Prouer. 21.

Anima paterfamilias sensuum.

extendere habeant intentionem studij sui.

CAPUT XVIII.

Quinam ad solitariam vitam apti.

SCiendum verò est, quia cùm de carnali vel de animali sensu, vel de rationali scientia, vel de spirituali sapientia disserimus; vnum hominem describimus, in quo secundū diuersos profectus, & profectuum prouentus, & intentionis affectus, hæc omnia diuersis temporibus possibile est inueniri: & tria hominum genera singula secundum statuum horum proprietates in professione religionis in cellis militantia: quāvis cellæ dignitas, & sanctæ solitudinis secretū, & solitariæ professionis titulus, non nisi perfectis conuenire videtur: quorum sicut Apostolus dicit, est solidus cibus; & pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali: in quo etsi rationalis, qui proximus est sapienti, vtcumque videretur esse tolerandus; sed certè animalis, qui non percipit ea quæ Dei sunt, penitus putaretur arcendus. Sed occurrit Petrus Apostolus dicens de quibusdam. *Si Spiritum sanctum ipsi acceperunt, sicut & nos: ego quis eram, qui prohiberem Deum?* Spiritus enim sanctus bona voluntas est. Nec enim sine grandi scrupulo mentis à quacumque professionis altitudine arcendus est, cui testis inhabitantis & trahentis Spiritussancti bona voluntas est. Siquidem ex duobus hominum generibus cellarū habitatio supplenda est: scilicet vel de simplicibus, qui & sensu & voluntate ad assequendam religiosam prudentiam feruentes apparuerint & habiles: vel de prudentibus, quos religiosæ & sanctæ simplicitatis constiterit esse æmulatores. Stulta verò superbia, vel superba stultitia, à tabernaculo justorum semper procul sit. Est autem omnis superbia stulta, quamvis non omnis stultitia sit superba. Stultitia enim sine superbia, nonnumquam simplicitas inuenitur: quæ si ignorat, forsan & docibilis: & si nequit doceri, forsan est tractabilis. Et est propria ciuitas refugij simplicitati, cohabitatio Religionis; nisi sit talis, quæ nolit humiliari: vel tam bruta, vt non possit regi vel tractari. Bona tamen voluntas, etsi multum sit bruta, non tamen deserenda: sed salutari consilio ad laboriosam & actuosam vitam est transmittenda. Superba autem quantumvis prudens sibi videatur, dimittenda sibi est, & abigenda. Si enim admittitur superbus, prima die qua ingreditur habitare, incipit leges dare. Nimium verò stultus discere non potest quas inuenit. Solicitè ergo & prudenter perpendendum est, quis admittatur ad habitandum secum. Qui enim habitat secū, non nisi seipsum qualis ipse est, habet secum. Malus autem homo numquam tutè secum habitat, quia cum malo homine habitat, & nemo molestior ei est, quàm ipse sibi. Nam insani & nimium dementes, & qui non satis quacumque de causa mentis suæ bene compotes sunt, custodiri solent, nec sibi relinqui vel committi, ne solitudine sua malè vtatur. Admittantur ergo animales homines pauperes spiritu ad cohabitationem cellarū, sed vt fiant ipsi rationales ac spirituales: non vt propter eos ipsi qui jam hoc esse meruerunt, conuertantur retro, & efficiantur animales. Suscipiantur in omni benevolentia charitatis, portentur in omni patientia benignitatis. Sed qui eis compatiuntur, non eis conformentur: nec sic quærant eorum profectum, vt propter eos cogantur incurrere propositi in Religione rigoris defectum.

Tres status ejusdē hominis.

Hebr. 5.

Actor. 11.

Duo genera hominū solitudini apta.

CAPUT XIX.

Sumptuosa ædificia improbantur.

INde enim jā subintrauit de ære alieno sumptuosa, & quantum pudor sinit, ambitiosa cellarum ædificatio: & abjectâ sanctâ simplicitate & rusticitate, sicut Salomon dicit, ab altissimo creatâ, quasi religiosas quasdam nobis cremus habitationum honestates. In quibus tantum compassum est animalibus: vt pene omnes in hoc effecti simus animales. Dimissam enim nobis à patribus nostris jure hæreditario formā paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, verum decorem domus Dei alienantes à nobis, & à cellis nostris; per manus artificum exquisitorū cellas non tam eremiticas quàm aromaticas ædificamus nobis, singulas in titulo centum solidorum, concupiscentias oculorum nostrorum de eleemosynis pauperū. Amputa Domine opprobrium centum solidorum à cellis pauperum tuorum. Cur non potiùs centum denariorum? Cur non potiùs nullorum? Cur non potiùs gratis filij gratiæ ipsi sibi ædificant? Quid responsum est Moysi, cùm consummaret tabernaculum? *Vide*, inquit, *omnia facito secundum exemplar, quod ostensum est tibi in monte.* Non à sæculi hominibus decet fieri tabernaculum Dei cum hominibus. Ipsi quibus in altitudine mentis ostenditur exemplar veri decoris domus Dei, ipsi ædificent sibi. Ipsi quibus solicitudo interiorum suorum contemptum & negligentiam indicit omniū exteriorum; ipsi ædificent sibi formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciē, & paternæ frugalitatis lineamenta. Nulla sic aptabit artificū industria, sicut eorū negligentia. Ergo obsecro in peregrinatione hujus sæculi, in militia hac super terram, ædificemus nobis, non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum: vt pote citò inde vocandi, & emigraturi in patriam & ciuitatem nostram, & in domum æternitatis nostræ. In castris quippe sumus; in alieno militamus, in alieno laboramus. Facile est, quicquid naturale est. Numquid non facile est solitario, & sufficiens naturæ, & vtile conscientiæ, ipsi sibi cellam de virgis contexere, de luto psalmare, vndecumque operire, & decentissimè inhabitare? Et quid amplius est requirendum? Credite fratres, & vtinam experiri vobis non contingat: quia pulchritudines illæ & forenses honestates citò virile propositū eneruant, masculinum animum effœminant. Nā etsi ipso sæpe vsu sopiuntur earum delectationes: etsi sint aliqui qui vtantur hujusmodi, quasi non vtentes: tamen contemptu meliùs quàm vsu extirpantur & vincuntur hujusmodi affectiones. Conferunt etiam non modicùm interioribus nostris exteriora nostra ad similitudinem mentis aptata & composita, & bono proposito suo modo respondentia. Pauperior enim cultus in alijs frænat concupiscentiam: in alijs circa amorē paupertatis afficit conscientiam. Sed & intentum interioribus suis animū magis decent inculta omnia, & neglecta exteriora: quibus animus ipse incola domus dum sæpius alibi conuersari dignoscitur, seque alibi magis occupatam intentio sancta denuntiat, & efficaciter bonæ conscientiæ conciliat interiora, cui ōnia exteriora renuntiat. Obsecro ergo vt maneant cellæ illæ delicatiores, sicut factæ sunt; sed non

Eccli. 7.

Paupertati contraria ædificia sumptuosa.

Exod. 25.

Peregrini in mūdo sumus

crescat numerus earum: sintque in valetudinaria fratribus animalibus & infirmioribus, donec conualescant; hoc est incipiant desiderare, non valetudinaria infirmorum, sed tabernacula militantium in castris Dei. Maneant in exemplum posteris vestris; quia tales habuistis, & spreuistis. Vos autem qui spirituales estis, sicut Hebræi, id est transeuntes, non habentes hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirentes, ædificate vobis, sicut cœpistis, casulas in quibus habiteris. In casulis enim habitauerunt patres nostri, habitantes in terra repromissionis, quasi in aliena: cum cohæredibus repromissionis expectantes ciuitatem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus: non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & confitẽtes quia hospites sunt & peregrini super terram. *[Hebr. 11.]* Qui enim hæc dicunt, significant, se patriam inquirere meliorem, hoc est cœlestem. Idcirco patres nostri in Ægypto & Thebaïda, sanctæ hujus vitæ ardentissimi æmulatores, in solitudinibus degentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, ipsi sibi cellas ædificabant: in quibus tecti tantummodo & circumsepti à turbine & à pluvia tutabantur: in quibus eremiticæ frugalitatis delicijs affluentes, locupletabant multos ipsi egentes. *[Qualia antiquorum habitacula.]* Quos quo nomine digniùs appellẽ nescio, homines cœlestes, an Angelos terrestres: degentes in terris, sed conuersationem habentes in cœlis.

Capvt xx.

Labor manuum commendatur.

Laborabant manibus suis, & de labore suo pauperes pascebant esurientes ipsi: de vastitate eremi vrbium carceres alebant: infirmos, & in quibuslibet necessitatibus positos sustentabant, viuentes de labore manuũ suarum. Quid ad hæc dicemus nos, non animales, sed animalia terrena: adhærentes terræ, & sensibus carnis nostræ, in sensu carnis nostræ ambulantes, & ex alienis manibus pendentes? Quamvis consoletur nos in hoc ipsum aliquaten' ille, qui cùm diues esset, pauper pro nobis factus est: *[2. Cor. 8.]* & qui voluntariæ paupertatis dedit præceptum, ipse ejusdem paupertatis in semetipso nobis formam dignatus est demonstrare. Vt enim sciant euangelici pauperes, quid eis faciendum sit, ipse etiam à fidelibus pasci voluit: nonnumquam & ab infidelibus, sed vt fideles faceret, vitæ necessaria accipere non recusavit. Sed etiam in primitiua Ecclesia pauperes illos sanctos, qui pro Christo rapinam bonorum suorum perpessi fuerant, vel secundùm perfectionis consilium omnia reliquerant & vendiderant, ac fratribus fidelibus communia effecerant, quãta solicitudine, quantã pietate sancti Apostoli alendos à fidelib' procurabant, & liber actuum Apostolorum & Paulus in epistolis suis manifestè demonstrat. *[Act. 11. 1. Cor. 16.]* Quod etsi conceditur liberius, hoc ipsum Dño præcipiente & ordinãte Euangelium annuntiantibus de Euangelio viuere: ex Apostolorum tamen authoritate non negatur etiã evangelicè viuentibus, sicut sanctis illis pauperibus qui tunc erant in Ierusalem: *[Rom. 15.]* qui sancti etiam pauperes ob hoc vocantur, quia in professione sanctitatis & communis vitæ nomen dederant: & semetipsos in hoc ipsum sponte pauperes effecerant. *[Pauperes sãcti cur dicti.]* Quod enim Apostolus seuerissima authoritate quibusdam denuntiat, vt qui non vult operari, non manducet: *[2. Thessal. 3.]* continuò ostendens de quibus diceret, subjunxit, dicens. Audiuimus enim quosdam ambulantes inter vos inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. His autem qui hujusmodi sunt, denuntiamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes panem suum manducent. Suum, hoc est, suo labore partum & acquisitum. Et tamen ne illos, quãvis inquietos, nihil operantes, & curiosè agentes, nomen tamen Domini inuocatum super se habentes, quasi exposuisse videretur & abiecisse, statim intulit dicens. Vos autẽ fratres nolite deficere bene facientes in Christo Iesu Domino nostro. Ac si diceret. Etsi illi perseuerant in malitia seu negligentia sua: vos tamen in sustentandis eis nolite deficere à beneficentia vestra. Cum ergo seuerissimè superius denuntiauerit, non manducandum nolentibus operari: postmodum verò, volentibus operari, sed nihil operantibus, aliquantò se exhibuerit clementiorem: possemus dicere secundum textum verborum ejus, nec omnino aberraret à vero, non volentibus quamvis valentibus, intentatam esse illam seueritatem: volentibus autẽ, sed non valentibus, indulgentiam istam. Sed etiam cùm istis denuntiet, & obsecret in Domino Iesu Christo, vt cum silentio panem suum manducent: videntur panem non suũ manducare, nisi eum suum efficiant operando: quãtùm operari possunt sub testimonio Dei & conscientiæ suæ. Ignosce Domine, ignosce, excusamus, tergiuersamur; sed non est qui se abscondat à lumine veritatis tuæ: quod sicut illuminat conuersos, sic etiam ferit auersos. *Non est enim, occultatum os nostrum à te, quod fecisti in occulto* hominum. *[Psal. 138.]* Nos autem nobismetipsis facimus id occultũ: quia vix est aliquis in eis qni ad te sunt, qui experiri velit, quid possit: & quod promptissimè potest quandocũque secũdum carnem vel sæculum, siue timor impulerit, siue cupiditas traxerit: *[Pauci volũt experiri, quid possint.]* sed & si fallimus homines inscios, non nos permittas, vt quasi volentes fallere te, fallamus nosmetipsos. Nos non laboramus, quia vel non possumus, vel non posse nobis videmur, vel consuetudine otii & delitiarum nostrarum nos non posse efficimus. Adoremus ergo semper, & procidamus, & ploremus coram te, qui fecisti nos, & qui in hoc ipsum peccato nostro manifesto, iudicio tuo occulto formasti nos, vt forsitan quia non multùm hoc volumus, non possimus: vel quia non voluimus cùm potuimus, cùm volumus non possimus. Vescamur saltem secumdum pœnam Adæ pane nostro, si non possum' in sudore vultus nostri, in dolore cordis nostri: in lachrymis doloris, si non possumus in sudore laboris. Magnam hanc jacturã professionis nostræ suppleat pietas ac deuotio conscientiæ humilis. Sint nobis lachrymæ nostræ panes die ac nocte, quãdiu dicitur animæ nostræ, vbi est De' tuus: hoc est, quamdiu peregrinamur à Domino Deo nostro, & à lumine vultus sui. *[Psal. 41.]* Vnum quidem erat necessarium. Sed qui nec in vno figimur, nec in multis exercemur: in quo ordine computabimur? Vtinam cum illo, de quo Apostolus dicit. *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputabitur fides ejus ad iustitiã, secundum propositum gratia Dei.* *[Rom. 4.]* Vtinam cum peccatrice cui multùm dimissum est, quia multum dilexit. Et beata anima, quæ hoc judicio apud Deum meruit iustificari, iudicio diligen- *[Luc. 7.]*

tium nomen Domini, vt omissa omni iustitia operũ & fiducia meritorum, in hoc solo iustificetur, *quoniam dilexit multum*. Nam in diligendo te Deus, retributio magna est diligenti conscientiæ ipsa dilectio tua, deinde verò vita æterna. Sic fratres, obsecro vos, non excusemus nos; sed accusemus nos & confiteamur. Et qui magni nominis vmbram, & personale quoddam figmentum perfectionis apud homines induimus: apud Deum conscientiæ nostræ cognoscentes paupertatem, non vsquequaque recedamus à veritate, & veritas liberabit nos.

CAPVT XXI.

Incipientibus, lectio, oratio, & meditatio, necessaria.

DEinde docendus est animalis incipiens & Christi tyrunculus Deo appropinquare; vt & Deus appropinquet ei. Sic enim admonet Propheta, *Appropinquate Deo, & ipse appropinquabit vobis*. Non solùm enim faciendus est homo, & formandus, sed & vivificandus. Primò enim formauit Deus hominem, deinde *inspirauit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*. Formatio hominis institutio est moralis: vita ejus, amor Dei. Hũc fides concipit, spes parturit, charitas format & vivificat. Amor enim Dei, vel amor Deus Spiritussanctus amori hominis se infundens, afficit eum sibi. Et amans semetipsum de homine Deus, secum vnum efficit & spiritum ejus, & amorem ejus. Sicut enim non habet corpus vnde viuat, nisi de spiritu suo: sic affectus hominis, qui amor dicitur, non viuit, hoc est, non amat Deum, nisi de Spiritu sancto. Amorem ergò Dei in homine ex gratia genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat & illuminat. Animali verò & nouo in Christo homini ad excitanda ejus interiora meliùs & tutiùs proponuntur legenda & meditanda Redemptoris nostri exteriora. Ostendendũ in eis exemplum est humilitatis, prouocatio charitatis, & affectus pietatis: & de Scripturis sanctis, & Sãctorum tractatibus Patrum moralia quæque & planiora. Proponenda sunt ei gesta, & passiones Sanctorum: vbi nec laborandum ei sit in planitie historiali: & semper aliquid occurrat quod nouitij animum excitet ad amorem Dei & contemptum sui. Porrò aliæ historiæ delectant quidem cùm leguntur, sed non ædificant: quin potius mentem inficiunt; & in tempore orationis vel spiritualis meditationis inutilia quæque vel noxia faciũt scaturire de memoria. Lectionis quippe modum similis meditatio sequi solet. Difficilium etiam lectio Scripturarum fatigat, non reficit teneriorẽ animum: frangit intentionem, hebetat sensum vel ingenium. Docendus est etiam in oratione sua sursum cor leuare; spiritualiter orare; à corporibus vel corporũ imaginibus, cùm Deum cogitat, quantùm potest, recedere. Admonendus est, quanta potest puritate cordis intendere in eum, cui sacrificiũ orationis suæ offert: seipsum attendere qui offert: intelligere, quidnam & quale sit, quod offert. Quantum enim videt, vel intelligit eum cui offert, tantùm ei in affectu est; & ei amor ipse est intellectus. Quantumque ipse ei in affectu est, tantum sapit ei hoc ipsum, si dignum Deo est, quod offert: & in eo sibi bene est. Hujusmodi tamen homini oranti vel meditanti, meliùs ac tutiùs, sicut jam dictum est, proponitur imago

Iac. 4

Gen. 2.

Formatio hominis spiritualis.

Vita Christi & Sanctorũ legendæ & meditanda.

Cogitandus De⁹ sine corporum imaginibus, quãtum fieri potest.

dominicæ natiuitatis, passionis, & resurrectionis: vt infirmus animus qui non nouit cogitare, nisi corpora & corporalia, habeat aliquid, cui se afficiat, cui iuxta modum suum pietatis intuitu inhæreat. Est quippè in forma Mediatoris: in quo, sicut legitur in Iob, *Visitans Homo speciem suam, non peccat*; quia cùm intentionis suæ intuitum in eum dirigit, humanam in Deo speciem cogitando, à vero non vsquequaque recedit: vt dum per fidem ab homine Deum non diuidit, Deum aliquando in homine apprehẽdere addiscat. In quo pauperibus spiritu, & simplicioribus filijs Dei, tantò primùm solet esse affectus dulcior, quantò humanæ naturæ propinquior. Postmodum verò fide migrante in affectum, amplexantes in medio cordis sui dulci amoris amplexu Christum Iesum, totum hominem propter hominem assumptum, totũ Deum propter assumentem Deum; incipiunt eum non jam secundum carnem cognoscere: quamvis eum necdum secundum Deum plenè possint cogitare. Et sanctificando eum in cordibus suis offerre ei amant vota sua, quæ distinxerunt labia sua: obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro tempore, pro causa, congruentes.

Iob 5.

CAPVT XXII.

Diuersi modi orandi.

SVnt enim orationes aliæ breues ac simplices, sicut eas format voluntas seu necessitas orantis pro causa incidenti. Aliæ prolixiores & rationabiles, sicut in inquisitione veritatis petentes, quærentes, pulsantes; donec accipiant, inueniant & aperiatur eis. Aliæ alacres, spirituales & fœcundæ, in affectu fruentis, & gaudio gratiæ illuminantis. Et ipsæ sunt, quas Apostolus alio ordine dinumerat; obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Nã postulatio, quam primam posuimus, est circa obtinenda temporalia & necessaria aliqua vitæ hujus, in qua Deus postulantis quidem approbans bonam voluntatẽ, facit tamen ipse, quod meli⁹ iudicat: & dat libenter sequi bene postulantem. Ipsa est, de qua Psalmista ait. *Quoniã adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum*. Hæc est etiam hominum impiorum: quia omnium communiter est, sed maximè filiorũ sæculi hujus, desiderare tranquillitatem pacis, sanitatem corporis, temperiem aëris, & alia quæ ad vitæ hujus vsum spectant, & necessitatem, & abutẽtium voluptatem. Pro quibus qui fideliter postulant, quamvis non ea postulant nisi ad necessitatem: tamen in hoc ipso voluntati Dei suam semper subjiciunt. Obsecratio verò est in exercitijs spiritualibus anxia ad Deum instantia: in quibus ante gratiam succurrentem, qui apponit scientiam, apponit & dolorem. Oratio verò est hominis Deo adhærentis affectio, familiaris quædam & pia collocutio: & statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo quamdiu licet. Porrò gratiarum actio est in intellectu, & cognitione gratiæ Dei, bonæ voluntatis indeficiens ad Deum, & indefessa intentio: etiamsi aliquãdo vel non sit, vel torpeat siue actio exterior, siue interior affectio. Hæc enim est, de qua dicit Apostolus. *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non inuenio*. Acsi dicat. Semper quidem velle adest; sed aliquando jacet, hoc est inefficax est; quia perficere opus bonum quæro, sed non inuenio. Hæc est charitas, quæ numquam

1. Timot. 2.

Quid sint obsecratio, postula. &c.

Psalm. 140.

Eccle. 1.

Rom. 7.

deficit. Ipsa est enim sine intermissione oratio, seu gratiarum actio, de qua Apostolus ait. *Semper sine intermissione orantes: semper gratias agentes.* Est enim jugis quædã bonitas mentis & bene compositi animi, & ad Patrem Deum in Filijs Dei bonitatis ejus quædam similitudo, orans pro omnibus semper, & gratias agens in omnibus: tot modis in oratione vel gratiarum actione in Deum se jugiter refundens, quot in suis necessitatibus vel consolationibus, in proximi etiam vel compassionibus vel congratulationibus causales in hoc materias inuenit pius affectus. Hæc autem jugiter in gratiarum actionib' est: quia qui sic est, semper in gaudio Sancti Spiritus est. In postulationibus ergo piè ac fideliter orandum est, sed non est in illis pertinaciter inhærendum: quia nos nescimus, sed pater cœlestis scit, quid in temporalibus istis necesse nobis sit. Obsecrationibus verò insistendũ est, sed in omni humilitate & patientia: quia non afferunt fructum, nisi in patientia. Nõnumquam enim cùm celeriùs gratia non subuenit, fit obsecrãti cœlum æneũ, & terra sua ferrea. Et cùm relicta sibi cordis humani duritia ad votum exaudiri non meretur: anxietas desiderantis negari sibi æstimat, quicquid differtur. Cumque sicut Chananæa illa præteriri se ac despici ingemiscit, quasi immunditiam canis, præterita sibi peccata sua imputari vel improperari imaginatur. Nonnumquam verò non sine labore petens accipit, quærens inuenit, & pulsanti aperitur. Et consolationes ac suauitates orationis inuenire tandem aliquando meretur labor obsecratoris. Nonnumquam etiam puræ orationis affectus & bona illa affectionis suauitas non inuenitur, sed quasi inuenit, cùm non petenté, non quærentem, non pulsantem, & quasi nescientem gratia præuenit, & tamquam gen' seruorum recipitur in mensa filiorum; cùm rudis adhuc & incipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro præmio sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Quod cùm fit, agitur, vt vel in judicium suum non liceat nescire negligenti quid negligat, vel vt prouocatio charitatis amorem in eo gratiæ vltro se offerentis accendat.

1. Thess. 5

Non sit pertinax postulatio à Deo.

Mat. 15.

Caput XXIII.

De gratia Dei aliqui superbiunt, alij proficiunt.

IN quo proh dolor! plurimi falluntur; quia cùm pascuntur pane filiorũ, jã se esse filios arbitrantur: & deficientes vnde proficere debebant, ex visitante gratia euanescunt à conscientia sua, arbitrantes se aliquid esse, cùm nihil sint: & de bonis Dei non emendantur, sed indurantur, & fiunt de quibus Psalmista dicit. *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula. Et cibauit illos ex adipe frumenti: & de petra melle saturauit eos.* Pascuntur enim à Patre Deo aliquando de pretiosiore gratiæ substantia serui, vt affectent esse filij: ipsi verò gratia Dei abutentes efficiuntur inimici. Vt enim abutantur etiam Scripturis sanctis in peccatis vel concupiscentijs suis, redeuntes ad eas post orationes, dicunt sibi illud vxoris Manue. *Si Dominus voluisset nos occidere: non suscepisset sacrificium de manibus nostris.* Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, in quibus, *passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos.* Passer inquam, animal naturaliter vitiosum, mobile, leue, importunum, garrulum, ac pronum, in libidinem. Et turtur luctus amica, opacæ solitudinis familiaris incola, forma simplicitatis, exemplum castitatis. Ille sibi inuenit in eis domum quietis & securitatis: illa nidum sibi, vbi reponat pullos suos. Quid sunt hæc, nisi juuenum naturaliter calidus sanguis, & feruidus animus, ætas labilis, curiositas inquieta: & virilis naturalitas, serius animus, castus, sobrius, pertæsus exteriorum, & intra semetipsum, quantum potest, recondens semetipsum? Quorum alterum in tabernaculis Domini virtutum, in disciplina cellarum inuenit sibi ab omnibus vitijs quietem, firmamentum stabilitatis, & mansionem securitatis: alterum verò in secreto cellæ secretiorem recessum conscientiæ, vbi reponat & nutriat sanctarum affectionum suarum fructus, & spiritualis sensus contemplationis. Passer solitarius in tecto, hoc est in altitudine contemplationis, calcare amat habitationem carnalis conuersationis. Turtur in inferioribus fœcundatur; & gaudet in fructibus humilitatis. Perfecti enim quique & spirituales, qui turturis nomine designantur, cùm ad firmamentum & robur virtutis suæ per virtutem obedientiæ & subjectionis perueniunt, premunt se semper ac dejiciunt in id quod incipientium est: & vnde infra se descendunt, inde ascendunt supra se: & humiliando se magis proficiunt, propter fructus solitudinis, qui sunt frequentes & sublimes excessus contemplationis: non arbitrantes esse negligendam conscientiam voluntariæ subjectionis, vsum socialis vitæ, & dulcedinem fraternæ charitatis. Ideo vir spiritualis etiam corpore suo spiritualiter vtens, seruituté ejus quam habet animalis homo per vim coactam, rationalis per consuetudiné subactam, accipere meretur quasi naturaliter affectam. Vbi illi est obedientia necessitatis, iste eã habet charitatis. Vbi ille virtutes laboris plenas; iste habet eas versas in mores. Illi verò passeres Dei sursum nitentes ad ea quæ sunt perfectorũ, non elationis præsumptione, sed amoris pietate, in paupertate spiritus sui sublimati, non repelluntur vt elati, sed suscipiuntur vt deuoti: & aliquãdo hoc merentur experiri, quo spirituales frui: & semper affectant imitari eorum vitam actiuã, ad quorum ambiunt consolationem contemplatiuã. Sicque vno spiritu, licet non vno gressu gradientes æquè proficiunt & spirituales in humili, & incipientes in sublimi. Et hæc sunt cellarum bene ordinatarum sancta commercia, studia veneranda, otia negotiosa, quies operosa, charitas ordinata, mutuò in silentio sibi colloqui, & in absentia ab inuicem se ad invicem magis frui, proficere de inuicem: & cùm se nõ vident ad invicem, in alio videre quod imitandum est, in seipsis non nisi quod flendũ est. Ego verò, sicut dicit Ieremias *vir videns paupertatem meam*, cùm alienas diuitias computo, in memetipso erubesco, & suspiro, quia quod tracto in alieno, mallem experiri in proprio. De duobus quippe malis tolerabilius est, quod amas non videre, quàm videre & non habere: quamuis non sic de bonis Domini. Bona enim Domini videre, amare est: amare verò, habere est. Ideo nitamur, inquantum possumus, vt videamus; videndo intelligamus, & intelligendo amemus, vt amando habeamus. Domine, super hoc ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

Psal. 80.

Abusus gratiæ Dei.

Iudic. 13.

Psalm. 83.

Passer & turtur quid innuant.

Quæ cellarum sancta commercia.

Thren. 3.

Caput XXIV.

Vita proficientis, seu rationalis.

De animali verò statu transeuntes ad rationalem, vt de rationali transeamus ad spiritualem, tractando, & vtinà proficiendo: primò scire debemus, quia sapientia, sicut in libro nominis ejus legitur, *praeoccupat eos, qui se concupiscunt, & occurrit eis, & ostendit se in viis hilariter:* sicut in proficiendo, sic & in meditando & tractando *attingens vbique propter sui munditiã*. Adjuvat enim Deus vultu suo se intuentẽ, movet ac promouet, & attrahit species summi boni se cõtemplantẽ. Cumque ratio proficiendo in amorẽ sursũ ascendit, amanti & desideranti gratia cõdescendit. Vnum saepe fiũt, quae illos duos statº efficiũt, quae sũt ratio & amor, & quae ex eis efficiuntur, scilicet scientia & sapientia. Nec jã possunt altrinsecº tractari vel cogitari, quae jã vnũ, & vnius operationis ac virtutis sunt, & in sensu intelligentis, & in gaudio fruẽtis. Quavis ergo distinguẽdus sit alter ab altero: tamen cùm sic se res obtulerit, & cogitãdus & tractãdus erit alter cũ altero, & in altero. Quia ergo, sicut jam suprà dictũ est, quẽadmodũ in profectũ religionis status animalis vigilat circa corpº & hominẽ exteriorẽ cõponendũ & aptandum studio virtutis: sic rationalis circa animũ agere debet, vel faciẽdũ, si nõ est; vel excolendum & ordinandũ, si est. Primò videndũ est, quis vel quid sit animus ipse, quem ratio rationalẽ facit: quid ipsa ratio, quae animal rationale mortale faciendo hominẽ perficit. Sed primò dicendum est de anima. Anima est res incorporea, rationis capax, viuificando corpori accomodata. Haec animales constituit homines, quae carnis sunt sapiẽtes, sensibus corporis inhaerentes. Quae vbi perfectae rationis incipit esse nõ tantùm capax, sed & particeps, continuò abdicat à se notã generis fœminini, & efficitur animus particeps rationis, regẽdo corpori accomodatus, vel seipsũ habens spiritus. Quidiũ enim anima est, citò in id quod carnale est, effœminatur. Animus verò vel spiritus non nisi quod virile est & spirituale meditatur. Spiritus enĩ hominis in appetitu boni subtilis & efficacis naturae conditus, & in arce creatricis sapientiae omni corpore melior, omni etiam luce corporea lucidior ac dignior, ob imaginẽ conditoris, & capacitate rationis, vitio tamen carnalis originis implicitus, peccati seruus effectus est, & captiuatus in lege peccati, quae est in membris. Nec tamen omnino amisit arbitrium, id est judicium rationis in judicando & discernendo, quamquam libertatem suam amiserit in eligendo & agendo. Nam in pœnam peccati, & testimonium amissae dignitatis naturalis, positum est in signum ei arbitrium, sed captiuum. Quod etiam ante conuersionem & liberationem voluntatis, numquam perdere potest ex toto vlla auersione ipsius voluntatis. In quo etiam cùm eo abutitur in eligendo malum pro bono, sicut dictum est, melior est & dignior omni corporea creatura, & in se, & in arte creatricis veritatis. Liberatur verò voluntas, quando efficitur charitas: cùm charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datur nobis. Et tunc verè est ratio, hoc est habitus mentis per omnia conueniens veritati. Cùm enim liberata voluntate per liberantem gratiam, spiritus agi incipit libera ratione, tunc suus, hoc est seipso liberè vtens efficitur; & fit animus, & bonus animus. Animus, inquam, inquantum bene animans, & perficiens animal suum supplemento liberae rationis. Bonus autem, inquantum jam amans bonũ suum, quo bonus fit, & sine quo nec bonus, nec animus esse potuit. Fit autem bonus animus & rationalis, diligens Dominum Deum suũ in toto corde suo, & in tota anima sua, & in tota mẽte sua, & in omnibus viribus suis: & non nisi in ipso seipsum, & proximum suum sicut seipsum. Fit autem bonus animus Deum timens, & mandata ejus obseruans: hoc est enim omnis homo. Ratio verò sicut diffinitur à diffinientibus, vel describitur à describentibus; Aspectus animi est, quo per seipsum, non per corpus verum intuetur: aut ipsa veri contemplatio, aut ipsum verũ quod contemplatur, aut vita rationalis, vel rationale obsequium: in quo conformatur veritati contẽplatae. Ratiocinatio verò & rationis inquisitio: hoc est aspectus ejus motio, per ea quę aspiciẽda sunt. Ratiocinatio quęrit: ratio inuenit. Aspectus hic in rem aliquã conjectus, cùm eã videt, scientia est: cùm non videt, ignorantia est hominis. Haec ergo ratio est & instrumentũ, per quod operatur; & opº, quod operatur. Hęc semper exerceri amat in eo quod vtile est & honestum, exercitio proficiens, desidia verò in semetipsa marcescens.

Sap. 6.

Ibid. c. 7

Quid sit anima, quãdo fiat animus.

Non perijt peccato liberũ arbitriũ.

Rom. 5.

Animus vt fiat bonus.

Eccle. 12.

Quid sit ratio, quid ratiocinatio.

Caput XXV.

Proficiens debet mentem ad Deum erigere.

Nullum verò dignius & vtilius exercitium est homini eam habenti, quàm in eo quod melius habet, & in quo caeteris animalibº, & caeteris partibº suis praeminet: quae est ipsa mens vel animus. Menti verò vel animo, cui caetera pars hominis regenda subdita est, nec digniº est aliquid ad quaerendum, nec dulcius ad inveniẽdũ, nec vtilius ad habendũ, quàm quod solũ ipsam mentẽ superminet: qui est solus Deus. Nec longè est ab vnoquoq; nostrũ: quia in ipso viuimus, mouemur & sumº. Et nõ sicut in aëre isto, sic in Dño Deo nostro: sed in ipso viuimus per fidẽ; mouemur & promouemur per spẽ; sumus, & manemº, & figimur per amorẽ. Ab ipso enim & ad ipsũ conditº est rationalis animus, vt ad ipsũ sit conuersio ejº, vt sit ipse bonũ ejus. Hic autẽ ex illo bono bonº, & ad imaginẽ & similitudinẽ ejus conditus est, vt quãdiu hic viuitur, quàm propiùs potest, accedat ad eũ similitudine, à quo longè receditur dissimilitudine: vt sit is sanctº, sicut ille sanctus est: in futuro futurº beatus, sicut ille beatus est. Deniq; hoc solũ magnũ & bonũ est, cùm magnus & bonus animº suspicit, miratur, & affectat, quod supra eũ est: & adhaerere festinat similitudini suę deuota imago. Ipse enĩ imago Dei est. Et per hoc quod imago Dei est, intelligibile ei fit, & se posse; & debere inhęrere ei, cujus imago est. Ideo etsi in terris regit corpus sibi cõmissũ, meliore tamen parte sui, scilicet memoria, intelligentia & amore, ibi sẽper cõuersari amat, vnde quidquid est, quidquid habet, se nouit accepisse: & vbi in perpetuũ se mansurum, & cũ plena Dei visione plenam Dei similitudinem adepturum, (quantum in hoc homini sperandum est,) sperare ei licet: si bonae spei vitam suam non negligat conformare. Illuc ergo spectat, vnde pendet: plus cum hominibus commorans, vt viuificet eos vita Dei ad quaerẽda & capienda diuina, quàm vt viuat vita ista mortali & humana. Sicut enim corpus quod animat, naturali statu suo erigit

Actor. 17.

Animus est Dei imago.

erigit in cœlum, quod natura, & loco, & dignitate, & loca omnia & corpora supereminet: sic spiritualis ipse naturâ, ad ea quæ in spiritualibus præeminent, hoc est ad Deum & diuina erigere semper amat semetipsum; non superbè sapiēdo, sed piè amando, sobriè, & iustè, & piè viuendo: qui, quantò altius est, quò nititur, tanto fortioribus exercitiorū studijs exercendus est: & quæ eum non perfundant, sed intingant; sicque afficiant, vt perficiant. Studia verò hæc, etsi literis aliquando adjuvantur & vtuntur, non tamen literatoria sunt, non cauillantia, non disputantia, non garrula: sed spiritualia, pacifica, & humilia, humilibus consentientia. Quæ etsi foris exercentur, intus potiùs aguntur in spiritu mentis, vbi renouatur homo de die in diem, induēs nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & iustitia veritatis. Ibi enim fit animus, ibi fit intellectus bonus omnibus facientibus eum, vbi, secundum regulam ab Apostolo datam, in omnibus docemur exhibere *nos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in laboribus, in vigilijs, in carcere* cellæ, *in jejunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto; in charitate non fictâ, in verbo veritatis, & virtute Dei: per arma justitiæ à dextris & à sinistris: per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces: sicut ignoti & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus; vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*: in labore & ærumna, *in fame & siti, in frigore & nuditate*. Hæc & hujusmodi sunt studia sancta, exercitia apostolica: in quibus discutit se solus cum Deo animus; & inuenit, & emendat: mundans se ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficiens sanctificationem in timore Dei. Studia hæc silentium amant, quietē desiderant cordis in labore corporis, paupertatem spiritus, & pacem in exterioribus pressuris, & bonam cōscientiam in omni puritate cordis & corporis. Hæc faciunt animum; quia vnde faciant, habent. Vana verò illa, nugigerula, verbosa, contentiosa, curiosa, ambitiosa, etiam factum animum, vel jam perfectum, dissipant & corrumpunt. Hæc studia scrutantur virtutum non tam flores, quàm radices: non vt luceant, sed vt sint: non vt sciantur, sed vt habeantur.

Qualia sint spiritualia studia.

Psal. 110.

2. Cor. 6.

2. Cori. 7.

CAPVT XXVI.

Mala consuetudo cauenda: quid vitium, quid virtus sit.

Vitiorum verò plus in semetipsis metuunt appetitum, quàm ab alijs impetum: plus contagium, quàm malitiam. Sicut enim aliquādo magno labore & studio perseuerante virtutes trahuntur in affectum & mentem bonam: sic vitia leuissima remissioris licentiæ oportunitate transeunt in conspersionem; & quasi naturalia efficiuntur. Sed nullum vitium naturale est; virtus verò omnis homini naturalis est. Consuetudo tamen vel voluntatis corruptæ, vel inolitę negligentiæ, plurima sæpe vitia quasi naturalia in neglecta conscientia efficere solet. Consuetudo quippe, sicut philosophi dicere solent, est secunda natura. Omnis tamen malus animus priusquam indurescat, malitia ejus molliri potest: sed nec postquam induruerit, desperandus est. Hæc enim maledictio est Adæ, vt in terra laboris nostri, & in agro cordis vel corporis nostri, noxia vel inutilia gratuitò passim vbique proueniant: vtilia verò vel necessaria & salubria cum labore. Virtus tamen quoniam naturæ res est, cùm venit in animum aliquando, non venit sine labore, sed venit in locum suum, & sedet fideliter: & bene cum ea naturæ conuenit, cùm nullum præmium potius sit ei, quàm in Deo cōscientia sui. Vitium verò, cùm nihil aliud esse credatur, quàm priuatio virtutis: tamen vastitas ejus & enormitas tanta nonnunquam quasi sentitur, vt obruat & opprimat: fœditas tanta, vt inquinet & inficiat: adhæsio tam pertinax consuetudinis, vt vix à se eam natura excutiat. Omnis enim vitij frustra siccatur rivus, si fons non fuerit obturatus. Verbi gratia, remissa voluntas facit mentis leuitatem, ex qua prodeunt instabilitas mentis, inconstantia morum, vana lætitia sæpe vsque ad lasciuiam carnis, vana tristitia nonnunquam vsque ad ægritudinem corporis: & multa alia, in negligentia vel transgressione propositi ex leuitatis vitio venientia. Sic etiam superba ex vsu voluntas, in magna sæpe cordis inopia tumentem efficit animum: vnde procedunt vana gloria, fiducia sui, negligentia Dei, jactantia, inobedientia, contemptus, præsumptio, & cæteræ animi pestes, quæ profluere solent ex tumore & vsu superbiæ. Et in hunc modum omnia genera vitiorum ex aliquo malæ voluntatis affectu, vel malæ consuetudinis vsu, suam singula ducunt matricem originem: quæ quantò diutius menti inolita est, tantò fortius hæret, & fortioribus remedijs eget; & curam requirit diligentiorem. Hujusmodi enim pestes vitiorum vsque in vltimam solitudinem solitarium persequuntur. Et sicut bene concreta virtus, & fideliter animo insidens, possessorem suū in nulla deserit multitudine: sic vitium cōsuetudinis possessum suum liberum esse non patitur in qualibet solitudine. Nam nisi pertinaci studio & prudenti opera expugnata fuerit consuetudo, leniri potest, vinci vix potest: & quomodocumque se componat animus, hæret; & in quauis solitudine habitet, secretum vel silentium cordis esse non patitur. Cui quò majorem contigerit inesse vsum consuetudinis & voluntatis, eò nequior & rebellior in eo inuenitur nō tam malitia spiritualis, quàm quasi manibus expellenda multiplex quædam collectio & dura corpulentia necessitatis. Sed redeamus ad laudem virtutis. Quid est virtus? Filia rationis, sed magis gratiæ. Vis enim quædam est ex natura: vt autem virtus sit, habet ex gratia. Vis est ex iudicio approbantis rationis: virtus autem ex appetitu illuminatæ voluntatis. Virtus enim est voluntarius in bonū assensus. Virtus est æqualitas quędam vitæ, per omnia cōgruens rationi. Virtus est ad judicium rationis vsus liberæ voluntatis. Virtus quædam est humilitas. Virtus quædam est patientia. Virtus quædam est obedientia. Virtus sunt, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, & aliæ quamplures: in quibus singulis non est aliud virtus, quàm, sicut dictum est, ad judicium rationis vsus liberæ volūtatis. Bona enim voluntas in animo est origo omnium bonorum, & omnium mater virtutū. Sic econuerso mala voluntas est origo omnium malorum & vitiorum. Ideo custos animæ suæ valde solicitus esse debet circa custodiam volūtatis suæ, vt prudenter intelligat & discernat,

Quanta sit vis consuetudinis.

Virtus est secundùm naturam.

Noxia sponte crescunt, vtilia labore solùm.

Vitium priuatio virtutis.

Mala consuetudo vix potest vinci.

Virtus gratiæ filia.

Bona volūtas est origo virtutum.

quid in totum velit, vel volendum sibi sit, sicut est amor Dei: quid propter illud, sicut est amor propositi.

Capvt XXVII.

Dei dilectio, obedientia, & veritas, voluntatis custodes.

VT enim in illo tuta sit omnis indiscretio, in hoc semper secundum obedientiæ regulas cauta & prudens debet esse dilectio. In dilectione quippe Dei non alia ratio, non alia discretio est, nisi vt, sicut ille, cùm dilexisset nos, in finem dilexit nos: sic, si fieri potest, in infinitum diligamus eum nos, sicut beatus vir, qui in mandatis eius cupit nimis. Sed cùm nullum finem vel terminum habere debeat deuotio amãtis: tamen terminos suos, fines, & regulas, habere debet actio operantis. Vbi ne aliquãdo oberret nimia voluntas; necesse est, quòd semper adsit mediante obedientia custodiens veritas. Nihil enim in bonum hominis in Deum proficiẽtis, tam sibi conuenit, quàm voluntas & veritas. Hæc duo sunt, quæ sicut dicit Dominus, *si consenserint in vnum: quodcumque petierint, fiet eis à Deo Patre.* Si duo hæc in vnum perfectè consenserint, omnem in se continent virtutum plenitudinem; sine vitio intercurrente omnia possunt in homine etiam languente: omnia habent & possident in homine nihil habente: dant, mutuant, cõferunt, prosunt in homine secum quiescente. Gloria & diuitiæ in conscientia sancti viri illius; ex fructibus bonæ volũtatis ejus. Foris verò non ex vno latere, sicut scutum hujus mundi, sed vndique eum circumdat scutum veritatis Dei. Hilarem enim & jucundum intus semper efficit bona voluntas: in exteriori verò actione serium & grauem, tutum ac securũ reddit veritas. Ideoque supergressus humana homo ille, semper in sereno est: sicut de aëre illo homines ferunt, qui super globum lunæ est. Voluntas naturalis quidam animi appetitus est, alius in Deum, & circa interiora sua: alius circa corpus & circa exteriora & corporalia. Hæc cùm sursum tendit, sicut ignis ad locum suum, hoc est, cùm sociatur veritati, & mouetur ad altiora, amor est. Cùm verò promovetur, & lactatur à gratia, dilectio est. Cùm apprehendit, cùm tenet, cùm fruitur, charitas est, vnitas spiritus est, Deus est. *Deus enim charitas est.* In his autẽ cùm consummauerit homo, tunc incipit: quia nulla horum in hac vita plena perfectio est. Cùm verò declinat in ea quæ carnis sunt, concupiscentia carnis est. Cùm in curiositatem sæculi, concupiscentia oculorum est. Cùm verò in ambitionẽ gloriæ vel honoris, superbia vitæ est. Quamdiu tamen hujusmodi vtilitati seu necessitati naturæ seruit: natura est, vel appetitus ejus. Cùm verò in superflua se exponit vel noxia, vitium naturæ est, vel sui ipsius. Quorum primo appetitu vel accessu, de temetipso tibi hoc capere licet argumentum. Cùm in eis quæ ad corpus spectant, in rebus necessarijs voluntas primo appetitu finẽ facit, naturalis animi appetitus est. Cùm verò in appetendo semper ad vlteriora progreditur, ipsum se prodit: quia jam non tam voluntas, quàm vitium voluntatis est, auaritia, vel cupiditas, vel aliquid hujusmodi. Voluntati enim in hujusmodi citò satis est: vitijs verò ejus numquam satis est. Hæc in spiritualibus, & in eis quę ad Deum sunt, cùm vult, quod potest, laudanda est: cùm vult, quod non potest, & plus quàm potest, regenda est & refrænanda: cùm non vult, quod potest, excitanda est & prouocanda. Sæpe enim si non frænatur, impetum facit, & agitur in præceps. Sæpe, si non excitatur, dormit, & tardat, & obliuiscitur quò tendebat: & facilè declinat quasi à latere in obliquationes oblatæ delectationis. Ideoque sicut in corpore etiam solet fieri, (melius enim corpus hominis ab alio videtur, quàm seipsum videat,) in hujusmodi nos sæpe melius videt alienus oculus, quàm noster: & alius, qui non est pariter in feruore ejusdem voluntatis, rectior sæpe nostræ judex est actionis: quia sæpe vel negligentiâ vel priuato amore nostri erramus in nobis. Bona ergo custos voluntatis est obedientia, siue imperij illa sit, siue consilij: siue subjectionis, siue solius charitatis. Puriùs enim ac dulciùs, secundum Apostolum Petrum, ad pares, seu etiam ad minores suos, filij obedientiæ castificant corda sua in obedientia charitatis, quàm ad majores subigant per obedientiam necessitatis. In illâ enim solâ vel præcipit vel consulit & obedit charitas: hic autem pœnam timet, vel minatur, imperiosa authoritas, & meticulosa necessitas. Et in illâ obedienti sæpe debetur major gloria: in ista verò inobedienti major semper intentatur pœna. Ergo in homine sursum cor habente, propter exteriora sua regenda, moderanda, cõponenda, palã omnibus est, quàm necessaria sit voluntati custodia sua, ampliùs autem propter interiora sua. Animo enim sæpe seipsum vel Deum cogitanti, ipsa voluntas in omni cogitatione princeps est: & necessariò principium voluntatis sequitur omnis tenor cogitationis. Tria enim sunt quæ cogitationem faciunt; voluntas, memoria, & intellectus. Voluntas cogit memoriã, vt proferat materiam: cogit etiam intellectum, ad formandum quod profertur, adhibens intellectũ memoriæ, vt inde formetur; intellectui verò aciem cogitantis, vt inde cogitetur. Quæ quia in vnum cogit voluntas, & facili quodam nutu copulat, à cogendo cogitatio nomen accepisse videtur.

Psal. 111. — *Matt. 18.* — *Voluntas cùm sursum tendit, amor est.* — *1. Ioan. 4.* — *Eccli. 18.* — *Voluntas declinans cõcupiscentia est.* — *Sæpe meliùs nos videt oculus alienus, quàm noster.* — *Bona custos voluntatis obedientia est.* — *1. Petri 5.*

Capvt XXVIII.

Quæ cogitationes admittendæ, quæ non.

HInc fiunt cogitationes omnes; aliæ bonæ & sanctæ, & dignæ Deo; aliæ malæ & peruersæ, quæ separant à Deo: aliæ sine intellectu, id est otiosæ & vanæ, à quibus aufert se Deus. Hinc enim dicitur, quod *peruersæ cogitationes separant à Deo:* & quia *Spiritussanctus aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* In quibus aduertendũ est, quia sine omni intellectu nullatenus cogitari potest: & nulla omnino cogitatio sine omni intellectu est. Sed alius est intellectus ex vi naturalis rationis: alius ex virtute mentis rationalis. Intellectus quidem idem ipse est, qui quocumque, seu in bonum seu in malum, applicitus fuerit, naturaliter viget. Sed alius invenitur sibi relictus, alius à gratia illuminatus. Ille sæculi rebus, & serijs & nugatorijs, se non negat: hic autem non nisi dignis se rebus & similibus sibi seipsum accommodat. Ille sæpe operatur sicut sibi relictus, & vitio infectus ex vi rationis, & vitio corruptæ voluntatis, texens peruersas cogitationes, quibus semetipsum, qui cogitat, sponte separat à Deo. Hic autem semper sicut illuminatus, & virtuti affectus, operatur pietatẽ, quę cogitantem jungit Deo. Quæ verò secundo loco ponuntur, cogitationes sine intellectu; ipsæ

Sapi. 1. — *Intellectus alius est sibi relictus, alius illuminatus.* — *Cogitatio sine intellectu quæ.*

Quæ sint cogitationes siue intellectu.

sunt vanæ illæ & otiosæ, neutro intellectui per cogitantis intentionem se applicantes; non repente perimentes, sed sensim & paulatim corrũpentes; occupantes tempus, necessaria impediẽtes, & animum inficientes: non tam cogitationes, quàm ex veris & imaginarijs recordationibus simulachra quædam cogitationum; seu ipsæ recordationes vltro & multipliciter de memoria scaturientes. In quibus passio quædam volũtatis potiùs videtur esse quàm actio; cùm nulla sit in eis cogitantis intentio: cùm, quod sponte ebullit de memoria, formandum se offert intellectui non curanti: & quicquid agitur, videtur potiùs agi in somnio dormiẽtis, quàm in studio cogitantis. Vbi tametsi à se repellere Spiritum sanctum non est in voto cogitantis: fit tamen ex culpa negligentis, vt Spiritussanctus disciplinæ meritò auferat se à cogitationibus indisciplinatis. Quæ quamvis fiant per vim occultam rationis, non tamen fiunt ex ratione: & trahitur in eas intellectus, cùm nullus sit in eis intelligentis assensus. Vbi verò seriò de rebus serijs bene cogitatur; voluntas libero arbitrio de memoria euocat quodcumque opus habet: & intellectum formantem memoriæ adhibet, formatumque quicquid illud est, intellectus adhibet aciei cogitantis; & sic peragitur negotium cogitationis.

Cogitationes de Deo, & de ijs, quæ ad Deũ sunt

Cùm verò de his quæ de Deo vel ad Deum sunt cogitatur, & voluntas eò proficit vt amor fiat: continuò per viam amoris infundit se Spiritus sanctus, spiritus vitæ, & omnia viuificat, adjuuans, seu in oratione, seu in meditatione, seu in tractatu, infirmitatem cogitantis. Et continuò memoria efficitur sapientia, cùm suauiter ei sapiunt bona Dei: & quod ex eis cogitatum est formandum in affectu, adhibet intellectui. Intellectus verò cogitantis efficitur contemplatio amantis: & formans illud in quasdam spirituales vel diuinæ suauitatis experientias, afficit ex eis aciem cogitantis: illa verò efficitur gaudiũ fruentis. Et tunc de Deo bene cogitatur secundum humanum modum: si tamen cogitatio dicenda est, vbi nihil cogit nec cogitur: sed tantũmodo in memoriam abundantiæ suauitatis Dei exultatur, jubilatur, & verè sentitur de eo in bonitate, ab eo qui in simplicitate cordis quæsiuit eum. Sed modus hic cogitandi de Deo non est in arbitrio cogitantis, sed in gratia donantis: scilicet cùm Spiritussanctus, qui vbi vult spirat, quãdo vult, & quomodo vult, & quibus vult, in hoc aspirat. Sed hominis est jugiter præparare cor, voluntatẽ expediendo ab affectionibus alienis, rationem vel intellectum à solicitudinibus, memoriam ab otiosis & negotiosis, nonnumquam & à necessarijs occupationibus: vt in die bona Domini, & in hora beneplaciti ejus cùm audierit vocem Spiritus spirantis, ea quæ cogitationẽ faciunt, continuò liberè concurrant sibi, & cooperentur in bonum, & quasi symbolum faciant in gaudium cogitantis: voluntas exhibendo in gaudium Domini puram affectionem, memoria materiam fidelem, intellectus experientiæ suauitatem. Sic ergo voluntas neglecta facit cogitationes otiosas, & indignas Deo, corrupta peruersas, quæ separant à Deo; recta necessarias ad vsum vitæ hujus: pia efficaces ad fructum spiritus, & ad fruendum Deo. Fructus autem spiritus sunt, sicut Apostolus dicit, *charitas, pax, gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.*

Dies bona Domini, & hora beneplaciti ejus.

Galat. 5.

Et in omni genere cogitationis omnia quæcumque cogitanti occurrunt, conformantur intentioni voluntatis, agente in eis misericordiâ & judicio Dei: vt justus justificetur adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Ideo homini Deum amare volenti, vel jam amanti, suus semper consulendus est animus, examinanda conscientia: quid sit, quod in totum vult, & propter quod vult, quicquid aliud vult spiritus vel odit; quicquid contra illud caro concupiscit. Incidẽtes enim quasi extrinsecùs, & decidentes cogitationes, & prætervolitantes voluntates, quibus modò vult, modo non vult, nequaquam inter voluntates, sed penè inter otiosas deputandæ sunt cogitationes. Nam etsi aliquando fiunt vsque ad delectationem animi, citò tamen inde se excutit animus compos sui. Quod autem in totum vult, primò considerandum est ei, quid illud sit, quod sic velit: deinde quantum velit, & quomodo velit. Si, quod in totum vult, Deus est; discutiendum est ei, Deum quantùm velit, & quomodo velit, & vtrum vsque in contemptum sui ipsius, omniumq; quæ sunt, vel esse possunt: & hoc non tantum ex judicio rationis, sed etiam ex affectu mentis; vt jam voluntas plusquã volũtas sit, vt amor sit, vt dilectio sit, vt sit charitas, sit vnitas spiritus. Sic enim diligendus est Deus. Magna enim voluntas ad Deum amor est, dilectio, adhæsio siue conjunctio, charitas, fruitio. Vnitas verò spiritus cum Deo homini sursũ cor habenti, proficientis in Deum voluntatis est perfectio: cùm jam non solummodo vult, quod Deus vult: sed sic est non tantum affectus, sed in affectu perfectus; vt non possit velle, nisi quod Deus vult. Velle autem quod Deus vult, hoc est jam similẽ Deo esse. Non posse velle, nisi quod Deus vult, hoc est jam esse quod Deus est, cui velle & esse idipsũ est. Vnde bene dicitur, quòd tunc plenè, *videbimus eum sicuti est, cùm similes ei erimus*: hoc est, erimus, quod ipse est. Quibus enim potestas data est filios Dei fieri, data est potestas, non quidem vt sint Deus; sed sint tamen quod Deus est: sint sancti, futuri plenè beati, quod Deus est. Nec aliunde hic sancti, nec ibi futuri beati, quàm ex Deo; qui eorum sanctitas & beatitudo est.

Apocal. 22.

Velle, quod Deus vult, est esse similem Deo.

Caput XXIX.

Dei similitudo in anima.

Et hæc hominis est perfectio, similitudo Dei. Perfectum autem nolle esse, delinquere est. Et ideo huic perfectioni nutrienda est sẽper voluntas, amor præparandus: voluntas cohibenda, ne in aliena dissipetur: amor seruandus, ne inquinetur. Propter hoc enim solùm creati sumus & viuimus, vt Deo similes simus: cùm ad Dei imaginem creati simus. Est autẽ Dei similitudo quædam, quam nemo viuens, nisi cũ vita exuit, quam omni homini in testimonium amissæ melioris & dignioris similitudinis creator omnium hominum relinquit: quam habet & volens & nolens; & qui eam cogitare potest, & qui tam hebes est, vt eam cogitare non possit: scilicet, quod sicut vbique Deus est, & vbique totus est in creatura sua; sic & in corpore suo omnis viuens anima. Et sicut semper sibi indissimilis Deus indissimiliter dissimilia in creatura operatur: sic anima hominis quamvis totum corpus viuificans indissimili vita; in sẽsibus tamen corporis, & in cogitationibus cordis, indissimiliter operatur assiduè dissimilia. Hæc si-

Ob hoc creati sumus vt Deo similes simus.

Similitudo Dei duplex. militudo Dei in homine, quantum ad meritum ejus, nullius apud Deum est momenti; cùm naturæ, non voluntatis ejus sit, vel laboris. Sed est alia magis Deo propinqua similitudo, inquantum voluntaria, quæ in virtutibus consistit: in qua animus, virtutis magnitudine summi boni quasi imitari gestit magnitudinem: & perseverantiæ in bono constantiâ, æternitatis ejus incommutabilitatem. Super hanc autem alia est adhuc similitudo Dei. Hæc est, de qua jam aliquanta dicta sunt, intantum propriè propria, vt non jam similitudo, sed vnitas spiritus nominetur: cùm fit homo cum Deo vnus spiritus, non tantùm vnitate volendi idem; sed expressiore quadam veritate virtutis, sicut jam dictum est, aliud velle non valendi. *Vnitas spiritus cum Deo.* Dicitur autem hæc vnitas spiritus, non tantùm quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritussanctus; sed quia ipsa ipse est Spiritussanctus, Deus charitas: cùm, qui est amor Patris & Filij, & vnitas, & suavitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quicquid commune potest esse amborum in sūma illa vnitate veritatis, & veritate vnitatis; hoc idem homini suo modo fit ad Deum: quod cū substantiali vnitate Filio est ad Patrem, vel Patri ad Filium: cùm in amplexu & osculo Patris & Filij mediam quodammodo se inuenit beata conscientia; cùm, modo ineffabili incogitabilique fieri meretur homo Dei non Deus, sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia: vnde in catalogo spiritualium exercitiorum, Apostolus prudenter interseruit Spiritum sanctū, dicens. *In castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.* *2. Cor. 6.* Vide enim quomodo tamquam omnifacientem, ordinantem & viuificantem; in medio bonarum virtutum; sicut cor in medio corporis, constituit Spiritum sanctum. Ipse est enim omnipotens artifex creans hominis ad Deum bonam voluntatem: Dei ad hominem faciens propitiationem; formans affectionem, dans virtutem, juvans operationem, agens omnia fortiter, & disponēs omnia suaviter. Ipse vivificat spiritum hominis, & continet in vnum: sicut & ille viuificat, & in vnum continet corpus suum. Homines doceant Deum quærere, Angeli adorare: solus ipse est, qui docet inuenire, habere, & frui. Ipse enim est & solicitudo bene quærentis, & pietas in spiritu & veritate adorantis, & sapientia invenientis, & amor habentis, & gaudium fruentis. *Cognitio Dei in hac vita ænigmatica est.* Quicquid tamen de visione & cognitione Dei hic fidelibus impartitur, speculum est & ænigma: tantum distans à futura visione & cognitione, quantū à veritate distat fides, vel tempus ab æternitate: etiā cùm aliquando fit, quod de eo in libro Iob legitur. *Iob 36.* *Qui abscondit lucem in manibus; & præcipit ei, vt sursum oriatur; & annunciat de ea dilecto suo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit peruenire.*

Caput xxx.

Cœlestes illuminationes & visitationes.

Electo enim & dilecto Dei aliquando vicissim lumen quoddam vultus Dei ostenditur, sicut lumen clausum in manibus, quod patet & latet ad arbitriū tenentis; vt per hoc, quod quasi in transcursu vel in puncto permittitur videre, inardescat animus ad plenam possessionē luminis æterni, & hereditatem plenæ visionis Dei: cui vt innotescat aliquatenus id quod ei deest, nonnumquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, & eripit ipsum sibi, & rapit in diem, qui est à tumultu rerum, ad gaudia silentia: & pro modulo suo ad momentum, ad punctum, idipsum ostendens ei videndum sicuti est, interim etiam & ipsum efficit in idipsū, vt sit & ipse pro suo modo, sicut illud est. Vbi cùm didicerit, quid intersit inter mundū & immundum, redditur sibi, & remittitur ad mundandum cor ad visionem, ad optandum animū ad similitudinem; vt si aliquando rursum admittatur, sit purior adhuc ad videndum, & stabilior ad fruendum. Nusquam enim se meliùs deprehendit modus humanæ imperfectionis, quàm in lumine vultus Dei, in speculo diuinæ visionis. *Imperfectio nostra in lumine vultus Dei cernitur.* Vbi in die qui est, plus & plus videns quid sibi deest, emendat in dies similitudine, quicquid deliquit dissimilitudine: similitudine ei appropinquans, à quo longè factus est per dissimilitudinem. Et sic expressiorem visionem expressior semper similitudo comitatur. *Impossibile est, Deum videre, & non amare.* Impossibile quippe est videri summum bonum, & non amari: necnon tantum amari, quantum datum fuerit videri: quovsque amor proficiat in aliquam similitudinem amoris illius, qui Deum similem fecit homini per humiliationem humanæ conditionis; vt hominem similem Deo constituat per glorificationem diuinæ participationis. Et tunc dulce est homini cohumiliari summæ majestati, compauperari filio Dei, diuinæ sapientiæ conformari; hoc sentiēti in seipso, quod & in Christo Iesu Domino nostro.

Caput xxxi.

Perfectio & sapientia hominis est pietas & vnitas spiritus cum Deo.

Hic enim est sapientia cum pietate, amor cum timore, exultatio cum tremore: cùm cogitatur & intelligitur Deus humiliatus vsque ad mortem, mortem autem crucis, vt hominem exaltet vsque ad similitudinē diuinitatis. Hinc emanat fluminis impetus lætificans ciuitatēDei, memoria abundantiæ suauitatis ejus in intelligendis & cogitandis circa nos bonis ejus. In quo cùm ad Deum amandum facile hominem adducant pensata vel etiam contemplata ejus amabilia, per seipsa in affectu contēplantis elucentia potentia ejus, virt⁹ ejus, gloria, majestas, beatitudo: hoc potissimùm amantem rapit in amabilem, quod ipse in semetipso est, quicquid in eo amabile est, qui est totum quod est; si tamen totum est, vbi pars non est. Cui bono amore ipsius boni sic se intendit pius affectus, vt nō se inde reuocet, donec vnum, vel vnus cum eo spiritus fuerit effectus. Quod cùm in eo fuerit perfectum, jam solo mortalitatis hujus vel diuiditur ac differtur à sanctis sanctorum, à summa illa beatitudine supercœlesti: qua tamen cùm jam in fide & spe ejus quem amat fruitur in conscientia; etiam quod superest vitæ hujus, tolerabili præstolatur patientia. *Præmium certaminis solitarij.* Et hæc est destinatio solitarij certaminis, hic finis, hoc præmiū, hæc requies laborum, consolatio dolorum. Et ipsa est perfectio & vera hominis sapientia, omnes in se amplectens & continens virtutes, non aliunde mutuatas, sed velut naturaliter insitas sibi, ad similitudinē illam Dei qua est ipse quicquid est: cùm, sicut Deus est id quod est: sic circa bonum virtutis habitus bonæ voluntatis in bonam mentem sic consolidatus & affectus est, vt ex ardentissima boni incommutabilis adhæ-

sione nullatenus videatur jam posse mutari ab eo quod est. Cùm enim sit circa hominem Dei assumptio illa Domini, & sancti Israël regis nostri: sapiens & pius animus per illuminantem & adjuvantem gratiam in contemplatione summi boni speculatur etiam regulas incommutabilis veritatis; inquantum ad eas pertingere meretur intellectu amoris: & exinde format sibi modum conuersationis cujusdam cœlestis, & formam sanctitatis. Speculatur enim summam veritatem, & quæ ex ea vera sunt: summum bonum, & quæ ex eo bona sunt: summam æternitatem, & quæ ex ea sunt. Illi veritati, illi charitati, illi æternitati se conformans, in istis se conformans, in istis se ordinans: illis non supervolitans judicando, sed suspiciens desiderando, vel inhærens amando: ista suscipiens, & eis se coaptans & conformans, non sine discretionis judicio; non sine examine ratiocinationis. Ex quo cōcipiuntur & oriuntur virtutes sanctæ; & imago Dei reformatur in homine: & vita illa Dei ordinatur, à qua homines quosdam alienatos conqueritur Apostolus: & colligitur robur virtutis, & duo illa in quibus contemplatiuæ vitæ perfectio constat, & actiuæ: de quibus, juxta antiquos illos interpretes legitur in Iob. *Ecce pietas est sapientia: abstinere verò à malo, scientia est.* Sapientia enim pietas est, hoc est cultus Dei, amor quo eum videre desideramus, & videntes in speculo & in ænigmate credimus & speramus, & in hoc proficimus, vt eum videamus in manifestatione. Abstinere verò à malis, scientia temporalium est, in quibus nos sumus: in quibus In tantum abstinemus à malis, inquantum ad bona studemus. Ad hanc scientiam & ad hanc abstinentiam spectare inueniuntur primò omnium virtutum exercitia: deinde omnium artiū vitæ hujus, in qua versamur, disciplina. Quorum alterum, id est studium virtutum, respicere potiùs videtur ad superiora: quasi superioris sapientiæ præferentia virtutem, & redolentia suauitatem. Alterum quod circa corporalia fit exercitia, nisi fidei religione religetur, miserè defluit in inferiorum vanitatem. In quibus cùm scientia sit res, siue ratione, siue sensibus corporis comprehensa, & memoriæ cōmendata; si bene res perpenditur, id propriè quod apprehendimus sensibus, omnino scientiæ deputandum est. Quod verò per semetipsam ratio in hujusmodi apprehendit: hoc jam est, in quo se sibi scientia atque sapientia conterminant. Quicquid enim aliunde discitur, scilicet per sensus corporis, quasi alienum & aduentitiū menti ingeritur. Quod verò sponte venit in mentem, siue ex ipsa vi rationis, siue incommutabilium legum incommutabilis veritatis naturali intelligentia, exqua etiam impijssimi homines nonnumquam rectissimè judicare inueniuntur: hoc sic ipsi inest rationi, vt hoc ipsum ipsa ratio sit: nec tam commendatur ei per doctrinam aliquam, vt scientia sit, quàm vel alio commonente, vel ipsa commemorante, hoc ipsum sibi inesse naturaliter intelligit. In quo hoc potissimum est, cùm, quod notum est Dei, Deo naturaliter reuelante, manifestū fit homini etiam impio. Deinde affectus virtutum naturalis, de quo licuit dicere ethnicum Poëtam. *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Deinde per inquisitionem ratiocinationum, qualibet discretio rationabilium. Infirma verò pars est scietiæ, & deorsum vergens sensibilium animalis experientia, quæ fit per quinque sensus corporis, præsertim quando concupiscentiæ carnis militant, siue oculorum, siue superbiæ vitæ hujus. Cùm ratio ergo sapientiæ conformata format sibi cōscientiā, & ordinat vitam: in inferioribus scientiæ aptat sibi seruitutem, & sufficientiā naturæ; in ratiocinationibus & rationabilibus ordinem vitæ; in obtentu virtutum formam conscientiæ. Sicque ab inferioribus promota, à superioribus adjuta, pergens in id quod rectum est, & judicio rationis, & assensu voluntatis: & mentis affectu & operis effectu erumpere festinat in libertatē spiritus & vnitatem: vt, sicut jam sæpe dictū est, fidelis homo vnus spiritus efficiatur cum Deo. Et ipsa est, de qua paulò antè diximus, vita Dei, quæ non tam rationis est profectus, quàm jam in sapientia perfectionis affectus. Hæc enim quia jam sapiunt sapienti, sapiens est: quia fact⁹ est vnus spiritus cum Deo, spiritualis est. Et hæc in hac vita hominis perfectio est. Iam enim, qui hactenus fuit solitarius vel solus, efficitur vnus, & solitudo ei corporis vertitur in vnitatem mētis. Et impletur in eo quod Dominus pro discipulis in clausula omnis perfectionis orauit, dicens. *Pater, volo, vt sicut ego & tu vnum sumus: ita & ipsi in nobis vnum sint.* Hæc enim vnitas hominis cum Deo, vel similitudo ad Deum, inquantum propinquat Deo, intantum inferius suum conformat sibi, infirmum illi: vt spiritus & anima & corpus suo modo ordinata, suis locis disposita, suis meritis æstimata, suis etiam proprietatibus cogitetur: vt incipiat homo perfectè nosse seipsum; & per cogitationē sui proficiendo, ascendere ad cognoscendum Deum. Quò cùm primùm exurgere & aspirare incipit proficientis affectus, in cogitatione hujus similitudinis plurimùm cauendus est error dissimilitudinis; scilicet vt spiritualibus spiritualia, & diuinis diuina comparando, non aliter de eis cogitetur, quàm quod res habet.

Modus conversationis cœlestis vnde formetur

Iob 28. secūdum 70.

Sapientia & scientia.

Prima principia moralia.

Horatius.

Perfectio hujus vitæ in quo sita.

CAPVT XXXII.

Qualis credendus & cogitandus sit Deus.

COGITANS ergo animus similitudinem Dei, & sui, primò in hoc formet & aptet cogitationem suam, vt omnino fugiat secundū corpus cogitare seipsum: Deum verò non solùm non secundum corpus, sicut locale; sed neque secundum spiritum, sicut mutabile. Quæ enim spiritualia sunt, tantum diuersa sunt à corporū qualitate & natura, quantū ab omni locali circūscriptione remota. Quæ verò divina sunt, tātum supereminent omnia & corporalia & spiritualia, quantum ab omni loci vel temporis lege, vel mutabilitatis suspicione aliena, in suæ incommutabilitatis & æternitatis beatitudine incommutabilia manent & æterna. In quibus, sicut quæ corporalia sunt discernit animus per corporis sensus: sic quæ sunt rationalia vel spiritualia discernere non potest, nisi per semetipsum: quæ verò sunt Dei, non nisi à Deo quærat vel expectet intellectum. Et quidem de nonnullis quæ ad Deum spectant, fas est & possibile homini rationem habenti aliquando cogitare & disquirere: sicut de dulcedine bonitatis ejus, de potentia virtutis, & alijs hujusmodi. Ipsum verò id ipsū, quod est id, quod est, cogitari omnino non potest, nisi quantum ad hoc sensu illuminati amoris attingi potest. Credendus tamen est Deus; & inquantum Spiritussanctus adjuverit infirmitatem nostram, cogitandus quæ-

Diuina quantum distent à corporalibus & spiritualibus.

Quædam Dei attributa possunt disquiri & cogitari; sed non Dei essentia.

Qualis cogitandus sit Deus.

dam vita æterna, vivens & viuificans, immutabilis, mutabilia omnia immutabiliter faciens: intelligens & creans omnem intellectum & intelligentem: sapientia faciens omnem sapientem: veritas fixa, stans, indeclinabilis, ex qua vera sũt omnia quæ vera sunt; in qua sunt æternaliter rationes rerum omnium euenientium temporaliter. Cuique vita ipsa essentia est, ipsa natura; & vita viuens ipse sibi est; quæ est ipsa diuinitas, æternitas, magnitudo, bonitas & virtus in seipsa existens & subsistens: excedens omnem locũ cum virtute naturæ illocalis, æternitate verò omne tempus, quod vel ratione vel opinione comprehendi potest: quæ longè veriùs est & excellentiùs, quolibet sentiendi genere sentiatur. Certiùs tamen sensu humilis & illuminati amoris, quàm quolibet cogitatu rationis attingitur: & semper meliùs est, quàm cogitatur; meliùs tamẽ cogitatur, quàm dicitur. Ipsa est enim summa essentia, ex qua omne esse proficiscitur: ipsa est summa substantia, non subjecta prædicamentis vocum, sed rerum omnium subsistens causale principium: in quo esse nostrum non moritur, intellectus noster non errat, amor non offenditur: qui semper quæritur, vt dulciùs inueniatur: dulcissimè inuenitur, vt diligentiùs quæratur. Hoc ergo ineffabile, (cùm non nisi ineffabiliter videatur,) qui vult videre, cor mũdet: quia nullâ corporis similitudine dormiẽti, nullâ corporeâ specie vigilãti, nullâ rationis indagine, nisi mundo corde humiliter amantis, videri potest, vel apprehendi. Hæc est enim facies Domini: quam nemo potest videre, & viuere mundo. Hæc est species, cui contemplandæ suspirat omnis qui affectat diligere Dominum Deũ suum in toto corde suo, in tota anima sua, in omni mente sua, & in omnibus viribus suis. Ad quod etiam non desinit excitare proximum suũ, si diligit eum sicut seipsum. Ad quod cùm aliquando admittitur, in ipso lumine veritatis indubitanter videt præuenientem gratiam. Cùm inde repellitur, in ipsa sui cæcitate intelligit puritati ejus non conuenire immunditiam suam. Et si amat, flere dulce habet, & non sine multo gemitu cogitur redire in conscientiam suam. Ad quod cogitandum omnino impares sumus, sed ignoscit quem amamus, & de quo dignè nos nõ posse vel dicere vel cogitare confitemur: & tamen vt dicamus & cogitemus, vel amore amoris ejus prouocamur & trahimur. Cogitantis ergo est, in omnibus humiliare semetipsum, glorificare in semetipso Dominum Deum suum: in cõteplatione Dei vilescere sibi: in amore creatoris subjectum esse omni humanæ creaturæ. Exhibere corpus suum hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium suum. Præ omnibus autem, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & secundùm datam à Deo mensurã fidei, bona sua non ponere in ore hominum, sed celare in cella sua, & recondere in conscientia; vt hunc quasi titulum, & in fronte conscientiæ, & in fronte cellæ semper habeat: *Secretum meum mihi: secretum meum mihi.*

Certiùs attingitur Deus amore, quàm cogitatione.

Facies & species Dei.

Officiũ contemplatiui.

Rom. 11.

Isaia 24.




B. GVILLELMI S. THEODORICI ABBATIS.

Meditativæ Orationes.

MEDITATIO PRIMA.

Contemplatur anima Præscientiam Dei, Prædestinationem ac Reprobationem.

Rom. 11.



Altitudo *sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Quis enim cognouit sensum Domini: aut quis consiliarius ejus fuit?* Misereris enim Domine, cujus misereris: sed misericordiam præstas, cujus misertus eris. Nec enim volentis vel currentis est; sed miserentis tui Deus noster. Resilit hic vas fictile à manu ejus, qui se finxit: qui dicit per Prophetam, *ego feci, ego feram:* resilit à manu tenentis & portantis, casurum, confringendum, conterendum; & clamat. *Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit.* Et addit. *Quid me fecisti sic?* Sic tibi dicit, ô æterna sapientia, vas fictile & luteum, vas contumeliæ & iræ aptum in interitum: cùm potiùs tremere ad te haberet, & orare te deberet: qui habes potestatem, ex eadem luti massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. Sed permanent vasa honoris & electionis; vasa misericordiæ, quæ præparasti in gloriam; quæ non hoc dicunt, sed agnoscunt te creatorem, & figulum suum, se autem lutũ compactum in manu tua: de qua si ciciderint, væ eis, quia confringentur, conterentur, & redigentur in nihilum. Hoc sciunt; & ex gratia tua non deficiunt. Miserere Domine, miserere: tu plastes noster, & nos lutum. Adhuc tamen quomodocumque cohæremus: adhuc manu virtutis tuæ portamur: adhuc de tribus digitis tuis, fide, spe, & charitate, dependemus: in quibus appendis molem terræ, soliditatem scilicet sanctæ Ecclesiæ tuæ. Miserere, tene nos; ne de manu tua cadamus. Vre renes & cor nostrum igne Sancti Spiritus tui; & confirma quod operat⁹ es in nobis: ne dissoluamur; & in lutum nostrum, vel in nihilum redigamur. Ad te à te creati sumus, & ad te conuersio nostra: te factorem & formatorem cognoscimus: tuam in disponendo sapientiam, in continendo & conseruando bonitatem & misericordiam, adoramus & invocamus. Perfice nos, qui fecisti nos: perfice vsque ad formam plenam imaginis & similitudinis tuæ, ad quam formasti nos. Dicit tibi vas luteũ luto destinatum: & vox ejus est cadentis & crepãtis. Quid me fecisti sic? Vas in honorem non hoc dicit. Corde enim credit ad justitiam, ore autẽ confitetur ad salutem, quia bonus bene omnia fecisti; & ipsum in honorem, illud verò in contumeliam bene fecisti: vtrique dans liberum arbitrium, vt vterque nõ cogente necessitate, sed spontanea voluntate faceret, quod faceret: &

Rom. 9.

Isaia 46.

Rom. 11. Vox reprobi, qui orare deberet, ne reprobus fieret.

Rom. 10. Liberum arbitriũ quo quis meretur.

proprium haberet virtutis meritũ. Virtus enim est spontaneus in bonum bonæ volũtatis assensus. Habens autem omnium scientiam, præsciebas de vtroque, ô æterna sapientia, quomodo libero arbitrio vterque vti deberet; qualisque futurus esset sui rerumque arbiter: vtrique paratam habens gratiam, qui non eam in vacuum susciperet. Præscientia autem tua non vtiq; cogit eos esse, quod futuri sunt; tanquam necessariò sic sint futuri, quia sic eos esse futuros præscisti: quin potiùs quia sic futuri erant, ideo tu sciens omnia, priusquam fiant, etiam hoc præscisti: & omnino non potest falli præsciẽtia tua. Est autem præscientia tua, Deus, ipsa sapientia tua, quæ ab æterno æternaliter tibi coest, etiãsi nulla esset creatura: in qua sunt æternaliter causæ omnium quæ fiunt temporaliter, & ipsa præscientia creaturæ in tempore suo creandæ. Quæ tamen tibi futura non erat: quia in consubstantiali tibi ipso Verbo tuo, per quod factum est, quicquid est factum, vita erat: sic existens in eo vita, sicut futura erat: sic omnino futura, quia in ipso vita erat. Vita autem, non cogens vt ita sit: sed sic existens in eo quod sic futurum sit. Quid igitur? Modus futuri temporalis, causa est in Deo ejus quod est, id est æternitatis? Nam si sic non esset futurum temporaliter; videtur in Verbo Dei non posse esse æternaliter. Sed sciẽtia vel præscientia tua Deus, ipsa est veritas tua, quæ dicit. *Ego sum veritas*. Et sicut tu, Deus, præsciẽdo, non cogis fieri, quod futurum est: sic nec cogi potes præscire, ab eo quod futurũ est. Tibi quippe nihil est præteritum, nihil futurũ, sed es semper quod es: illud autem quomodocumque sit, siue præsens, siue præ teritum, siue futurum, in verbo tua vita est. *In circuitu impij ambulant*. Collige te, o homo, à circuitu erroris ad centrum veritatis. Vas luteum sic redigitur in lutum suum: vt non eum cogat ad hoc Dei præscientia; quia eum non latuit sic futurum: quod tamen quia sic futurum præsciuit, in interitum prædestinauit. Præscientia etiam Dei, bonitas ejus est: quę ab æterno parata est omnibus, quamvis non ab omnibus suscipienda. A quibus autem suscipienda sit, à quibus non, neque hoc alienum est à Dei præscientia; quæ sicut dictum est, quantum ad bonitatem Dei, omnibus ab æterno parata est, etiamsi nulla esset creatura. Bonitas enim hæc Spiritussanctus est, Patri Filioq; coæternus. Vnde in creatione mundi, *spiritus*, inquit, *Domini ferebatur super aquas*: scilicet omnibus se offerens, ad omnes se exhibens, benefaciendo, & vtilia prouidendo, quod propriũ est Spiritussancti: sed malivolam refugiens animam, in quam non potest introire sapientia. Itaque præscientia de creatura, quantum ad Deũ, præscientia est: quantum ad homines, prædestinatio. Ipsa est electio vel reprobatio. Vnde est, *non vos me elegistis; sed ego vos*. Prædestinatio autem, est gratiæ præparatio. Gratia verò, ipse est effectus. In quam cur vnus assumatur, alter reprobetur; noli velle quęrere, si non vis errare. Si superbus es, non latet Dei præscientiam: nec effugis ipsius prouidentiam, qua prædestinatus es in pœnam superbis præparatam. *Deus enim superbis resistit: humilibus autem dat gratiam*. Superbia ergo & meritum est, & signum reprobationis: sicut humilitas meritum & signum est electionis. Dicat ergo luteum vas, quid me fecisti sic; id est, quare me prædestinasti in interitum: & respondet ei veritas. Vt secundum te loquar, quia præsciui te futurum vas iræ aptũ in interitum, futurum fatuum, qui nescias, vel nobis salvari: superbum, qui contemnas humiliari: ideoque nihil jam queror, sed tu irremediabiliter ibis in interitum. Voluntati autẽ meæ non resistis, cùm sit voluntas mea, vt miseris, id est, qui miseros se cognoscunt, proxima sit misericordia: potentes autem in iniquitate potenter tormenta patiãtur. Nec nisi humilibus volo misereri: qui misereor, cujus misereor. Perge quærere. Cur non dedisti mihi humilitatem? Quia dedi tibi quod majus est, arbitrij libertatẽ: & tu ex ipso quasi potens in iniquitate, dilexisti malitiam super benignitatem: insuper etiam declinasti in me mala tua; & de eis sic niteris excusare te, vt velis accusare me. Non vis, vt inueniatur iniquitas tua ad odium: ideo ibis in locũ tuum, vas aptum iræ in interitum.

Gratia omnibus offertur. Præsciẽtia Dei non imponit necessitatem.

Ioan. 1.

Ioan. 14.

Deo nil præteritum aut futurum.

Psal. 11.

Gratia omnibus parata.

Genes. 1.

Sapi. 1.

Ioan. 14.

Iac. 4.

Electio & reprobatio fit ex meritis.

MEDITATIO II.

Sistit se Deo anima, cupiens ab eo illuminari, & SS. Trinitatem, avulsâ à sensibilibus mente, cogitare.

ACcedite *ad eum & illuminamini: & facies vestræ non confundentur*. Confundor, Domine Deus, confundor confusione tetra & horribili, quoties accedens ad te, clausam mihi inuenio januam visionis tuæ: & penè mihi videor audire vocem illam terribilẽ. *Amen dico vobis, nescio vos*. Et qui illuminari à te desiderabam, sic à dolore cordis mei, & perturbatione sensus, totus tenebresco: vt penè mihi melius fuisse videatur, non accessisse. Quis enim me consolabitur; si desolare tu volueris? Abeant & pereant omnia solatia mea, quæ tu non es: vel ex te nõ sunt. *Væ soli*, ait Salomon. Verè væ mihi soli; si non fueris tu mecum, vel ego tecum. Beatum & beatissimum, Domine, me credo, si sentio te esse mecum: sed tædet me mei, & odio mihi sum, quoties sentio me non esse tecum. Quamdiu sũ tecum, sum etiam mecum: non sum autem mecum, quamdiu non sum tecum. Et væ mihi, quotiescumque tecum non sum; sine quo numquam esse possum. Non enim haberẽ subsistere, quovis modo subsistendi, siue in corpore, siue in anima, nisi præsente virtute tua: non desiderarem, non quærerem te, nisi ex præsente gratia tua: numquã inuenirem te, nisi occurreret mihi misericordia & bonitas tua. Sed cùm in omnibus his ego tecum sum, sentio in me operantem gratiam tuam: bonum est mihi quod sum, quod viuo: in Domino laudatur anima mea. Si autem cùm tu mihi benefaciendo es præsens, ego cogitatione vel affectu sum absens; sic mihi videntur circa me beneficia gratiæ tuæ, sicut circa mortuũ solicita & officiosa cura sepulturæ. Si aliquãdo sentio te transeuntem; non stas mihi, sed præteris me clamantem post te, sicut Chananęam illã; cumque quasi clamoribus importunis necessitatis meæ fatigaris, objicis ignominiosæ conscientiæ meæ præteritam canis immunditiam, præsentem impudentiam: & canem tuum à mẽsa tua iejunum & famelicum, & flagellis conscientiæ afflictum, expellis, vel abire permittis. Ergone vlteriùs accedam? Vtique Domine. Nã & catelli à domo domini sui cum flagellis ejecti statim redeunt: & circa domus custodiam vigilantes, panem suum quotidianum recipiunt. Expulsus redeo: exclusus clamo: flagellatus obsecro. Absque hominis contubernio canis viuere

Psal. 33.

Mat. 25.

Eccle. 4.

Gratiæ necessitas.

Matt. 15. Anima cani comparatur Dei respectu.

nesciti nec anima mea absque Domino Deo suo. Aperi ergo mihi, Domine, vt accedam ad te, & illuminer à te. Tu in cœlis tuis habitas, & posuisti tenebras latibulū tuum, tenebrosas aquas in nubibus aëris; nubéque, ficut dicit Propheta, *opposuisti, ne transeat oratio.* Ego verò in terra computrui, & aggrauaui contra me densum lutum, scutumque cordis: nec lucent mihi sidera tua cœlestia: sol obscuratus est; luna non dat lumen suum. Audio enim in psalmis & hymnis & canticis spiritualib9 magnalia tua: rutilant mihi in Euangelijs tuis dicta vel facta tua: verberant assiduè oculos meos & aures, exempla seruorū tuorum: concutiunt me terroribus, & vellicant promissis Scripturæ veritatis tuæ, quæ se assiduè ingerunt oculis meis; & strepitu suo contundūt surditatē aurium mearum. Ego verò vsu prauo, & stupore nimio mentis obdurui: & didici, & assueui contra solis splendorem dormitare; non videre occurrentia: in mari positus non audire maris rugitum, vel cœli tonitruum mortuus à corde. Vsquequo, Domine, vsquequo? Vsquequo non dirumpis cœlos tuos & descendis, & non concutis stoliditatem meam in ira consummationis tuæ, vt non sim quod sum: vt sentiā te dominantē Iacob, & finium terræ; & conuertar saltem ad vesperam, & famem patiar vt canis, & circumeam ciuitatem tuam, quæ adhuc partim peregrinatur in terris; sed ex majore parte sua jam gaudet in cœlis: si forte inueniam, qui me recipiant in tabernacula sua deficientem, nec proprium habentem cubile, vbi caput reclinem? Audio quidem nonnūquam vocem Spiritus tui, sed pertranseuntem quasi sibilum auræ tenuis; & intelligo dicentem. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Audio & concutior; surgensque quasi à somno, & excutiens meipsum, aliquatenus destupesco: os meum aperio, & attraho spiritū: distendo sensus animæ meæ, vt depigrescant: egredior de interioribus nocturnæ conscientiæ meæ; exeo ad lucem orientis mihi solis justitiæ. Sed cùm somnolentos oculos in eum volo dirigere; reuerberantur, desuefacti luci, & assuefacti tenebris. Et ad insolitum splendorem tremente & palpitante pupilla rationis cum palpebris suis, exercitij manu detergo quantum possum, ab eis rheuma diuturnæ somnolentię. Si te donante inuenio fontem lacrymarum, qui in humiliatæ & contritæ animæ vallibus citò solet exoriri; lauo manus operationis, & faciem deuotionis. Deinde sicut extendit accipiter alas suas ad austrum, vt plumescat; expando manus meas ad te, Domine, & anima mea sicut terra sine aqua tibi: & sicut terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto appareo tibi; vt videam virtutem tuam, & gloriam tuam. Cumque oculos mentis, sensum rationis ad te erigo, ô sol justitiæ, contingit mihi, quod contingere solet ebrijs à somno, vel infirmis oculis, vt vnam rem aspicientes, duos aut tres esse arbitrentur: donec videndi processu incipiant intelligere, vitium esse oculorum, non rei, quæ videtur. Nam ab vsu vel ab oblectatione sensuum & sensibilium expergefactę animæ meæ prima occurrit imaginatio, quæ assuetam sensibilibus animam, sensibus obturatis, sensibilium obscurat imaginibus: vt sicut tota sensibilibus solebat vacare; sic nihil jam nisi imaginationem sensibilium cogitare sciat, vel intelligere. Propter quod cùm à somno negligentiæ expergefactus subitò respicio in Deum, de quo me lex diuina instruit dicens; *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est:* & in eum à quo sum illuminandus, quem supplex adoraturus, vel oraturus, dirigere omnino habeam mentis intuitum: occurrit mihi Trinitas Deus, quam fides Catholica à progenitoribus mihi incātata, vsu ipso inculcata, à te ipso tuisq; Doctoribus cōmendata, mihi demonstrat. Sed eam fatua animæ meæ imaginatio sic accipit, sic intuetur, vt Trinitatis numerum simplici illi diuinitatis substantiæ inesse somniet; quæ extra omnem numerum existens, in pondere & numero & mensura omnia fecit: & singulis in Trinitate personis quasi suum vnicuique locū deputet: vt sic Patrem oret per Filium in Spiritu sancto, vt de vno ad alterum transeundum sibi videatur per tertium. Sicque mens caligans in vno, dissipatur in tribus: tamquam tribus discernendis instat, vel vniendis corporibus. Cùm hoc imaginatio, id est mens imaginans, etiā nolens imaginatur, vel imaginatum inuita & reclamans patitur; venit fides & reprobat: ratio per fidem dijudicat: authoritas condemnat; pariterque conclamant omnia, quæ intra me sunt, quod suprà dictum est: Audi Israël, *Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Nam cùm & fides & ratio & authoritas cogitare me doceant, Patrē per se; Filium per se; Spiritum sanctum per se; nil tamen in Sancta Trinitate censent admittendum, quod tempore, vel loco, vel numero, substantiæ faciat diuisionē, vel personarum sonare videatur confusionem. Sic enim adstruunt Trinitatis vnitatem, vt solitudinem remoueant: sic Trinitatem vnitatis, vt in deitatis substantia nō recipiant numeri pluralitatē. Omne enim meritum, omnem scientiæ prudentiam, omnemq; virtutem præueniens in nobis gratia tua Domine, dat nobis nostri tuique quantulamcumque cognitionem: ipsa verò subjicit nos humilitati, humilitas authoritati, authoritas fidei: fides instruit rationem, ratio per fidem erudit, vel destruit, & abjicit imaginationem: fidem verò nō instruit ipsa ad intelligentiam: sed per fidem desursum eam expectat à Patre luminum; à quo omne datum optimum est, & donum perfectū. Intelligentiam autem, non quæ ex ratione colligitur, vel ratiocinatione formatur: sed quæ de sede magnitudinis tuæ merito fidei adducitur, & sapientiā tuā formatur; similis omnino suæ origini, quæ veniens in mentem fidelis tui rationem ad se colligit, & sibi conformat; fidem verò viuificat & illuminat. Stat igitur oratura Deum suum pauida & stupens anima; semetipsā in manibus suis semper portans, quasi eam tibi oblatura: pauida à consuetis, stupēs ad insolita, ad inueniendū te portans signaculum fidei tuæ; sed non adhuc inueniens, cui illud resoluat: vultum tuum, Domine, vultum tuum requirens, nec sciens, nec omnino nesciens, quid requirat. Cordis sui phantasmata de te abominatur vt idola. Amat te, qualem te sibi fides describit; sed mens videre non sufficit. Ardensque faciei tuæ desiderio, cui sacrificium pietatis & justitiæ suæ offerat, oblationes & holocausta, cùm differtur, magis turbatur. Et cùm non tam citò fidei tuæ, cui se credidit, impetrat illuminationem; intantum nonnumquam stupescit, vt credere se in te vix sibi credat; vt oderit se, quia, vt sibi videtur, non te amat. Absit autem, vt non credat in te, quæ sic anxiatur desiderio tui; vt non amet te, quæ

Marginal notes (left): *Psal 17. Thren. 3.* — *Obduratio cōsuetudine contracta.* — *Psal. 58.* — *3. Reg. 19. Psal. 33.* — *Anima à Deo excitata, vt se agat.*

Marginal notes (right): *Deuter. 6.* — *Quomodo SS. Trinitatem contemplemur.* — *Deuter. 6.* — *Iac. 1.* — *Intelligētia merito fidei collata.*

quæ sic anxiatur desiderio tui: vt non amet te, quæ desiderat te vsque ad contemptum omniũ quæ sunt, & etiam sui. Vsquequo Domine, vsquequo? Tu si non illuminas lucernam meam, si non illuminas tenebras meas, non eripiar ab hac tentatione: nec nisi in te Deo meo transgrediar murum hunc.

MEDITATIO III.

Anima desiderium videndi Deum exprimit, & circa objectum ipsum fruendum exspatiatur.

IAM non audeo intendere in faciẽ tuam, Domine, quam desidero vsque ad mortem; quia dixisti Moysi, *non videbit me homo, & viuet:* sed licet mori velim, vt videã, vel videre, vt moriar; operio tamen vultum meum, sicut idẽ Moyses: non audens respicere te contra te. Sic enim ibi legitur. *Porrò Moyses operuit vultum suum: non enim audebat respicere contra Dominum.* Nam forsitan contra Dominum respiceret: si vellet respicere Deum, non quis, sed quid esset. Nam quis esset, audiebat. Ego, inquit, *sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Tamen eidem Moysi audita morte sua eodem adhuc desiderio æstuanti, & oranti ostendi sibi gloriam tuam, respondisti. *Ego ostendam tibi omne bonum.* Et ô Domine, vbi est omne bonũ, nisi in vultu tuo? Vnde & Dauid eodem desiderio ardens, *Adimplebis me*, inquit, *lætitia cum vultu tuo.* Ignosce, ignosce, impatiens est ad te cor meum: vultum tuum requiro: exquiro faciem tuã per temetipsum: ne in finem auertas eam à me. Scio enim & certus sum, quia qui ambulant in lumine vultus tui non offendunt, sed securè ambulãt: quorum omne judicium de vultu tuo prodit. Ipsi sunt, qui viuunt: quia sic viuunt, sicut in exemplari vultus tui legunt & intelligunt. Domine, non audeo respicere te contra te; ne ampliùs obstupescam. Stans autem coram te sicut pauper, mendicus, & cœcus, sicut tu vides me non videntem te, plenum desiderio tuo pectus, totumque me, quicquid sum, quidquid possum, quidquid scio, & hoc ipsum quod post te langueo & deficio, offero tibi: sed vbi te inueniam, non inuenio. Vbi es Domine, vbi es? Et vbi, Domine, non es? Scio certè & certè certus sum, quia hic modo mecum es, in quo mouemur & sumus; & ex cujus saluberrima præsentia ardet & deficit in salutare tuam anima mea. Scio certè verissimè, sentio saluberrimè, te esse mecũ: scio & sentio, adoro, & gratias ago. Sed cùm tu sis mecum, cur & ego non sum tecum? Quid obstat? Quid impedit? Quid intercedit? Si tu mecum es, bene mihi faciendo: cur & ego non sum tecum, te bono omnium bonorum meorũ fruẽdo? Propter peccata mea? Et vbi est, qui tulit ea de medio, & affixit ea cruci suæ? Num quia eũ non amo? Nonne centies & millies mori velim pro te, Domine Iesu? Si hoc non sufficit tibi, nec mihi sufficit: quia nihil sufficit animæ meæ, nec videtur sibi omnino amare te, nisi fruatur te. Frui autem te non poterit, nisi pro dono tuo & modo suo te viderit & intellexerit. Cur autem te non videt? Qui modo te amo vsque in mortem, tunc amarem vsque in vitam æternam. Ipsam, Domine, jam mihi spirat nescio quis odor tuus: qui saltem si perficeretur in me, nunc interim non quærerem ampliùs. Siquidem mittis mihi aliquando, quasi quasdam consolationis tuæ buccellas: sed quid hoc ad desiderium famis meæ? Obsecro, dic animæ meæ, ô salus ejus, quare ei tuum inspirateris desiderium. Num vt tantum torqueat me, discerpat & occidat? Et vtinam occidisset. Obsecro Domine, hæccine est mea gehenna? Et hæc sit. Nec vnquam me desinat torquere, nec vnquam desinam in ea ardere: nec in aliquo liceat respirare vna die, vna hora, vno momento, donec appaream in conspectu tuo, & appareat mihi gloria tua, & faciei tuæ festiuitas æterna illuxerit animæ meæ. Habuerit Domine vetus ille Moyses opertum ad te vultũ suum, & velatam faciem, formam gerens populi cui præerat, semper à facie Domini fugientis. Paulus tuus, & totus noster, quia totus tuus, noui testamenti tuba, pro se loquens, & pro suis in desiderio & amore tuo discipulis; *Nos*, inquit, *omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.* Homo iste tuus non fugiebat à facie tua; sed ad faciem tuam. Ignosce Domine, ignosce improbitati & importunitati meæ; adhuc audemus, quia ardemus. Ignis tuus vrget nos, quem venisti in terram mittere, & voluisti vehementer accendi. Obsecro te per omnipotentissimam bonitatem tuam, per mansuetissimã semper in nos patientiam tuam, patere me aliquid adhuc quærentẽ: & dic animæ meæ, quid est quod desiderat, cùm faciem tuam desiderat. Sic enim cœca est, sic ad meipsum turbata: vt & desiderio tabescat; & ignoret quid desiderat. Numquid vult te videre sicuti es? Et quid est, sicuti es? Num qualis, aut quãtus? Sed nec qualis, nec quantus es: quia nec qualitas nec quantitas in te est, qui es quod es. Quid ergo est, sicuti es? Hoc videre supra nos est: quia videre quod tu es, hoc est esse quod es. Nemo autem videt Patrem, nisi Filius; & Filium, nisi Pater: quia hoc est esse Patri, quod videre Filium; & hoc est esse Filio, quod videre Patrem. Sed sequitur & dicit. *Et cui voluerit Filius reuelare.* Voluntas autem non alia est Patris, alia Filij: sed vna & eadem, quæ est Spiritussanctus. Ergo per Spiritum sanctum alicui amico Dei, quem nimis honorare voluerit, reuelat semetipsã Trinitas Deus. Sed numquid homo videt Deum, sicut Filium Pater, vel Patrem Filius: quibus, sicut dictum est, alium alij videre, hoc est non esse aliud & aliud, sed vnum Deum? Sic omnino, sed non per omnem modum. Quod vt aliquantum nobis dilucidiùs pateat, de visu & naturali ejus potentia videndum est, quid habeat physicus intellectus. Omnis sensus corporeus, vt sensus sit & sentiat, oportet vt quadam sensibili affectione aliquomodo mutetur in id quod sentit: visus scilicet in hoc quod ei fit visibile, auditus in audibile; sicque de reliquis. Alioqui nec sentit, nec sensus est. Nisi enim rem sensam sensu rationi renuntiante, anima sentientis quadã sui transformatione mutetur in rem, vel rei qualitatem quæ sentitur; nec sensus est, nec sentire potest. Ideoque si sentit, amore qui sensus suus est, Deum bonum; & amat, quia bonum: non hoc potest, nisi bono ipsi affectu communicans, & ipsa bona efficiatur. Si ad sensum animæ reuertatur, nonne hoc est, quod Paulus dicit. *Gloriam Domini speculantes, in eandem imaginẽ transformamur?* Sic enim est quodammodo de sensu animæ. Sensus enim animæ amor est: per hunc siue cùm mulcetur, siue cùm offenditur, sentit quidquid sentit. Cùm per hunc in aliquid anima extenditur, quadam sui transformatione in id

Marginalia: *Exod. 33.* — *Exod. 3.* — *Visio Dei est omne bonum.* — *Psal. 15.* — *Moysis vultus opertus quid significarit.* — *2. Cor. 3.* — *Luc. 12.* — *Amor est ignis, quem Christus attulit.* — *Videre Deũ est, supra nos.* — *Matt. 11.* — *Sensatio fit per sensus immutationem.* — *2. Cor. 3.*

quod amat transmutatur; non quòd idem sit in natura, sed affectu rei amatæ cõformatur: vtpote non bonum aliquem amare potest, quia bonus est, nisi & ipsa in ipso bono bona efficiatur. Nõne hoc est, *Sentite de Domino in bonitate?* Et sapientia. *Scire enim te, sensus est consummatus.* Et Apostolus. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.* Hæc est charitas; qua qui diligit, *in Deo manet, & Deus in eo.* O charitas, charitas, quæ vsque huc nos adduxisti; vt amando Deum, & Filium Dei, Dij & filij Dei nominemur & simus. Etsi nondum apparet, quod erimus: cùm apparuerit, similes ei erimus: quia *videbimus eum sicuti est.* Domine, bonum est nos hic esse; libet hic immorari: & vtinam liceret immori. Sed meditantibus & loquentibus & scribentibus de te, da quæso sensus sobrios, verba circumcisa & disciplinata; cor ardens de te, ô Iesu, in apertionem Scripturarum, quæ de te sunt. Ignosce Domine, ignosce: amor amoris tui agit me; tu scis, tu vides. Non sum scrutator majestatis tuæ; sed pauper gratiæ tuæ. Obsecro te per dulcedinem tuæ dulcissimæ mansuetudinis, non opprimat me majestas tua: sed subleuet gratia tua. Ignosce, inquam, quia proprium est fidei desiderium visio Dei: hic in ænigmate, ibi verò facie ad faciem. Non enim præsumas, neque confidas, ô homo, neque hic stes, quisquis vir desideriorum es, sicut Daniel: nec dicas, sufficit. Quicquid hic de Deo sentis, quidquid vides, quidquid de eo hic te docet fides, ænigma est: aliud quidem obscurius, aliud autem expressius. Et ipsum tamen quàm dulce sit, cum adest; quàm desiderabile, cùm videtur deesse; sciunt, qui sentiunt. Hic est enim calculus habens nomen scriptum: quod nemo scit, nisi qui accipit. Porrò de eo quod erit facie ad faciem, dictum est. *Non enim videbit me homo, & viuet.* Nam & hic qui videt, non viuet, sed dicet: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus:* tunc demum sperās se esse victurum, quando perfectè visurus. Quid hic sensus, quid imaginatio valet; quid ratio potest: quid intelligentia rationalis? Nam etsi ratio, Deus, nos ad te mittit; per se tamen te non attingit: nec intelligentia ea quidem, quæ de inferioribus ex ratione consistit, rationis terminos excedit, nec mensuram habet pertingendi vsque ad te. Quæ verò de sursum est, quod sursum est redolet; nihil humanum, sed totum diuinum: & vbi se infundit, rationes secum defert sui generis, non communicantes inferiori rationi, nisi inquantum eam habent ex obedientia fidei. Hæc in Trinitate sancta nil diuidit, nil compingit: sed sensum fidelem sic quando, & quantum, & quomodo vult Spiritussanctus, perstringit: vt orantes te vel contemplantes supergressi nonnumquam omne quod tu non es, videant aliquatenus te, qui es; quamvis non videant te, sicut es: sed tamen medium quid deuotæ mentis demulceat intuitum, quod cõstet nec de eis esse, quæ tu non es; nec, etsi non sit omnino totum quod es, alienum tamen esse, ab eo quod es. Sic enim Spiritus Domini quietum & humilem suũ, super quem requiescit, induit repente, & mutat in virum alterum; vt sensum intuentis non diuidat Trinitas, non confundat vnitas; non offẽdat Trinitas pietatem vnum Deum quærentis: non contristet substantiæ vnitas charitatem Patris & Filij dilectione gaudentis: in neutro conturbet solitudo vel pluralitas: sed etiam ad hoc ei valeant vnitas Trinitatis, & Trinitas vnitatis, vt pio & sobrio intellectu comprehendat non cõprehendendo majestatẽ diuinæ incomprehẽsibilitatis. Sicque gustans & videns, quàm suauis est Dominus, repente sic totus gustando dulcedinem ejus dulcescit, sic videndo lucem veritatis ejus lucescit; sic de repentina summi boni plenitudine in gaudio S. Spiritus exhilarescit: vt si hoc in eo perficiatur, confidat se vitam obtinuisse æternam. *Hæc est* enim, inquit, *vita æterna; vt cognoscant te solum verum Deum: & quem misisti, Iesum Christum.* Accedite ergo *ad eum, & illuminamini: & facies vestra non confundentur.*

Sap. 1. & 6. — Philip. 2. — 1. Ioan. 4. — 1. Ioan. 3. — Apocal. 2. — Exod. 33. — Rom. 7. — *Intelligētia infusa, qua S. Trinitas cogitatur.* — Ioan. 17. — Psal. 33.

MEDITATIO IIII.

Orandi donum petit, statum suum priorem, ac nouissimam solitudinem suam describit.

MISERATOR & misericors Domine, patiens, & multum misericors: suauis es Domine vniuersis: & miserationes tuæ super omnia opera tua. Hortaris nos Domine, & tu, & per tuos Spiritussanctus tuus, vt oremus & vigilemus in oratione. Hortaris nos, & doces sicut pius, sicut misericors; sicut misereri desiderans; & causam præparas nobis, faciens nobis judicium & justitiam: vt orantibus nobis quẽadmodum oportet orare, quasi justam habeas causam miserendi. Quin etiam orandi formam ipse nobis dictasti: ne in aliquo causæ nostræ deesses, ipse judex, ipse advocatus. Et confidenter nos petere jussisti in nomine tuo; & credere, quia quæcumq; petierimus, accipiemus, & fient nobis. Tibi Domine, hoc suggerit tua bonitas; nobis autem grauis incumbit necessitas: & tamen te hortante pigrescimus: te dictante negligimus: te promittente non credimus. Tu autem in misericordia & miseratione tua multa pigros & negligentes concutis: in patientia tua incredulos dissimulas: quin etiam, quia quemadmodum nos oportet orare, nec scimus, nec possumus; mittis nobis Spiritum sanctum tuum, qui adjuvet infirmitatem nostram: & interpellet pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Oramus itaque, quia tu hortaris: petimus confidenter, quia tu promittis: statimque occurris, & orantes exaudis; inveniens, quia faciens, in quo nobis propitieris. Suavis Domine vniversis, suavitates tuas nobis multiplicas: & miserationes tuæ super õnia opera tua incipiunt apparere nobis. Nam tu Deus appropinquans, & non elongans, cùm nobis incipis appropinquare, & consolationes tuæ lætificare animas nostras: continuò ex odore & tactu saluberrimæ præsentiæ tuæ emortui animæ sensus reuiuiscunt: fides exultat: fiducia hilarescit: cor accenditur; lachrymæ fluunt; non quæ ignem accensum extinguant, sed accendant amplius. Et cùm Spiritus tuus adjuvat infirmitatem nostram, flemus vbertim lachrymas pingues & dulces ex dulcedinis tuæ affectu: quas cùm pia consolationis manu detergis, fluunt vberiùs, & fiunt nobis panes die ac nocte, & fortis & grata refectio: quia dulce habemus plorare coram te Domino Deo nostro, qui fecisti nos; qui sumus populus tuus, & oves pascuæ tuæ. Ego ego Domine, sicut dicit Propheta tuus, *vir videns paupertatem meam:* pauper sum, *& in laboribus à juuētute mea; exaltatus autem, humiliatus sum & confusus.* Quantas enim *ostendisti mihi tribulationes multas & malas: & conversus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. Multiplicasti magnificentiam tuam:*

Psal. 144. — *Deus hortatur ad orandum; & orandi formam præscripsit.* — Ioan. 16. — Marc. 11. — Rom. 8. — *Quid operetur Deus, visitans animam.* — Psal. 94. — Thren. 3. — Psal. 87. — Psalm. 70.

Gen. 2. & 3. *& conversus consolatus es me.* Nam cùm in paradiso tuo olim me creasses, ipsumque lignum vitæ in possessionem mihi juris perpetui donasses; voluisti vel permisisti, vt etiam ad fructum ligni scientiæ boni & mali manum mitterem: vt quasi bonorum meorum interiorum pertæsus, experirer quid foris possem, Euâ meâ carne meâ, in hoc consentiente. Gustavi, & vidi non suauitatem tuam, sed confusionem meam: vt viderem me esse, cujus turpitudo velamento egeret: cujus nuditas ad occursum tuum paveret: cujus libertas opus haberet cohibente legũ disciplinâ. Inventus enim sum in oculis tuis nudus ab omnibus, quæ intra me homines putabant: turpis in occultis meis, in quibus nec me nec te latebã: egens rectore, qui regendos alios susceperam. Ideo Domine abscondi me intra ligna paradisi: ideo refugi in tenebras meas: elongaui fugiens, non tamen à te, sed ad te; & mansi in solitudine: ibi te expecto, qui salvum me fecisti à pusillanimitate spiritus & tempestate. Posui in puluere os meum, si forte sit spes: onager solitarius attrahens ventum amoris mei. Cumque totus mihi redditus sedeo solus & tacens, nec audiens clamorem exactoris, vel sonitum prælij; videns quia tempus me juvat, & vaco vacare mihi: discutio meipsum, quis sim, vnde venerim. Et invenio me vnum filiorum Adam, filium iræ per naturam, sed ancillæ tuæ sanctæ Ecclesiæ per gratiam: vnum exulum paradisi, habitantem & laborantem in terra maledictionis, cui maledixisti in operibus Adam: quam cùm operatus fuero, non dat fructus suos, sed spinas & tribulos generat mihi. In sudore vultus mei vescor pane meo, secundum seuerissimam sententiam justi judicij tui, qua increpasti superbos & maledictos, qui declinant à mandatis tuis. O bone creator! quàm bene me creaveras! quàm gloriosè formaveras! quàm feliciter locaueras! Creaveras enim me Domine, sicut dicit Apostolus tuus, *in operibus bonis*; quæ præparaveras, vt ambularem in eis: formaveras me ad imaginem & similitudinem tuam, & locaveras in paradiso voluptatis tuæ, vt operarer, & custodirem illũ: operarer bonorum studiorum exercitijs: custodirem, ne serpens irreperet. Serpens irrepsit, Evam meã seduxit, & per eam me prævaricatorem constituit. Propter quod expulsus de paradiso bonæ conscientiæ, exul factus sum in terra aliena, in regione dissimilitudinis. Sed ô Domine, qui omnia creasti; & vidisti cuncta quæ creasti, quia sunt bona valde: numquid per opus meum malum peribit bonum tuum? Siquidem non propter paradisum me, sed propter me paradisum constituisti: cùm me hominem super terram fecisti. Non te pœniteat, ô creator, hominem me fecisse super terram: sed præcipe sicut ab initio, vt sim homo rationalis, potestatem habens super terram meam: vt corpus meũ subditum sit spiritui, spiritus tibi. Non te pœniteat donatæ homini dignitatis; vt sim super bestias terræ meæ, truces & indomitos motus affectionum animæ; reptilia etiam cogitationũ humi repentia, & de veneno terræ, cui jugiter inhærent, noxia vel mortifera; pisces maris & volucres cæli, cogitatus scilicet de spiritu hujus mundi, curiosa sæculi, altitudinemque diei ejus scrutantes & sectantes; jumenta etiam, sensus istos corporis, ad hoc vt secundum nomen suũ juvent nos, nobis concreatos. Da nobis, qui ea dedisti nobis, vt patiantur frænum rationis, zeli boni stimulos, stabulum disciplinæ, vbi cibis suis pascantur & nutriantur, producenda ad vsum, cùm res exegerit; non autem siluescere permittantur in latitudine publici erroris. Veniet, dicit, qui promittit; veniet dies, cùm leo & agnus cubabunt simul; cùm, quæ modo nocent, non nocebunt in omni monte sancto tuo: iumenta quoque pascentur in pascuis vberrimis, non jã infirmitatis nostræ iumenta, sed beatæ felicitatis instrumenta. Interim Domine, exaudi cœlos; & cœli exaudiãt terram; & terra exaudiat vinũ, & oleum, & frumentum; & hæc exaudiant Iesraël, id est semen Dei, quod seminasti in nobis. Lactasti enim me, vt ait propheta, Domine, & eduxisti in solitudinem; promittens, quia ibi loquereris ad cor serui tui. Iam gratias tibi, locutus es semel & iterum, & aliquotiens: & dicenti tibi animæ meæ, Deus meus es tu; respondes aliquando placidè ac benignè, salus tua ego sũ. Et nunc, ô desiderium animæ meæ, vacare tibi aliquantisper desiderans ipsa anima mea, & gustare & videre, quàm suavis es Dominus; precatur benignissimam misericordiam tuam, vt ab omnibus, quæ extra sunt vel intra, pacem mihi facias & silentium: vt in ea quæ intra me sunt, jus mihi conserues quod dedisti: exteriùs autẽ percutias mihi fœdus cum bestia agri, & reptili terræ, & volucri cœli: & arcum, & gladium, & bellum, conteras de terra mea: vt in pace fiat totus locus meus, & in Sion habitatio mea. Da mihi Domine consolationem solitudinis meæ, cor solitarium, & colloquium tuum frequens. Non enim ero solus, quamdiu tu mecum eris, Deus meus: sed si me deserueris, væ soli; quia si obdormiero, non erit qui calefaciat dormientẽ: si cecidero, non erit qui subleuet cadentem. Sed adhuc, ô refugium meum & virtus, deduc me ad interiora deserti tui, sicut duxisti famulum tuum Moysen; vbi ardet rubus & non comburitur: vbi sancta anima, quæ ad hoc assumi meruerit, in plenitudine ignis sancti Spiritus tota ardet, sicut Seraphim totum ardens & non cõburitur, sed purgatur: & tunc primùm meliùs subsistit; quod est miraculum omnium miraculorum tuorum, & visio visionum: vbi locus sanctus est, in quo non statur, non proficitur, nisi solutis corrigijs impedimentorũ carnalium nudis pedibus, id est, mundis & puris affectibus incedatur: vbi qui est, etsi non potest videri sicut est; auditur tamen dicens, *Ego sum, qui sum*: vbi operiendus est vultus interim, ne videat cõtra Dominum: sed in humilitate obedientiæ exercendus auditus, vt audiat, quid in eo loquatur Dominus Deus suus. Absconde me Domine, interim in abscõdito tabernaculi tui in die malorum horum; in abscondito faciei tuæ à contradictione linguarum. Iugum quidem tuum suaue, & onus leue imposuisti mihi: & cum ostẽdis mihi seruitutis tuæ distantiam, & seruitutis sæculi, blandè & leniter me interrogas, vtrum melius sit seruire tibi Deo viuenti, an Dijs alienis. Ego manum imponentis adoro, jugum deosculor, & onus amplector: & multũ mihi suaue est sub eo desudare. Multum enim & multo tẽpore possederunt me domini absque te; quorũ jugum non est suaue, nec onus leue. Tui juris esse cupio; tuum jugum recognosco, & onus leue, quod subleuat me, non premit. Sed ingrediens nouam seruitutis tuæ disciplinam, videor

Marginalia: *Describit auctor conuersationẽ suam; & secessum in Signiacense cœnobium.* — *Psal. 54.* — *Ierem. 2.* — *Ephes. 2.* — *Ibidem.* — *Gen. 1.* — *Isai. 11.* — *Ose. 2.* — *Ibidem.* — *Exod. 3.* — *Ibidem.* — *Onus Religionis leue.* — *Cisterciensẽ intelligit Ordinem.*

mihi vidêre cœlos nouos & terram nouam: & ecce mihi noua facis omnia. Doce me Domine, hominem rusticanum de rure sęculi venientem, ciuitatis tuæ mores disciplinatos, & curiæ tuæ venustas vrbanitates: deforma me à forma sæculi, cui me conformaueram: conforma me ciuibus tuis, ne inter eos deformis appareã: doce etiam me linguam quam non noui; quam egrediens de terra Ægypti audire incipio, sed inueteratus in terra aliena, non intelligo; linguam scilicet, qua loqueris filijs tuis, & ipsi tecum. Fac me etiam intelligere nutus tuos; quibus intelligere facis intelligentes, quæ sit voluntas tua bona, beneplacens, & perfecta. Et jam anima mea, gratias tibi pater dulcis, cum ei loqueris, vocem tuam incipit agnoscere; sed non satis intelligit, quid ei loquaris: quia vox tua numquã vacua venit: quia vox tua gratia tua est, non sonans exteriùs, sed potenter & dulciter interiùs operans. Cùm etiam ego loquor tibi, intendo tibi, & in hoc etiam bene mihi est: & quaquauersum eat oratio, numquam gratis te oro vel adoro: cùm etiam in orando fiat mihi retributio multa. Doce ergo me, S. Spiritus, sine intermissione orare: vt des mihi in te sine intermissione gaudere. Nam etsi plorat, cùm orat pauper tuus, pauper spiritu, vel peccatorum suorũ memor, vel in angustijs constitutus; dum vehemẽtiùs dolet, vehementiùs gaudet: sicut è contrario qui gaudet in sæculo, cùm vehementiùs gaudet, tunc si quid sapit, in occultis conscientiæ suæ vehementiùs torquetur & dolet. Pia ergo & pura oratio numquam est sine gaudio.

Apocal. 21 · *Psalm. 80.* · *Rom. 12.*

Meditatio V.

Diversos modos orandi recenset: passionem Christi & peccata sua in memoriam reuocat.

CVM ad jugiter & efficaciter orandum excitare, & exercitare, & assuefacere cor meũ desidero: nullius in hoc magisterio malim erudiri, quàm tuo, ô Domine Iesu, sapientia Dei Patris. Recogito ergo modos orationum, quibus orans coram hominibus in terris formam nobis dabas perfectæ orationis: & inuenio te aliquando quidem orantem solum; aliquando in turba, aliquando in exultatione spiritus, aliquando in sanguineo sudore, aliquando exaltatum in cruce. Exultatio spiritus & solitudo orãdi, dulcissima mihi sunt ad imitandum: sed nisi tu me prævenias in benedictionibus dulcedinis tuæ, locum quidem facile inuenio, sed non tã facile cor solitarium. Exultatio verò spiritus fit ex puritate conscientiæ, cujus ego mihi conscius non sum: vel ex abundantia gratiæ tuæ, cujus ego indignus sum. Orare in turba tuum fuit, cui nihil defuit: quod tamen, cùm sic exigit res, nec nos refugimus. Scio Domine, scio, quia pernecessaria esset mihi oratio illa sanguinea, & oratio crucis: quia cùm sentio, quid oratio in me habeat exsudare, quid crux excruciare; non quidẽ habeo sanguineum sudorem, sed sanguineas lachrymas exsudat cor meum in oculis tuis. Nec inuenit corpus meum crucem in qua crucifigatur: sed infelix anima mea super omnem crucis dolorem in seipsa cruciatur. Concrucifixus tamen tibi sum, Domine Iesu, vtcumque in cruce professionis, quam de munere tuo quotidie & jugiter tibi offero: quia munera tua data tua; sed de meæ crucis delicijs contemplans passionẽ tuæ crucis, clauis timoris tui confixus confundor, & totus contabesco; non ex dolore crucis meæ, qui ex gratia tua jam mihi nullus est: sed ex dolore cordis, quo considero opus tuum in medio annorum viuificatum; in omnes annos & ante & post, effectu redemptionis clarificatũ; cui nihil cõpensari potest: cui nulla mors, nulla vita respondere sufficit: quod tamen mundus per ipsum redemptus despicit. Vsu enim ipso jam pro nihilo habemus crucifixum te videre; cogitare te mortuum & sepultum: & quod amplius & penetrabilius est ad corda transpungẽda, cæsum alapis & flagellis, irrisum, consputũ, clauis & lancea confixum, spinis coronatũ, potatum felle vel aceto; qui in cruce tua non nisi salutem nostram sitiebas. Te crucifixo terra tremuit, nos ridemus: cœlũ cum luminaribus suis obscuratum est, nos clarere in sæculo æstuamus: petræ scissæ sunt, nos corda nostra obduramus: monumenta aperta reddiderunt mortuos suos, nos in stratis lasciuiæ luxuriãtes sepelimus mortuos tuos. Tres Domine in tempore passionis tuæ, si bene aduerti, Deo Patri obtulisti orationes; in quibus totũ constat esse inclusum, quod in ipsa passione tua pretio sanguinis erat agendum: pro te, pro amicis, pro inimicis. Pro te quidem cùm orasti, non laborasti: quia sicut dicit Apostolus, exauditus es pro tua reuerentia. Orasti & pro amicis in tentationibus tuis tecum permanentibus: & pro inimicis crucifigentibus te, sed nescientibus quid facerent. Vbi est oratio pro scienter peccantibus? Quamdiu sic sunt, extra amplexum crucifixi sunt: qui extensis in cruce manibus, etiam formâ patibuli amplecti videbatur omnes, pro quibus patiebatur. Itaque sicut dicit Apostolus, *voluntariè peccantibus jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Quæ nisi pœnitentia deleat; nisi sanguineus sudor exsudet, & crux excruciet; voluntariè & scienter peccãtes non inuenio partem habere, vel in oratione sanguinẽ sudantis, vel in sacrificio in cruce pendentis. Heu me, quem conscientia accusat; quẽ veritas non excusat, vt dicere possit, non enim sciuit, quid fecit. Ignosce ergo Domine, in pretio pretiosi sanguinis tui, omnibus peccatis meis, in quæ incurri scienter & nescienter: & dic peccatori tuo, insinua pauperi tuo, quid faciat pro eis, & maximè pro eis, quæ commisi scienter. Nam si omnes scienter peccantes videris exclusisse: vę vniuerso mundo, quia paucissimos videris inclusisse. *Voluntariè peccantibus*, ait Apostolus, *jam non relinquitur pro peccatis hostia. Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est: & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Scimus enim qui dixit. *Mihi vindictam, ego reddam.* Verè Domine voluntariè post acceptam veritatis notitiam & multũ peccaui, & spiritui gratiæ contumeliam feci; à quo gratis in baptismo acceptâ remissione peccatorum, post acceptam notitiam veritatis reuersus sum ad ea, sicut canis ad vomitum. Sed numquid te, fili Dei, conculcaui? Conculcaui, si negaui: quamvis nec arbitrer Petrum conculcasse, quem contigit negasse: qui tunc ardentissimè te diligebat, etiam cùm semel, & iterum, & tertiò te negabat. Num sanguinem testamenti pollutum duxi? Qui hoc sentit, anathema sit. Absit, vt vmquam hoc senserit cor meum: absit, vt vmquam hæc confessio transeat per os meũ.

Matth. 14. Ioann. 12. Luc. 10 & 22 · *Religiosus per professionem cum Christo crucifigitur.* · *Passio Christi parvi fit à Christianis* · *Matt. 27.* · *Tres fuere Christi crucifixi orationes.* · *Hebr. 5.* · *Hebr. 10.* · *Pro voluntariè peccãtibus an orauerit Christus.* · *Hebr. 10.* · *Petrus Christum amabat, etiam cùm negabat.*

Non quòd Satanas aliquoties non expetierit fidem meam, vt cribraret sicut triticum: sed oratio tua vsque ad me pertigit, vt numquam deficeret à te fides mea. Virtus est voluntarius assẽsus animi in bonum. Tu scis, quàm voluntariū semper eum habui in fidem tuam: tu conserua eum mihi vsque in finem. Semper in te credidi: numquam te negaui: semper te amaui, etiã cùm in te peccaui. Pœnitet me peccati mei vsque ad mortem: sed amoris tui non me pœnitet, nisi quia etiam tunc non sic te amaui, sicut debui; quia si sic te amassem, non peccassem. Sed heu, quàm timeo, ne hoc ipsum quod tunc te amaui, proueniat mihi in judicium: quia si tam graue est, peccare post acceptam notitiam veritatis: quàm grauissimum, post gustum boni tui, post acceptam dulcedinẽ tuæ dilectionis! Nam etiã in ipsa pueritia mea puer impurus jam ex gratia tua te amabam: & tamen non pueriliter in te peccabam. Ex tunc vsque nunc numquã cessaui peccare: nec tu mihi bene facere. Quid restat, nisi vt dicatur mihi, recepisti bona in vita tua? Sed conuerte Domine judicium tuum in misericordiam; & de peccato damna peccatum: vt qui justè me damnare habes, pro tantillo amore quo tunc te amabam, acceptâ nunc ex gratiâ tuâ plenitudine amoris tui, veniam in judicium tuũ, & appaream in sancto tuo, & in oculis misericordiæ tuæ, ea ratione qua apparuit peccatrix illa, de qua dixisti. *Dimittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* Sed primùm dignare cor meum igne perfecti amoris tui; exsudet à me magnus ejus ardor, & excoquat omne peccati venenum: exploret & diluat lacrymis oculorum meorum omne conscientiæ meæ contagium: excruciet crux tua quicquid concupiscẽtia carnis, cõcupiscentia oculorum, & superbia vitæ, longo negligentiæ meæ situ est contractũ: pereat ab increpatione vultus tui, quicquid ex voluntate carnis, vel consensu mentis, incẽsum est & suffossum. Domine qui vult audiat, & irrideat me confitentem: videat cum peccatrice tua ad pedes misericordiæ tuæ jacentem, lauantem lacrymis cordis, & vnguento piæ deuotionis vngentem. Eat omnis substantia mea, quãtulacumque est, siue in corpore, siue in anima, in pretium placiti tibi vnguenti, quod effundam super caput tuum, cujus caput Deus; & super pedes tuos, cujus pars ima humilitatis nostræ natura est. Murmuret Pharisæus: tu miserere mei Deus meus. Fremat in me dentibus fur loculos habens; dum tibi placeam, non magnipẽdo cui displiceam. Sit tibi, ô amor cordis mei, quotidiana, imò continua hæc vnctio mea: quia cùm vngo te, vngo etiam me. Natura quippe mea nequitiæ inueteratæ respondens duritiam, facta est sicut vter in pruina; quæ nisi vnguenti hujus suauitate continuâ demulceatur, rigescit, durescit, & crepat, & effundit, si quid boni tui intus habere videtur. Dixisti. *Quod habuit hæc fecit.* Da mihi Domine fideliter facere tibi, quicquid habeo, quicquid scio, quicquid sum, quicquid possum: nihil mihi reseruẽ. Tecum habeo causam, cum nullo hominum: ad pedes misericordiæ tuæ jaceo; ibi jacebo, ibi plorabo; donec me facias audire vocem tuam bonam, judicium oris tui, sententiam justitiæ tuæ & meæ, quia à te mihi datæ; *dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Domine, per omne judicium, quod dedit tibi Pater, præueni me hoc merito, & judica me hoc judicio: quia amore amoris tui malo hoc judicio justificari & saluari, quàm alio magnificari & glorificari. Domine, non excludas me ab amplexu redẽptionis tuæ: qui per omnia desidero cõmunicare cruci tuæ. Tu dixisti. *Mihi vindictam: ego retribuam.* Nequaquam ô benignissime. Sed mihi vindictam, vt ego pœniteam. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Præcipe quicquid vis; sed da mihi intelligere & posse, quod præcipis: qui jam in hoc dedisti paratum cor meum, vt à facienda voluntate tua in nullo se subtrahat cor vel corpus meum. Tu cognouisti sessionẽ meã, & resurrectionem meam: & omnia mea nouissima & antiqua. Deforma me à sæculo, cui me conformaui: forma & conforma me gratiæ tuæ ad quam confugi; & da cordi meo formam placitæ tibi pœnitentiæ. Da etiam mihi Domine fidem puram & deuotam, piam, fortem, & inconcussam: vt dicas etiam mihi, gratiam dans pro gratia. *Vade, quia fides tua te saluum fecit.*

Peccata pueritiæ.

Luc. 16.

Luc. 7.

Vt spiritualiter vngatur Christus.

Marc. 14.

Luc. 7.

Rom. 12

Psalm. 138.

Luc. 7.

MEDITATIO VI.

Anima gaudium Beatorum, ac cœlum, idest Deũ, & arcam testamenti, idest humanitatẽ Christi, contemplatur.

VIDI *ostium apertum in cœlo*, ait beatus Joannes; *& vox prima quam audivi, quasi tubæ loquentis mecum, dicens. Ascende huc.* O Domine, qui cœlum & terram creasti, terram autem in peccato & opere Adam maledixisti, & filijs ejus deputasti inhabitandam: in qua quicumque habitant, sub maledicto sunt; cùm & veteris maledicti pœnas luunt continuas, declinando à mandatis tuis, novis quotidie cumulãtur; de quibus dicitur; *Maledicti qui declinant à mandatis tuis*: pertæsus tot maledictionum nouarum & antiquarum, quibus & quæ non rapui, cogor exsoluere, & quæ rapui, cum multiplici fœnore exigor: quàm libenter, quàm desideranter fugerem de terra nostra in cœlum tuũ, quod semel mundatum à superbia, projecto inde superbo, tibi retinuisti: si ascensum inuenirẽ, & ostium apertum. Audio nihil esse ibi malorũ omnium quæ hic patimur: non esse ibi matutinum & vesperam, matutinũ lætitiæ non demorantis, vesperam demorantis fletus, quorum exitus tu scis quàntum me delectaret: sed vnam ibi esse diem de visionis tuæ continua gloria festiuam; feriatam ab omnibus, quæ festum vultus tui interturbare possint. Audio, quia ignis, grãdo, nix, glacies, spiritus procellarum, illuc non ascendunt, quæ ad affligendos nos, facientia verbum tuum, super nos huc assiduè descendunt: nulla ibi mors vel corruptio corporum vel animarum; remota penitus omnis perturbationum pestis; vna ibi virtus, vna felicitas & gaudium, charitas tua fruens bono suo absque suspicione perdendi. Audio adhuc festiuam diem illã Angelorum gaudijs & laudibus celebrem; Apostolorum & Martyrum coronis gloriosam; & omnium bonorũ, qui ab initio tibi placuerunt, Ecclesiam inibi congregatam, & ad diem festum hunc perpetuas fixisse mansiones. Quorũ cùm duos aut, tres in terris aliquando videm⁹ in nomine tuo congregatos, te in medio eorum existente, si tam bonam & tam jucundam videmus eorum cohabitationem, tam plenam vnguento Spiritus sancti, vt palam fit omnibus tuam illic mandatam benedictionem: quantò maximè vbi congregasti sanctos tuos, qui ordinauerunt tes-

Apocal. 4.

Peccatum originale, & actuale.

Psalm. 118.

Bona quæ in cœlo sunt.

Psal. 49. tamentum tuũ super sacrificia; & facti cœli annunciant justitiam tuam? Non enim solus ille dilectus discipulus tuus illuc inuenit ascensum: nec soli illi ostensum est ostium in cœlo apertũ. Palam quippe omnibus pronunciasti, non per præconem, vel per Prophetam quemlibet, sed per temetipsum dicens. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.* Tu ergo es ostium. Ioan. 10. Et cum dicis, *Per me si quis introierit*, omnibus intrare volentibus videris apertum. Sed si ostiũ patens in cœlo videmus, nos qui in terra sumus: quid prodest nobis, qui illuc ascendere non possumus? Respondet Paulus. *Qui ascendit ipse est, & qui descendit.* Quis hic est? Amor. Amor enim ad te Domine, in nobis illuc ascendit: quia amor in te huc ad nos descendit. Quia enim amasti nos, huc descendisti ad nos: amando te, illuc ascendemus ad te. Sed tu ipse qui dixisti, *Ego sum ostium*, per temetipsum te obsecro, aperi nobis temetipsum: vt ostendas euidentiùs, cujus dom* ostium sis, quando & quibus apertum. Domus cujus ostium es, sicut jam dictum est, cœlum est, quod Pater inhabitat, de quo legitur, *Dominus in cœlo sedes ejus.* Siquidem nemo venit ad Patrẽ, nisi per te, qui es ostium. Sed dicit quidam seruus tuus. Qui visibilibus adhuc pulchritudinibus delectantur, nec possunt de Deo spirituale aliquid cogitare, quoniam terræ præferunt cœlum; tolerabilior est eorum opinio, si Deum, quẽ adhuc corporaliter cogitant, in cælo potiùs esse credant, quàm in terra. Nam, ô conditor omniũ & locorum & temporum, tu nec tempore moueris, nec loco teneris; nec cœlo corporeo sustentaris ne cadas; nec sic in eo habitas, vt cœlũ & terram non impleas: vbique præsens, si de inlocali hoc dici potest; vbique totus, si in te vel de te prædicari potest totitas, in quo non est particularitas. Tu ipse tamẽ docuisti nos dicere, *Pater noster, qui es in cœlis.* Et hæc opinio sic omnes cõplectitur; vt ab omnibus hominibus, etiam Iudæis & Ethnicis, in cœlis Deus habitare perhibeatur. Sed alia est sententia, quod falsum est, opinantium: alia, quod verum est proferentium talibus rerum nominibus; vt & ab intelligentibus veritas possit intelligi; & opinantes, quia res sicut sunt, cogitare vel intelligere non possunt, ex rerum nominibus aliquantò tolerabiliùs permittantur opinari. Vnde Propheta qui dicit, *Deus autem noster in cœlo*; paulo post, *Qui habitat*, inquit, *in Ierusalem.* Ad te ergo tendentibus, post te anhelantibus responde obsecro. Rabbi, vbi habitas? Cito respondes & dicis, *Ego in Patre, & Pater in me.* Et alibi. *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo; & vos in me, & ego in vobis.* Item. *Ego in eis, & tu in me; vt sint consummati in vnum.* Locus ergo tuus Pater est, & tu Patris: & non solùm, sed etiam nos locus tuus sumus, & tu noster. Cùm ergo, ô Domine Iesu, tu es in Patre, & Pater in te, ô summa & indiuisa Trinitas, tu tibi locus es; tu tibi cœlum es: sicut non habens ex quo, sic non indigens in quo subsistas, nisi ex teipso in teipso. Cùm autem nos inhabitas, cœlum tuum sumus, vtique, sed non quo sustenteris, vt inhabites; sed quod sustentes, vt inhabitetur: tu quoque cœlum nobis existens, ad quem ascendamus, vt inhabitemus. Nostra ergo, vt video, in te, vel tua in nobis habitatio, nobis cœlum est: cœlum verò cœli tibi æternitas tua, qua es, quod es in teipso, Pater in Filio, & Filius in Patre; & vnitas qua Pater & Filius vnum estis, id est, Spiritussanctus, non quasi aliunde veniens & mediũ se faciens; sed coessendo in hoc ipsum existens. Vnitatis verò, qua in nobis vel in te vnum sumus, author & ordinator est idem Spiritussanctus, filios Dei faciens nos per gratiam, qui filij iræ eramus per naturam, dicente Apostolo. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei cognominemur & simus.* Dono vtique, qui est Spiritussanctus. Et post pauca. *Carissimi, nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Natiuitas verò Filij de Patre, æternitatis natura est: natiuitas in nobis, gratiæ adoptio est. Illa nec fit, nec facit vnitatem, sed ipsa in Spiritu sancto vnitas est: ista non est, sed fit per Spiritum sanctũ, inquantum similitudine Dei insignitur, equidẽ vltra modum naturæ humanæ, sed citra essentiã diuinæ. Nam & semen hujus natiuitatis Spiritussanctus dicitur: de quo dicit idem Apostolus. *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat: quoniam semen ipsius in eo manet, & ideo non potest peccare.* Similitudinem autem ipsam Dei conferet nobis visio ejus, qua Deum videbimus, non quod est, sed sicut est: & ipsa est similitudo, qua similes ei erimus. Nam videre Patri Filium, hoc est esse quod Filius; & econtrario. Nobis autem videre Deum, hoc est similes esse Deo. Hæc vnitas, hęc similitudo, ipsum est cœlum, quo Deus in nobis habitat, & nos in Deo. Tu autẽ cœlum cœli es, ô summa veritas, qui es quod es, qui à te tibi es, tuus tibi, sufficiens tibi; cui nihil deest, nihil redundat: apud quem nulla discrepantia, nulla confusio; transitio nulla, nulla transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio; nulla indigentia, nulla mors: sed est ibi summa cõcordia, summa euidentia, summa plenitudo, summa vita. Creaturæ autem tuæ nulla tibi turpitudo turpis est; nec nocet malitia; nec error errat: qui bonis suas singulis virtutum vel beatitudinis præordinasti mansiones: ad quas omnino peruenire habent, quæcumq; impediat vel retardet necessitas; malisque in malo suo terminos præfixisti, quos pręterire non sit potestas; etiamsi non desit volũtas. O Domine, hæc altitudo, hoc profundum, hæc sapientia, hæc virtus; numquid hoc cœlum, cujus tu es ostium? Sic plane, sic est. Vnde & aperto ostio, sicut dicit idem Ioannes, *arca testamenti visa est in cœlo.* Quid enim est arca testamenti recognita in cœlo, nisi, sicut dicit Apostolus, dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit? Tu enim verè arca testamenti es: in quo reconditum est à sæculis, & in nouissimo tempore impletum, quicquid ab initio mundi à Sanctis omnibus & Prophetis testificatum est, lege, prophetijs, signis, & prodigijs. Tu arca es circumtexta ex omni parte auro mundo: quia in te requieuit, teque totum complexa est glorificans sapientiæ Dei plenitudo. In te est vrna aurea habens manna, sancta & immaculata anima, quam corporaliter inhabitauit plenitudo diuinitatis: & virga Aaron quæ fronduerat, dignitas sacerdotij æterni: & tabulę testamenti, quibus heres gratiæ tuæ constitutus est mundus; gentesque positæ sunt coheredes, & concorporales, & comparticipes promissionis tuæ. Supra quæ Cherubim gloriæ, plenitudo scientiæ: supra autem; non quasi dignitate præeminentia, sed ab his portari & fulciri indigẽtia;

Marginal notes: Omnibus patet cœlum. — Ephes. 4. — Psal. 10. — Matt. 6. — Psal. 113. & 124. — Ioan. 14. Ibidem. — Deus nobis, & nos Deo cœlum sumus. — 1. Ioan. 3. — Ibidem. — Videre Deũ est similes ei esse. — Apocal. 11. — Ephes. 3. — Christus arca testamẽti — Vrna aurea anima Christi. — Virga Aarõ sacerdotiũ Christi.

obumbrantia propitiatorium, id est, mysteriorum propitiantis gratiæ tuæ incomprehensibilitatem testantia. Hæc bona à sæculis in cœlo secreti tui abscondita, in fine sæculorum desideranti mundo ostendisti, cùm temetipsum ostium in cœlo aperuisti. Aperuisti autem, cùm apparuit gratia tua omnibus hominibus, erudiés nos; cùm apparuit benignitas & humanitas tua, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos: sed secundum misericordiam tuam salvos nos faciens. Tunc aperto cœlo omne bonum, omnis suauitas cœli se terris infudit. Tunc quanta in te esset bonitas circa nos, ô Deus, qui proprio filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti eum, omnibus palam innotuit; cùm notum fecisti mundo salutare tuum; & in conspectu gentium reuelasti justitiam tuam, quam in sanguine vnici tui nobis fecisti: cùm ipse castam charitatis obedientiam circa saluationem nostram impendit tibi, nobis autem obedientiæ ipsius charitatem. Tunc enim benedixisti terrã nostram: & ex tunc cœpit dare fructum suum. Ex tunc ad cœlum tuum strata est via publica, trita Apostolorum vestigijs, & Martyrũ, & Sanctorum omnium; qui exemplo & gratia charitatis accepta à te, dilexerunt te vsque ad contemptum sui: & pro te animas suas ponere non timuerunt. Inuestigabiles istæ diuitiæ gloriæ tuæ, Domine, penes te latebant in cœlo secreti tui; donec lanceâ militis aperto latere filij tui Domini & Redemptoris nostri in cruce, redemptionis nostræ effluxere sacramenta: vt in latus ejus non jam digitum mittamus, aut manum, sicut Thomas; sed in apertum ostium toti intremus vsque ad cor tuum, Iesu, certam sedem misericordiæ; vsque ad animam tuam sanctam, plenam omnis plenitudinis Dei: plenam gratiæ & veritatis, salutis & consolationis nostræ. Aperi Domine ostium lateris arcæ tuæ; vt ingrediantur omnes saluãdi tui à facie diluvij hujus inundantis super terram: aperi nobis latus corporis tui: vt ingrediantur qui desiderant videre occulta Filij; & suscipiant profluentia ex eo sacramenta, & pretium redẽptionis suæ. Aperi ostiũ cœli tui; vt videant bona Domini in terra viuẽtium redempti tui, qui adhuc laborant in terra morientium: videant & concupiscant, ardeant & currant, quibus factus es via, per quam illuc itur; veritas ad quam itur; vita propter quam itur: via, exẽplum humilitatis; veritas, puritatis; vita, vita æterna. Hæc omnia factus es nobis, misericors pater, suauis domine, dulcis frater; qui sumus filioli tui, quibus dicebas; *Filioli mei, adhuc modicum vobiscum sum:* serui tui, quibus dicebas; *vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis; sum etenim:* fratres tui, quibus mãdasti, vt irent, vbi te viderent. O bone pater, dulcis frater, suauis Domine, bonus quicquid es, & dulcis, & suauis, in quo abundat tota bonitas, aperi nobis te: vt de te vsque ad nos manet tua suauitas, impleat nos. Aperi mihi te, qui es ostium, vt per te aliquoties affectu, etsi adhuc non mereor pleno effectu, ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Reuelasti enim aliquando auriculam serui tui, vt aliquando subaudierit vocem illic exultationis & confessionis soni epulantis; sed procedere non licuit. Propter quod meritò tristis es anima mea: meritò cõturbas me. Sed spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultus mei & Deus meus. Aperi mihi Domine, vt quia homo alienus, non sum dignus adhuc ciuis illic adscribi; donante te, vel aliquoties vel aliquantulum ibi liceat mihi peregrinari: vt videns videam gloriam tuam, nec nisi expulsus exeam. Si sæpius illuc meruero ascendere, si aliquãdiu immorari, si seriùs redire; innotescam ciuibus tuis, illis non lætantibus, sed sicut lætantibus omnibus habitantibus illic; quorum lætitiam nulla verba exprimunt; quorum participatio in idipsum; nec vt alienum me habebunt, si aliquando in aliqua tuæ illius domus parte jubeas me inter eos requiescere. Domine inquietum & impatiens est ad te cor meum: nec extra te requiem ei inuenio. Propter quod cùm expellor à cœlo, à tædio vitæ meæ libet etiam me aliquando descendere ad infernum viuentem: (ne contingat me illuc descendere morientem;) vt videam quid etiam ibi agatur. Sed cùm in primo ejus limine scriptum inuenio, quia in inferno non est qui cõfitebitur tibi, anathema ei dicens, inde refugio. Audio intrò fletum oculorum, & stridorem dentium: sed non mihi contingat Domine, vsque illuc descendere. Ad te Domine, ad te oculi mei semper, qui habitas in cœlis; ad domum tuam, ad ciuitatem tuam Ierusalem, vnde ad nos descendisti: cujus tecum tam mirabile exemplar nobis detulisti. A quo accensus, ardẽter & cupidè sæpe illuc recurro. Si te ostium inuenio apertum, ingredior: & bene mihi est, quãdiu licet: si clausum inuenero, confusus redeo. Et prohibitus videre gloriam tuã, remittor miser in domum meam: & cogor pati domesticam & familiarem paupertatem meam. O si videbo, ô si durabo, ô si vmquam aliquando audiero, *Intra in gaudium Domini tui:* vt sic introeam, vt vltra non exeam. Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Perfice, quod fecisti: dona, quod promisisti.

Tit. 2. & 3.

Bonitas Dei nota per Incarnationẽ.

Ioan. 19.

Ioan. 20.

Ioan. 13.

Ibidem.

Psal. 41.

Ibidem.

Mentis ascensus in cælum.

Et descẽsus in infernum.

Matt. 25.

MEDITATIO VII.

Anima videndi Dei desiderium exprimit.

TIBI *dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à seruo tuo.* Comparare quidem faciem meã faciei tuæ, Domine Deus, inspector & judex cordium, temerarium nimis videtur & insolens: cùm, si introieris in judicium cum seruo tuo, non habeat facies injustitię meę, nisi fugere à facie justitię tuę. Sed si donante te, charitas ardens excusaret, humilitas pia adjuuaret paupertatem meam: fugiant qui oderunt; ego non fugerem à facie tua. Altera enim præsumit, altera nutrit fiduciam. Harum ego conscius mihi non sum: sed amicum profiteor. Si enim interrogas me, sicut interrogasti Petrum, *amas me:* dicam planè, dicam confidenter; Dñe, tu omnia nosti: tu scis quia volo amare te. Quod etiam sic vult, vt nihil sic velit cor meum, quàm amare te. Humilitatem etiam amplector, quam diffiniunt diffinientes, contemptum propriæ excellentiæ: sed dum quasdam excellentiarum minutias nonnũquam inscius incurro: vel cùm offeruntur, non satis citò me inde excutio: optimè scio, quia humilis non sum. Est alia humilitatis species, scilicet notitia sui, in qua si judicor, secundũ ea quæ in me noui, actum est de me: & malo, vt aiunt, omine tetendi pedem in justitiam judicij tui. Si autem hoc apud te virtus judicatur; si peccatũ meum coram me est semper: hujus virtutis non

Psal. 26.

Ioan. 21.

Quid sit humilitas.

Notitia sui humilitatis species.

omnino expertem me arbitror: cùm etiam nolenti mihi, & rebus melioribus intento, sic sæpe fœda peccatorum meorū facies mentis meæ oculis se ingerat, vt propter ipsa ipse me oderim. O Domine! quid multa dicam de ignominiosa facie conscientiæ meæ? Qualiscumq; quomodocúque sit; sic tota ejus facies tuam faciē desiderat: vt omnia quæ sunt vitæ hujus, ipsamque vitam, præ amore ejus fastidiat & despiciat: nec curet omnino quid videat, dum te videat.
Psal. 26. Sic interim, ô visu desiderabilis! exquirit te facies mea; faciem tuam requiro: ne obsecro auertas eam à me. Sed doce me interim, ô æterna sapientia, illustratione ipsius vultus tui, quæ sit ista facies & facies: quia licet desiderio alterius ad alteram contrabescam, neutram tamen satis noui.
Non vidit Paulus Deū in hac vita. Scio enim, quia si non est datum Paulo Apostolo, vt videret in hac vita te facie ad faciem; & dilecto discipulo tuo, sicuti es: quod sic diligēti & sic dilecto non conceditur, non sani est capitis, à quo hoc speratur, vel quæritur. Tamen vbi audio in Dauid faciem & faciem, non possum desperare, quod audio de te aliquem sperare: non quòd oblitus sim, quis sim; sed spero de indulgentia misericordiæ tuæ: & quia licet miserè in hoc proficiam, nollem te minus amare ab vllo te amante.
Exod 33. Nam licet Moysi videatur esse negatum, quod tamen David nullo modo erat desperatum: tamen de eodem Moyse, cæterisque Patribus cantat & psallit iste Dauid,
Psal. 43. quia *non in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* De seipso etiam, Domine, inquit, *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam*
Psal. 29. *à me: & factus sum conturbatus.* Eam ergo dulcissime, faciem, quam auertisti aliquando à sancto Dauid, & factus est conturbatus, conuerte ad me, & ero consolatus: quam priusquam auertisses ab eo, in voluntate tua præstitisti decori ejus virtutē. Et possideat terram meā dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui; quæ terram Patrum possedit, in quibus complacuisti. Nam de vultu tuo & facie tua neminem audio tam sæpe, tam familiariter agere & loqui, quàm Dauid: nec credendum est, eum vultus tui inexpertum, de quo precatur omne
Psal. 16. judicium suum prodire: & cum vultu tuo lætitia se præsumit adimplendum. Qui etiam beatificans beatum populum, qui scit jubilationem;
Psal. 88. *Domine*, inquit, *in lumine vultus tui ambulabūt.* Quàm attentiùs possum, ô Deus cordis mei, consulens ipsum vultum tuum, vt de eo super hoc judicium meum prodeat; conclamante in hoc omni conscientiæ meæ assensu, vultum tuum hunc, & faciem tuam inuenio esse notitiam
Vultus Dei est notitia veritatis ejus. veritatis tuæ: cui beatus populus tuus faciem exhibens bonæ voluntatis, jubilat gaudium in Spiritu sancto; & magni anni jubilei festum in cōtemplatione & fruitione ipsius veritatis tuæ: in cujus etiam lumine ambulat, gressus suos & omnia sua dirigens secundum judicia justitiæ tuæ. Est quidem alia facies, & alius vultus notitiæ tuæ, de qua dictum est ad Moysen, *facies*
Exod 33. *mea non videbitur tibi; non enim videbit me homo & viuet:* visio vel scientia divinæ majestatis tuæ, quæ in hac vita melius nesciendo scitur: & scire aliquem, quomodo eam nesciat, hæc in hac vita summa ejus scientia est. Sed, ô Domine, licet tenebras ignorantiæ nostræ & cæcitatis humanæ posueris latibulum faciei hujus: tamen in circuitu tuo tabernaculum tuum, luminosi scilicet tui, sancti aliqui fuerunt; qui de luminis & ignis tui contubernio lucentes & ardentes, verbo & exemplo cæteros illuminabant & accendebant: & hujus supereminentis notitiæ tuæ solemne gaudium in futura nobis vita denunciabant; qua videberis sicuti es, vel facie ad faciem: interim verò per eos fulgura veritatis tuæ alluxerunt orbi terræ; & illuxerunt coruscationes, ad quas hilarescunt, qui sanos habent oculos: commoventur autem & conturbantur, qui diligunt tenebras magis quàm lucē. Nam manifestatio hic veritatis tuæ, per quoscúque fiat, sic est sicut sol tuus, quem facis oriri super justos & injustos, qui in suæ naturæ puritate *Matt. 5.* permanens, vtitur rerum materijs, sicut eas inuenit; lutum stringens, ceram soluens, illustrās omnem oculum & videntem & cœcum; videntem, vt illustratus plus videat, cœco in sua cœcitate permanente. Sic & tu, ô sapientia Dei, & lux veritatis, cùm venisti in mundum, per quem mundus factus est: illuminasti omnem hominē venientem in hunc mundum: sed tenebræ te non comprehenderunt. Quotquot autem te receperunt, & lucem veritatis tuæ, dedisti eis potestatem filios Dei fieri.

Meditatio VIII.

De multiplici facie hominis, & osculo atque amplexu sponsi & sponsæ.

FVLGVRANS omnibus, ô sol justitiæ, lumen vultus tui, & veritatis tuæ splendorē: sponsam tuam, quæcumque illa est, inuitas dicens.
Ostende mihi faciem tuam, soror mea. Statimque *Cant. 2.* anima bonæ voluntatis, cui de cœlo pax annunciatur; qui frater est Christi, cujus anima soror ejus appellatur, sicut est, sic in sancto tuo desiderat apparere tibi; & in lumine tuo videre lumen. Si peccator est, ostendit tibi faciem miseriæ suæ, requirens faciem misericordiæ tuæ: si sanctus est, occurrit tibi in facie justitiæ suæ: & inuenit in te faciem similitudinis suæ, qua justus Dominus justitias diligis. Porrò cui frons est meretricis, non vult erubescere: & fugiens veritatem tuam incurrit seuerissimam justitiam tuam. Quot enim anima humana habet affectiones: tot ad te habet facies. Tu autem, ô veritas, omnes excipis, & omnibus te mutuans, in te ipsa non mutaris. Inuenit in te pia humilitas familiarem gratiam: inuenit ardens amor suauē olei materiam: inuenit humilis cordis contritio paratam sibi à te justitiam: inuenit frons meretricis confusionem suam. Sic, ô summa justitia, *Psal. 84.* misericordia in te & veritas obuiant sibi, cùm veritas humanæ justitiæ in anima justa humiliter confitetur: & tuæ justitiæ veritas in veritate confitenti quasi justè miseretur. Et dum porrigit illa osculum justæ confessionis, tu eam excipis in osculo pacis. Hoc est osculum sponsi & sponsæ: cujus facies vt digna inueniretur osculo tuo, ô *Quid fecerit sponsus pro sponsa.* Domine, tua facies consputa est: vt illius appareret decora & speciosa, tua facies alapis palmarum, & arundinum ictibus facta est liuida: tua in oculis hominum saturata est opprobrijs, vt illi* pulchra & speciosa appareret in oculis tuis. Quin insuper fecisti ei lauacrum tui pretiosi sāguinis, in quo lauarentur filij Dei, horribilia pro nobis patiens, qui fecimus horribilia: pro quibus faciei summæ justitię in nullo satisfacere potuisset facies cujusvis pœnitentiæ; nisi eis quę

pro

pro nobis passus es, addita fuisset tua innocētia; & quia cùm esses filius, exauditus es pro tua reuerentia. Pro meis enim manibus, Domine, quę fecerunt quæ non debuerunt, tuæ manus clauis transfixæ sunt: pedes tui pro meis pedibus, oculi tui pro illicito visu meo, aures pro auditu, in morte obdormierunt. Lancea militis apertum est latus tuum, vt de impuro corde meo per vulnus tuum totum aliquando efflueret, quicquid in eo longa labe fuerat incensum igni & suffossum. Ad vltimum mortuus es, vt ego viuerem: sepultus, vt ego resurgerem. Hoc est osculum dulcedinis tuæ ad sponsam tuam: iste est amplexus dilectionis ad amicam tuam. Væ ei, qui hujus osculi particeps non fuerit: væ, qui de amplexu isto ceciderit. Hoc osculum accepit in cruce latronis confessio: hoc accepit Petrus, cū respexit eum Dominus negantē, & egressus foras fleuit amarè: & plurimi eorum qui te crucifixerunt, post passionem tuam ad te conuersi, in hoc osculo tibi confœderati sunt. In amplexu isto exultabat Maria illa, septem olim Dæmoniorū possessio: de quo ceciderat discipuli proditoris malitia. In hoc amplexu stringebantur publicani & peccatores: quorum conuiua & amicus factus es. Illic Raab meretrix conuersa, Babilon te sciens, alienigenæ, Tyrus, & nigri Æthiopes. Quò autem Domine, trahis eos, quos amplecteris & adstringis, nisi ad cor tuum? Cor tuum dulce est illud māna diuinitatis tuæ, quod intus habes, ô Iesu, in vrna aurea supersapientis animæ tuæ. Beati, quos ad eam tuus trahit amplexus: beati, quos in abscondito absconditi illius abscondisti, in medio cordis tui: & scapulis tuis obumbrantur à conturbatione hominum; nec habent spem, nisi sub pennis tuis protegentibus & fouentibus. Scapulis enim virtutis tuæ obumbrantur, qui in abscondito cordis tui absconduntur; suauiter dormientes, & dulci expectatione lętantes inter medios cleros meriti sanctæ conscientiæ, & expectationis præmij promissionis tuæ: non propter pusillanimitatē deficientes, vel propter impatientiā murmurantes. Sed & qui se dulciùs osculantur, mutuò sibi suos spiritus infundunt: quorum quibusdam odoribus dulce habent perfundi. Accipe tibi, Domine, nec respuas totum spiritum meum, quem totum in te effundo, qui totus olet: infunde mihi totum tuum, qui totus quod est redolet: vt de tui suauitate meus vltra non oleat; & tui dulcis odor, ô dulcissime, semper vlteriùs in me permaneat. Hoc est quod agitur, cùm facimus, quod in tui commemorationem nos facere pręcepisti: quo in salutem filiorum tuorum nil dulcius, nil potuit prouideri potentius: cum manducantes & bibentes incorruptibile epulū corporis & sanguinis tui, sicut munda animalia tua ab intestino memoriæ cogitandi dulcedine, quasi ad os reducimus: & in novum & perpetuum salutis nostræ effectum nouo semper pietatis affectu ruminantes, rursum suauiter in ipsa recondimus memoria, quid pro nobis feceris, quid fueris passus. Vbi dicis animæ desideranti, *dilata os tuum, & ego implebo illud*: & illa gustans & videns suauitatē tuam sacramento magno & incomprehensibili, hoc efficitur quod manducat, os ex ossibus tuis, & caro de carne tua: vt sicut orasti Patrem iturus ad passionem; hoc Spiritussanctus hic in nobis operetur per gratiam, quod in Patre & te Filio ejus est ab æterno per naturam: vt sicut vos vnum estis, ita & nos in vobis vnum simus. Hæc est, Domine, facies tua ad faciem te desiderantis: hoc est osculum oris tui ad os te amantis: hic est amplexus dilectionis tuæ ad amplexum sponsæ tuæ suspirantis tibi & dicentis. *Dilectus meus mihi, & ego illi: in medio vberum meorum commorabitur.* Et *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea.* Nā si facies animæ nostræ tuam faciem nō requirit: non est facies ejus naturalis; sed bestialis aliqua larua. Quis non requirat eam? Quis non infirmabitur pro ea? Quis non languebit? Quis non deficiet? Quis non morietur? Miserere Domine. Iam post eam mortuus fuisse nescio quali morte; nisi visitatio tua custodisset spiritum meum. E contra inuenit in te inimicus in tempore vultus tui clibanum ignis, peccator partem calicis sui, laqueos, ignes, sulphur, spiritus procellarum: superbus potentiam, qua superbis resistis: hypocrita lucē veritatis, quam odit. Et hi omnes proprijs priuatorū malorum suorum faciebus cauteriatas habentes conscientias, quasi generalem habent faciem malitiæ impœnitentis: & tu excipis eam in facie justitiæ justè judicantis, & odientes justitiā in odio iniquitatis. Quia enim probauerunt, se Deum non habere in notitiam; tradidisti eos, Deus, in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt: quæ turpia sunt ad cōmemorandum ante te; quæ tamen impudenter & irreuerenter fiunt ante te: & de concupiscentijs suis & filiabus earum, & de peccatis, & eorum filijs, & filijs filiorum, nectunt sibi lacrymosam illam duram & longam catenā, de multitudine peccatorum, quasi de connexione ansularum ferrearum suauiter interim stridentem, sed insolubiliter stringentem, per quā trahuntur in infernum; vbi nullus vltra confitebitur tibi, ô Deus: vbi nulla spes, nullus inde regressus. De quibus miror, si positis in inferno scire quoquo modo dabitur, quantum sit bonū te fruendi: quod si aliquo modo datur eis scire, non puto in inferno majus esse tormentū, quàm tua visione carere. Sed heu, heu, qui horribilia commiserunt, horribilia insuper patientur: quia impœnitentibus sanguis tuus Christe non subuenìet; quin potiùs rei judicabuntur sanguinis tui, quem peccando & non pœnitendo conculcauerunt. Hæc est facies furoris tui, quam Propheta pauet, & tremit ad faciem eorum, quos expectat, sicut dicit Apostolus, *terribilis quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Domine Deus, judex viuorum & mortuorum, isti sunt duo greges dexterę tuæ & sinistræ in die judicij tui. Et inter medias sortes has, & cleros hos, sortem mortis & vitæ, perditionis & redemptionis, iræ & gratiæ, vbi parebo? O veritas, veritas, per gloriam & majestem faciei tuæ, ne abscondas eam à me; sed fulgura in me totas ejus coruscationes: vt in lumine ejus videā lumen, scilicet quid facies mea sit ad tuam, quid tua ad meam: vtrum sicut est veritas in te, Iesu, sic veritas sit in me, deponere me secundum pristinam conuersationem veterē hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Omnino enim, ô veritas, quod te quęram, scio: sed vtrum verè quæram, nescio. Hæc est facies mea ad te, magnæ miseriæ meæ, & magnæ cœcitatis meæ. Licet enim consolationes tuæ nonnumquā lætificent animam meam: scio tamen, quis fuerim, modo autē nescio, quid sim.

Osculum sponsi & amplexus.
Luc. 22.
Ioan. 20.
Matt. 9.
Psal. 86.
Hebr. 9.
1. Cor. 11. Eucharistiæ sumptio.
Psal. 80.
Ioan. 17.
Cant. 1. & 2. Psal. 26. Facies Dei quàm sit requirenda.
Rom. 1.
Reprobi catenam sibi nectunt peccatorum.
Carentia visionis Dei damnatorū maxima pœna.
Hebr. 10.
Duæ sortes in die judicij futuræ.
Nescit homo, qualis sit ante Deū.

Vnam pretij à Domino, hanc requiro: vt sicut ad te anxiatur facies miseriæ meæ; sic super me ampliùs & ampliùs illustret se facies misericordiæ tuæ, vsque ad omnimodam consumptionẽ omnis miseriæ & caliginis meæ.

MEDITATIO IX.

Anima discutit, seu in judicium vocat cogitationes suas & affectus.

TAnta, Domine, est in me miseriæ meæ densitas & immẽsitas, vt nec sufficiam eam per partes dispicere: nec totitatis ejus enormem faciem peruidere. Nam ecce sicut solet, caligo ejus me obuoluit: nec ad te Dominum Deum meũ, cui loqui, quem audire desidero, liber est visus, vel expeditus auditus. Sic mihi semper facit, sic à se me rejicit domus propria conscientiæ meæ. Numquid hoc est, *tollatur impius, ne videat gloriam Dei?* Et cùm mentis oculis obtenebratis, palpando quodam modo nitor quo tendebam; lassata & quassata ardentis desiderij intentione, de altis tuis in profunda mea recido; à te in me; à me subtus me: & resolutâ omni conatus mei machinâ, sicut inane quiddam pulveris projectum à facie terræ efficior ventorum ludibrium per phantasmata cogitationum, voluntatũ, affectionum, tot quot vultus hominum, quot horarum momenta, quot rerum vel euentuum incursus vel occursus. Ideo cùm facies bonitatis tuæ super me semper intendat benefaciendo, facies miseriæ meæ stolidam semper terram respiciens sic cœcitatis suæ caligine obuoluitur, vt nec sciat, nec possit coram te apparere, nisi inquantum faciei veritatis omnia transvidentis quomodocumque sit, non potest latere. Propter quod relinquens munus meum ante altare, indignans mihi & excutiens me, surgo in memetipso, & accensâ verbi Dei lucernâ in indignatione & amaritudine spiritus mei ingredior tenebrosam domum conscientiæ meæ; quasi peruisurus vnde tenebræ istæ, vnde caligo odibilis, diuidens inter me & lumen cordis mei. Et ecce quasi quædam muscarum pestis ruens in oculos meos, & pene exturbans me à proprio conscientiæ meæ domicilio. Ingredior tamen sicut in rẽ juris mei; & ecce cogitationum turba tã procax, tam indisciplinata, tam varia, tam confusa: vt discernere eas non sufficiat cor hominis, quod eas genuit. Resideo tamen quasi judicaturus eas. Iubeo eas stare prope me, vt vultus singularum nationesque dignoscam, singulis suum apud me locum daturus. Priusquam perspiciam, priusquam dignoscam, dissiliunt: & aliæ pro alijs se offerentes irridere videntur judicantem. Indignor & irascor mihi. Exurgo quasi seueriùs in eas acturus pro potestate, sicut in regno meo. Adduco mihi, & quasi ad consiliũ assidere mihi facio, quas certas & stabiles aliquando expertus sum, haustas de fontibus Saluatoris: ipse judex, ipse accusator, ipse testis. Secerno in partem immundas & pessimas, quasi indignas audiri, & absque omni judicio damnandas, & debita pœnitentiæ pœna plectendas. Ociosas, odiosas, quasi quasdã muscarum importunitates abigo. Admitto interim quasi rationabiliter audiendas & emittendas, negotiosas vel occupatorias: sua eis tempora, suaque loca distribuens. Quæ dãnantur judicio propriæ conscientiæ, absq; murmure suam suscipiunt sententiam. Otiosæ rem videntes seriò actitari, diffugiunt, vel efficiuntur lentiores; verentes interturbare quæ geruntur. Negotiosæ negligi se videntes, & sicut causis suis cessantibus ad modicũ vtiles, jam prope inter otiosas cõputari se erubescentes, recedunt. Sic ergo discussa aliquantisper cogitationum caligine, conuerto me ad earum originem; ad ordinandam scilicet affectuum disciplinam: & inuenio necessitate solitudinis in quam transfugi, obstructos eis aditus & exitus, in his quæ carnis sunt: quos si inuenirent patentes, confiteor miseriam meam, suspectissimam haberem infirmitatem meam. Sed & princeps eorum amor, per gratiam ejus qui me confortat, vni illi, quam peto, assiduè vacans, omnem eorum turbam sibi redigit in seruitutem: leges dat, modos informat, præfigit terminos, quos prætetire nõ licet. Iam ergo discussâ omni caligine, saniores in te oculos conuerto, ô lux veritatis: & exclusis omnibus, tecum, ô veritas, me includo; & abscondens me in abscondito vultus tui, secretiùs & familiariùs te alloquor: & omnes conscientiæ meæ sinus tibi apetiens, & projectâ veste pelliceâ Adæ, quam ei fecisti ad protegendũ opprobrium confusionis suæ, nudum me sicut me creasti, tibi exhibens, aio. Ecce me Domine, non qualem me fecisti: sed qualem me feci, ex quo à te defeci. Ecce vulnera mea recentia & antiqua: nihil subtraho, omnia tibi expono, & bona tuã, & mala mea. Ad imaginem tuam me creasti: in paradiso tuo me collocasti: in media sorte filiorum tuorum locum nominatum mihi dedisti: ab ipsa pueritia mea impura super me lumẽ vultus tui signasti. Ego de paradiso fugi: pro loco quẽ dederas cloacam inueni, & in ea me obuolui. Signaculum vultus tui affectu semper tenui, sed opere abjeci: quia sequẽdo cõcupiscentias meas & vanitates cordis, adolescentiam meã perdidi: & pene viam canis ingressus sum. Semper autẽ spiritus meus te dilexit: etiã cùm caro neglexit. Cùm ab his fugerem, ad te confugi: & tu de sæculi voragine me extraxisti: fœdus tecũ pepigi: juraui & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Et tu misericordiæ tuæ sinum mihi aperiens, in eũ me collegisti: in quo cùm suauiter quiescerem, diem hominis vidi & concupiui. Et emisisti & nolentem & volentem: sed tamen me à te non dimisisti. Si obliuiscebar aliquando Dei mei, & si extendebam manus meas quò non debebam: statim interiùs omnia ossa animæ meæ baculo disciplinæ tuæ confringebant secreti cõscientiæ meæ tortores: exteriùs verò supra dorsum meũ fabricauerunt peccatores. Sic cadentem, resurgentem, morientem, reuiuentem, multo me tẽpore sustinuisti & sustentasti. Cùm ad vltimum & corpore deficerẽ & mente, & de ventre inferi clamarem ad te, statim mihi adfuisti: porrexisti manum, de lacu miseriæ me eduxisti. Restituisti me in antiquum; & ampliorem quàm priùs salutaris tui lætitiam mihi reddidisti. Sic fui Domine, sic sum: en totus tibi adsum. Mala mea quæ patent, nec te nec me latent: sed sunt plura quæ me per cœcitatem meam vel obliuionẽ latent, quæ tamen tibi patent. Si bona in me vlla, incorrupta nulla, quia plura mihi præripuit inimicus: vel si hoc non potuit, quouis modo corrupit: quamvis plura ego mihi, quàm inimicus. Ecce coram te facies mea, cujus nomen est miseria, ad faciem tuam, ô summa misericordia. Angulos ejus occultos & recessus non tibi occulto; tu scis ô veritas; & precor te, vt coram te hoc sit veritas. Nullum enim sic timeo sicut me-

Isaia 26.

Inania cogitationum phantasmata.

Cæcitas cordis humani.

Cogitationes in judicium vocantur.

Describitur hic fuga sæculi, & conuersatio in monasterio.

ipsum: ne vel sciens vel nesciens decipiam meipsum. Numquid non credo te, non credo tibi, non credo in te, Deus meus? Non irrideant me diffinientes fines & terminos fidei meæ: corde, ore, manu, scripto, tibi offero, lux veritatis: scilicet voluntarium & plenum credendi assensum in omnibus quæ de te credit Ecclesia Catholica. Hos fidei meæ fines, si sufficiunt, imple: si minus sunt, supple. De spe autem cōfidenter dico: quia non verè credo, si aliud spero, quàm quod credo. Te credo, te spero: te mihi da, aliud non quæro. Sed non spero, si non amo; nec amo, si non spero. Ideo Pater, quia miserè amo, languidè spero. Sicque dum quod supercreuit de radice fidei, marcescit: ipsa etiam radix lentescit. Credo tamen adhuc te, & spero, & amo, ô vita æterna. O patria, patria, quàm de longè te video & saluto: vbi mala nulla, bona omnia. De malis scio, quòd ibi non sint mala, quæ me perfectè docuit longa & tædiosa experientia: de bonis verò quæ ibi sunt, inquantum longè est experientia mea, intantum peregrinatur ab eis scientia mea. Miserere Domine, ecce cucurri & direxi: exurge in occursum meum, & vide: notum fac mihi finem meum, & numerū dierum meorum, qui est, vt sciam quid desit mihi. In fide tua sto, in spe proficio, de amore tuo pauper assisto & mendicus. O amor, ô ignis, ô charitas, veni in nos. Esto dux & lux, ignis ardens & cōsumens in pœnitentia peccatorum: paracletus, consolator, aduocatus, & adjutor in causis orationum nostrarum. Ostende nobis quod credimus: insinua quod speramus; fac faciem, quam faciei Dei comparemus, vt dicamus. *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea.*

Psalm. 58. & 38.

Psal. 26.

MEDITATIO X.

Incarnationis & passionis Christi consideratio.

Galat. 6.

MIHI *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Ad crucifixum meū conuersio mea. Crux ejᵘˢ gloria mea, qua frons mea insignitur, hilarescit mens; dirigitur vita; mors amatur. Non despiciant me Domine, super hoc, qui merentur videre te sedentem super solium excelsum & eleuatum diuinitatis tuæ, & majestate tua replentem omnem terram: quia & ea quæ sub te sunt humanæ dispensationis mysteria, omnis contemplationis replent templum, cujuscumque sit magnitudinis. Habeant sancti Angeli tui in cœlis gloriam suam: sed nonnumquam communicent etiam nobis in terris gratiā suam: quia & de nostris adhuc proficere amat, & dulce habet beata eorum perfectio, cùm, sicut dicit Apostolus, *innotescit principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Propter quod ignoscat nobis Domine, etiam in hoc, si amor tuus eò aliquando nos abducit, vt desideremus videre cū eis, quod cum eis amamus: quibus nos plena charitate gratulamur, videntibus, quod adhuc videre nō meremur. Contemplentur feliciter in sapientia tua diuinitatis tuæ majestatem: quæ ante mediū nostrum & post inspecta, totum quicquid illud est, præteriti vel futuri, intra præsens æternitatis suæ includens, attingit à fine vsque ad finem fortiter: media autem nostra, quæ sunt humanæ dispensationis tuæ, charitate constrauit: disponens omnia suauiter, propter filias Ierusalem, deuotas, sed infirmas adhuc animas: quæ ad cōtuenda sublimia illa nondū habentes exercitatos sensus, amant affici circa humilia tua; & resolui, sicut circa similia sibi. Inter quas meum quoque spiritum Domine, docebit aliquando, te, qui spiritus es, adorare in spiritu & veritate; carne jam aduersus eum non concupiscente, vel lentiùs id agente. Sed nunc interim, quia non potest in ea quæ tua sunt, sic fortiter expediri, sicut ei expedit: dispones ei quæ sua sunt, sic suauiter, sicut ei competit. Cùm enim sensualis imaginationis meæ rudimenta necdum supergressus sim: permittes & gratum habebis, ipsa mentis imaginatione circa humilia tua, infirmā adhuc animam meam suam indolem exercere: scilicet nascentis amplecti præsepia, & sanctam adorare infantiam: pendentis in cruce lambere vestigia: tenere & deosculari pedes resurgentis: mittere manum in loca clauorum, & exclamare, Dominus meus, & Deus meus. Et in his omnibus, sicut dicit Iob, visitans speciem meam non peccabo: cū orabo & adorabo, quod imaginando videbo, quod audiā, quod manus meæ contrectabunt de verbo vitæ. Audacter enim dicam, in suaui dispositione sapientiæ tuæ hanc ab æterno prouisam nobis gratiam; & de præcipuis Incarnationis tuæ causis hāc apud te fuisse non minimam, vt parvuli tui in Ecclesia tua lacte adhuc indigentes, & non solido cibo, nec spiritualiter, & tuo te modo cogitare præualentes, haberent in te non ignotam sibi formam, quam in sacrificio orationum suarum proponerent sibi absque fidei scandalo: non sufficientes adhuc intueri in claritatem illam diuinæ majestatis tuæ. Quapropter etsi jam te non nouimus secundum carnem: secundum hoc tamen quo glorificatus sedes in dextera Patris in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò præ illis differentius nomen hæreditasti; ipsam carnem nostram, quā non abjecisti, sed glorificasti, quæ est scabellum pedum tuorum, oramus, adoramus, obsecramus; David nos ad hoc exhortante, & dicente. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Et ô beatum illud Sancti Spiritus templum, de quo exaltatum in cruce Christum nulla exterminat obliuio; & recens semper decurrit sanguis in salutem credentis & amantis: & jugiter operatur, quod postulat Propheta. *Redime me, & miserere mei.* Toties enim redemptionis nostræ in nobis celebratur effectus: quoties eam recolit supplicantis affectus. Sed quia neque hoc possumus, vt volumus, ideo adhuc amplius audentes, proponimus nobis formam passionis tuæ; vt habeant etiā oculi carnis, quod videant, cui inhæreant: non adorantes picturæ imaginem, sed in imagine passionis tuæ veritatē. Cùm enim attentiùs respicimus in imaginem passionis tuæ; silente ipsa, videris nobis dicere de cruce. Cum dilexissem vos, in finem dilexi vos. Mors & infernus mordeant me in mortem suam: comedite vos amici, & inebriamini carissimi in vitā æternam. Sicque crux tua linteum illud nobis efficitur, quod beato Petro ostensum, & quatuor initijs demissū de cœlo; in quod omnes intrantes, & munda & immunda animalia, in cœlum nos leuari gratulamur, in quo & mundamur, qui sumus immundi. Mediante nāque imagine passionis tuæ, Christe, cogitatum à nobis circa nos bonum tuum repente nos transfert in summi boni affectum. Cujus faciem in opere salutis tuæ das nobis videre: non jā quasi humano conatu exorta intelligentia, & trementibus oculis mentis, & refugientibus lucem tuā:

Crux gloria nostra.

Crucis signum.

Ephes. 3.

Infirmi, humilia Christi contemplantur.

Vna ex præcipuis causis Incarnationis.

Psal. 98.

Psal. 25.

Crucifixus Christus quid nobis dicere videatur.

Crux Christi linteum est Petro ostensum.

sed placido amoris sensu, & bono vsu videndi & fruendi suauitate, sapientiâ tuâ quæ nostra sunt disponente nobis suauiter. Laborat enim, qui ascendit aliunde. Qui verò per te intrat, ô ostium, per planum graditur, & venit ad Patrē; ad quem nullus venit nisi per te: nec jam laborat in intellectu supereminentis scientiæ: sed totus resolvitur in suauitate bene affectæ conscientiæ. Et abundantiore fluminis impetu lætificante animam illam, videtur sibi videre te sicuti es, dum de mirabili passionis tuæ sacramento cogitandi dulcedine ruminat bonum tuum circa nos, tantum, quantus ipse es, vel quod ipse es: videtur sibi videre te facie ad faciem, cùm summi boni facies appares ei in cruce & opere salutis tuæ; & ipsa crux efficitur ei ad Deum facies mentis bene affectæ. Quid enim meli⁹ præparatum, quid suauius potuit esse dispositum, quàm quod ascensuro homini ad Deum suum, offerre dona & sacrificia secundum præceptum legis, non sit ei ascendendum per gradus ad altare ejus; sed per planum similitudinis, placidè & pede inoffenso eat homo ad hominem similem sibi, in primo ingresso limine dicentem sibi, *Ego & Pater vnum sumus*: statimque per Spiritum sanctum affectu assumptus in Deum, & ipse Deum in seipsum excipiat venientem, & mansionem apud eum facientem, non tantùm spiritualiter, sed etiam corporaliter per mysterium sancti & viuifici corporis & sanguinis Dñi nostri Iesu Christi? Hæc est, Domine, facies tua ad nos, & nostra ad te, plena bonæ spei. Indue me hoc salutari tuo, & forma mihi hanc faciem Christi tui: quia impossibile est, vt avertas eam, quotiescumque in sancto tuo apparuerit tibi. Vade, ô homo, quicumque thesaurum istum absconditum inuenis in agro cordis tui; vende omnia quæ habes, & temetipsum in servum perpetuũ, vt possideas eum jure hæreditariæ possessionis: & beatus eris, & bene tibi erit. Thesaur⁹ in possessione tua: Christus in conscientia.

Ioan. 10.

Christus corporaliter nobiscum manet in Eucharistia.

MEDITATIO XI.

Cæcitatem suã exponit, cupiens à Deo illuminari, & pastorale onus abdicare.

DEVS *Virtutum converte nos; & ostende faciem tuã, & salui erimus.* Cùm enim ex munere gratiæ tuæ Domine, ad ea quæ carnis sunt faciem cordis non habeam, sed posueris ea mihi dorsum: mundum, & quæcumq; ejus sunt, posueris mihi deorsum: quid est obsecro, quod in toto corde exquirens te, cùm faciem tuam apprehendisse me gratulor, quam solã facies mea desiderat, repente me inuenio seorsum? Cur eã abscondis? Numquid arbitraris me inimicum tuum? Num consumere tu me vis peccatis adolescentiæ meæ? Numquid ego non sum ad te conuersus: vel tu adhuc es à me auersus? Si nõ sum conuersus; Deus virtutum converte me. Si tu es auersus, Deus virtutum conuertere. Et iterum. *Conuertimini ad me: & ego cõuertar ad vos.* Tu scis donum gratiæ tuæ in corde pauperis tui: paratum cor meum Deus, paratũ cor meũ. Præcipe quod vis: fac me intelligere quod præcipis: da posse, qui dedisti velle: & fiet in me vel de me, quidquid vis. Vt faciam voluntatem tuã Deus volui: & legem tuam in mandatis amplector in medio cordis mei. Sed est alia lex tua immaculata conuertens animas: sed nescio eam Domine: latet in abscondito vultus tui, quo ego ingredi non mereor. Si semel dares mihi sic intrare illuc, vt viderem eam, calamo scribæ velociter scribentis Spiritus sancti tui transcriberē eam super cor meum dupliciter & tripliciter; vt haberem quò recurrerem; & intelligens opera mea, ambularem deinceps simpliciter & confidenter. Nunc autem sum sicut cœcus palpans in meridie: quocumque assensus mei tendo pedem laqueum timens & ruinam. Et sicut cœco dicitur mihi, huc vel illuc, hac vel illac: ego verò sicut qui non videt, neque huc scio, neque illuc, neque hac neque illac. Emitte mihi Domine, lucem tuam & veritatem tuam; ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Dicis mihi, ego sum via, per quam ibis; veritas, ad quam ibis; vita, propter quam ibis. Et quo eundum sit scitis: & viã scitis. Et ego Domine, nescio quo vadam: & quomodo possum viam scire? *Tenuisti manum meam: & in voluntate tua deduxisti me.* Tenuisti manum meam, cùm tuam cœco porrexisti; clamanti post te & ploranti, & dixisti. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos.* Quo audito in viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatares cor meum. Veni ad te, paratum tibi offerens cor meum Deus, paratum cor meum, & dicens. Quid me vis facere? Et dixisti mihi. Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me. Abij, cucurri, vendidi omnia quæ habui; ipsum corpus meum, ipsam animam meam: pauperibus nihil dedi, quia nihil habui. Et tibi Domine, vendidi, quæcumque habui: & pretium meum tu es. Tu scis, quia nihil mihi retinui: vel si effugit me aliquid, & latet adhuc in abdito aliquo cõscientiæ meæ, exquiram illud, & fideliter offerã tibi. Sed cùm quæro à te pretium: tu imputas mihi delicta juuentutis meæ, antiquũ debitum. Obsecro Domine, patientiam habe in me: non habeo vnde reddam tibi. Hucvsque veni, hic sto, procedere non licet. Sedens ergo secus viã transeunte te, cœcus, pauper, medicus, clamo ad te. *Fili Dauid, miserere mei.* Et turbæ opprimunt faciem meam; & increpant vt taceam. Ego verò multò magis clamo: miserere mei fili Dauid. Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meę: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum vivũ: tu verò clamantem pertransis. Aliquando stas mihi, sed ad modicum. Iubes me venire ad te: & dicis mihi. *Quid vis faciam tibi.* Ego verò & omnia ossa mea dicunt tibi. *Domine, vt videam.* Tu verò pertransis. Miserere mei fili Dauid. Sequi te non possum, quia cœcus sum. Miserere mei. Habui ex te quantulamcumque rationem, quæ me adduxit ad te: non habeo virtutem, quæ me faciat currere post te. Miserere mei fili Dauid. Miseremini mei, saltem vos Domini mei, serui Dei mei; & dicite ei. *Dimitte, eum, quia clamat post nos.* Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: multum incola fuit anima mea in domo tenebrarum. Quid feci? Dominus est: faciet quod bonum est in oculis suis. Sedebo secus viam. Viam non derelinquam. Redibit aliquando forsitan sine turbis: & videbit non videntem, & miserebitur. Adest enim bonum verbum ejus in corde meo dicens. *Expecta Dominum, viriliter age; & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Congregamini ad me interim, anima mea, & omnia quæ intra me sunt: & sermo Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionē

Zachar. 1.

Vbique timendus est lapsus.

Psal. 72.

Matt. 11.

Exitus auctoris de seculo hic describitur.

Matt. 15.

Luc. 18.

Matt. 15.

Psal. 26.

animæ & spiritus; compagum quoq; & medullarum: & discretor cogitationum & intentionũ cordis: & non est vlla creatura inuisibilis in cõspectu ejus; omnia autem mea nuda & aperta sunt oculis ejus. Ad ipsum nobis sermo. Dixi Domino, Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meæ. Mittamus sortem, cujus peccato malũ hoc acciderit nobis: vt auertat Deus faciem suã à puero suo. Sententia sortis meæ, inuētio Deus, veritatis tuæ. Viuit Dominus, quia si dextera manus mea, si oculus, si pes, scãdalizauerit me, non parcam ei: sed amputabo eum, & projiciã à me. Dic mihi, ô Verbum Dei; nũquid non bonum est, quod feci, credens tibi: quòd relictis omnibus secutus sum te? Omnes cogitationes meæ, & intentiones cordis, anima & spiritus, compages & medullæ respondent, quia bonum est. Addo quærere. Numquid etiam bonum hoc non bene factum est? Submurmurant cogitationes: & loquendi acceptâ licentiâ aiunt. Dixit Dominus Petro. *Petre amas me? Respondit. Tu scis, quia amo te. Pasce oues meas.* Et hoc tertiò, vt funiculus triplex sententiæ hujus non facile videatur rumpendus: quia pastio gregis probatio est amoris. *Intentiones.* Pastor, & qui non est mercenarius, etiamsi pro grege animam suam posuerit, vix ei sufficit. Sed grauissimum est ei præesse, vbi non potest prodesse. Fuerit aliquãdo, vt rex Dauid sic infirmus corpore, vt lecto decumberet; sic senio frigens, vt vestibus calefieri non posset; de lecto solo verbi imperio populum Dei regeret: & oculi totius Israël de omnibus in eum intenderent. Nondum sic fascinatio nugacitatis obscurabat bona: nondum sęculi senescentis dura nequitia sic incalluerat: vt senibus emeritis non seruaretur sua reuerentia. Nunc verò cùm Pastoribus Ecclesiæ incumbat pascere gregem Domini in corpore simul & anima: de anima autem maximè Deus requirat, dicens, *Primum quærite regnum Dei:* de corpore autem quasi secundariò securos faciat, subjungens, *Et hæc omnia adjicientur vobis:* quis hoc hodie audiat prædicantem? Quis parcat seni? Infirmo quis ignoscat? Prudentia carnis, spiritus hujus mundi, curiositas, vrbanitas, & alia hujusmodi à magistris Ecclesiæ hodie requirũtur: irridetur simplicitas, religio despicitur, humilitas nullius momenti est. Et si sufficere videtur adhuc vtcumque qui præest ad subministrãda interiora, cui hoc hodie sufficit, nisi sufficiēter abundent etiam exteriora? Et vtinam terminos suos sufficientia cognosceret. Propter hoc væ nobis: quia peccauimus. Propter hoc, sicut dicit Propheta, *Ægypto dedimus manus, & Assyrys; vt saturemur pane.* Nam contra Apostolum, *serui facti sumus hominum* raptorum, fœneratorum, filiorum alienorum in hoc sæculo abundantium. Si non hujusmodi hominibus ad nutũ hodie qui præest obsequatur: si sæculo huic sic formato non conformetur: nisi hominibus impositis super caput suũ adule tur: subditis, multa simulando, dissimulando plurima, non blandiatur: quid faciet? Quid poterit? Vbi parebit? Hodie enim plane obsequium vix paucos, ipsosque labiles & volatiles parit amicos: veritas manifestos & crudeles, & pertinaces inimicos. Sed sit hoc interim animas ponere pro fratribus: sit sagorum ciliciorum exteriùs pati molestias aëris hujus: vt in decore suo intrinsecus permaneat domus Dei. Sed vtinam non perueniat gladius ad animam. Nam fascinatione nugacitatis & instantia concupiscentiæ obstupuimus, & indurata sunt corda nostra: & facti sumus Effraim vitula docta ad trituram. Sic enim à nobis recessimus: sic in ea quæ erant necessitatis transiuimus per affectum cordis: vt quibus id agere incumbit, solo vsu agendi, in eis quæ pati pudori est & horrori, delectemur: quinetiam ambiant ad hoc, quibus non imponitur. Vbi est hodie querela Marthæ, quòd sola dimittitur ministrare? Nonne hodie Mariæ potiùs murmur totam replet domum, quòd permittitur ad pedes Domini sedere? Propter quod & corpore periclitantes & animâ, per longam militiam & vires longo laboris vsu attritas, fas est, vt æstimamus, jam ad manus regiæ munificentiæ respicere, vt senectutem nostram jam patiatur vocari emeritam; & largiatur ei melius, quàm ipsa sibi conscia sit se esse promeritã. Semper Iacob Liæ suæ lippitudinẽ sustinebit? Semper seruiet pro Rachel; & numquam eam adipiscetur? Quinetiã omnia quæ peribant, ab eo exigebantur: cùm quotidie mutarentur mercedes ejus, vt nigra pro albis acciperet. Intus vxores zelantes, foris Laban cum filijs jurgantes. Oportet Iacob aliquando prouidere etiam domui suæ: justumque videtur, vt saltem senescens & defectus in domum patris sui redire permittatur.

Compages. Si sic res agi incipit, finis est. Compago enim totius corporis dissoluitur; & pereunte vnitate necesse est vt partes fiant; & diuisum regnum desoletur; domusque super domũ cadat. Sapiens paterfamilias peregre proficiscēs, & ordinans domum suam, vnicuique seruorum data potestate cujusque operis, janitorē posuit in limine. Domus sine janitore publicum est diuerticulum. Qui vult intrat & exit, infert & tollit. Domus Ecclesia est: ipse janitor qui janua, Christus Iesus. Qui per eum non intrat vel exit, fur est ascendens vel descendens aliũde. Ipse obediens factus est Patri vsque ad mortem. Qui hanc obedientiæ regulã non tenet, à Christo recessit: sicut dicit Apostol⁹. *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt non fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis.* Nullum senectus, nullum infirmitas excusat: donec qui induxit, ipse educat. Alioqui si sit janua absque janitore, & patens omnibus; quid restat, nisi vt sicut exeundi, sic etiam & intrandi sit par & æqua licentia?

Medulla. Heu, heu, in circuitu impij ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti, ô Deus, filios hominum. Acti enim in circuitu erroris, quadã capitis vertigine obstupescimus: vt ad veritatis centrum & vnitatis punctum immobile non pertingamus, quod stabile permanens dat cuncta moueri. Ipsa est veritas. Ipse est qui dixit, *Ego sum veritas.* Et. *Cognoscetis veritatem: & veritas liberabit vos.* Vtique à circuitu erroris. Consulamus ergo centrum veritatis: vtrùm ab ipso & per ipsum ducatur circuitus, in quo rotamur. Legibus quidem ejus, si bene ducitur in rectum, sibi concurrit: sin autem, error manifestus est. Considerentur affectus & actus. Affectus figatur in centro veritatis: & conuenienter sibi respondebit exterioris actus orbiculata rotunditas. Totus quippe affectus debetur Deo. Cui cùm fideliter adhæretur, quaqua rotetur circulus operationis, errare non potest à

Marginalia: *Ioann. 21.* — *Matt. 6.* — *Mores sæculi corrupti.* — *Thren. 5.* — *1. Cor. 7.* — *Prælati quot difficultatibus prepediti.* — *Statuit pastorale onus abdicare.* — *Ecclesia domus est, cujus janitor Christus.* — *Hebr. 12.* — *Ioa. 13. & 8.*

recto, sed bene sibi concurrit: vt in omni parte æquè respondeat ad centrũ veritatis. Et potest esse punctum sine circulo: circulus autem nullatenus bene duci potest sine puncto. Sufficit enim affectus, si res non exigit, vel possibilitas deest, vt exerceatur actus. Cùm enim actum exigit necessitas charitatis, debet eum, siue Deo, siue proximo, veritas charitatis; si non exigitur, habere nos debet vacãtes sibi charitas veritatis. Et sicut semper debetur Deo totus affectus: sic tunc ei debetur etiam totus vacantis actus. Et vbi non expostulat necessitas proximi, qui de affectu vel actu aliquid extrinsecus à Deo dissipat: committit rem sacrilegij. Sed & quemcumque expostulet necessitas: non sic prompta debet esse ejus voluntas, vt non discutiatur possibilitas. Quæ vtrum sit, an non: centrum veritatis in veritate consulendum est. Si non est, & præsumit, non inhæret centro; ideoque orbis exterioris perfectionem confundit. Nam sunt, qui stabilitatis puncto numquam amant inhærere, sed semper foris orbiculari. Hi sunt impij, qui in circuitu ambulant: hi sunt filij hominũ, quos cùm altitudo judiciorum Dei in hoc sæculo multiplicat, vel multiplicari permittit: vnitatis & veritatis efficiuntur inimici. Hic est finis. Si verè potest, qui expostulatur, in veritate figat affectum, nec recuset seruitutis actum. Si consulta veritas insufficientem eum respondet, & non idoneum; vacet interiùs stabilitati veritatis; ne exteriùs positus vt rota, mittatur in præcipitium erroris. Tamen quem consulta veritas absoluit, si expostulante necessitate absque timore magno de possibilitate sua judicat in fauorem propriæ voluntatis; magnus eum error inuoluit. Nam si scienter errat: & in proximum reus est negligentiæ, & in veritatem fallaciæ: & jam nec actum habet, nec affectum. Non errat adeo, si errat nescius: sed errat omnino, si est securus. Non autem penitus alienus est à veritate, qui judicium veritatis non reformidat. Propter quod intraturi in judicium veritatis, breui & fideli compendio deuitemus omnes anfractus erroris: & quia forsitan volumus non posse; vt quasi in judicio veritatis non inueniamur mendaces, mendaces nos confiteamur secundum judicium propriæ voluntatis; & super hoc & affectu & actu petentes indulgentiã; in judicio veritatis magis apparebimus veraces. Non enim dolosè nobis agendum est in cõspectu veritatis; vt inueniatur iniquitas nostra ad odium.

Quando proximo vel nobis vacare debeamus

Spiritus. Assentio. Et hæc verè est medulla & centrum veritatis, morbum non palpare; sed exulcerare totum virus interioris nequitiæ.

Anima. Sic est. Sicut enim olim delectabat me præesse; sic voluntatis est nunc subesse: & propria voluntas mea gratam mihi efficit necessitatis excusationem: & attendere me non permittit fratrum necessitatem.

Spiritus. Licet ô anima necessitatis fratrum plena non desit compassio; sic tamen vt dicis, tua est affectio. Ideo nil restat, nisi confessio humilitatis, & omnis conatus virtutis: vt quomodocumque infructuosi & inutiles appareamus exteriùs; interiùs non omnino inanes inueniamur & steriles. Et licet turbæ opprimant os nostrum: toto corde, tota mente clamemus; *Iesu fili Dauid, miserere mei.*

MEDITATIO XII.

Confessio peccati, & desiderium amandi Deum hic exprimitur.

DOMINE *exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua justitia.* Domine, qui prope es omnibus inuocantibus te in veritate, sicut Scriptura veritatis tuæ nobis promittit: sicut veritas est coram te, voluntatem mihi esse inuocandi te in veritate hodie: sic ô veritas, exaudi me in multitudine misericordiæ tuæ. Nam dixi, nunc cœpi: sit hæc mutatio tua, ô dextera excelsi. In malis enim meis præteritis & peccatis quæ magna sunt, & innumerabilia, in quibus inueteraui, factus sum mihimetipsi vilis & despectus: in bonis, siqua in me visa sunt fuisse, scrupulosissimè ipse mihi sum suspectus. Venio igitur hodie ad te, quasi mortuâ totâ vitâ præteritâ, in te, ô principiũ nouę vitæ, facturus principium. Siqua bona feci, tua sunt, tibi ea consigno: tu redde ea mihi in tẽpore beneplaciti tui. Mala quæ gessi, mea sunt; heu quot & quanta sunt; quæ ex maxima sui parte à memoria mea perierunt; vtinã & à tua congrua ea deleat pœnitẽtia: quæ pro sui horrore longè aliter memoriæ meæ affixa sunt, quàm vt ea abolere vlla possit obliuio. Quorum tamen sic odi memoriam, vt sæpe velim funditus, olim oblitum fuisse omnia. Sed tu Domine delicta juuentutis meæ ne memineris: fuerunt hæc primogenita Ægypti, quæ in Ægypto peremisti: & quæ feci in Ægypto, in Ægypto dimiseram, cùm inde exiui. Longo enim tempore per desertum postea circumduxisti me, & docuisti, & custodisti vt pupillam oculi: corripuisti peccantem; consolatus es dolentem; erudisti nescientem; donec jam prope ad introitum terræ repromissionis perduxisti. Vbi cùm sto, te monstrante contemplans delitias terræ viuentium, & recordor, quod Moysi dictum est, *Videbis eam, & non intrabis:* totus horrore concutior. Si enim hoc ille audire meruit ob vnius peccati excessum; quid auditurus sum ego, qui tot & tanta peccata mea hodie ipse coram te delaturus sum? Omnia tamen hodie, & quæ memoria teneo, & quæ non; mala mea præterita, & merita eorum non præterita, sicut coram te sunt, ô veritas, etiam me tacente, sic hodie coram te veniant me confitente. Sed proferantur quasi in fasciculum vnum ad comburendum: imò in fascem grandem, & importabilem: si non est qui adjuvet. Non discutio ea, non dinumero, nec enim possum: sed quantũcumque vel quomodocumque verũ est, me coram te peccasse, ô veritas; sicut me scis peccatorem, sic me esse confiteor. Nullus mihi ea leuiget, nullus exaggeret: nullus minuat, nullus multiplicet: nec egomet mihi. Coram te enim Deus, res agitur. Non parcã mihi: tu parce Domine. Verumtamèn non sic parcas, vt ex hac die arbitreris me inimicum tuum; & scribas contra me amaritudines ad consumendum me in peccatis præteritæ vitæ meæ. O custos hominum, ne ponas me vlteriùs contrarium tibi, in quo nimis factus sum mihimetipsi grauis: sed tolle peccatum meum, quod dividit inter me & te. Si ignoscis Domine, ignosce: si placet tibi vlcisci, & ego vlciscar tecum. Verumtamen plaga inimici ne conteras me. Quoniam ego in flagella manus tuæ paratus: & dolor meus erit in conspectu tuo semper. Quoniam iniquitatem meã

Psal. 142.

Iusto suspecta sunt sua opera.

Peccata juuentutis primogenita Ægypti.

Deuter. 34.

annunciabo & cogitabo me pati pro peccato meo. Non enim credo me manibus inimici: sed cum omni fiducia tuis me committo, quas crebrò expertus sum. Quare cùm vna me percutit, altera blanditur: cùm vna dejicit, altera supponit se, ne collidar. Sed aliquandò etiam super iram inimicorum extendis manum tuam, grauiùs feriens quam quilibet inimicus, cùm iratus auertis à nobis faciem tuam; & fit nobis cœlum æneum, & terra ferrea: & dura omnia, & mala omnia, quæ fieri solent in auersione vultus tui. Propter nomen tuum Domine, in hoc parce seruo tuo. Quantum vis flagella; dum semper illumines vultum tuum super nos, & miserearis nostri. Verumtamen Dominus vltionum es, liberè agens in remittendis eis vel leuigandis. Declinasti enim in te mala nostra: & in passione tua exoluēs quæ nō rapuisti, parasti in judicio thronum tuum: vt injustè judicatus justè judicatos absoluas in tua justitia. Iudicia ergo tua Domine adjuuabunt me: & aspicies in me secundum judicium diligentium nomen tuum, sicut judicasti aliquando de peccatrice te amante. *Dimittantur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.*

Luc. 7. Amor Dei peccatoris patronus.

Ipse amor tuus sit mihi hodie in causa mea patronus: quem si negauero in terra, timeo ne & ipse me neget in cœlis: si erubuero, & ipse me erubescat. Quem profectò erubesco: quia sicut debeo, non habeo. Et quia hodie iudicij mei dies est, in hoc etiam, ô Iudex cordis mei, judica me hodie; & discerne causam meam: vtrùm verè patronum habeam, quem prætendo. Hoc est enim, in quo sic caligat mentis meæ intuitus; vt penitus hæsitem, an videat mihi videre, quod non videam: an non videre, quod videam. Certissimus quippe mihi esse videor, quòd amorem tuum semper amo: intantum vt afficiar quotiescumque de eo vel admoneor, vel recordor. De te autem, semper cùm recordor, vel admoneor, & non moueor, non afficior; timeo, quia forsitan non semper te amare conuincor: cùm vbiq; & vndique verberent vel excitent in hoc stoliditatem sensuum meorū signa præsentissimæ potentiæ & bonitatis tuæ. O lux veritatis, disjice mihi hodie tenebras istas, & dissolue caliginem. Ciba me in hoc pane vitæ & intellectus: & pota aqua sapientiæ salutaris. Etenim in intelligēdo quæ tua sunt, & cibus est & potus: quia sunt in quibus tenendis & quasi masticandis exercemur & laboramus: quædam autem quasi potus, sicut sunt transeunt, & suo modo nos reficiunt. Cùm enim amorem tuum per intellectum quærimus, & nonnumquam inuenimus, ipse est panis vitæ confirmans cor hominis: quem sæpe cum magno labore quærimus, priusquam habeamus: quem in pœnam peccati Adæ vescimur in sudore vultus nostri. Aliquando verò Spiritus tuus vbi vult, & quando vult, spirat, & amoris tui gratiam nobis aspirat: vocem ejus audimus, quia sensum amoris accipimus: sed nescimus ex quo misericordiæ tuæ judicio veniat: & quo justitiæ tuæ judicio aliquando dulciùs, aliquando leuiùs quasi salutatos, nos pertranseat. Ipse est pot'. Ciba me hodie pane tuo, qui dat mundo vitam: & de his quæ de amore tuo quæro, & solidior mihi detur intellectus: & gratiæ tuæ suauitate, sicut potu salutari, cibum ipsum ordina & modifica: ne minùs capacem sensum meum lædat potiùs quàm confortet cibus solidior. Quæro Domine, vtrum habeam amorem tuum. Si inuenero me habere; hoc est in quo solo laudatur anima mea, & placet mihi: sin autem, odio est mihi: & nihil est quod amē, cùm meipsum oderim. Sentio & confiteor habere me amorem amoris tui; intantum vt omnino nisi in ipso vel propter ipsum nil amare velim, nec meipsum: cujus faciē vt plenè mererer inspicere, in cujus lumine vt manifestè mererer ambulare, & frui ejus delitijs, non curarem penitus, quomodo pro ipso vel in mortem vel in vitam darem meipsum. Hæc est conscientia mea coràm vocata, & discussa in lumine veritatis tuæ, intrepidè mihi de amore amoris tui videtur respondere. De te autem, vtrum semper te amet, & satis amet, respondere trepidat in judicio tuo. Amorem quippe tuum vbicumque in quocumque videro, & signa ejus euidentia, totus hilaresco: tuæ verò bonitatis vel potentiæ præsentiam cùm semper omnia mihi vndique testentur: vix in hoc aliquando moueor. Vnde si quæras hodie à me, quod olim à B. Apostolo tuo quærebas, *amas me*, respondere trepido, *Tu scis quia amo te*: sed alacri & secura conscientia respondeo, tu scis, quia volo amare te. Reuela Domine oculos meos: & considerabo mirabilia hæc de lege tua, de lege amoris tui. Forsitan ideò videor mihi amare amorem tuum, quia aliquoties cogitans de te vel de eo, aliquatenus sentio, video, sapio eum: te verò non sentio, vel vix sentio; non video vel vix video; rarissimè & parcissimè sapio. Difficile verò res amatur, quæ per semetipsam non innotescit amatori suo. Nā crebra & magna beneficia tua, & ipse amor tuus quem certissimè amo, mittunt me ad te: sed cùm te non inuenio, recido in eum, & in eo non sine spe requiesco. Nam cùm amore tuum subsultet sensio affectu, te autem quæro ipsius amoris intellectu; amo quod sentio, desidero quod quæro; & in desiderando languens deficio. Nam etsi aliquando dono tuo modo meo afficitur ipse intellectus; non permittitur glutire totam saliuam gustus boni; sed quasi de ore ei aufertur, & recidit in famem & ignorantiam suam; nec permittitur stare in lumine vultus tui, donec in eo discernat & finiat hæsitationis hujus molestiam. Cumque in meditatione mea exardescit ignis, & scire laboro, quid sit mihi, & quid desit mihi; ordior mihi viam ascendendi ad te; postulans in hoc auxilium abs te. Dispono ergo in corde mihi ascensiones istas. Primùm necessaria videtur voluntas magna; deinde illuminata, deinde affecta. Hæc in omni ascendente primùm est magna, secundum posse suum; illuminata, secundum donum tuum: affecta, secundū modum tuum. Magna, quantam eam creasti; illuminata, quantùm dignam fecisti: affecta, sicut eam formasti. Formasti autem sine forma: quia cùm tu nec forma sis, nec formatum quid; nec etiam amoris tui aliqua forma esse potest, vt formetur circa aliquid quasi formatum. Ipse est enim sapientia, de qua dicitur. *Vapor est virtutis Dei, & emanatio quadā claritatis omnipotentis Dei sincera*: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius: propterea non eum apprehendimus cùm volumus; & nisi ipse prior ad nos veniat, & nisi gratia ejus nos præueniat, parum aut nihil nos promouet conatus quilibet nostri intellectus. Nam quod dicit Apostolus, *in forma Dei*,

Qui Deum non amat, odit seipsū.

Amorem amoris Dei nobis inesse sentimus.

Ioann. 21.

Amare amorem Dei & amare Deū nō idē sunt.

Gradus ascensionis ad Deum.

Amor Dei est sapientia Sapient. 7.

Philip. 2.

te esse, forma deitatis tuæ ipsa est simplicitas naturæ vel substantiæ tuę: cui similem oportet esse amorem suum. Nam sicut dicit sapiens quidam de fide tua; quia sicut res est, sic de ea fide capere tentare debemus: sic & tantòmagis hoc de amore tuo intelligendum est, quantò fidei supereminet charitas. Hoc autem solus discernit affectus. Voluntatem tui vel ad te habeo, qua majorem habere non possum: & mallem non esse, quàm eam non habere. Cujus scuti protectio si non olim me coronasset: cùm exurgerent homines in nos, forsitan viuos absorbuissent nos. Gratiæ verò illuminantis & afficientis charitatis aliquando aliqua sensi dulcia irritamenta: sed longè fiunt à me plenitudinis eorum experimenta. Et cùm rarò & parum voluntas, quantam eam mihi dedisti, illuminetur, (facientibus peccatis meis,) & rariùs afficiatur: miserè in hoc concurrentibus studijs & meritis meis; nescio vtrum amor vocari debeat. Sola quidem vehemens voluntas à diffinientibus amor diffiniri solet: sed qui hoc diffiniunt, de finibus amoris tui judicare non nouerunt. Si desiderium vocetur, non renuo. Nam reuera desidero te. Sed quamdiu coram te tam pauper, tam misera apparebit professio mea: non potest gaudium habere cōscientia mea. Rideat me vel irrideat qui vult: ego scio, quid in hoc patior. Et scio, quia nullus in hoc mihi compatitur, qui hoc ipsum vel non passus sit, vel non patiatur. Mihi verò lacrymæ meæ panes erunt die ac nocte, quãdiu dicetur mihi, vbi est Deus tuus: id est, quamdiu erit in anima mea aliquis affectus, in quo suo modo non sit Deus meus; maximè amor, qui propria ejus sedes esse debet in me. Dolorem hunc non mihi releuabit, donec seipsũ mihi reuelabit; cùm videbo quod amabo, & certo mẽtis gaudio amabo quod videbo: tamen interim quod ex parte sentio, ex parte amo: quod nisi aliquatenus sentirem, nullatenus amarem. Nam cùm in mensa tua filios tuos epulantes video in delicijs amoris tui, iejunus amorem tuum amo in eis vehementer: & ipsos te amantes in medio cordis mei amplector dulciter. Et video eos cōgaudentes gaudio meo, quod habeo de gaudio eorum; & volentes nec valentes exprimere modum gaudij sui. Affectus enim, quo te amando fruuntur, sensibili quidem suauitate cujusdam gaudij spiritualis vel diuini potest sentiri: sed sicut sapor cibi cujuslibet nulli insinuari potest, nisi gustanti: sic sapor ille nec ratione discuti, nec exponi verbis, nec sensibus potest concipi. Diuinum quiddam est, & arrha vel pignus Spiritus, quo in hac vita pauperem tuum Deus lætificas & pascis, ne deficiat in via; & de gaudio vitæ æternæ annuncias, sicut dicit Iob, amico tuo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit peruenire. Reformatur enim anima sancta ad imaginem Trinitatis, ad imaginem ejus qui creauit eam: etiam ipso modo beatitudinis suæ. Nam illuminata voluntas & affecta, id est intellectus & amor, & fruendi habitus, sicut de Trinitate Deo dicitur & creditur, quodãmodo tres sunt affectionum personæ; sed vna beatitudinis substantia: quia quod amatur, non nisi intelligẽdo amatur, nec nisi amando intelligitur: nec nisi amando & intelligendo fruitur eo, qui meretur frui. Hoc enim ibi est habere vel frui, quod intelligere vel amare. Felix cōscientia, cujus affectus ordinatæ charitatis tenẽs viam, indeclinabili cōstantia sic ad te proficiendo proficiscitur; sic cooperãte ei gratia tua in proficiscendo prosperatur, vt non deficiat donec tu perficias: qui multitudinem dulcedinis tuæ, quam abscondis timentibus, perficis sperantibus, maximè quorum opera lucent in conspectu filiorum hominum, ad gloriam tuam, ô pater qui es in cœlis. Hi sunt qui te amant: tales cùm video, & inter eos me non inuenio, tædet me viuere. Quorum sapientia non est de spiritu hujus mundi, vel de prudentia hujus sæculi: sed quia non cognouerunt literaturam, introierunt in potentiam Domini: & pauperes spiritu memorantur justitiæ tuæ solius. Propter quod docuisti eos, vt vita & conuersatione sua pronuncient mirabilia tua. Ipsi enim sunt simplices serui tui, cum quibus esse solet sermocinatio tua: qui in eundo ad te non in curribus ingeniorum suorũ, vel in equis virium suarum spem habent: sed tantùm in nomine Domini. Ideo sapientiâ tuâ suauiter eis omnia disponente, compendio breui, sarcina leui, ad destinatum finẽ perueniunt; vbi currus & equites deficiunt. Qui non formant vel conformant sibi amorẽ tuum subtiliter indagando; sed ipse amor tuus simplicem in eis inueniens materiam, format eos, & conformat sibi & affectu & effectu: vt absque eo quod intrinsecùs latet, gloriâ scilicet & diuitijs in domo bonæ cōscientiæ, non artificiali conamine, sed quasi naturali quadam cōplexione, lux interior in vultu eorum exteriori reluceat, intantum vt de vultus & habitus eorum venusta quadam simplicitate, quædam prouocatio charitatis tuæ procedens, rudes etiam nonnumquam ac barbaros animos solo visu ad amorem tuum compungat. Siquidẽ redeunte natura ad suam originem, absque doctore fiunt docibiles Dei, & cùm spiritus eorum, adjuuante infirmitatem eorum tuo Spiritu, in diuinas transeunt affectiones, spirituali quadã disciplina modificatis sensibus, etiam corpora eorum spirituales quasdam induunt effigies; & facies plusquam humanas, & singularem quandam gratiam habentes. Sed & caro eorum studijs boni exercitij seminata in corruptionẽ, jam incipit resurgere in gloriam: vt pariter & cor & caro exultent in Deum viuum: & sitiente in te anima, quàm multipliciter sitiat & caro. Possident enim beati mites corporis sui terram, quæ spiritualium exercitiorum studijs fœcundata, bono vsu etiam dimissa sibi & inculta, sponte fructificat in iejunijs, in vigilijs, in laboribus: parata ad omne opus bonum absque contradictione, vel pigritia. Istos cùm video, in amorem amoris tui, qui hoc in eis operatur, tot⁹ afficior: quem in eis deprehendo certa quadam experiẽtia cognita amantibus. Amo ergo eos, quia te amant, & multum amo: sicut amo amorem quo amaris, quem in ipsis amo. Et si eos hoc modo amo, vt in eis, & in affectu eorum naturali nil amem nisi te: cùm ipsum affectum ob hoc tantùm amem, quia plenus est te: sed & in meipso numquam meum amem affectum, nisi cùm ipso affectum me inuenio de te, in eis quos amo in te & in me ipso, quem non nisi in te amare volo, quid amo, nisi te? Nil penitus. Nam & si illos, & si meipsum alio quouis modo sentio amare me, plus in hoc odio habeo me, quàm amo. Inuenio igitur te Domine in amore meo: sed vtinã semper inueniam. Cùm enim amor non sit, nisi amet: semper autem in me vehemens sit voluntas

Boëtius.

An sola vehemens voluntas sit amor.

Suauitas amoris Dei non potest sensibus concipi.

Iob 36.

In cœlo habere vel frui est intelligere vel amare


Sapientia eorum, qui Deum amant.

Amor Dei etiam in corporibus elucet.

Amare alios quia Deũ amãt, est amare Deum.

tas tui, id est amor vrgens me in te, cur non semper afficior de te? Nūquid aliud est amor: aliud ipsius affectus amoris? Vt video, amor naturæ est: amare te gratiæ est: affectus gratiæ manifestatio est: de qua dicit Apostolus. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* Nam quādiu corpus quod corrumpitur aggrauat animā, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem: necesse est, vt animæ quantumvis amantis defectus fiat & profectus: quorum alterum nisi consolaretur, alterum contineret iste affectus; in omnimodum rueretur defectum, de quo nullus sublevaret profectus. Semper ergo in anima pauperis tui Deus amor tuus est: sed latens sicut ignis sub cinere, donec Spiritus qui vbi vult spirat, placitum habuerit, sicut & quātum voluerit illum ad vtilitatē manifestare. Adesto ergo, adesto ô sacte amor, adesto sacer ignis; vre delectationes renum, & cordium cogitationes latè sicut vis, ad faciendam flammæ manifestationis tuæ copiosiorem humilitatis materiā: appare quando vis ad manifestandam bonæ cōscientiæ gloriā, & diuitias, quas habet in domo sua. Manifesta, vt solicitum facias ad custodiendum: absconde, ne temerarium facias ad dissipandum: donec qui cœpit perficiat: qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum.

1. Cor. 12. — *Innocatio S. Spiritus.*



EIVSDEM B. GVILLELMI
ABBATIS S. THEGDORICI,

Liber De Contemplando Deo.

Isai. 2.



ENITE *ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas.* Intentiones, intēsiones, voluntates, cogitationes, affectiones, & omnia interiora mea: venite ascendamus in montem vel locum, vbi Dominus videt, vel videtur. Curæ, solicitudines, anxietates, labores, pœnæ seruitutis, expectate me hic cum asino corpore isto: donec ego cum puero, ratio cum intelligentia, vsque illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Reuertemur enim: & heu quàm citò! Abducit enim nos à vobis charitas veritatis: sed propter fratres abdicare & abjurare vos non patitur veritas charitatis. Sed licet retrahat vestra necessitas: nō ꝑpter vos omnino omittēda est illa suauitas.

Genes. 22.

CAPVT PRIMVM.

Aperit desiderium videndi Deum, aut saltē Christi humanitatē: repulsam tamen se pati declarat.

Psal. 79.

DOMINE *Deus virtutum converte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.* Sed heu, heu Domine, quàm præproperum est, quàm temerarium, quàm inordinatum, quàm præsumptuosum, quàm alienum à regula veritatis & sapientiæ tuæ: corde immundo velle Deū videre. Sed ô summe bone, summum bonum, vita cordium, lux oculorum interiorum: propter bonitatem tuam Domine miserere. Hęc est enim mūdatio mea, hæc fiducia mea, hæc justitia; contemplatio bonitatis tuæ bone Domine. Ergo ô Domine Deus meus, qui dicis animæ meæ modo quo tu scis, salus tua ego sum, Rabboni, sūme Magister, vnice Doctor videndi quæ videre desidero: dic cœco mendico tuo; quid vis faciā tibi. Et tu scis, qui jam hoc ipsum das, quàm ex omnibus suis recessibus, abjectis procul omnibus sæculi hujus altitudinibus, pulchritudinibus, dulcedinibus, & quidquid concupiscentiā carnis vel oculorum vel ambitionem spiritus attentare potest, vel solet; tibi dicat cor meum. *Exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me: ne declinet in ira à serno tuo.* Impudens quippe sum & improbus, ô adjutor meus antique, & susceptor indefesse: sed vide quia amore amoris tui hoc facio: sicut vides me non videntem te, & sicut tui desiderium dedisti mihi, & siquid tibi placet in me: & citò ignoscis cœco tuo ad te currenti: & manum das in aliquibus in currendo offendēti. Respondet quippe mihi intus in anima & mēte mea tumultuans in me & concutiens omnia interiora mea vox testificationis tuæ: & caligant oculi mei interiores à fulgore veritatis tuæ ingerentis mihi: quia non videbit te homo, & viuere poterit. Ego enim verè in peccatis totus vsq; adhuc; necdum potui mori mihi, vt viuam tibi. Sed tamen ex præcepto tuo & dono tuo sto in petra fidei tuæ, fidei Christianæ; in loco qui verè est penes te: in qua vt possum interim fero patienter & amplector, & deosculor tegentem & protegentem me dexteram tuam: & aliquoties contemplans, & videre gestiens posteriora videntis me: humilitatem scilicet pertranseuntem dispensationis humanæ Christi filij tui, suspicio. Sed cùm accedere gestio ad eum, & vel sicut hemoroissa illa infirmæ & miseræ animæ meæ à salutifero tactu vel fimbriæ ejus quasi furari gestio sanitatem: vel sicut Thomas ille vir desideriorum, totum illum desidero videre & tangere: & non solùm, sed accedere ad sacrosanctum lateris ejus vulnus, ostium arcæ quod factum est in latere; vt non tantùm mittam digitum vel totam manum: sed totus intrem vsque ad ipsum cor Iesu, in sanctum sanctorum, in arcam testamenti, ad vrnam auream, animam nostræ humanitatis, continentem intra se manna diuinitatis: heu! dicitur mihi. *Noli me tangere.* Et illud de Apocalypsi: *Foris canes.* Sicque cōdignis cōscientiæ meæ verberibus expulsus & propulsus, improbitatis & præsumptionis meæ pœnas cogor luere. Rursumque in petrā meam me recipiens, quæ refugium est herinacijs spinis peccatorum plenis, reamplector & reosculor tegentē & protegentem me dexterā tuam: & ex eo quod leuiter sensi vel vidi, magis accenso desiderio, vix patienter expecto, vt aliquando auferas manum tegentem, & infundas gratiam illuminantem: vt tandem aliquando secundū responsum

Velle Deum immundo corde videre, inordinatum est. — *Psal. 26.* — *Exod. 33.* — *Desiderium videndi humanitatem Christi.* — *Matt. 9.* — *Ioan. 20.* — *Ioan. 20.* — *Apoca. 22.*

veritatis tuæ mortuus mihi, & viuens tibi, reuolata facie ipsam tuam faciem incipiam videre, & affici tibi à visione faciei tuæ. Et ô facies, facies, quàm beata facies, quæ affici tibi meretur vidēdo te, ædificans in corde suo tabernaculū Deo Iacob, & omnia faciens secundum exēplar quod ei ostenditur in monte. Hic verè & cōpetenter cantat: *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.* Itaque vt dixi, ex dono gratiæ tuæ contemplans omnes conscientiæ meæ angulos vel terminos, vnicè & singulariter desidero videre te; vt omnes fines terræ meæ videant salutare Domini Dei sui: vt amem cùm videro; quem amare hoc est verè viuere. Dico enim mihi in languore desiderij mei. Quis amat, quod non videt? Quomodo potest esse amabile: quod non aliquatenus est visibile?

Beata facies quæ Deo afficitur.

Psal. 26.

CAPVT II.

Creaturas non posse satiare appetitum; & desiderium desiderij, amorē amoris diuini sibi inesse fatetur.

SED te desideranti amabilia quidem tua occurrunt: & à cælo & à terra, & ab omni creatura se mihi vltro offerunt & ingerunt, ô in omnibus adorande & amabilis Domine: quæ quātò te manifestiùs & veriùs prædicant & approbant amabilem, tantò ardentiùs te mihi faciunt desiderabilem: sed heu non ad fruendi perfectā suauitatem & gaudium; sed ad intentionis, & intensionis, & defectus, non tamen sine aliqua suauitate, tormentum. Sicut enim mea non tibi perfectè placent oblata, nisi mecum: sic bonorū tuorum contemplatio reficit nos quidem dulciter, sed non satiat perfectè, nisi tecum. Hæc est animæ meæ assidua exercitatio, hinc assiduè scopo spiritum meum: & cum bonis & amabilibus tuis, quasi pedibus & manibus, & totis innitēs viribus sursum tendo ad te, in te, summe amor, summum bonum; sed quantò tendo fortiùs, tātò retrudor duriùs infrà, in memetipsum sub meipso. Sic ergo respiciēs & discernens & dijudicans meipsum: factus sum mihi ipsi de meipso laboriosa & tædiosa quæstio. Tamen tamen Domine, certè certus sum per gratiam tuam, desiderium desiderij tui, & amorem amoris tui habere me, in toto corde, & in tota anima mea. Hucvsque te faciente profeci, vt desiderem desiderare te; & amem amare te. Sed hoc amans, quid amem, nescio. Quid enim est amare amorem, desiderare desiderium? Amore amamus, si quid amamus: desiderio desideramus, quicquid desideramus. Sed forsitan cùm amo amorem, non amo amorem, quo amo, quod amore volo, & amo quicquid amo: sed me amantem, cùm in Domino laudatur & amatur à me anima mea: quam proculdubio detestarer & odio haberē, si eam alibi quàm in Domino, & in ejus amore, inuenirem. Sed & de desiderio quid dicemus? Si dicam, desidero esse desiderans: jam me inuenio desiderantem. Sed numquid desiderantem desiderium tui, quasi non habeam, aut desiderium majus, quàm habeam?

Amare amorem, quid sit.

CAPVT III.

Aperiri sibi oculos optat, & si quando Deo fruatur, vt tunc se habeat, indicat.

CVM igitur hoc modo deficiant & caligent & cœcutiant interiores oculi mei: oro vt citiùs à te aperiantur, non sicut aperti sunt Adā carnales oculi, vt videret confusionem suā, sed vt videam Domine gloriam tuā: vt oblitus paruitatis & paupertatis meæ totus erigar, & currā in amplexus amoris tui, videns quem amauero; & amans quem videro: & moriens in me, viuere incipiam in te: & bene mihi sit in te, cui pessimè est in se. Sed festina, Domine, ne tardaueris. Habes enim Domine, sapientiæ tuæ gratia, vel gratiæ tuæ sapientia, sua compendia: & quò rationis vel ratiocinationis nullis argumētis, nullis discussionibus, quasi quibusdam scalis conscenditur; ad torrentem scilicet voluptatis tuæ, ad plenum amoris tui gaudium: cui hoc datum est, fideliter quærens, fideliter pulsans, sæpe repente se ibi inuenit. Sed ô Domine, si quando, quod quàm rarum est, me in aliqua hujus gaudij parte inuenio: clamo, vociferor, *Domine, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula;* fidei vnum, spei vnum, amori vnum. Numquid nescio quid dicam, cùm dico, bonum est nos hic esse? Sed repente cado in terram, quasi mortuus, & respiciens nihil video: & me vbi priùs eram inuenio; in dolore scilicet cordis, & affectione spiritus. Vsquequo Domine, vsquequo? *Quamdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?* Quamdiu non permanebit spiritus tuus in hominibus, quia caro sunt; sed venit & vadit, & spirat vbi vult? Sed in conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti erimus sicut consolati: tunc replebitur gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Interim heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea. Sed respondet mihi intus in corde meo veritas consolationis tuæ; & consolatio veritatis tuæ. Est amor desiderij, & est amor fruitionis. Amor desiderij meretur aliquando visionem; visio fruitionem; fruitio amoris perfectionem. Gratias ago gratiæ tuæ, qui loqui dignaris ad cor serui tui: & anxijs ejus quæstionibus aliquatenus respondes. Suscipio & amplector hanc Spiritus tui arrhā: & lætus expecto in arrha promissionē tuam. Desidero itaque amare te, & amo desiderare te; & hoc modo curro: vt apprehendam, in quo apprehensus sum: scilicet vt amem te perfectè aliquando, ô qui prior nos amasti, amande & amabilis Domine.

Genes. 2.

Sapientia & gratia Dei sua habet cōpendia

Matt. 17.

Psal. 12.

Genes. 6.

Ioann. 3.

Psal. 125.

Psal. 119.

Amor desiderij, & amor fruitionis.

CAPVT IV.

Amor non dicit sufficit, nec satietatem admittit.

SED estne aliquando aut alicubi Domine, hæc amoris tui perfectio, hæc in amore tuo beatitudinis consummatio: vt sitiens anima ad Deū fontem viuum, sic satietur, sic impleatur, vt dicat, sufficit? Miror, quicumque vbicumque ille sit, si non deficit: si dicit, sufficit. Sed vbi istius sufficientiæ est defectio: quæ potest esse perfectio? Nusquam igitur, & numquam perfectio! Sed & injusti Domine, numquid regnum tuum possidebunt? Injustus autē est, qui non tantùm desiderat, & debitorem se sentit & intelligit te amare: quantùm ab aliqua creatura rationali possibile est amari te. Constat etiam beata illa Seraphim, quæ à vicinitate præsentiæ tuæ, à claritate visionis tuæ ardentes & interpretantur, & sunt: plus amare te, quàm aliquem, qui minor est in regno cœlorum. Qui si in regno cœlorum non dicam minimus, sed nonnullus est, vtiquè tantùm desiderat amare te, quantùm ab aliquo vel potes amari vel debes: & hoc forsitan est, in quem desiderant Angeli conspicere. Desiderat ergo beatus minor ille, quicumque ille est, tantùm te amare, quantùm amat quicumque plus eo amat; non æmula insectatione, sed pia & de-

Nusquam perfectio amoris.

1. Petri 1.

tota imitatione. Si verò & in amore proficit, quantò feliciùs illuminatis oculis in interiora procedit, tantò dulciùs sentit & intelligit, si ingratus non est & injustus, & te plus posse amari, & se debitoré plus amare: vel quantùm te amāt Cherubin & Seraphin. Sed qui desiderat, quod assequi non potest, miser est. Miseria verò à regno beatitudinis prorsus aliena est. Assequitur ergo quod desiderat; quisquis ibi aliquid desiderat. Quid dicemus ad hæc? Quid, inquam, dicemus? Loquere, obsecro Domine, quia audit servus tuus. Numquid & magni & parui omnes qui sunt in regno Dei, vnusquisque in suo ordine & amat & desiderat amare, & amoris vnitas non sinit vt sit diuersitas, dum amat cui datum est hoc ardentiùs: minor autem in majore sine inuidia bonum vbicumque videt & amat, quod ipse sibi desiderat, & habet vtique amoré, quantuscumque est, quem in amante amat? Nimirũ amor est qui amatur: qui ex magna bonitatis suæ affluentia & natura, amantes & coamantes, gaudentes & congaudentes pari implet gratia, licet dispari mensura: & quantùm se amantium sensibus largiùs infundit, tantò eos sui capaciores efficit, satietatem faciens, sed sine fastidio: de ipsa satietate non minuens desiderium, sed augens, sed remota omnis anxietudinis miseria. Amor enim est, vt dictum est, qui amatur: qui à voluptatis suæ torrente omnem ab amatore suo repellit vel in satietate fastidij, vel in desiderio anxietudinis, vel in zelando, inuidiæ miseriam; illuminans eos, vt dicit Apostolus, *à claritate in claritatem:* vt in lumine videant lumen, & in amore concipiant amorem. Hic est enim fons vitæ: qui semper fluit, & numquã pereffluit. Hæc est gloria, hæ sunt diuitiæ in domo beati amatoris tui; quia præsto est desideranti quod desiderat, & amanti quod amat: ideoque & qui desiderat, semper amat desiderare; & qui amat, sēper desiderat amare: & desideranti & amanti quod desiderat & amat, sic facis abūdare, ô Domine: vt nec anxietas desiderantem, nec fastidiũ affligat abundantem. Et numquid Domine, obsecro, hæc est via æterna, de qua cantat psalmus; *& vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in viam æternam?* Hæc affectio, hæc est perfectio. Sic semper ire, hoc est peruenire. Vnde Apostolus tuus, qui paulò antè dixerat, *non quod acceperim aut perfectus sim; sequor autem, si comprehendam, in quo comprehensus sum à Christo Iesu: vnum autem, quæ retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu: quicumque ergo,* inquit, *perfecti sumus, hoc sentiamus.*

1. Reg. 3.

Amor repellit miseriã ab amatore.

2. Cor. 3.

Psal. 138.

Philip. 3.

Capvt V.

Deus nos amat propter se, & à nobis propter se amatur, & nos ipsos propter ipsum amamus, si amor perfectus est.

ET hoc est amare tuum, quo amas te amantes à dulcedine bonitatis tuæ, quam habes ad creaturam tuam, Creator bone, inspirare eis hoc desiderium amandi te: & amorem quo amant & desiderare & amare te. Non enim afficeris ad nos, vel à nobis, cùm amas nos: sed es quod es, qui semper idipsum es; cui hoc est esse, quod esse bonum: bonum autem tibi in te, & omni in te creaturæ tuæ. Nos autem à te ad te vel in te afficimur, cùm te amamus: qui possumus misero aliquo modo esse, & non amare te: id est, esse, & malè esse. Tibi autem, qui semper idem es, nihil accedit, si amando proficimus ad te: nihil decedit, si deficimus à te. Cùm autem nos amas, non nisi propter te: cùm verissima sũmæ justitiæ regula etiam nos nil amare permittat extra te. Et certè possibile est amori Deum amantis, vbi magna occurrit gratia, eò proficere, vt nec te nec se amans propter se, & te & se propter te solum amet; & per hoc reformatur ad imaginem tuam, ad quam creasti eum: qui ex veritate præstantissimæ naturæ tuæ, & natura veritatis tuæ, nec te nisi propter te, nec Angelum nec hominem amare potes, nisi propter te. Et ô felicem & felicissimam animã! quæ Deo sic à Deo meretur affici, vt per vnitatem spiritus in Deo solum amet Deum, non suũ aliquid priuatum, nec nisi in Deo amet seipsum; & Deus in ipsa amet vel approbet, quod amare vel approbare debet Deus, id est seipsum: imò quod solum debet amari, & à creatore Deo, & à creatura Dei. Amoris enim vel nomen vel affect⁹ nulli competit vel debetur, nisi tibi soli: ô verè amor, & amande Domine. Et hæc est in nobis voluntas filij tui: hæc pro nobis oratio ejus ad te Patrem suum. *Volo, vt sicut ego & tu vnum sumus: ita & in nobis ipsi vnum sint.* Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc gaudium Domini, gaudium in Spiritu sancto: hoc est silentium in cœlo. Quamdiu quippe in hac sumus vita, hoc felicissimæ pacis silentio in cœlo, id est in anima justi, quæ sedes est sapientiæ, aliquando fruitur affectus; sed hora dimidia: intẽtio verò de reliquijs cogitationis diẽ festum perpetuum agit tibi. In illa verò beata & æterna vita; de qua dicitur. *Intra in gaudium Domini tui,* sola erit perfecta fruitio: & tantò felicior, quantò remotis jam omnibus, quæ hoc retardare vel impedire videntur, amoris ejus indissolubilis æternitas, irrefragabilis perfectio, incorruptibilis erit beatitudo.

Perfectus est amor, quo se homo non amat, nisi propter Deũ

Ioan. 17.

Matt. 25.

Capvt VI.

Orat, vt fœda desideria loco cedant, & amor Dei totum possideat hominem, vt Christus docuit.

O amor, veni in nos, possidenos: dispereãt à facie tua in nobis omnia fœditatis nomina, quæ concupiscentia carnis & oculorum & superbia vitæ huic innascuntur affectui, quasi spuria quædam vitulamina: affectui inquam, qui amor in nobis dicitur, & corrumpitur sæpiùs justo, animæ à te & ad te creatæ, ad te solũ concreatus & concretus, & reluctans legi naturali, & reclamans, cogitur vocari gula, luxuria, auaritia, & his similia: qui incorruptus & in sua permanens natura, ad te solum est, Domine, cui soli amor debetur. Est enim amor animæ rationalis, sicut dicit quidam servus tuus, motus, vel quieta statio, vel finis, in id, vltra quod nil appetat, vel appetendum judicet, voluntatis appetit⁹. Vltra te verò, vel supra te, qui quærit aliquid tamquam melius te, nihil est quod quærit; quia nihil est melius vel dulcius te: ideoque nihil efficitur recedendo à te, qui amandus solus es verè: & fornicatur & luxuriat in alienis affectibus aliena, vt dixi, nomina habentibus. Amor enim, vt dictum est, & sæpe dicendum est, ad te solum est Domine, in quo solo est, quicquid verè est: vbi quieta & secura statio: quia Deum timere timore amoris casto, & mandata ejus observare, hoc est omnis homo.

Amoris corrupti nomina.

Amor ad solum Deũ est

Caput VII.

Christus nos docuit amorem Dei.

RECEDAT itaque ab anima mea omnis injustitia, vt te diligam Dominum Deum meum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis: recedat omnis zelotypia, ne tecum aliquid amem, quod propter te non amem, ô verè vnice amor, & vere Domine. Cùm verò propter te aliquid amo, non illud amo, sed te: propter quem amo, quod amo. Tu enim verè salus Dominus: cujus dominari super nos, hoc est saluare nos: nostrum verò seruire tibi nihil est aliud, quàm à te saluari. Quæ est enim salus tua, ô Domine, cujus est salus, & super populum tuum benedictio tua: nisi quod à te accipimus, vt amemus te, vel amemur à te? Idcirco Domine filium dexteræ tuæ, hominem quem confirmasti tibi, Iesum, id est Saluatorem appellari voluisti: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum: & non est alius, in quo sit salus: qui docuit nos amare se, cùm vsque ad mortem crucis prior dilexit nos, amãdo & diligendo suscitans nos, vt amemus eum, qui prior vsque in finem dilexit nos. Hæc justitia filiorum hominum. Ama me; quia amo te. Rarus autem est, qui dicere possit. Amo te; vt ames me. Hoc tu fecisti: qui sicut clamat & prædicat servus amoris tui, prior nos dilexisti. Et sic planè, sic est; amasti nos prior, vt amaremus te: non quòd egeres amari à nobis: sed quia id ad quod nos fecisti esse non poteramus, nisi amando te. Ideo multipharìam multisq; modis olim locutus Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus es nobis in Filio, in Verbo tuo, quo cœli firmati sunt: & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Loqui tuum in filio tuo non aliud fuit, quàm in sole, id est, in manifesto ponere, quantum & quomodo nos amasti, qui proprio filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnib⁹ eum tradidisti: qui etiam dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Hoc est Verbum tuũ ad nos Domine, hic omnipotens sermo: qui dũ medium silentium, profundum scilicet errorũ, tenerent omnia, à regalibus sedibus venit, durus eorum debellator, dulcis amoris commendator. Et quicquid fecit, quicquid dixit in terra, vsque ad opprobria, vsque ad sputa & alapas, vsque ad crucem & sepulchrum, non fuit nisi loqui tuum nobis in Filio: amore tuo prouocans, & suscitans ad te amorem nostrũ. Sciebas enim, creator animarum Deus, in animabus filiorum hominũ cogi non posse, sed prouocari oportere affectum istum. Simul etiã, quia vbi coactio, jam nec libertas: vbi non libertas, nec justitia. Tu autem Domine juste, saluare nos volebas iustè, qui nullum saluas vel dãnas, nisi justè; ipse nobis formans & judicium & causam, sedens super thronum, & judicans justitiam, sed quam tu fecisti: vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, cùm misereris, cujus misereris, & misericordiam præstas, cujus misertus eris. Voluisti ergo, vt amaremus te; qui nec iustè poteramus saluari, nisi amaremus te: nec amare poteramus, nisi procederet à te. Ergo Domine, sicut Apostolus amoris tui dicit, & nos jam diximus, prior dilexisti nos: & prior diligis omnes dilectores tuos.

Nostrum seruire est saluari.

Matt. 1.

Hebr. 1.

Quid sit, Patrem nobis loqui in filio suo.

Rom. 8.

Galat. 2.

Sapient. 18.

Amor non potest cogi.

Caput VIII.

Deus non diligit nos amore accidentali; & quid efficiat in nobis nos diligendo.

SED nos Domine, te diligimus affectu amoris à te nobis indito, tu verò conditor omnium, & affectuum bonorum & animarum afficiendatum, numquid accidenti vel incidenti amoris affectu amas quos amas; & aliquo modo in aliquo afficeris, qui omnes & omnia facis? Absit. Absurdum est, procul est à fide; alienum ab omnium creatore. Quomodo ergo nos amas, si nos amore non amas? Sed amor tuus bonitas tua est, summe bone, & summum bonum, Spiritus sanctus à Patre procedens & Filio: qui ab initio creaturæ superfertur super aquas, id est mentes filiorum hominum fluitantes, omnibus se offerens, omnia ad se trahens, inspirando, aspirãdo, noxia arcendo, prouidendo vtilia, Deum nobis & nos vniens Deo. Sic enim ipse Spiritussanctus tuus, qui amor dicitur Patris & Filij, & vnitas & voluntas, per gratiam suam in nobis inhabitans, & Dei in nos charitatem commendans, & per ipsam ipsum nobis concilians, Deo nos vnit, per inspiratam nobis bonam voluntatem: cujus bonæ voluntatis vehementia amor in nobis dicitur, quo amamus quod amare debemus, te scilicet. Nihil enim aliud est amor, quàm vehemẽs & bene ordinata volũtas. Amas ergo te, ô amabilis Domine, in teipso, cùm à Patre procedit & Filio Spiritussanctus, amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem: & tantus est amor, vt sit vnitas: tanta vnitas, vt sit ὁμόουσιον; id est eadem Patris & Filij substantia: amas te ipsum in nobis, mittendo Spiritum Filij tui in corda nostra à dulcedine amoris, à vehementia inspiratæ à te nobis bonæ voluntatis, clamantẽ *Abba Pater*; sic nos efficiens tui amatores, imò sic teipsum in nobis amans, vt qui primùm sperabamus, quia noueramus nomen tuum Domine, & gloriabamur in te, qui diligebamus nomen Domini in te, ô Domine, jam per inspiratã nobis gratiam per Spiritum adoptionis tuæ, omnia quæ Patris sunt, nostra esse confidentes, ipso te nomine inuocemus per adoptionis gratiã, quo filius tuus vnicus per naturam. Sed quia hoc abs te totum est, cujus amare hoc est benefacere, à quo omne datum optimũ, & omne donum perfectũ, summe pater luminum: tu teipsum amas in nobis, & nos in te, cùm te per te amamus: & intantũ tibi vnimur, inquantum amare te meremur, & participes efficimur, vt dictum est, orationis illius Christi filij tui. *Volo, vt sicut ego & tu vnum sumus: ita & ipsi in nobis vnum sint.* Genus enim tuum sumus, Domine; *genus Dei*, sicut dicit Apostolus tuus; transferens Ethnici sententiã de malo vase in vas bonum: vt non nisi ipsam & vas bonum sapiat. Genus inquam sumus Dei, Dij & filij excelsi omnes, cognatione quadam spirituali magnam apud te nobis vendicantes affinitatem, cùm per Spiritum adoptionis Filius tuus vnum nobiscum nomen sortiri non dedignatur: & cum ipso, & per ipsum, præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere, *Pater noster qui es in cœlis.* Amas itaque nos, inquantũ nos efficis tui amatores; & nos amamus te, inquantum à te Spiritũ tuum accipimus, qui est amor tuus: obtinentem & possidentem omnes affectionum nostrarum recessus: & perfectè eas conuertentem in puritatem veritatis tuæ, in veritatem puritatis tuæ,

Amor Dei bonitas ejus.

Genes. 1.

Quid sit amor.

Rom. 8.

Deum vocamus Patrem, sicut & Christus.

Iac. 1.

Ioann. 17.

Actor. 17.

Psalm. 81.

Matth. 6.

in plenum amoris tui consensum: tantaque fit conjunctio, tanta adhæsio, tanta dulcedinis tuæ fruitio, vt vnitas ab ipso Domino nostro filio tuo vocetur, dicente, *vt sint ipsi vnum in nobis:* tantæ dignitatis, tantæ gloriæ, vt subsequatur & dicat, *sicut ego & tu vnum sumus.* O gaudium, ô gloriam, ô diuitias, ô superbiam. Habet enim sapientia etiam sui generis superbiã, quæ dicit. *Mecum enim sunt diuitiæ & gloria: opes superbæ & justitia.*

Ioann. 17.

Prouer. 8.

CAPVT IX.

Beatus qui Deum diligit, & sic vnus cum eo spiritus efficitur.

QVID autem est absurdius, vniri Deo amore, & non beatitudine? Beati enim verè & vnicè, & singulariter & perfectè beati, qui verè & perfectè amant te: nullus autem & nullomodo beatus, qui non amat te. *Beatum* enim *dixerunt populum, cui hæc sunt:* sed mentiuntur, quia solus *beatus, cujus est Dominus Deus ejus.* Quid enim est beatum esse, nisi non velle, nisi bonũ: & omnia habere, quæcumque vult? Te igitur velle, & vehementer velle, quod est amare, & singulariter amare, qui amari non dignaris cum aliqua omnino re, siue carnali, siue spirituali, siue terrestri, siue cælesti, quæ non ametur pro te, hoc demum est, non velle nisi bonum: hoc est habere quæcumque vult omnia: quia habet te quis, inquantũ amat te. Ergo & amore & beatitudine vniti Deo, intelligimus quòd verè Domini est salus: & super populum tuũ benedictio tua. Ideoque orationes nostras, vota & sacrificia, & omnia nostra, offerimus tibi Pater assiduè, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: credentes & intelligentes ex te, à te, & ad te, per ipsum nobis esse, quicquid bene nobis est, à quo habemus ipsum esse. Quæ omnia per subministrationem Spiritussancti tui habitantis in nobis credimus & intelligimus, quantum intelligere fas est: qui vt dictum est, conformans sibi & vniens Spiritum nostrũ, spirat in nobis, quando vult, quomodo vult, quantũ vult: cujus sumus factura creati in operibus bonis: existens sanctificatio nostra, justificatio nostra, amor noster. Ipse enim est amor noster, quo ad te pertingimus: quo te amplectimur. Alioquin, ô incomprehensibilis majestas: cõprehensibilis esse videris animæ te amanti. Licet enim nullus sensus animæ cujuslibet vel spiritus te comprehendat: tamen totum te, quantus es, comprehendit amor amantis, qui totum te amat, quantus es: si tamen est totitas vbi non est particularitas: si quantitas, vbi non est tantitas: si est comprehẽsibilitas, vbi hæc omnia non sunt. Sed cùm te amamus, afficitur spiritus noster Spiritui tuo sancto: per quem habitantem in nobis charitatẽ Dei habemus diffusam in cordibus nostris. Cũque amor tuus, amor Patris ad Filiũ, amor Filij ad Patrem, Spiritussanctus habitãs in nobis, ad te est quod est, id est amor, omnem captiuitatẽ Sion, id est animæ nostræ omnes affectiones in se conuertens & sanctificans; amamus te, vel amas tu te in nobis; nos affectu, tu effectu, vnũ nos in te efficiens per vnitatẽ tuam; id est ipsum Spiritum sanctum tuum, quem dedisti nobis, vt sicut non est aliud Patri nosse Filium, nisi hoc esse, quod est Filius; nihil aliud Filio nosse Patrem, nisi hoc esse, quod est Pater: vnde in Euãgelio, *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & nemo nouit Filium nisi Pater:* & sicut Spiritui sancto nihil est aliud nosse vel comprehendere Patrem & Filium, quàm hoc esse, quod est Pater & Filius: ita nobis, qui ad imaginem tuam conditi sumus, & ab illa per Adam inueteratati, per Christum ad illam renouamur de die in diem, amantibus Deum nihil sit aliud amare & timere Deũ, & mandata ejus obseruare, quàm esse, & vnum spiritum cum Deo esse. *Deum* enim timere, *& mandata ejus* obseruare, *hoc est omnis homo.* Adorande, tremende, benedicende, da eum nobis. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur: & renouabis faciem terræ.* Non enim in diluuio aquarum multarum, in perturbatione & confusione affectionum tam multarum, ad Deum approximabunt. Iam satis, Domine, durauerit cataclismus iste, pœna filiorum Adæ. Adduc spiritum super terram: recedat mare, recedat antiquæ damnationis salsugo: & appareat arida fontem vitæ sitiens. Veniat columba Spiritussanctus expulso teterrimo alite, & cadaueribus suis incumbente: veniat inquam columba ramo oliuę, ramo refectionis & luminis pacem annuncians: sanctificet nos sanctitas & sanctificatio tua: vniat nos vnitas tua; & Deo, qui est charitas, velut cognata quadam affinitate per charitatis nomen sociemur: per virtutem nominis vniamur.

Psalm. 143.

Quid sit beatum esse.

Amor Deũ cõprehendit.

Matt. 11.

Eccle. 12.

Psal. 103.

CAPVT X.

Quinam sint, qui verè justitiam diligant.

SED interest Domine, quomodo quis te amet. Multi enim, sicut ait quidam à te illuminatus, amant veritatem lucentem, & non amant redarguentem; justitiamq; multi colunt affectu, à qua procul sunt effectu: approbantes eam & amantes in seipsa, non autem exercentes eam in seipsis. Numquid isti verè te amant, ô vera justitia Deus: numquid isti verè te amant? Philosophi mundi hujus olim eam coluerunt, & affectu amoris & effectu operis: intantum vt diceretur de eis ab eis. *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Sed conuincuntur justitiam non amasse, qui nõ amauerunt te, à quo fons & origo, & in quem finis & recursus veræ justitiæ: & sine quo omnes justitiæ hominum sicut pannus menstruatæ. Nõ enim habebant fidem, quæ per dilectionem operatur; licet affectatum quendam amorem, & opera quædam haberent honestatis: quæ quia ex fonte veræ justitiæ non prodibant, nec in veræ justitiæ finem ibant. Via enim, Pater, Christus tuus, qui dixit. *Ego sum via veritas, & vita.* Veritas ergo tua, vel vita ad quam itur, per quam itur, meram & veram & simplicem nobis describit forma diuinæ & veræ philosophiæ, dicens ad discipulos. *Sicut dilexit me Pater: & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego præcepta Patris mei seruaui, & maneo in ejus dilectione.* Ecce dilectus dilecti, sicut in Psalmo legitur, cùm Pater diligit Filium; & Filius manet in dilectione Patris, vsque ad plenam mandatorum ejus obseruationem. Rursumque dilectus dilecti, cùm dilectus discipulus diligit magistrum Christum, vsque ad obseruationem omnium eius mandatorum: & vsque ad mortis necessitatem non perdit hanc voluntatem in illuminatione veritatis & amoris ejus, rebus omnibus & idoneis ad bonum, & pronis in malum, & inter vtrumque medijs, bene vtens in bono, quod proprium est Christianę virtutis. Est enim virtus, sicut jam ante nos dictum est, bonus vsus liberæ volũtatis: opus verò virtutis, bonus illa-

August. 10. Confess. c. 23

Horatius.

Philosophi non veras virtutes habuerunt.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

Psal. 67.

Quid sit virtus.

cum rerum vsus, quibus etiã malo vti possumus. Exinde ne manca sit charitas, docemur amare proximum secundum legem charitatis puram: vt sicut Deus non nisi seipsum amat in nobis, & nos solum Deum didicimus amare: ita & proximum sicut nos incipiamus amare, in quo solum Deum amamus, sicut in nobis ipsis.

Capvt xi.

Vt se habeat anima, cum interim cælestem saporem sentit.

Sed vt quid, Domine, tot verba? Sed nuda est, Domine, & gelida & algens misera anima mea: & desiderans calefieri calore amoris tui. Ideo vestem non habens, panniculos hos vndecumque collectos contraho & consuo ad tegẽdam nuditatem meam: & non vt sapiens illa Sareptana duo ligna, sed surculos istos minutos de deserti mei vastitate, de cordis mei spatiosa colligo vanitate: vt aliquando ingrediar in tabernaculum domus meæ, & faciam mihi de pugillo farinæ, & hydria olei, & comedam & moriar, vel non tam citò moriar: imò Domine, nõ moriar, sed viuam, & narrem opera Domini. Stans igitur in domo solitudinis quasi onager solitarius, & habitaculum habens in terra salsuginis, & attrahens ventum amoris mei; os meũ aperio ad te Domine, & attraho spiritum. Et nonnumquam Domine, quasi clausis oculis ad te hianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire, quid sit. Saporem quidem sentio, dulcem adeo, suauem adeo, adeo confortantẽ: vt si perficeretur in me, nihil vltrà quærerem. Sed cùm accipiens nullo corporis visu, nullo animæ sensu, nullo spiritus intellectu, aduertere me permittas quid sit: cùm accepero, tenere & & ruminare volo, dijudicare ejus saporem; sed statim transit. Deglutio quiddã illud, quicquid illud est, in spem vitæ æternæ: sed operationis ejus virtutem diu ruminando omnibus animæ meæ venis & medullis, quasi vitalem quemdam succum optabam transfundere; vt ab omnibus alijs affectionibus desiperet, & illud solum & semper saperet: sed festinat transire. Et cum de inquisitione ejus vel acceptione vel vsu, formata quædam lineamenta memoriæ gestio arctiùs impressa committere, vel etiam memoriam labilem scripto iuuare: re & experimento cogor discere, quid illud sit, quod in Euangelio dicis de spiritu: *& nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Quæcumque enim quasi quibusdam lineamentorum figuris commendare curaui memoriæ, quorum quasi quodam reductu, cum voluero illuc me recolligam, ac per hoc subesse mihi velim posse, quotiescumque voluero: audiens à Domino, *Spiritus vbi vult spirat*; & sentiens etiã in me, quia non quando ego volo, sed quãdo ipse vult, spirat, omnia illa mortua inuenio & insipida: & ad te solum leuandos esse oculos, fons vitæ, vt in tuo solo lumine videam lumen. Ad te igitur Domine, ad te sunt, & sint oculi mei: ad te, de te proficiant omnes animæ meæ profectus; vt cùm defecerit virtus mea, quæ nulla est, post te anhelent omnes ejus defectus. Sed interim quamdiu me differs, quamdiu miseram & anxiam & anhelam post te animam meã protrahis? Absconde me obsecro in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum: protege me in tabernaculo tuo à contradictione linguarũ. Sed jam asinus reuocat, & pueri perstrepunt.

3. Reg. 17. *Psal. 117.* *Ose. 8.* *Ioan. 3.* *Ibidem.* *Psal. 30.*

CONCLVSIO ET ORATIO.

Anima inuocat & colit Deum omnium principiũ & bonũ, Patrem, Filiũ, & Spiritum sanctum.

Nvnc ergo Domine, plena fide te Deum colo, vnum te omnium principium; & sapientiam, qua sapiens est, quæcumque anima sapiens est: & ipsum donum, quo beata sunt, quæcumque beata sunt. Te vnum Deum colo, adoro, benedico: te ex toto corde meo, & ex tota mente mea, & ex omnibus viribus meis vel amo, & desidero. Quisquis Angelorum vel bonorum spirituum te diligit: scio quia & me diligit diligentem etiam se in te. Quisquis in te manet, & potest sentire preces vel affectiones humanas: scio quòd in te me exaudit, in quo & ego eorum gloriæ congratulor. Quisquis te habet bonum suum, in te me adjuvat: nec mihi tui participationem potest inuidere. Solius enim apostatæ spiritus est, nostram miseriam suam facere lætitiam; nostrum bonum suum damnum: nimirum quia à communi omnium bono, & vera beatitudine lapsus, non est subditus veritati: priuato suo gaudens, & commune omnium odiens bonum. Te igitur Deum Patrem, quo creatore viuimus, te sapientiam Patris, per quam reformati sapienter viuimus, te Sanctum Spiritum, quem & in quo diligentes beatè viuimus, & beatissimè viuemus, vnius substantiæ Trinitatem, vnum Deum, à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus, à quo peccando discessimus; cui dissimiles facti sumus: à quo perire non permissi sumus: principium ad quod recurrimus; formam quam sequimur; gratiam qua reconciliamur; adoramus & benedicimus: tibi gloria in secula, Amen.

Trinitas principio, sapientia, & dono designata.

EIVSDEM B. GVILLELMI
ABBATIS S. THEODORICI,

De Natura & Dignitate amoris.

CAPVT PRIMVM.

Quod amor homini congenitus, sed peccato corruptus, sit purgandus.



Ars est artiũ ars amoris: cujus magisterium ipsa sibi retinuit natura, & Deus author naturæ. Ipse enim amor à creatore naturæ inditus, nisi naturalis ejus ingenuitas adulterinis aliquibus affectibus præpedita fuerit, ipse inquã, se docet: sed docibiles sui, docibiles Dei. Est quippe amor vis animæ, naturali quodam põdere ferens eam in locum, vel finem suum. Omnis enim creatura, siue spiritualis, sive cor-

Ars artium ars amoris.

porea, & certum habet locum, quo naturaliter fertur: & naturale quoddam pondus, quo fertur. Pondus enim, vt ait quidam verè Philosophus, non semper fert ad ima. Ignem sursum, aquam deorsum. Sic & in cæteris. Nam & hominem pondus agit suum, naturaliter spiritum ferens sursum, corpus deorsum: vnumquodque in locum vel finem suum. Quis enim corporis locus? *Terra*, inquit, *es; & in terram ibis.* De spiritu verò in libro Sapientiæ: *reuertetur*, inquit, *spiritus ad Deum, qui creauit eum.* Vide hominem dissolutum: quomodo totus pondere suo fertur in locum suum. Cùm res bene & ordine suo procedit: spiritus redit ad Deum, qui creauit eum; corpus in terram. Nec in terram solùm; sed in elementa, ex quibus cópactum & formatũ erat. Cùm enim quiddam in eo terra, quiddam ignis, quiddam aqua, quiddam aër sibi vendicet: cùm naturalis compactionis naturalis fit dissolutio, pondere suo vnumquodque ad suum recurrit elemẽtum: & tunc plena facta est dissolutio, cùm horum omniũ in locum suũ plena facta fuerit restitutio. Quæ vtrum corruptio vel putredo, & non potiùs, vt dictum est, resolutio meliùs vocanda sit, iudicet qui vult. Et cùm horũ nihil à naturæ suæ tramite aberret; sola misera anima, & degener spiritus, cùm per se naturaliter eò tendat; peccati vitio corrupta, nescit, vel difficile discit, ad suum redire principium. Naturali quidem pondere suo semper eò impellitur: cùm beatitudinem desiderat, beatitudinem somniat, non nisi beatus esse quærit. Beatus autem ille, & non alius, cujus est Dominus Deus ejus. Sed beatitudinem quærens, non in regione sua, nec in via sua: longè aberrat à naturali intentione sua. Ideoque amissa doctrina naturali, opus jam habet doctore homine, qui de beatitudine, quæ naturaliter quæritur amando, doceat admonendo, vbi, & quomodo, in qua regione, qua via quæratur. Amor ergo, vt dictum est, ab authore naturæ naturaliter est animæ humanæ inditus: sed postquã legem Dei amisit, ab homine est docendus. Non autẽ docendus est, vt sit, tanquam qui non sit; sed vt purgetur, & quomodo purgetur: vt proficiat, & quomodo proficiat: vt solidetur, docendus est. Nam & fœdus amor carnalis fœditatis suæ olim habuit magistros; in eo quo corrupti erant & corrumpebant, tam perspicaces, tam efficaces: vt ab ipsis fœditatis amatoribus & socijs doctor artis amatoriæ recantare cogeretur, quod intẽperantiùs cantauerat: & de amoris scribere remedio, qui de amoris carnalis scripserat incendio: qui in amoris incentiua, vel vetera quasi per quemdam pruritum excitanda, vel in noua inuenienda, toto se effuderat ingenio. Non vtiq; amoris carnalis feruorem nitebatur ille docere, qui tam in docendis, quàm in eo qui docebat, sine quouis rationis tẽperamento naturali quodam igne æstuabat: sed naturalem ejus vim indisciplinatis quibusdam disciplinis in quandam erudiebat lasciuiam: & superuacuis quibusdam fomentis luxuriæ in quandam perurgebat insaniam. In illis enim prauis & nequam hominibus ex superefluenti carnalis concupiscentiæ vitio, totus deperierat ordo naturæ. Quippe cùm debito naturæ ordine spiritus eorum naturali põdere suo, amore suo sursum ferri deberet ad Deũ qui creauit eum; carnis humiliatus illecebris nõ intellexit; & comparatus jumentis insipientibus,

Genes. 3.

Eccle. 12.

Psal. 143.

Ouidius de Arte amãdi scripsit; & postea, de Remedio amoris.

Psal. 48.

similis factus est illis. Factique sunt, de quibus diceretur. *Non permanebit spiritus meus* in hominibus istis; *quia caro sunt.* In quorum persona, factum est, inquit Propheta, *cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei.* In augusta quippe corporis parte ab authore naturæ naturaliter cor locatum, vbi quasi medium superiorum sensuum arcem, & corporis inferioris sicut populi humilioris quasi quandam regeret & dispensaret rempublicam, totamque circumquaque cogitatuum & actionum regionẽ: ad cõcupiscentiæ carnalis ignem degenere quadam mollitie liquescens, totum defluxit in ventrem, & in medium ventris: videlicet non sapiẽs nisi ea quæ sunt ventris, & de ventre in ventris inferiora; omnia confundens, omnia degenerans, omnia adulterans: amoris naturalem affectum peruertens in brutum quẽdam carnis appetitum, non solùm quæ non licet appetentem, in contumelijs corporis, in passionibus ignominiæ; sed adeo oblitum suæ antiquæ generositatis, vt qui creatus erat Deo soli, à corruptis & corruptoribus suis æstimetur esse potiùs luxuriæ naturale domicilium, & vitiorum omnium prostibulum. Infelices, qui intantum naturã reclamante sibi viluerunt; vt animæ suæ locum, qui proprius Dei creatoris erat, & nulli creaturæ communicabilis, sedem Sathanæ, sedem spurcitiarum & omnis immunditiæ constituerent.

Genes. 6.

Psal. 21.

Amore Deo soli creatus fit vitiorum prostibulum

CAPVT II.

Amoris declaratur origo, & imago Sanctæ Trinitatis in anima.

Actvri igitur de amore, prout dederit ipse, cujus amori operis ipsius sudat intentio, primùm quasi à primordijs ejus narrationis seriem inchoantes, quasi per succedentes sibi ætates, profectuum ejus processum ordiamur, vsq; ad senectam vberem, quæ non est plena senilis doloris: sed plena misericordiæ vberis. Sic enim secundum ætatum incrementum vel detrimentum puer mutatur in juuenem, juuenis in virũ, vir in senem; secundum qualitatum mutationes etiam ætatum nomina mutantes: sic secundum virtutum profectum voluntas crescit in amorẽ, amor in charitatem, charitas in sapientiã. Nec debet latere de amore, de quo agimus, quibus ortus sit natalibus: qua nobilitatis linea insignis habeatur: vel quo oriundus loco. Primumque natiuitatis ejus locus, Deus est. Ibi natus, ibi alitus, ibi prouectus; ibi ciuis est, non aduena, sed indigena. A Deo enim solo amor datur, & in ipso permanet: quia nulli nisi ipsi & propter ipsum debetur. Porrò si de natalibus ejus agitur, cùm Trinitas Deus hominem crearet ad imaginem suam, quandam in eo formauit trinitatis similitudinem, in qua & imago Trinitatis creatricis reluceret, & per quem nouus ille mundi incola, simili naturaliter ad simile sibi recurrente principio suo, creatori suo Deo; indissolubiliter inhæreret, si vellet: ne multiplici creaturarum varietate illecta, abstracta, distracta, creata illa trinitas inferior, à summæ & creatricis Trinitatis vnitate recederet. Etenim cùm in faciem noui hominis spiraculum vitæ, spiritualem vim, id est intellectualem, quod sonat spiratio & spiraculum; & vitalem, id est animalem, quod sonat nomen vitæ, infudit, & infundendo creauit: in ejus quasi quadam arce vim memorialẽ collocauit; vt creatoris semper potentiam & bonitatem memoraret. Statimq; & sine aliquo more

Nulli amor debetur, nisi Deo, & propter Deum.

interstitio memoria de se genuit rationẽ: & memoria & ratio de se protulerunt voluntatem. Memoria quippe habet & continet quò tendẽdum sit, ratio quòd tendendum sit; voluntas tendit. Et hæc tria vnum quiddam sunt, sed tres efficaciæ; sicut in illa summa Trinitate vna est substantia, tres personæ. In qua trinitate, sicut Pater genitor, Filius genitus, & ab vtroq; procedit Spiritussanctus: sic ex memoria ratio gignitur, ex memoria & ratione volũtas procedit. Vt ergo Deo inhæreret creata in homine rationalis anima: memoriam sibi vendicauit Pater, rationem Filius, voluntatem ab vtroque procedentem ab vtroque procedens Spiritussanctus. Ecce quibus orta natalibus voluntas: cujus natiuitatis, cujus adoptionis, cujus dignitatis, cujus nobilitatis. Quæ cùm præueniente & cooperante gratia Spiritui ipsi sancto, qui Patris & Filij amor est & volũtas, bono sui assensu incipit inhærere, vehementer incipit velle quod Deus vult, & quod volendum memoria suggerit, & ratio: & vehementer volendo amor efficitur. Nihil est enim aliud amor, quàm vehemens in bono voluntas. Per se enim volũtas simplex est affectus, sic animæ rationali inditus, vt sit capax tam boni quàm mali: bono replendus cùm adjuuatur à gratia; malo, cùm sibi dimissus deficit in semetipso.

Memoria, ratio, & voluntas imago S. Trinitatis.

Caput III.

Liberum arbitrium, vnde habet amor, vt sit vitiosus, vel honestus.

NE enim à creatore aliquid animæ deesset humanæ, libera in vtramvis partem data est & voluntas: quæ cùm adjuuanti concordat gratiæ, virtutis accipit profectum & nomen, & amor efficitur: cùm sibi dimissa seipsã secundũ seipsam frui vult, sui in seipsa patitur defectum: & quot vitia, tot vitiorum sortitur nomina, cupiditatis, auaritiæ, luxuriæ, & alia hujusmodi. Primo itaq; profectu suo voluntas quasi in Pythagoricæ literæ biuio libera constituta, si secũdum dignitatẽ natalium suorũ erigitur in amorem; secundum naturalem virtutum suarum ordinem de amore, vt dictum est, in charitatẽ, de charitate proficit in sapientiam: sin autem, nullo ordine sui, justa tamen ordinatione Dei, præcipiti acta ruina, tenebris confusionis obruta, sepelitur in inferno vitiorũ, nisi à gratia citiùs ei fuerit subuentũ. Si verò viã inferni relictã sursũ gressum cœperit attollere, & gratiam sequens deducentem & enutrientẽ, adulta fuerit in amorem: jam in juuentutis constituta fortitudine, à spiritu timoris, quo hactenus vt puer timebat pœnam, in spiritum pietatis incipit proficere; in eum, à quo jam incipit nouam gustare gratiam: piè jam incipiens amare Deum, & colere, de quo scriptum est. *Pietas est cultus ejus.*

Voluntas à gratia proficit, à seipsa deficit.

Y Litera Pythagora.

Iob 28. secundùm 70.

Caput IV.

Amoris juuentus sancta insania fervens.

HIc ergo juuenis, non ætatis sed virtutis, naturalem exerat fortitudinem & virtutem. Nec juventutis, (licet à ratione ea vetetur corrumpere,) naturalia perdat incentiua; quibus si insaniunt qui corrumpunt; qui in imagine pertranseunt; quorum spiritus vt spiritus bestiarum vel pecorum; quorum carnes, juxta Prophetã, vt carnes sunt asinorum: multò magis eos qui in veritate sunt amoris, & spiritualibus ejus aguntur incentiuis, in spiritualis juuentutis fervore, suo decet modo insanire. Grauis enim opprobrij res est in naturam, si plus in deterius proficere possunt ejus corruptores: quàm in bonum veri amatores. Audi sanctam insaniam. *Si mente,* inquit Apostolus, *excedimus, Deo.* Vis adhuc audire insaniam? *Si dimittis,* inquit, *peccatum, dimitte: sin autem dele me de libro quem scripsisti.* Vis alium? Ipsum audi Apostolum. *Optabam,* inquit, *anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Nonne quædam mentis bene affectæ sana quædã videtur insania, quod impossibile sit effectu, habere fixum in affectu: pro Christo anathema velle esse à Christo? Hæc ad Sancti Spiritus aduentum Apostolorum fuit ebrietas: hæc Pauli insania, cùm diceret ad eũ Festus. *Insanis Paule.* Mirumne erat, si insanire pronunciabatur: qui in ipso mortis periculo ipsos Iudices suos, à quibus pro Christo judicabatur, ad Christum conuertere nitebatur? Non hanc insaniam multæ literæ in eo faciebant, sicut dicebat Rex, veritatẽ intelligens, sed dissimulans: sed, vt dictum est, S. Spiritus ebrietas, in qua & in paruo & in magno similes eos sibi facere gestiebat, qui eum judicabant. Et vt cætera omittam, quæ major, quæ magis inopinata insania, quàm hominem relicto sæculo desiderantẽ & ardentem inhærere Christo, pro Christo rursum necessitate obedientiæ & charitatis fraternæ inhærere sæculo: tendentem in cœlum semetipsum mergere in cœnum? Hic est Benjamin adolescentulus, qui in mentis suæ excessu nec se, nec suum aliquid sentit: sed eum solum, in quem totus excessit. Hac insania insani erant sancti Martyres inter tormenta ridentes. Cur hic non dicam, quod in fervore lasciuiæ suæ lascivus Poëta dicebat, *Insanire libet?* Hic ergo decet, emineat feruor iuuenilis, & feruens religionis cursus: qui quamvis in hoc adhuc statu nec habeat nec habere debeat, frænũ tamen patitur rationis. Fervorem enim nouitiũ non decent illæ misericordes in seipsum discretiones, & discretionum dispensationes, facilesq; indulgentiæ suo judicio: non tamen recusandæ sunt alieno. A seipso in seipsum rigida debet esse censura, & districta seueritas: ad regentem vel consulentem, paternam vel fraternam charitatẽ & pietatem, lenis & obediens in omnibus humilitas. Si alterum desit: vel in deside & tepido nõ spero cursus perseuerantiam: vel in præcipiti timeo ruinam. Propter quod tota debet esse discretio nouitij, stultũ se in omnibus pro Christo facere, & ex alieno pendere arbitrio: maximè si seniorem talem habet, de quo certum sit, quod à Deo discit, quod homines docet. Vbi tamen proficienti vel obedienti non facile præsumẽda est judicandi licentia, quandiu manifestè nil cõtra Deum præcipitur: donec longa & patiens experiẽtia intellectũ super his dabit auditui. Ad eam verò maximè semper se obedientiã studeat exercere, de qua scriptum est. *Castificantes corda vestra in obedientia charitatis. Hæc est enim voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.*

Ezech. 23.

1. Cor. 5.

Exod. 32.

Rom. 9.

Amor impossibilia optat.

Actor. 26.

Psal. 67.

Discretio nouitij qua.

1. Petri. 1.

Rom. 12.

Caput V.

Quæ ad amorem sanctum obtinendum sint præstanda.

AD hæc autem obtinenda & conseruanda, continua appetenda sunt præsidia sedulæ & longanimis orationis: in qua tanta sit fides, vt speret omnia: tanta deuotio, vt Deum videatur cogere: tantus amor, vt omnia quæ petit, in ipsa oratione se sentiat obtinere: tam benigna humilitas, vt in omnibus non suam, sed Dei in se volunta-

luntatem fieri præoptet. Studeat etiam habere hic talis, & amplectatur cordis puritatem, corporis munditiam, silentium vel verbum ordinatum, oculos stabiles & non sublimes, aures non prurientes, victum & somnum sobrium, & qui faciat, non impediat boni operis diætã: manus continentes, gressum mitem, non ridendo prodere cordis lasciuiã, sed leniter subridendo gratiam: meditationes spirituales & assiduas, oportunas lectiones & non curiosas: ad majores subjectionem, ad seniores reuerentiam, ad juniores dilectionem: non desiderare præesse, amare subesse, omnibus cum quibus est, velle prodesse: non seueritate obrui, non leuitate exinaniri: in vultu serenitatẽ, in corde ad omnes habere dulcedinem, in opere gratiam. Hic etiam & locus & tempus est voluptates amputandi, vitia omnia extirpandi, voluntates frangendi: vt cæteris non voluntatibus, sed voluntatum simulachris, præcisis & amputatis, sicut adulterinis quibusdam & sponte nascentibus ramusculis: spes proficiendi augeatur naturali & veræ voluntati. Illæ enim non tam sunt voluntates quàm appetitus animæ: cõcupiscentia scilicet carnis, concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. Hic qui plus amat, plus currat. Hic labor, hic opus est, labor multorum sudorum, opus laborum multorum: maximè cum cœcus adhuc amor quod facit faciat, sed nesciat adhuc vnde veniat, aut quò vadat: & sic hujusmodi operetur affectibus, sicut cæcus manibus: qui manibus quidem operatur, sed nec manus videt quibus operatur, nec opus quod operatur. Sicut enim si videns quis in aliquod opus erudiat nõ videntem, trahit docendum, curuat, erigit, & disponit in vsum quemdam potiùs, quam in artẽ eum agens suscepti operis: sic per omnia quæ supràdicta sunt, cœcus amor extrinsecus in quãdã vitæ & morũ formatur honestatẽ. Cùm verò interioris hominis substantia longo disciplinæ vsu emollita plenè poterit imprimi & informari in eorum formam, tunc fructum pacatissimum operabitur salutis: tunc in re non specie horum omnium & similium percipiet vtilitatem. Quæcumque enim obseruanda suprà texuimus, nondũ sunt in * affectu, sed in desiderio, & rationis magisterio: & de his omnibus humiliter adhuc cantat ad Deum. *Concupiui desiderare justificationes tuas.* Sicut tamen dixi de cœco, quamvis adhuc non videat oculus, non cesset operari manus: vt qui proficere vult in magno, fidelis sit in minimo: & in eo in quo ex conditoris largitate jam prærogatum habet jus potestatis, officium exhibeat bonæ voluntatis, in corpore scilicet proprio. Faciatque quod dicit Apostolus. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire justitiæ in sanctificationem.* Ac si dicat. Cùm amor transierit in charitatẽ; cùm anima perfectam suam adepta fuerit puritatem; tunc vobis dicam vel indicam longè aliud quid & diuinum: nunc interim accipite istud humanum: vt sicut in tempore veteris negligentiæ & peccati liberi fuistis justitiæ; justitiæ in nullo, in omnibus autem peccato exhibentes membrorum officium, & hoc ad iniquitatem: sic amodo exhibeatis membra vestra seruire justitiæ in sanctificationem. In quo si fidelis, vt dictũ est, apparuerit: incipiet in seipso

Virtutes veri Religiosi.

1. Ioan. 2.

Amor carnalis vt in spiritualem transeat.

** Fortè effectu,*

Psal. 118.

Rom. 6.

experiri, quod Dauid dicit. *In nomine tuo leuabo manus meas: sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Si enim spiritu facta carnis mortificauerit: si Deum in corpore suo glorificauerit: ex hoc anima adipe gratiæ & pinguedine sancti Spiritus repleta renouari incipit, *spiritu mentis* suæ; & induere *novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Ex hoc enim jam rerum facies noua ei incipit apparere: charismata meliora in quorum æmulatione hactenus laborauerat, familiariùs se ei aperire: corpus sanctis humiliatum disciplinis ex consuetudine jam bona in spontaneum spiritus seruitium transire: noui hominis interior facies de die in diem renouari, & vsque ad speculanda bona Dei reuelari. Iam frequentes & improuisæ theophaniæ, & sanctorum splendores animam continuo desiderio laborantem incipiunt refocillare, & illustrare: quia sapientia occurrens in vijs hilariter, sicut dicit Iob, *abscondit lumen in manibus; & præcepit ei, vt rursus aduenīat: & annunciat de ea amico suo, quòd possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere.* Ex quo jamdiu laborans anima insolitas quasdam & dulces affectiunculas incipit colligere, in quibus tenerè requiescit, cùm adsunt; cruciatur, cùm auferũtur, & non redeunt ad votum. Sicut enim ruri enutrita, & ruralibus assueta cibarijs, cùm affectiones has, quas diximus, quasi in primo ingressu aulæ regiæ cœperit degustare: nonnumquam ignominiosè depulsa, violenter expulsa in domum paupertatis suæ vix vltra redire acquiescet. Et frequenter ianuam recurrens, importuna, improba, & anxia sicut inops, sicut mendica, sperans, suspirans, inspicit, suspicit, si quid ei porrigatur; si quando aperiatur. Et aliquando improbitate sua & importunitate sic omnia vincit obstacula & transgreditur; vt vsq; ad interiorem sapientiæ mensam præcipiti transiliens desiderio, impudens & illico reexpellenda assideat conuiua, & audiat. *Comedite amici; bibite & inebriamini carissimi.* Ex hoc iam innascitur sanctæ paupertatis amor, latendi studiũ, odium sæcularium distractionũ: orationis vsus, psalmodia frequens.

Psal. 62.

Coloss. 3.

Hominis renouati gratia & priuilegia.

Iob 28.

Pia improbitas amantis.

Canti. 5.

CAPVT VI.

Grave amoris impedimentum detegitur.

SED graue hic, nisi caveatur, occurrit tentationis impedimentum, quod multorum cursum vsque huc prosperum & felicissimũ vel grauiter retardet: vel retro nonnumquam in quãdam teporis ignauiam reflectat. Quod enim à patre pio in via accipit ne deficiat, sic incipit habere quasi sufficiat: & hic proficiendi metam constituens, vbi desinit proficere, ibi incipit deficere. Quinetiam conculcans gratiam Dei, & vanam de ipsa contra ipsam sibi fabricans fiduciam, vel in ore, vel in corde jactat se non vsquequaque à Deo derelictum, toties sibi judiciũ manducans & bibens, quoties visitationis & consolationis à Deo percipit gratiam: & exinde non in Deum, sed in voluntatum suarum executionem præsumit fiduciam. *Inimici Domini,* ait Psalmista, *mentiti sunt ei: & erit tempus eorũ in sæcula. Et cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle satutavit eos.* Audi cibatos, & audi inimicos. Audi saturatos, & audi mentitos. Audi non solum frumentum sed adipem frumẽti; non petram, sed mel de petra; occultam scilicet & diuinam sacramentorũ gratiam; de qua

Præsumptio quàm cauenda.

Psal. 80.

saturati perhibentur, qui inimici esse conuincũtur. Qui si non fuissent inimici, non tam citò potuissent saturari. Qui enim saturatus est, nõ plus petit quàm accipit, quia plenus est: & quod habet satis ei est. Hoc est post primam illuminationem, vt ait Apostolus, post gustum doni cœlestis, post participium Spiritussancti, post gustum nihilominus boni verbi Dei, virtutumque sæculi futuri, voluntariè peccando post acceptam notitiam veritatis, rursum sibimetipsis filiũ Dei crucifigere, & conculcare; & sanguinem testamenti pollutum ducere, in quo sanctificati sunt; & spiritui gratiæ contumeliã facere. Quid enim est aliud, filium Dei sibi crucifigere, quàm facere mala, vt veniant bona: confidenter peccare, & cruci Christi quicquid peccant imponere? O si audiant quod sequitur. *Terra sæpe superuenientem bibens imbrem, & generans herbã oportunam his à quibus colitur, accipit benedictionem à Domino: proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus finis est in cõbustionem.* Sed redeamus *ad meliora*, vt ait ipse Apostolus, *& viciniora saluti*. Iam ergo bonæ spei iuuenis, cuius Deus iuuentutem incipit lætificare, crescere incipit, *in virum perfectum: in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Hebr. 6. *Gratiã Dei negligere quàm periculosum.* *Hebr. 10.* *Hebr. 6.*

CAPVT VII.

Charitatis excellentia describitur.

IAm enim amor incipit confortari & illuminari: & transire in affectum & nomen maioris virtutis, & amplioris dignitatis. Amor quippe illuminatus charitas est. Amor à Deo, in Deo, ad Deum, charitas est: charitas autem Deus est. *Deus*, inquit, *charitas est.* Breuis laus, sed concludens omnia. Quicquid de Deo dici potest, potest dici & de charitate: sic tamen vt considerata secundum naturas doni & dantis, in dante nomen sit substantiæ, in dato qualitatis: sed per emphasin donum etiam charitatis Deus dicitur, in eo quod super omnes virtutes virtus charitatis Deo cohæret & assimilatur. De charitate quid dicemus? Audiuimus famam eius: non nouimus eam, non vidimus eam. Apostolus eam nouit, qui excellentiorem viam eam appellans, in laudem eius totum se effudit dicens. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar & Angelorum; charitatem autẽ non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero: nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum, vt ardeat, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest. Charitas patiens est: benigna est. Charitas non æmulatur: non agit perperam: non inflatur; non est ambitiosa; non quærit quæ sua sunt. Non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas numquam excidit. Siue prophetia, euacuabuntur: siue linguæ, cessabunt: siue scientia, destruetur. Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc, major autem his, est charitas.* Hoc est jugum Domini suaue: & onus leue. Onus quod portantem portat & leuigat: onus leue Euangelij; suaue eis, quibus dicit ipse Dominus. *Iam non dicam vos seruos: sed amicos meos.* Qui enim priùs non poterat portare præcepta legis: postea leuia habet præcepta Euangelij, per cooperantem gratiam. Qui primùm non poterat implere, *Non occides*: postea leue habet, *pro fratribus animam ponere*: & sic de reliquis. Sic cùm iumento imponitur graue onus, & refugit quasi importabile, adducitur quadriga volubilis, id est Euangeliũ discurrens per totum mundum: & onus quod quasi graue refugiebat primùm, postea sine labore trahit duplicatum. Sic auicula quæ implumis & sine alis seipsam non potest portare: pondere plumarum & alarum addito auolat sine labore. Sic & panis durus, qui per se non potest transire, adiectione lactis vel alterius liquoris colabilis fit in gutture. Amor ergo priùs habuit conatum & aliquem affectum: charitas habet effectum. Iam enim tantò leuiùs operatur charitatis manus: quantò eam adiuuat illuminatus oculus. Primùm quippe operamur per manum: deinde manu tergimus oculum. Vnde dicit. *A mandatis tuis intellexi.* Iam enim incipit opera sua intelligere: & affectiones discernere. Iam sic afficitur virtutibus, vt sicut Deo hoc est esse, quod bonum esse: sic iam iustæ & sanctæ animæ non aliter sit esse, quàm sanctè, & iustè, & piè esse. Sanctè in seipsa; iustè ad omnes; piè ad Deum. Ex augmento enim gratiæ Dei sic afficit iustam animã iustitiæ affectus, vt iam in nulla sui parte, vel cogitatuum, vel affectuum, vel actuum, sciat vel possit esse, nisi iusta: in toto suo, in omni eo quod est iustitię, plenè & indissolubiliter affecta. Vnde dicit Apostolus. *Charitas numquã excidit.* Aliquando quidem titubat vel deuiat affectionis vel operis effectus, quamdiu in hac vita non potest videre charitas, nisi ex parte, & per speculum, & in ænigmate: sed integer tamen semper & solidus in sua virtute suus permanet affectus. Aliud quippe est affectus, aliud affectio. Affectus est, qui generali quadam potentia, & perpetua quadam virtute firma & stabili mentẽ possidet, quam per gratiam obtinuit: affectiones verò sunt, quas varias varius rerum & temporũ affert euentus. Infirmitas enim carnis ex vitio primæ originis sæpe offendit, sæpe cadit, sæpe lædit grauiter & læditur: mente interiùs dolẽte & patiente potiùs quàm agente, quod perperã foris in carne geritur: nec charitatem perdente, sed ex charitate gemente, & clamante ad Deũ. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Vnde idem Apostolus, *Ego*, inquit, *ipse mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati.* Et rursum. *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Itaque quisquis ille est, sicut dicit beatus Ioannes, secũdum hoc quod natus est ex Deo, id est, secundum interioris hominis rationem, intantum non peccat, inquantum peccatum quod corpus mortis foris operatur, odit potiùs quàm approbat: semine spiritualis natiuitatis, quo ex Deo natus est, eum interiùs conseruante: quod etsi interim aliquando incursu peccati læditur, & atteritur, radice tamen charitatis in altum defixã non perit: imò statim fœcundiùs & viuaciùs cõualescit in spem boni fructus & surgit. Sic enim dicit beatus Ioannes. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Notanda vis verborum. *Non*, inquit, *peccatum facit*, quod patitur potiùs quàm facit, qui natus est ex Deo; *& non potest peccare*, perseuerãdo scilicet in peccato; dum legi Dei, cui mente seruit, etiam carnẽ

1. Ioan. 4. *1. Cor. 13.* *Sine charitate cætera nõ prosunt.* *onus Christi portantem portat.* *Ioan. 15.* *Exod. 20.* *1. Ioan. 3.* *Pulchra similitudo.* *Psal. 118.* *1. Cor. 13.* *Affectus & affectionis discrimen.* *Rom. 7.* *Ibidem.* *1. Ioan. 3.*

festinat subigere: quæ tentatione & peccato incurrente legi peccati videbatur seruire. Petrus cùm peccauit, charitatem non amisit: quia peccauit potiùs in veritatem, quàm in charitatem: cum eius se non esse, mentitus est in ore, cuius totus erat in corde: ideoque negationem falsitatis continuò lacrymis lauit veritas charitatis. Sic & Dauid cùm peccauit, charitaté non perdidit: sed obstupuit quodammodo in eo charitas ad vehementem tentationis ictum; & charitatis in eo nequaquam facta est abolitio, sed quasi quędam soporatio: quæ mox vt ad vocem arguentis Prophetæ euigilauit, continuò in illam ardentissimæ charitatis confessionem erupit. *Peccaui Domino.* Et continuò audire meruit. *Et Dominus transtulit à te peccatum tuum: non morieris.*

Matth. 26. Cautè lege & vide notas.

2. Reg. 12.

CAPVT VIII.

Quinque sensus animæ, quibus mediante charitatę Deo conjungitur.

ADHVC in laude charitatis, amor in fide est & spe: charitas in seipsa est, & per seipsam. Potest etiam esse, vt fides & spes sint sine charitate: vt autem charitas fidem & spem in se non contineat, nõ potest esse. Fides enim, quod amatur, esse asserit: spes promittit. Amat igitur, qui in fide & spe amat; sicut amari potest, quod creditur tantùm & speratur: charitas verò creditum vel speratum jam habet, iam tenet, jam complectitur. Amor igitur Fidei & spei Deum videre desiderat, quia amat: charitas quia videt amat. Ipsa enim est oculus, quo videtur Deus: habet enim anima etiam sensus suos: habet visũ suum vel oculum, quo videt Deum. Sicut enim corpus suos habet quinq; sensus, quibus animæ conjungitur vitâ mediante: sic & anima suos quinque sensus habet, quibus Deo conjungitur mediante charitate. Vnde dicit Apostolus. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.* Hic ostenditur, quia per sensus corporis veterascimus, & huic sæculo cõformamur: per sensum verò mẽtis renouamur in agnitionem Dei, in nouitatem vitæ, secundum voluntatem & beneplacitũ Dei. Quinque enim sunt sensus animales vel corporales, quibus anima corpus suum sensificat: vt ab inferiori incipiam, tactus, gustus, odoratus, auditus, visus. Similiter quinque sunt sensus spirituales, quibus charitas animam viuificat: id est, amor carnalis parentũ, amor socialis, amor naturalis, amor spiritualis, amor Dei. Per quinque sensus corporis mediante vita corpus animę conjungitur: per quinque sensus spirituales mediante charitate anima Deo cõsociatur. Tactui comparatur amor parentum: quia affectus iste promptus omnibus, & quodammodo grossus & palpabilis, sic se omnibus naturali quodam occursu præbet & ingerit, vt effugere eum non possis, etiamsi velis. Tactus enim sensus est totus corporalis, qui ex quorumlibet corporum conjunctione conficitur: si tamen vnum eorum aut vtrumque viuat, vt tactus esse possit. Sicut igitur quaquam te verteris, corpus tuũ non potest esse sine tactu: sic nec anima tua sine hoc affectu. Propter quod in Scripturis amor iste non multum cõmendatur: imò ne sit nimius coërcetur, dicente Domino. *Si quis non odit patrem & matrem: non potest meus esse discipulus.* Secundo gustui comparatur amor socialis, amor fratrum, amor Sanctæ & Catholicę Ecclesiæ, de quo scriptum est. *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in vnum:* quia sicut per gustum vita administratur corpori: sic illic mandauit Dominus benedictionem & vitam. Gustus etiã licet corporaliter exerceatur: saporem tamen introrsum generat, quo anima afficitur. Propter quod corporalis quidem maximè hic sensus: sed tamen ex parte aliqua etiam animalis esse comprobatur. Sic & amor socialis, quia ex corporali cohabitatione in vnum ex similitudine professionum ex parilitate studiorum, alijsque hujusmodi causis confœderatur, mutuisque officijs enutritur: maximè animalis esse videtur. Sed tamen ex magna parte etiam spiritualis est: quia sicut sapor est in gustu, sic affectus fraternæ charitatis fragrat in affectu, de quo scriptum est. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti ejus: & sicut ros Hermon*, id est exaltati luminis, *qui descendit in montem Sion.* Tertiò odori comparatur amor naturalis, qui naturaliter ex ipsius naturæ similitudine & consortio, absque omni spe recompensationis omnem hominem diligit: qui ex occultis naturæ recessibus veniẽs, & animæ se ingerens, nihil humanũ ab ea patitur esse alienum. Sensus autem iste magis animalis esse videtur, quàm corporalis, id est odoratus: quia ad creandum eum interiùs corpus nil agit, præter leuẽ instrumenti sui, id est narium, attractũ, & licet haustus per corpus, animam tamen afficit, non corpus. Sic & amor naturalis magis spiritualis esse videtur, quàm animalis: quia præter solum connaturalis humanitatis respectũ, non consanguinitas, non societas, nec aliqua omnino in eo necessitudo huiusmodi consideratur. Quartò, auditui comparatur amor spiritualis: amor inimicorum. Auditus enim nihil interiùs, id est intra corpus operatur: sed exteriùs quodammodo, id est ad aures pulsans animam euocat, vt exeat & audiat. Sic & amorem inimicorũ in corde nulla vis naturæ, nullius alicuius necessitudinis suscitat affectus: sed sola obedientia, quæ per auditum significatur. Ideoque amor iste spiritualis dicitur. Ideo etiam, quia ad filij Dei similitudinem, & filiorum Dei proficit dignitatem, dicente Domino. *Benefacite, his qui vos oderunt: vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est,* & reliqua. Quintò, visui comparatur amor diuinus. Visus enim principalis est sensus: sicut inter omnes affectiones principatum obtinet amor diuinus. A visu oculorum cæteri sensus omnes videre dicuntur, cùm solus videat oculus: dicimus enim, tange & vide, gusta & vide; sicque de reliquis. Sicque ab amore diuino cætera dicuntur amari, quæ bene amantur: cùm luce clariùs constet, nil debere amari, nisi propter Deũ: nec amari rem, quæ propter aliud quid amatur; sed id potiùs propter quod amatur. Vnde est. *A quo omnis paternitas in cœlo & in terra cognominatur.* Visus vis est quædã animæ mera, & potens, & pura. Sic & amor diuinus, potens est, quia magna operatur, si est purus: quia sicut ait ille, *nihil inquinatum in eum incurrit.* Non enim dignatur Deus amari cum alia aliqua re, quæ propter ipsum non amatur. Visus in eminenti corporis arce, & insigni capitis loco positus, etiam secundum ipsius corporis formã infra se habet & ordine & dignitate, & virtutis potẽtia, omnia cæterorum sensuum instrumenta; ipsosque sensus, quos vt ita dicam, animaliores,

Charitas nõ est sine fide & spe.

Animæ sensus qui sint. Rom. 12. Ephes. 6.

Quinque sensus animæ, seu amores.

Amor parẽtum tacti cõparatur.

Luc. 14.

Amor socialis gustui.

Psalm. 132.

Amor naturalis odori.

Amor inimicorum auditui.

Matth. 5.

Amor diuinus visui.

Ephes. 3.

Sapient. 7.

propinquiores: quos verò corporaliores, remotiores. Infimus enim omnium, & cæteris ignobilior tactus, licet communis esse videatur totius corporis: tamen propriè manuum est. Sic mens quæ caput est animæ, & principale ipsius mētis, sedes esse debet amoris Dei, vt sub se habeat & regat & illustret cæteros amores: nec sit in eis, quod se abscondat à calore & lumine ejus: quos spiritualiores habens propinquiores, quos animaliores vel carnaliores remotiores: cùm dilexerimus Dominū Deum nostrum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, & ex omnibus viribus nostris: & pòst, proximum nostrū sicut nos ipsos. Visus in digniori, vt diximus, corporis loco sedem habens, etiam super ipsam animalitatis virtutē aliquid moliri videtur: & mentis vel memoriæ, quantum fas est, gestit imitari virtutem: vno horæ momento dimidium cœli peruolans, vno momenti puncto plurima terrarum stadia transvolans. Sic & illuminatus amor Dei suam in anima Christiana sedem obtinens, ad quandam diuinæ potentiæ similitudinem eā prouehit: dum omnem creaturam angustam & breuem, imò nullam, videri facit ad comparationem Dei: dum confidit sua esse omnia quæ Patris sunt: dum omnia ei cooperantur in bonū: dum *siue Paulus, siue Cephas, siue mors, siue vita, siue omnia*, ejus sunt: & *fidelis viri totus mundus diuitiarum est*. Visus ergo ad videndum Deum naturale lumen animæ ab authore naturæ creatus, charitas est. Sunt autem duo oculi in hoc visu, ad lumen quod Deus est videndū naturali quadam intentione semper palpitantes; amor & ratio. Cùm alter conatur sine altero, non tantùm proficit: cùm invicem se adjuuant, multùm possunt: scilicet cùm vnus oculus efficiuntur, de quo dicit Sponsus in Canticis. *Vulnerasti cor meum, ô amica mea, in vno oculorum tuorum*. In hoc autem plurimùm laborant suo vnusquisq; modo, quod alter eorum, id est ratio, Deum videre non potest, nisi in eo quod non est: amor autē non acquiescit requiescere, nisi in eo quod est. Quid est enim quod ratio omni conatu suo possit apprehendere vel inuenire, de quo dicere audeat, hoc est Deus meus? Intantùm enim solum modo potest inuenire quid est: inquantum inuenit, quid non est. Habet etiam ratio suos quosdā tramites certos, & directas semitas quibus incedit: amor autem suo defectu plus proficit, sua ignorantia plus apprehendit. Ratio ergo per id quod non est, in id quod est videtur proficere: amor postponens quod non est, in eo quod est gaudet deficere. Inde quippe processit: & naturaliter in suum spirat principium. Ratio majorem habet sobrietatem; amor beatitudinē. Cùm tamen, vt dixi, inuicem se adjuuant, & ratio docet amorem, & amor illuminat rationem, & ratio cedit in affectum amoris: & amor acquiescit cohiberi terminis rationis: magnū quid possunt. Sed quid est, quod possunt? Sicut proficere proficiens in hoc, & hoc discere non potuit nisi experiendo: sic nec cōmunicare potest inexperto: quia sicut dicitur in sapiētia, *In gaudio ejus non commiscebitur extraneus*.

Visus & diuini amoris cōparatio.

Rom. 8.

Amor & ratio oculi duo ad videndū Deum.

Prouer. 14.

CAPVT IX.

Amor charitatis perimit amorem sæculi.

EX hoc jam animam suauitate hactenus, & delitijs amoris tenerè nutritam, sed & nonnumquam paternæ pietatis disciplinis attritam: ex hoc jam, inquam, fortis vt mors dilectio peruadit, dulci amoris gladio ab amore & affectu sæculi sic occidens eam funditus & interimens, sicut mors interimit corpus: intantum vt dici possit de eo, quod de Enoch, scilicet quod non invenitur in sæculi actibus, quia transtulit eum Deus. Sed corpus morte sua mortificatur ab omnibus sensibus suis, anima sua morte magis proficit & viuificatur, & roboratur in suis: fortiter & constanter & prudenter incedens jā in semitis suis omnibus & gressibus: & quocūque hactenus ignorando, dubitando, & palpādo, vix audebat tendere pedem boni assensus. *Fortitudo enim simplicis via Domini*. A sæculi verò actibus & affectibus sic mortificantur: sicut Paulus Apostol[us]. *Mihi*, inquit, *mundus crucifixus est: & ego mundo*. Cùm enim alter non curaret de altero, cùm suis ligati affectibus ad se inuicem non poterant vel non curabant accedere: sibi inuicem crucifixi erant Paulus & mundus. Sed tamen cùm Pauli conuersatio tota esset in cœlis, non recusabat, quandocumque necessaria erat hominibus in terris. Propter quod cum gemitu dicebat. *Cupio dissolui & esse cum Christo: multò enim melius*. Et ô quàm melius est esse cum Christo. Esse enim Christum cum Paulo, sicut dixit, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, sic inquam esse Christū cum Paulo, magna Pauli securitas: esse verò Paulū cum Christo, vel hic per contemplationē, vel ibi per beatitudinis præsentiā, beata & gloriosa Pauli felicitas. Charitas verò Dei sursum eum attollebat: charitas verò proximi infrà eū premebat, quasi à collo dependens. Vnde sequitur & dicit. *Permanere autem in carne, necessarium propter vos*.

Gene. 5.

Prouer. 10.

Gala. 6.

Phili. 1. & 3.

Mat. 28.

Philip. 1.

CAPVT X.

Septiformis Spiritus animam charitate flagrantem illuminat & docet.

AFFECTVS ergo charitatis Deo indissolubiliter inhærens, & de vultu ejus omnia judicia sua colligens, vt agat vel disponat exteri[us], sicut voluntas Dei bona & beneplacens dictat ei interius, dulce habet in vultum illum semper intendere: & sicut in libro vitæ, leges in eo sibi legere viuendi, & intelligere, illuminare fidem, roborare spem, suscitare charitatem. Iam enim & Spiritus scientiæ euidenter scientiam docet animam, quid, quomodo sit faciendum: & Spiritus fortitudinis vires vel virtutes subministrat faciendi: Spiritus consilij disponit. Et cùm animæ illi vacat Deo vacare, Deo inhærere: Deo efficitur similis per deuotionis pietatem, & voluntatis vnitatem. Cùm verò ad homines & humana redire cōpellitur à lege vultus Dei, & exhilaratam faciem in oleo illo charitatis Dei tam factis quàm dictis, & etiam glorificatione quadam & gratia exterioris hominis refert ad homines: ipso suo bonitatis quodā habitu & gratia eam sibi exigit vel efficit apud eos reuerentiam, vt etiam in promptu habeat, in quo voluerit eorum obedientiam. Nam etsi ex occulto illo ad vitia delinquentium, & corruptos mores errantium, aliquando exiens ex veritate, & seueritate judiciorum vultus Dei quasi facies cornuta apparet & terribilis: vbi visa fuerint à corrigēdis secundū insolubilem veritatis legem omnia agi & disponi in pondere & mensura, * creditur charitati: & ira illa charitatis intelligitur disciplina. Ideo rotæ in quibus est spirit[us] vitæ semper eunt in voluntatem Dei perficiendam: nec

Hominis caritate praediti studia.

Exod. 34.

*Aliàs ceditur.

reuertuntur ad faciendā suam. Si jubentur præesse, præ sunt in solicitudine: si jubentur subesse, in humilitate: si aliquibus coesse, in charitate. Si prælati sunt, sunt sicut patres ad filios: si subjecti, vt filij ad Patres suos: si conviuentes, omnium seruos se faciunt. Pius ad omnes affectus: dulcis in bono consensus. Occursus in hilaritate: cohabitatio in gratia; discessus in ostensione charitatis. Ad minores, quouis modo, mitis affectio cum opere: ad pares, amor vsq; ad subjectionē: ad majores, reuerentia vsque ad seruitutē. Non quæ sua sūt quærunt, sed quæ sunt omniū: si fieri potest in eis quæ sunt aduersa, sua sæpe faciunt, quæ sunt omniū. Et ad hæc omnia quodcumque lex illa summa ordinaverit, facile habent membra corporis & bonam voluntatē commodare: cùm Spiritussancti arrham vel pignus acceperint seruitutem istam creaturæ, & membrorum suorum breui transituram in adoptionem & reuelationem filiorum Dei.

Caput XI.

Mutua charitas & occupatio Religiosorum habitantium in vnum.

Sed veniamus ad eam, quam dicit Apostolus societatem spiritus, & laudem disciplinæ: ad bonum illud & jucundum cohabitationis fraternæ munus, vbi mandat Dominus benedictionem & vitam, de quo dicit Dominus. *Nolite timere pusillus grex; quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Laus ergo hujus disciplinæ ab Apostolis sumpsit exordium: qui sicut à Domino didicerant, vel à Spiritu sancto, cujus virtute nuper ex alto fuerant induti, modū conviuendi sic sibi instituerunt, vt esset *multitudinis cor vnum & anima vna,* & omnia communia: & essent vnanimiter semper in templo. Hanc Apostolicæ institutionis formam quidā æmulantes, non habent domos, vel diuerticula, nisi domum Dei, domum orationis: omnia quæcumque faciunt in nomine Domini facientes: simul habitantes, vno ordine, vna lege viuentes: nihil habentes proprium, nec ipsa corpora sua, nec voluntates in potestate habentes. Simul dormiunt, simul surgunt: simul orant, psallunt, vel legunt. Fixum & immobile propositum eorum obedire præpositis suis, & subjacere eis. Ipsi verò pervigilantes pro eis, quasi rationem reddituri pro animabus eorum: reipsa eis prædicant, quod in Ieremia populo Israël Godolias legitur prædicasse. *Ego pro vobis respondebo Chaldeis, qui veniunt ad vos: vos autem colligite frumentum vinum & oleum in vasis vestris: & habitate securi in urbibus vestris.* Risūmque cordis sui & gaudium Isaac quotidie Deo pro eis immolantes, filium liberæ, filium repromissionis; reseruant & conservant Ismaël filium seruitutis: cum propter eos fructus negligunt spiritus; & seruiendo ipsorum saluti, actibus seruitutis eorum omnes postponunt affectus profectuum suorum. Ipsis verò perpetuum prædicantes sabbatum, à curis sæculi alienos, à necessitatum anxietatibus reddunt expeditos. Coactis enim in breui necessitatibus ipsis, paruo viuitur. Vilitas in vestibus, sobrietas in victu, & cęteris omnia præfixæ legis terminata limitibus: vt nec plus quis habeat, quàm licet habere: & sufficiat omnibus, nec pl⁹ habere libeat, si habent quod liceat habere. Nūquid non ista esti non terrestris, sed cœlestis paradisus? Sed in ista paradiso solis Prælatis permittitur manducare assiduè de ligno sciētiæ boni & mali; id est dispēsationes administrare discretionis: subditis verò quorum est obedire, nō discernere, siquis illud tetigerit, morte morietur. Omnes omni tempore student oris silentio: inuicem cordis loquuntur affectu. Crebris eorum qui præsunt exhortationibus oleū additur camino: licet plus ipsi mutuo se excitent exemplo. Honore & obsequio inuicem certatim se præueniunt: secundum Apostolum in prouocatione se charitatis inuicem provocantes, inuicē suscipientes. Nullum intra se patiuntur esse solitarium: ne dicat ei Salomon. *Væ soli.* Solitarium verò eum deputant, qui in conscientia sua per confessionem non vult habere socium: vel qui novis & solitarijs adinuentionibus suis cōturbat societatem fratrum. Si quando res exigit, permittitur de rebus animæ vel corpori necessarijs, mite colloquium: sin autem, mitius vbique silentium. Ad studium orationis tanta & tam continua vbique deuotio: vt locus orationis omnis, sicut locus diuinæ dominationis. Psalmorum tam pia, tam consona, tam feruens melodia: vt vitæ & morum, & bonorum affectuum, non musicæ sed charitatis regulis bene compositum melos, quadam consonantiæ similitudine Deo repræsentare & sacrificare videantur. In communibus pietatis studijs, in quadam etiam vultuum & corporum & habituum gratia inuicem in seipsis bonitatis diuinę videntes præsentiam, tanto se affectu complectuntur; vt sicut Seraphim in amorem Dei alter ardeat ex altero: nec vllo modo satis esse possit deferenti, quodcumque alter defert alteri. Hæc est specialis charitatis schola: hic ejus studia exercentur, disputationes agitantur, solutiones non ratiocinationibus tantum, quantum ratione, & ipsa rerum veritate & experientiā terminantur. Hic qui in proficiendo lassus est, si residet ad sarcinas, quas adhuc de suis & cohabitantium necessitatibus secum trahit, non morietur: nec retro regredi, nec vltra procedere, lege compelletur. Et si fideliter residens hic sarcinas custodierit: in triumpho victoriæ parum ei erit dissimilis, qui vlteriùs processerit. Nonne locus est sarcinarum, vbi patimur eos qui per potentiam nos opprimunt, quasi caput nostrum conculcantes, inimicos supra dorsum fabricantes: filios quasi in medio cordis amplexibus * inhærentes: foris pugnæ, intus timores; quotidiana, imò continua omnium solicitudo?

Caput XII.

Senectus amoris; & quatuor in Deum amoris affectus.

Sed adhuc habet Idithum quo transiliat; adhuc grandis restat via ascendenti ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Vlteriùs tamen procedere fas non est cum sarcinis. Sed & senectuti sua debetur reuerentia. Ex hoc enim jam senectus incipit, non apta sarcinis, sed venerabilis, non annorum sed virtutum numero cōputata; spirans sapientiæ maturitatem, & requiem laborum, quasi emeritæ militiæ præmiū. Suscipiens enim sapientia proficiendi iter perficiendum, charitatem quidem non abjicit, non deserit, sed provehit; sed tamen pertæsum habet, vt dictum est, sarcinas ejus portare, quæ alijs jam rebus intendens, parare se & aptare conatur ad intrandum in gaudium Domini sui. Odit ergo curas quascumque; & si quando aliquos suscipit labores, sed laborum non amat solici-

Marginalia: Philip. 2. — Psal. 132. — Luc. 12. — Act. 4. — Religiosæ vitæ idea. — Ierem. 40. — Prælatorū officium. — Cōformitas cum voluntate diuina. — Hebr. 10. — Eccle. 4. — Psalmodia Religiosorū qualis. — Isai. 6. — Alludit ad 1. Reg. 30. — * Aliàs vulnerantes.

tudines. Vires quidem non deficiunt ad portādum: sed refugit impedimentum. Excitans ergo in hoc proficiendi gradu Dominus, & prouocans animam sanctam ad intrandum, vt dictum est, in gaudium suum: *Diliges*, inquit, *Dominū Deum tuum ex toto corde tuo; & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis; & ex tota mente tua.* Quatuor in Deum à nobis & toti exiguntur affectus. In eo quod dicit, *ex toto corde*, totam sibi vendicat voluntatem, *in tota anima*, totum amorem: in *omnibus viribus*, virtutem dedesignat charitatis: in *tota mente*, fruitionem sapientiæ. Primùm enim ad Deum voluntas animam mouet: amor promouet; charitas contemplatur, sapientia fruitur. Sapientia verò dignè constituitur in mente: quæ cùm ideo mens dicatur, quod meminit, vel eminet in anima; bene illi adscribitur virtuti, quæ super omnes eminet animæ virtutes. Est enim mens vis quædam animæ, qua Deo inhæremus, & Deo fruimur. Fruitio autem hæc in sapore quodam diuino est. Vnde & à sapore sapientia. Sapor autem iste in gustu quodam est. Gustum autem istum dignè nemo potest exprimere: nec etiam qui meretur gustare. *Gustate*, inquit, *& videte, quoniam suauis est Dominus.* Hoc gustu, secundum Apostolum, gustatur bonum Dei verbum: gustantur etiam diuitiæ sęculi venturi. Iam ergo de gustu isto, qui saporem habet illum, in quo sapit sapientia, subtiliùs inquirendum est. Primùm dicendum, quia licet per gradus ad arcem sapientiæ venerit, qui ascendit: tamen nisi vbique in omni gradu vsque ad vltimū, sapientia, sicut ipsa dicit in libro sui nominis, quærentes se quæsijsset, & occurrisset in vijs, ostendens se hilariter: nec voluntas mouisset, nec amor promouisset: nec charitati contemplatio, nec sapienti prouenisset fruitio. Itaque sicut cœperamus, prosequamur de gustu.

Deuter. 6.

Quatuor affectus à nobis in Deum exiguntur.

Psalm. 33.
Hebr. 6.

CAPUT XIII.

Sensus Ecclesiæ, præsertim gustus.

Ecclesiæ membra seu sensus exponuntur.

CORpus Christi vniuersa est Ecclesia, tam veteris quàm noui testamenti. In hoc corporis capite, id est prima & antiquiori vel superiori parte, quæ est primitiua Ecclesia, quatuor sunt sensus; visus, auditus, odoratus & tactus. Oculi sunt Angeli, propter cōtemplationis subtilitatem: aures Patriarchæ, propter obedientiæ virtutem: nares vel odoratus Prophetæ, propter rerum absentium notitiam. Tactus verò cōmunis est sensus. Omnes hi sensus ante Mediatoris aduentum in capite erant: sed languebant, inferiori corpore penitus emortuo propter vnius sensus absentiam, id est gustus: sine cujus adminiculo nec viuere corpus poterat, nec sensus vim suæ viuacitatis obtinere. Quicquid enim ad totius corporis spectat alimentum, cunctis sensibus vniuerso corpori appone, suppone, circumpone: si solus gustus deerit, quid proderit? Infunde auribus, intrude naribus, vel ad quamvis aliam partem: obesse poterit, prodesse non poterit. Gustum autem quædam sequitur saporis dulcedo; quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari, & cæteris sensibus incommunicabili, quæ suscipit, cuncta discernit & dijudicat: seque omnisque sensus vegetat & confirmat. Gustus ergo in capitis & corporis confinio, id est in gutture positus, velut vtrumq; connectens, eum designat, qui per conditionem carnis paulominus est minoratus ab Angelis: & Moyse & Helia, cæterisque Patriarchis & Prophetis per exhibitionem patientiæ & humilitatis minorem quodammodo se fecit & humiliorem: cùm illi potenti virtute Dei & suos prosternerent inimicos: ipse verò suos doceret discipulos, *Si quis percusserit te in dextera maxilla, præbe ei & alteram.*

Gustus Christo tribuitur

Matth. 5.
Luc. 6.

CAPUT XIV.

Christi ad homines aduentus, & vera hominis sapientia.

HIc enim post Prophetas veniens & Patriarchas, limes quidam legis & gratiæ, capitis & corporis per mysteria humanitatis suæ, & passionis, & resurrectionis, quæcumque in lege & Prophetis & psalmis salubria, quæcumque corpori vitalia, vel vtilia, quasi quoddam ipsius os degustans, id est in se intelligens, & per se intelligenda corpori trajiciens homo Christus, interiori quodam diuinitatis sapore, quo nobis sapientia, factus est sapientia Dei Christus, sapida ea habet: nobisque facit sapida & vtilia. In se enim viuens, & per se totum corpus vegetans & confortans, gaudium sibi, gaudium Angelis facit de consummatione corporis: gaudium Patriarchis & Prophetis de visione diei sui, sicut ipse dicit, *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauisus est:* gaudium vniuerso corpori & vitam, ita vt cum quodam mentis tripudio vniuersali illo tactu spirituali viuificato & confortato clamemus. *Quod vidimus & audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Ideoque in omnibus orationibus nostris subjicimus, *Per Christum Dominū nostrum:* vel quia omnes orationes nostras & sacrificia ad Deum Patrē dirigimus per eum sicut per mediatorē nostrum: vel quia quicquid speramus à Patre luminum, omne datum optimū, & omne donum perfectum, non per aurem, nō per nares, sed per ipsū petim⁹ infundi os nostrū, & gustum nostrum, & sapientiam nostram; vt sumenti possit esse proficuum. Hic est gustus, quem in Christo facit nobis Spiritus intellectus: intellectus scilicet Scripturarum & Sacramentorum Dei. Vnde cùm post resurrectionem suā discipulis Dominus apparuit: *tunc*, inquit Euāgelista, *aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Cùm enim Scripturarum interiorem sensum, & virtutem mysteriorum & Sacramentorū Dei, cœperimus non solum intelligere, sed etiā quadam, vt ita dicam, experientiæ manu palpare & tractare, quod non fit nisi quodam conscientiæ sensu, & experientiæ disciplina intelligentis; imò, vt plus dicam, intus in semetipsa legentis & sentientis bonitatem & virtutem Dei, quàm potenti bonitate cum efficaci virtute in filijs gratiæ, gratiæ ipsius opus operatur; tunc demū sapientia quod suum est exequitur. Tunc quos dignos judicat vnctione sua docet de omnibus: tunc apposito bonitatis Dei sigillo, omnia nostra pacata vnctione illā & emollita imprimit & conformat: & siqua dura, siqua rigida, inuenit, inculcat & infringit: donec lætitiā salutaris Dei receptā, & sapientiæ spiritu principali confirmata sancta anima læta ad Deum decantet. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Vnde & Dominus, *Hæc est*, inquit, *vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum: & quem misisti Iesum Christum.* Beata scientia, in qua continetur vita

Ioann. 8.

1. Ioann. 1.

Iac. 1.

Luc. 24.

Psalm. 4.

Ioann. 17.

æterna. Vita ista ex illo gustu est: quia gustare hoc est intelligere. Ex hoc gustu, per hunc saporem, in hac sapientia, minimus ille Apostolorū satiatus, exhilaratus, confirmatus, *Mihi*, inquit, *minimo omnium Sanctorum data est hæc gratia, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi: & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit: vt innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundū præfinitionem sæculorū, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro: in quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus.* Et post pauca. *Hujus*, inquit, *rei gratia flecto genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur: vt det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem, corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati: vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, & profundum.* Libet hic aduertere, si forte in sensum Apostolicæ sapientiæ aliquatenus penetrare possimus. Ephes. 3.

Caput XV.

Quid Deo debeamus.

Contra quatuor Dei, debemus duo. Quatuor sunt in Deo: potentia & sapiētia, charitas & veritas, vel æternitas, quod vnum est. Nihil enim verè est, nisi quod incommutabile est. Ad quæ duobus nobis respondere nos convenit. Potentiæ quæ potest nos punire, sapientiæ quam nil potest latere, debemus timorem verum: id est, quem non impedit torpor securitatis, vel refugium simulationis. Simulatio autem est, vel quando fingimus laborem in præcepto: vel quando irrationabilem misericordiam simulamus in Deo. Charitati & veritati debemus amorem verum: id est quem non impedit tepor affectionis, vel scrupul⁹ suspicionis. Charitati enim quid debetur, nisi charitas? Veritas verò charitatis, & charitas veritatis, omnem removet scrupulum suspicionis. Suspicionem autem dico, ne non amet charitas: ne decipiat veritas: ne defluat æternitas. Vnde Paulus. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo & latitudo, & sublimitas & profundum.* In sublimitate nota potentiam, in profundo sapientiam, in latitudine charitatem, in longitudine æternitatē sive veritatem. Et hæc est crux Christi. Et alibi idem Apostolus exprimens evidentiùs summæ in nobis sapientiæ virtutē. *Propterea*, inquit, *& ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Iesu, & dilectionē in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: vt Deus Domini nostri Iesu Christi Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri: vt sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sāctis: & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credidimus, secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.* Cùm igitur orante Apostolo, & exaudiente Deo datur nobis Spiritus sapientiæ & revelationis in agnitionem ejus, id est vt agnoscamus eum, & sapiamus eum, vel sapiat ipse nobis: cùm illuminantur oculi nostri, vt videamus bonū, & bona boni intelligamus, ad quæ nos trahit spes vocationis ejus, scilicet divitias gloriæ hæreditatis ejus in sanctis: in his omnibus nobis bonitas vel benignitas apparet, illuminantis & vocantis: cùm verò vt sequamur vocantem etiam virtus additur, per ipsam experientiam Spiritus sapientiæ revelatur nobis, quę vel quàm sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos. Ex hoc igitur, qui sic est, ex gustu divinæ cōtemplationis palato cordis sanato: omnia discernit, omnia dijudicat. In authore omnium bonorum Christo primum ei sapit sua ad Deum conversio, deinde peccatorum remissio: postmodum pro ira, cujus filij eramus omnes, gratiarum multiplex augmentatio. Et hæc omnia non nisi per Dominum nostrū Iesum Christum. Ipse est enim mediator noster, & sapientia nostra: cujus quod stultum est, fortius est hominibus.

Debemus Deo timorē & amorem.

Ephes. 3.

Ephes. 1.

Quid sapiat palato cordis sanato.

Caput XVI

Causa adventus Christi.

Nam cùm talibus Dei bonitas abundaret, & offerret omnibus, nec esset qui reciperet, vel sciret recipere, vel recipere doceret: nec esset qui illuc posset ascendere, vbi bona hæc distribuuntur, vel qui huc posset deferre: opus erat mediatore inter nos & Deum, per quem nostra propinquarent Deo, & bona Dei nobis. Inijt ergo consilium tota Trinitas: consilium illud de quo dicit Propheta, *Consilium tuum antiquum, verum fiat.* Videbat quippe Deus quantum ad hominem omnia confusa, omnia turbata: nihil stare in loco suo, nihil procedere ordine suo. Videbat hominem abijsse in regionem dissimilitudinis: tam longè, vt per se nec posset nec sciret redire. Angelus enim præsumpserat similitudinem Dei dicens: *Ponam sedem meam ad aquilonem, & ero similis altissimo:* homo similiter Deus esse voluit, cui persuasum erat, eritis sicut Dij. Ergone, inquit Deus Pater, Filius meus, splendor gloriæ meæ, & figura substantiæ meæ, in ipsa mei similitudine tot æmulos habebit, & pares, & socios? Præcipitatus est vterque. Vidēs imago Dei Deus Filius Angelum & hominem, qui facti erant ad ipsam, id est ad imaginem Dei, non tamen quod ipsa, id est imago Dei per inordinatum imaginis & similitudinis ejus appetitum perijsse: heu, inquit, sola miseria caret invidia. Sed subveniendum est ei, cui subvenire non prohibet justitia. Exhibebo igitur me homini hominem despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: vt zelet & imitetur in me humilitatem per quam perveniat ad gloriam, ad quam præproperè festinat: vt possit audire à me. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.* Accinxit ergo se quodammodo Dei filius: & aggressus est per humilitatem recuperare eum qui recuperari poterat, qui per superbiam perierat. Itaque inter Deum & hominem medium se faciens, qui recedens à Deo captus & ligatus erat à diabolo: hoc modo boni mediatoris & personam induit & actum. Factus est homo. Egressa est *virga de radice Iesse, & flos de radice ejus* ascendit: & requievit *super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ & intellectus; Spiritus consilij & fortitudinis; Spiritus sciētiæ & pietatis:* & repleuit *eum Spiritus timoris Domini.* Intellige hic fortissimum agonothetā nostrum, quasi campum mundi ingressum inungi ad palæstram oleo Spiritussancti: & exultantem gigantem ad currendam viam dispensatio-

Psal. 32. secundùm 70.

Isaia 14.

Qualem se exhibuit Christus homini, vt eū redimeret. Isaia 53.

Matt. 11.

Isaia 11.

nis humanæ. Nota verò Prophetam à superioribus cœpisse, & descendisse ad inferiora: quia Mediatoris annunciabat descensum. Nos verò per easdem Spiritussancti gratias ejusdem Mediatoris & processum operis, & ad superiora inuestigantes regressum: ab inferioribus, id est à timore incipimus. Christus ergo ad Patrem timorem habuit, sed castum, sed filialem; per quẽ in omnibus honori ejus detulit dicens; *Meus est cibus, vt faciam voluntatem patris mei, qui est in cœlis*, Et in Psalmo; *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum*: & cætera multa in hunc modum. Per quem etiam seipsum videbatur abjicere, humiliare, negligere; vt opus quod per eum fecerat Pater sed perierat, reparatum & renouatum ei posset reconsignare. Hoc igitur modo ad Patrem Mediator noster habuit timorẽ quasi sursum; ad miserum verò reconciliandum pietatẽ quasi deorsum: ad vtrumque verò scientiam, sciens quid cui esset exhibendum. Sed ad implendum ministerium mediationis suæ, cum Patris bonam voluntatem de sursum haberet; à misero autem inferiùs jacente haberet nihil; & habere aliquid ratio & ordo mediationis requireret: exegit ab eo fidem. Exegit autem fidem, prærogando pietatem. Qua exactione nulla poterat esse validior: quia non fuit difficile homini misero ei se credere, à quo se præuentum videbat pietate. Sed & cùm se ei credere non posset sine spe; quis enim se ei crederet, in quo spem non haberet? cum fide etiam spem obtulit: cum spe etiam addens timorẽ, sine quo spes esse non poterat: ne scilicet desereretur à tam pio Mediatore. Accepto itaque Mediator à reo suo tanto salutis pignore, ad Patrem regreditur; scilicet cùm in montem ascendit solus orare; vel cùm factus in agonia prolixiùs orabat cum sanguineo sudore. *Pater*, inquit, *clarifica filium tuum*. En quid tibi; en quid exhibeam illi. En quod à te habeo; en quod ab illo; Mediator quippe sum. Et in salutem ejus jam videntur concurrere mediationis meæ rationes; sed captus est & ligatus. Alligauit eum fortis. Et nisi fortior eo superuenerit; non diripiet vasa ejus. Sed mitte me manum tuam de alto, & eripiam captivum de inimicis ejus fortissimis in Spiritu fortitudinis, fortitudo tua & virtus tua. Scio enim quid faciã. Moriar pro nocente innocens, & plus poterit incomparabiliter bonitas mea, quàm hostilis malitia; pœna innocentiæ meæ, quàm pœna inobedientiæ humanæ. *Et clarificaui*, inquit Pater; *& clarificabo*. Iam fortissimo mediatori opus est Spiritu consilij; quia si princeps mundi intelligeret, numquam dominum gloriæ crucifigeret. Per omnia ergo virtutem ei diuinitatis occultans, & solam ei infirmitatem carnis absque peccato præferens; per justitiam vitæ suæ inuidiam suscitauit hostilis nequitiæ; per infirmitatem carnis suæ spem illi contulit victoriæ; ad faciendam inuidiam accedentibus miraculis, quibus reconciliandi sui fidem in se roborabat. Deceptus antiquus deceptor, pœnam peccati, mortem scilicet atrocissimam ei, inflixit, qui nullo erat peccato obnoxius. Occisus justus injustè pro justitia, nouam de inimico obtinuit justitiam; mortis scilicet injustè sibi illatæ. Quam quasi sibi non necessariam, quia absque peccato erat ipse, homini peccatori cõmunicans; reum absoluit per pœnam innocentiæ suæ. Positoque corpore suo & sanguine in manu ejus; hoc inquit manduca, hoc bibe, hinc viue. Patrique eum repræsentans: en, inquit, Pater sanguinis mei pretium. Si de peccato hujus requiris: en pro eo meus sanguis. Domine Pater, dedisti benignitatem: & terra corporis mei dedit fructum suum. Iam justitia ante te ambulabit; & tu pones in via salvationis humanæ pedes tuos. Et vt justè jam salvetur, qui justè perierat: tu Domine fecisti directiones: judiciũ & justitiam in Iacob tu fecisti. De fructu ergo hujus operis satiatus homo, mediante sapientia Dei non solùm reconciliatur; sed etiam sapiens efficitur. Sapit enim ei quod manducat. Manducat & bibit corpus & sanguinem Redemptoris sui, manna cœleste, panem Angelorum, panem sapientiæ: & manducans transformatur in naturam cibi quem manducat. Corpus enim Christi manducare; nihil est aliud, quàm corpus Christi effici, & templum Spiritussancti. Templum autem hoc cùm ornatum fuerit præscriptarum positione virtutum, & supradicto dedicandi ordine dedicatum, nullos vlterius alienos titulos potest suscipere: nullum habitatorem nisi Deum, qui condidit illud & creauit. Nihil ergo vltra terrenum sancta illa anima, nihil materiale, nihil corruptibile diligit aut curat, ex quo egressa est à loco sarcinarum: & si aliquo horum aliquando quasi in transitu vtitur, sed frui non dignatur. Si quid in hujusmodi prosperum inuenerit, pertransit: non turbatur, si quid aduersi occurrerit. Totum sapit, quicquid capit: nec potest amanti nisi sapere, quicquid sicut saliuam contigerit de capite Christo descẽdere. Quicquid ad corpus spectat, bonum siue malum, foris ei est: nec pertingere potest ad eum, qui intus est. Vnde Apostolus in squalore carceris jacens & vinculis, & quantum ad corpus tribulatione coronatus & miseria, scribens discipulis, *Mittam*, inquit, *ad vos Timotheum, vt sciatis quæ circa me sunt*. Quæ circa me sunt, inquit, id est in exteriore homine, in exteriore tunica carnis, quæ ad me, qui intus sum, non pertingunt.

Ioann. 4. — Psalm. 85. — *Quid Christus ab homine redimendo exegerit.* — Ioan. 17. — *Christus injustè occisus justitiam nobis contulit.* — *Templum Spiritussancti ornatum & dedicatũ.* — Philip. 1.

CAPVT XVII.

Vera Sapientia.

HÆc est sapientia, de qua dicit Apostolus. *Sapientiam loquimur inter perfectos*. De qua sic nos loquimur, sicut qui audiuimus, & non vidimus: sicut loqueremur de ciuitate aliqua quam non vidimus, sed plurima de ea audiuimus: de qua qui vidisset, longè aliter loqueretur, & expressiùs. Hæc autem sapientia oppositam sibi ex aduerso aliam habet infausti nominis sapientiam, quam dicit Apostolus principũ hujus mundi, sicut nigrum albo, sicut luci tenebras: de qua dicitur. *Sapientia vincit malitiam*. Malitia siquidem est sapor mali. Vnde & à sapore sapientia. Cùm igitur sapit malum, & non deest astutia vel voluntas ad exequendum: sapientia est principum hujus mundi, per omnia supernæ sapientiæ contraria. Hæc est enim malitia, quam odit sapientia. Siquidem ibi sapor boni est in seipso: hic sapor mali in seipso. Ibi ad exequendum præsto est prudẽtia: hic, vt dictum est, non deest astutia. Sed inter has duas quædam media est sapientia; quasi inter nigrum & album medio quodam colore coloratũ. Quæ siue superiùs, siue inferiùs, sic se habet ad vtrãque partem; vt proueniat ei finis secundum intentionem & studium vtentis. Sapientia ista est, quam

1. Cor. 2. — *Sapientia Sanctorum.* — *Sapientia principum mundi.* — Sapien. 7. — *Sapientia sæculi.*

quam dicit Apostolus hujus mundi; & quam mediam locauit inter sapientiam Dei, & sapientiam principum hujus mundi. Hæc circa vtile & honestum tota versatur; & affectata quadam prudentia dispensatur. Hæc pene tota est in sciẽtia: videlicet vt sciat discernere prudenter, & dijudicare inter vtile & inutile, inter honestum & inhonestum: etiamsi non sit vitæ & moribus accommodatum. *Scientia* verò *inflat: charitas ædificat.* Aut ergo in hujusmodi exquirẽdis elaborant, vt tantùm sciant, quod tantũmodo seruit curiositati: aut vt videantur, seu sciantur scire, quod seruit vanitati. Et hoc eorum studium tantùm potest proficere, & in alta se extollere: quantùm potest ratio sine amore. Siquidem hæc philosophia in scientiam rerum humanarum & diuinarum diuiditur. Quamdiu est in humanis, sic interim sibi est. Quando verò ad diuina se exaltat: quantò altiùs ascendit, tantò inferiùs cadit: & impletur in eo, *quia eleuans allisisti me.* Eò siquidem aliquando conatu naturalis ingenij prouehitur, vt sicut dicit Apostolus, *quod notum est Dei*, id est, quantum de Deo ratio potest comprehendere, *notum sit illis:* itavt in illis, id est intra semetipsos. Deus enim illis reuelauit: qui sic eos creauit, vt in seipsis habeant, vnde naturaliter Deum cognoscant. Surgunt enim de Ethica sua in quandam Physicam, & *inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciunt; sempiternam quoque ejus virtutem & diuinitatem, ita vt sint inexcusabiles:* videlicet, quia nolunt vlteriùs procedere, vel proficere, cum possint, in verã scilicet Theologiam: *quia cùm cognouerint Deum, non sicut Deum glorificant, aut gratias agunt: sed euanescunt in cogitationibus suis, & obscuratur insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et qui Theologiam insipienter perdiderunt: etiam de physica miserabiliter cadũt: cùm *gloriam mutant incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentum.* Propter quod neque in Ethica permanere permittuntur: sed *tradidit illos Deus in desideria cordis ipsorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis: tradidit illos in reprobum sensum; vt faciant, quæ non conueniunt.* Sed sapientia semper vincit malitiam: quæ contubernium habens Dei, nouit semper proficere, & numquam deficere. Et attingens à fine vsque ad finem fortiter, disponit omnia suauiter: sapienter se agens in diuinis, cautè in physicis, prudenter in moralibus.

Circa quid versetur sapientia mundi. — *1. Cori. 8.* — *Psal. 101.* — *Rom. 1.* — *Ibidem.*

Igitur sapiens anima, sicut supradictum est, ab omnibus alienis affectibus defœcata, Deũ tantummodo sapiens, hominem in homine exuit, Deoque plenè & in omnibus affecta, omnem infra Deum creaturam non aliter quàm Deus attendit, in luce & virtute sapientiæ omnia disponens & ordinans: sic agens, sic de eis judicans, sicut est, sicut viuit: faciens judicium & justitiã de eo vnde est, & vnde viuit. Est enim sapientia, sicut ipsa dicit, candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis: & emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera, & vapor virtutis ejus. Ideo sapiens anima sicut candorem lucis æternæ intra se gerit, & speculum Dei majestatis, sic cùm in creaturam se exponit, exprimit & exhibet imaginem bonitatis & justitiæ Dei: & sicut virtute Dei vaporatur interiùs, sic claritatis & charitatis Dei emanationem effundit exteriùs. Vnde & alibi dicit Salomon. *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Et alibi, *Oculi*, inquit, *sapientis in capite ejus:* quia non aliũde, quàm de naturali & interna virtute cerebri sui, id est sapientiæ, exteriùs se effundunt, & à capite non recedunt. Dicit Salomon. *Multitudo sapientium, sanitas est orbis terrarum.* O felices res humanas, si vbique sapientibus seruirent insipientes. Sed & felices res humanas, dicit quidam philosophus: si aut soli sapientes regnent, aut philosophentur omnes qui regnant. Sed cùm sapienter fugiunt sapientes regnare; & insipienter fugiunt insipientes sub sapientibus esse: omnia desipiunt, omnia confunduntur & turbantur. Sapientes latent & delitescunt: pueri regnant & principantur: & fiunt principes, qui mane comedunt. Et *va terra illi* Sed ad propositum redeamus. Anima igitur spiritu sapientiæ illustrata, quia diligit justitiam, & odit iniquitatem; propterea vnxit eam Deus oleo lætitiæ, quo vnctus est Christus præ participibus suis: & quam perfudit Deus gratia, omnibus placet, ab omnibus amatur. Ipsi etiam, qui ex aduerso sunt videntes hujusmodi, timent & reuerentur: quia etsi bonum in bono imitari non vult indurata nequitia: dissimulare tamen non potest natura.

Sapiens anima vt de rebus judicet, &c. — *Sapien. 7.* — *Eccle. 8. & 2* — *Sapien. 6.* — *Plato.* — *Eccle. 10.*

CAPVT XVIII.

Sapientium lingua Angelica, & sensus beati.

Inter se autem sapientes habent quandam priuatam gratiam, & quandam linguam Angelicam, linguam Angelorum, qua inter se loquuntur mutuis affectibus, spirituali quadam gratia communicantibus in hoc ipsum exterioribus aspectibus: quam linguam nullus nouit, nisi rex Angelorum & Angeli ejus, & qui sunt ex genere Israël, & ciues Ierusalem. Nullus eam nouit Ægyptius: nullus Chananæus. Sicut enim in sanctitate vitæ, & hominis interioris glorificatione, & contemplatione, & fruitione diuinitatis, jam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur, & initiari: sic etiam de corporum suorum glorificatione, quam plenè ibi percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiunt. Exceptã etiam illã gratiã, de qua diximus, qua habitantes in vnum seipsis in Deo, & Deo in seipsis fruuntur, ipsius carnis sic sentiunt euanuisse omnes contradictiones: vt vniuersa substantia carnis non sit eis nisi instrumentum boni operis. Nam etsi ipsius miserijs & infirmitatibus contabescunt: sed ex hoc ipso in interiori homine fortiùs inualescunt. *Quando enim infirmor: tunc fortior sum & potens*, dicit Apostolus. Sensus ipsi nouam quandam percipiunt & prope spiritualem gratiam. Oculi simplices; aures temperantes. Aliquando in feruore orationis tanta odoris ignoti cujusdam spirat fragrantia, tanta gustus etiam non gustandò suauitas, tantum per mutuum tactum spiritualis charitatis incentiuum: vt videantur sibi intra seipsos spiritualis cujusdam voluptatis gerere paradisum. Vultus etiam, & totius corporis compositione, vitæ & morum & actuum decore, mutuæ etiam seruitutis vel deuotis exhibitionibus vel pijs susceptionibus, sic cujusdam gratiæ beneplacito sibi inuicem conueniunt & couniuntur: vt verè sint cor vnum, & anima vna. Nimirum futuram corporum suorum gloriam jam hic initiant ex puritate conscientiæ

2. Cor. 12.

& mutuæ conuersationis gratia; perfectè eam habituri in futura & perenni vita. Sicut enim nunc viuentia omnia solis claritate perfunduntur, & ab inuicem perfundi videntur: sicut nos inuicem hic viuere videmus, nec tamen vitam qua viuimus videmus: sic in illa vita videbitur Deus à singulis in omnibus, & ab omnibus in singulis: non quod corporalibus oculis videatur diuinitas: sed præsentiam diuinitatis glorificatio corporum demonstrabit manifesta quadam sui gratia. Ad hoc etiam in hac vita corporalium sacramentorum valet religio: quia cùm vix aliquid, nisi corpora & corporalia intelligamus: quamdiu in imagine pertransimus, corporalibus religamur sacramentis, ne à Deo recedamus. Vnde etiam à religando religio dicitur. Cùm verò fidelis anima talibus erudita talibus incipiet non indigere, & à corporalibus transire ad spiritualia; à spiritualibus ad spiritualium & corporalium conditorem: hoc verè erit exire à sarcinis. Relicto enim corpore & corporeis omnibus curis & impedimentis, omnium quæ sunt, præter Deum obliuiscitur: nihilque præter Deum, attendens, & quasi se solum solumque Deum æstimans: *dilectus*, inquit, *meus mihi; & ego illi.* Quid *enim mihi est in cœlo; & à te, quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.*

Religio vnde dicta.

Cantic. 2.

Psal. 72.

CAPVT XIX.


Mors est transitus & Pascha.

DEINDE venitur ad mortem. Hunc enim transitum ad vitam miseri infideles mortem appellant: fideles autem quid, nisi Pascha? In morte ergo corporali perfectè moritur mundo: vt perfectè viuat Deo. Ingreditur locum tabernaculi admirabilis: ingreditur vsque ad domum Dei. Et omnibus bene & secundum ordinem procedentibus, sicut in principio diximus, pondus suum vnumquodque defert in locum suum: corpus in terram, de qua assumptum est, tempore suo resuscitandum & glorificandum; spiritum ad Deum, qui creauit eum. Sed quis iste transitus ad Deum? Diruptis omnibus obligamentis, superatis omnibus impedimentis, perfecta beatitudine, perenni dilectione, ex hoc jam perfectè Deo inhæret, vel potiùs vnitur, verè sancta anima: intantum vt efficiatur vna ex illis, quibus dicitur. *Ego dixi dij estis; & filij excelsi omnes.* Hic est finis eorum, qui proponunt Ierusalem in principio lætitiæ suæ: quos vnctio Sancti Spiritus docet de omnibus: qui ascensiones in corde sapienter disponunt, de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion: Deus Deorum, beatitudo beatorum, gaudium bene gaudentium, vnum denique bonum, summum omnium bonorum. A fine boni propositi, in principio ascensionis, vsque ad hunc finem omnis consummationis, *sapientia attingit fortiter*, fortitudinem ascendentis ad se custodiens, ne in ascensu deficiat: *suauiter disponens omnia*, & aduersa & prospera: omnia ei in bonum modificans & componens, donec animam ad principium suum reducat, & abscondat in abscondito faciei Dei. Scire autem debet omnis sapiens ascensor, non sic esse gradus hujus ascensionis, sicut gradus scalæ: vt singuli affectus isti suis tantùm temporibus, & non alio tempore, sint necessarij. Habet quippe vnusquisque affectus in ascensus ordine tempus suum & locum, quo cooperantibus alijs affectibus suas videatur partes sollicitiùs exequi: sed omnes tamen sibi concurrunt & cooperantur, præueniunt & sequuntur: & sæpe fiunt primi nouissimi, & nouissimi primi.

Eccle. 12.

Psal. 81.

Sapien. 7.



ORATIO D. GVILLELMI,

Qua Christum orat, ac demum ad animam suam reflectit sermonem.

DOMINE Iesu Christe, veritas & vita, qui veros adoratores Patris tui futuros denuntiasti, qui eum adorabunt in spiritu & veritate: libera obsecro, animam meam ab idolatria: libera eam, ne quærens te, incidat in sodales suos, & errare incipiat post greges eorum in sacrificio orationis suæ: sed tecum cubet, de te pascatur in meridiano feruore amoris tui. Quia enim naturali quodam sensu suo à principio suo, tuam quodammodo quasi somniat faciem, ad cujus imaginem condita est: sed vel desueuit, vel non assueuit, aliam pro illa recipere non acquiescit, cum multæ se offerant in hora ascensionis suæ. Sed intentionis suæ aciem colluctans dirigere in eam, nec videns eam, nonnumquam præueniri etiam ab ea sentit intentionis ipsius conatum: sæpe verò non nisi in graui sudore vultus sui comedere potest panem suum, in pœnam antiquæ maledictionis: sæpe verò nec sic, nec sic, sed in domum paupertatis suæ redire cogitur pauper & famelica. Aut enim citò proficit: aut citò deficit. Sicut enim in oculo non prodest ad visum pupilla, si naturalem de se radium emittat; si viam aëris qua trāsit puram & claram inueniat; nisi corpus offendat citiùs quo destinatur, & in quo desinat: qui si pergat longiùs, rectam intentionem lassatus non obtinet; sed scissus in partes diuiditur & deperit; sic in contemplantis vel orantis intentione si intellectus rationis aut amoris certum aliquid de te non habeat, quod citiùs apponat, vbi requiescat affectus, finemque faciat intentionis; & offerat & deponat fructus deuotionis; contemplatio hebescit, oratio tepescit, intentio lassatur, intellectus infirmatur, ratio nihil potest. *Sed quid mihi est in cœlo: & à te quid volui super terram?* Si enim orans quæro te in cœlo isto pulchro quidem, sed corporeo, quod sursum video, pari modo erro, quàm si quæram te in terra quam calco; vel in aliquo quolibet loco, vel extra locum, loco quem creasti includo te, vel excludo. Si formam aliquam, vel formatum aliquid imaginer mihi pro te Deo meo, idolatra fio. O veritas, responde obsecro. *Rabbi vbi habitas? Veni*, inquit, *& vide.* Non *credis, quia ego in Patre: & Pater in me est?* Gratias tibi Domine, nonnihil profecimus: locum tuum inuenimus. Locus tuus, Pater tuus; locus quoque Patris tu es. Ab hoc ergo loco localis es. Sed ista tua localitas longè altior & secretior, quàm aliqua illocalitas. Ista localitas vnitas est Patris & Filij: consubstantialitas Trinitatis. Quid igitur? Num solummodo inuenimus locum Domino? Imò, ô anima, enitere quantum potes, non tam rationis effectu quam amoris affectu: & si locus Dei Deus est, si ista localitas Trinitatis est consubstantialitas, remotis om-

Ioan. 4.


Genes. 3.

Psal. 72.

Ioa. 1. & 14

Quis locus Patris, aut Filij.

nibus vsitatis locorum vel localium imaginationibus, intellige te Deum in seipso inuenisse, ipso ostendente; qui tantò veriùs & certiùs est, quantò ex seipso, in seipso, per seipsum est, quod est: & sicut de veritate diffiniunt antiqui illi Philosophi, sic habet esse vnde est, vt nihil possit esse, vnde ei esse possit, non esse. Quid certius, quid solidius, quò nostra intentio se dirigat, quod affectus apprehendat? Sed & si in oratione nostra aliquando pedes Iesu tenemus, & ad humanitatis ejus formam, sicut vnâ cum filio Dei personam, quasi corporeum quemdã affectum formamus, non erramus: sed tamen spiritualem tardamus & impedimus orationem: & dicit ipse nobis. *Expedit vobis, vt ego vadam. Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos.* Si verò ignauiæ & inertiæ omnino manus dantes, de profundis ignorantiæ ad Deum quasi de clauso carcere clamemus; & audiri tantum volumus, nec vultus ejus gratiam curamus, ad quem clamamus: & siue ab irato, siue placato detur, quod petimus, non perpendamus, dum tantùm accipiamus: sufficiat ei qui ejusmodi est, quòd à Deo accipit: quia nec magnum quid à Deo nouit petere; nec magnum est, quod accipit. *Ioan. 16.*



LIBELLVS, SEV TRACTATVS
DE
EXPOSITIONE MISSÆ, ET SIGNIFICATIONE QVOrumdam, quæ fiunt in ea.

EIDEM BEATO GVILLELMO S. THEODORICI ABBATI, In Codice manuscripto Vallis-claræ ascriptus.

NON *ausim asserere, hunc libellum esse Guillelmi nostri, cùm illius non meminerit, vbi recensuit sua opuscula. Quòd autem alij quoque illius non meminerint, non me admodum mouet: quia illi ex eodem Guillelmo Catalogum operum ejus mutuati sunt. Posset quoque quis dicere, authori ipsi, cùm suos libros recenseret, excidisse è memoria hunc breuem Tractatum. Magis me mouet, quod stylum non habeat Guillelmi hic Tractatus. Sed quidquid sit, cùm inter opuscula sancti Thomæ collocatus sit, etiam in vltima editione Parisiensi, ab ijs, qui fatentur, non videri illum esse sancti Thomæ: æquo jure eundem inter opera Guillelmi nostri reposui, codicem prædictum Vallis-claræ secutus.*

CAPVT PRIMVM.
Causa Missæ, differentia, finis, virtus, ordo, ratio, & vtilitas.

IN virtute sanctæ Crucis & Sacramenti altaris magna est conuenientia, & magna efficacia, cùm per vtrumque excludantur contraria, & renouetur & sanctificetur Ecclesia. Duplici autem ratione renouamur, vt scilicet priùs exuamur à vetustate, deinde induamur nouitate. Septem sunt quæ in Sacramento Altaris attenduntur vniuersaliter, scilicet quæ sit causa Missæ, quæ differentia, quis finis, quæ virtus, quis ordo, quæ ratio, & quæ vtilitas. *De causa Missæ.* Causa Missæ est tripartita, scilicet honor sanctorum, salus viuorum, & requies defunctorum. Præmittitur autem quasi prologus oratio, & inuocatio Trinitatis, in quo prælibatur, & ostenditur quæ sit causa Missæ sequentis. *Suscipe sancta Trinitas,* &c. Ibi continetur, vt sanctis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, defunctis ad requiem. Tripartita est ergo differentia: nam secundùm differentiam partium Ecclesiæ tres sunt Missarum differentiæ, vt scilicet alia dicatur pro sanctis, alia pro viuis, alia pro defunctis fidelibus. Sunt enim tres partes Ecclesiæ, scilicet pars in exultatione, pars in peregrinatione, & pars in expectatione. In exultatione sunt sancti, qui Christi vestigia sunt secuti: in peregrinatione sunt viui, subjacentes varietati, & tribulationi: in expectatione sunt fideles defuncti, qui expectant opem, & requiem. Secundùm harum trium partium differentiam, sunt tres differentiæ finium Missarum, & Officiorum. Alium enim finem habet Missa pro sanctis, quia *Ite Missa est:* alium finem Missa pro viuis, quia *Benedicamus Domino:* & alium finem Missa pro defunctis, quia *Requiescant in pace* dicitur. In fine Missæ pro sanctis, inuitamur ad illam gloriam, in qua sancti jam requiescunt, per *Ite Missa est,* q. d. hostia à Patre nobis missa est, vel à nobis ad Patrem remissa est, ideò *Festinate ingredi ad illam requiem.* Finis verò Missæ pro viuis, hortatur nos qui sumus in hac peregrinatione; vt demus jugiter Deo benedicti-

Septem notantur in sacramento Altaris.

Tres sunt partes Ecclesiæ.

Psal. 113. onem, & gloriam, juxta illud. *Nos qui viuimus, benedicimus Domino*, &c. In fine Missæ pro defunctis, eis optamus requiem per *Requiescant in pace*, quod in principio petimus: similiter per *Requiem æternam*, &c. *De virtute Missæ*. Crux Christi est, quæ Sacramentum est Altaris, & quę Sacramentum Ecclesiæ consecrat & sanctificat: De *Ordine Crucis in serie Canonis*. Et nota quod septem ordines Crucis in serie Canonis sunt, quos Spiritussanctus multa sapientia ordinauit. Primus ordo est, à, *Te igitur clementissime Pater*, vsque ad, *Quam oblationem*: secundus est, à, *Quam oblationem*, vsque ad, *Qui pridie*, & tertius est à, *Qui pridie*, vsque ad, *Vnde & memores*: quartus est ab, *Vnde & memores*, vsque ad, *Per quem hæc omnia*: quintus est, à, *Per quem hæc omnia*, vsque ad, *Per ipsum*: sextus est, à, *Per ipsum*, vsque ad, *Pax Domini*: septimus est à, *Pax Domini*, vsque ad finem Missæ. In singulis autem ordinibus sunt causæ profūdæ, & rationabiles mouētur quæstiones, quas spiritus cui vult claudit, & cui vult aperit. In primo ordine Canonis tria apponimus, & pro tribus rogamus Deum, & tria petimus, & ideo tres cruces facimus.

Septem ordines crucis faciendæ in Missa.

Initio Canonis sacri.

Caput II.

Quare in Missa ponantur panis, & vinum, & aqua.

Tria apponimus, id est, panem, vinum, & aquam. Quare autem ista tria potius quam alia apponuntur, quæstio oritur. Tripartita verò causa est. Prima causa, quia inter omnia humanæ vitæ sustentandæ necessaria, præcipua sunt panis, vinum, & aqua, & magis communia, & vtiliora, & magis necessaria: propterea, potiùs debuerunt apponi, quàm alia, & in illud quod melius & vtilius est omnibus, & super omnia ad vitam capessendam magis necessarium, transformari, id est, in Corpus & Sanguinem Christi. Secunda causa est, quia in his, res ipsa, & virtus Sacramenti intelligitur: sine qua, ad hoc Sacramentum indignè acceditur, & ad judicium non ad salutem sumitur. In aqua enim intelligitur fides quæ latet, & nutritur in aquis. In vino, quod lætificat, & accendit, intelligitur spes. In pane, qui confirmat & reficit, intelligitur charitas. Vel in pane qui corroborat, intelligitur Pater, qui est omnium fortitudo. In vino, quod lætificat, intelligitur Filius, qui est gaudium omnium nostrum, *quod nemo tollet à nobis*. In aqua quæ mundat, & lauat, intelligitur Spiritussanctus: vnde, *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*: vel in aqua intelligitur munditia castitatis, in pane fortitudo, & opera pietatis, in vino quod accendit, rectitudo intentionis. Hæc enim tria accedentibus ad Altare ita necessaria sunt, vt sine his cum salute nemo accedere possit, ideò in eminentiori loco paratur Altare, vt ascensuri his gradibus studeant seipsos præparare. Vnde in quarto ordine Canonis antequam dicamus, *Panē sanctum vitæ æternæ; & Calicem salutis perpetuæ*, pro necessario offerimus, *Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam*; sed de his in consequentibus dicendum est. Tertia causa est, quare prædicta tria apponantur, scilicet panis, vinum, & aqua: quia pro tribus generibus hominum rogamus; etiam trina nobis donari petimus. Igitur secundùm hoc, tria, panem, vinum, & aquam ponimus, pro tribus autem rogamus. Primò, simul generaliter pro omnibus, vbi dicimus, *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia*, &c. Secundo, pro familiaribus nostris absentibus, vbi dicimus: *Memento Domine famulorum famularumque*, &c. Tertiò, pro circumstantibus, vbi dicimus, *Et omnium circumstantium*. Tria etiam petimus, primò vt dies nostri disponantur in pace: secundò, vt eruamur ab æterna damnatione: tertiò, vt mereamur numerari in dominico grege: quæ omnia ibi habemus, vbi dicimus: *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Quia ergo tria ponimus, tria rogamus, tria petimus, propterea tres cruces facimus, vt per virtutem crucis primò quæ apposita sunt benedicantur: secundò, vt hi pro quibus apponuntur, roborentur: tertiò autem, vt quæ petimus, impetrentur. *Quare primò tres cruces facimus.* Soluta ergo est hæc quæstio, quare in hoc ordine tres cruces fiant, vt quando dicimus, *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*, scilicet majestati diuinæ, vt hæc dona referantur ad naturam, hæc munera ad gratiam, hæc sancta sacrificia illibata ad incorruptionis gloriam. Quare autem hoc Sacramentum iteretur, vel quomodo benè sumatur, vel quid benè sumptum operetur, vel quare sub hac specie Sacramenti veritatis lateat, rationabiles quæstiones oriuntur.

Prima causa.

Secunda causa.

Ezech. 36.

Cur altare in loco sublimi.

Verb. Cano.

Tertia causa.

Verb. Cano.

Tria ponimus, tria rogamus, &c.

Caput III.

Cur hoc sacrificium reiteretur.

Qvare hoc Sacramentum iteretur, triplex est causa. Prima est, vt qui quotidie labimur, per hoc quotidie releuemur. Secunda, vt sicut in medio Paradisi erat lignum vitæ, ita sit Corpus Christi assiduè in medio Ecclesiæ, quo criminaliter peccantes arceantur, donec per pœnitentiam satisfacientes, ad hoc & per hoc reconciliati reuertantur, vel redeant. Tertia est, vt per hoc vnum Corpus efficiamur cum Deo. Vnde. *Qui manducat carnem meam, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Deinde benè sumitur, si quis per fidem integram, confessionem puram, & pœnitentiam dignam ad hoc præparatur. Deinde sumptum tria operatur. Primò peccata purgat, secundò virtutes roborat, tertiò in vitam æternam resuscitat. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Quare hoc Sacramentum speciebus sit velatum, quare sub specie Sacramenti veritas lateat, vel veletur, triplex est causa. Prima est interrogatio fidei. Secunda augmentum meriti. Tertia defectus infirmi. Primò enim homo fidem interrogat, vt interrogando probet & consentiat. Secundò, vt per fidem probatam majus meritum acquirat. Tertiò, vt nostræ infirmitati parcat, dum seipsum in suæ majestatis claritate non manifestat: sed sub quodam velamine occultat. In primo ordine petimus, vt quæ apposita sunt, benedicantur. In secundo verò petimus, vt quæ in primo benedicta sunt, in verum, & summum sacrificium transformētur. *Quare secundò facimus quinque cruces.* Quinque verò cruces facimus: quia quæ benedicta sunt, in id transformari petimus, quod in quinque præcellit omnibus, scilicet in triplici prærogatiua & chari-

Ioan. 6.

Ibidem.

Quare sacramentum hoc velatur.

tate gemina: ideò dicimus, *benedictam*, omni scilicet plenitudine gratiarum; *ascriptam*, summa dignitate & honore: *ratam*, summa & æterna potestate. Sed quia hic triplex prærogatiua parum nobis prodesset, nisi charitatem geminam exhiberet, propterea dicimus, *vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi*: cujus charitas gemina fuit, quã habuit ad Patrem & gregem, Patri obediendo, & pro grege moriendo; vel charitas gemina, qua corpus & animam posuit. Aliter; vel ideò quinque cruces facimus, vt ex prædictis quinque necessaria nobis impetremus, scilicet ex participatione Sanguinis remissionem peccatorum; ex participatione Corporis, vnitatem & societatem sanctorum: ex summa & æterna potestate, timorem & solicitudinem mandatorum: ex summa dignitate & honore, honestatem vitæ & morum: & ex plenitudine gratiarum impetremus plenitudinem præmiorum.

Verba Canonis.

Quinque necessaria petenda.

CAPVT IV.

Cur in ordine tertio duæ tantùm fiant cruces, & hic fiat consecratio; ad quam tria requiruntur, sicut ad alia sacramenta.

IN tertio ordine petimus, vt quæ in primo & secundo benedicta sunt, in verum & summum sacrificium Corporis & Sanguinis Christi transformentur, & ideò duas cruces facimus. Et nota, quòd iste ordo breuior est, quàm alius: sed profundior & magis sapientia plenus. Vnde in hoc duplex quæstio mouetur: prima est, quare non nisi duæ cruces fiant: secunda, quare in hoc ordine potiùs quàm in cæteris, substantia panis & vini in verum corpus Christi & Sanguinem transeat. Solutio primæ quæstionis est. Quia nulla alia nisi hominis natura sola duplex redimenda erat, scilicet corpus & anima. In hoc autem ordine, nostra Redemptio & reparatio celebratur, per quam humana natura liberatur; & ideò duplex crux fit hic, propter redemptionem duplicis naturæ. Solutio secundæ quæstionis est: quia triplex est ordo, scilicet naturæ, justitiæ & gratiæ. Ordine naturæ flos præcedit fructum, ordine justitiæ pœna sequitur peccatum, ordine gratiæ superabundat gratia peccatum, & misericordia impenditur, vbi nullum præcedit meritum. Et ideò nec natura potuit, nec justitia debuit, vt panis & vinum fieret corpus vel caro & sanguis; sed sola gratia diuina hoc potuit & voluit, hoc fecit & facit: sicut etiam sunt tria tempora: scilicet tempus ante legem, tempus sub lege, & tempus post legem, vel tempus gratiæ. Venit Dominus Iesus Christus, qui hoc Sacramentum celebrauit & instituit, sicut & in hoc tertio ordine Canonis de pane & vino, Corpus & sanguinem consecrat & conficit. Et nota, quòd hæc tria ad hoc Sacramentum sunt necessaria, scilicet Ordo, actio, & intentio. Ordo, vt sit Sacerdos; actio, vt verba proferat, quæ Christus dixit in cœnâ: intentio, vt ad hoc proferat. Et hæc tria requiruntur in alijs Sacramentis, præterquam in baptismo, qui est necessitatis. Quandoque verò proferuntur jocosè verba pertinentia ad Sacramenta, vel ad instruendum ignaros: & nõ habent tunc efficaciam illam vel effectum Sacramenti. In quarto ordine præsente vero & summo Sacerdote, jam apud Patrem innotescunt preces nostræ, præsente summa & vera hostia, tam minor prætenditur mora, trium magnalium quæ fecit celebratur memoria, vt tam per eum, quàm per ea quæ fecit, Patris flectatur clementia.

Tria ad hoc Sacramentũ necessaria.

CAPVT V.


Cur ex ordine quarto fiant quinque cruces: & de extensione brachiorum Sacerdotis.

QVINQVE ergo cruces facimus, non quòd eum qui præsens est, Sanctum Sanctorum sanctificemus, sed vt per ejus præsentiam offeramus & sumamus Hostiam salutarem, & eidem conformati Sanctorum consortijs mereamur admitti. Dominus enim noster Iesus Christus in Passione sua fuit Hostia pura, in Resurrectione fuit Hostia sancta, in Ascensione Hostia immaculata: panis vitæ æternæ esurientibus, Calix salutis perpetuæ justitiam facientibus. Ei ergo assimilari, & conformari debemus, qui ad ipsum offerendum & sumendum accedimus.

Sed quia hoc non potest fieri, nisi Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem ejus studeamus imitari; propterea trium istorum memoriã facimus, cùm dicimus: *Vnde & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta ejusdem Christi Filij tui Domini Dei nostri, tam beatæ Passionis, nec non ab inferis Resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ Ascensionis*, vt scilicet in imaginatione Passionis per munditiam castitatis simus pueri, & offeramus Hostiam puram: ex imitatione Resurrectionis obtineamus rectitudinem intentionis, & offeramus Hostiam immaculatam: ex perceptione panis sancti, vitæ æternæ obtineamus virtutem & fortitudinem charitatis: & participatione Calicis salutis perpetuæ, obtineamus magnitudinem & æternitatẽ. Tria ergo in hoc ordine sancto præcedere innuimus, quia tria prædicta necessariò primum offerre debemus, vt ad panem sanctum vitæ æternæ, & ad Calicem salutis perpetuæ, dignè perueniamus. Alia ratio, quare quinque fiunt cruces in isto quarto ordine. Vel ideò quinque cruces facimus, quia propter quinque rogamus, & quia quinque petimus. Propter quinque rogamus. Primò generaliter pro fidelibus viuis omnibus, ibi. *Suprà quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris.* Secundò specialiter pro Altaris sacrificio participantibus: ibi, *Supplices te rogamus*, & cætera, *vt quotquot*, &c. Tertiò pro defunctis familiaribus, ibi, *memento etiam Domine famulorum famularumq; tuarum*, &c. Quartò generaliter pro fidelib⁹ defunctis omnib⁹, scilicet *ipsis & omnibus in Christo*, &c. Quintò quinq; petimus; duo scilicet nobis, id est viuis, & tria fidelibus defunctis. Duo nobis, scilicet, *vt omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.* Tria fidelibus defunctis, scilicet *refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem.* Ideóque in hoc quarto ordine de omnibus Patribus, qui ante legem fuerunt, scilicet Abel, Abraham, Melchisedech, præcipuè ponitur memoria: quia in eorum personis & sacrificijs, persona, & sacrificium Christi præfigurabatur.

Verba Canonis.

Verba Canonis.



CAPUT VI.

Quare ponuntur duo ordines, Sanctorum, noui Testamenti.

SED quare in hoc ordine, & in primo ordine Canonis, duo ordines Sanctorum noui Testamenti ponuntur: in primo verò ordine plures & majoris auctoritatis sancti commemorantur? Quia cum in isto officio & ministerio, mirabilia & incomprehensibilia agantur, id est substantia panis & vini in veram Carnem, & verum Sanguinem Christi consecretur; majoribus & pluribus auxilijs indigemus. In hoc verò, id est in quarto ordine, id est post consecrationem, & pauciores, id est quindecim, & minores sancti ordinantur, vt per virtutem Sacramenti, quod tractamus & offerimus, eorum adjuti precibus, & meritis, quindecim charitatis gradibus ascendamus, & inuicti ad Sanctorum consortium transeamus. Multò ergo maius est & mirabilius substantiam panis& vini in verum Corpus & Sanguinem Christi conuerti, quàm in Sanctorum consortium admitti.

CAPUT VII.

Quare in quinto ordine fiant tres cruces.

Trium personarum diuinarum beneuolentiã captamus in 5. ordine.

IN quinto ordine, vt petitionum nostrarum consequamur efficaciam, captamus beneuolentiam triplicem: quia commendamus personam Patris, personam Filij, & personam Spiritussancti. Commendamus personam Patris per ineffabilem potestatem, vbi dicimus, *Domine Sancte Pater*, &c. personam Spiritussancti per multiplicem largitatem, vbi dicimus, *& praestas nobis*: personam Filij, vbi dicimus, *per quem hæc omnia*, per mirabilem sapientiæ profunditatem, qua ita ordinauit Canonem, vt ad verbum creationis crucem non faciamus, ad tria autem consequentia faciamus, scilicet *sanctificas, viuificas, benedicis*. Et quare ter? hæc est causa: quia humana natura ex statu pristinæ conditionis, nec habuit profectum virtutis, nec stabilitatem boni operis, nec consummationem beatitudinis. Ex prima ratione creationis pollebat naturali ratione, gaudebat arbitrij libertate: per se autem non poterat stare nec proficere sine gratia adjutrice, & sanctæ Crucis virtute. Ex virtute autem sanctæ Crucis & gratiæ adjutricis, stabilis efficitur & benedicta, propterea ad primum verbum creationis non facimus signum Crucis. Et adhuc tria facimus, *sanctificas*, scilicet fide & remissione peccatorum: *viuificas*, scilicet Sacramento fidei & virtute bonorũ operum: *benedicis*, scilicet plenitudine gratiarum, & consummatione bonorum. Ideò ergo tres cruces facimus: quia per ejus virtutem & amorem tria obtinemus, quibus super omnia indigemus. Vel commendamus personam Filij per multiplicem potestatem, ostendentes eum esse, primò Deum naturæ, secundò Deum veniæ, tertiò fontem vitæ, quartò Regem gloriæ. Prima potestas est: quia potest omnia ex nihilo creare: secunda est, quia potest peccata dimittere; tertia est, quia potest gratiam & virtutem dare & augere: quarta, quia potest emendatos, vel perseuerantes in bono, gloria & beatitudine coronare. Et, *per quẽ Domine hæc omnia semper bona creas*, ecce Deus naturæ: *sanctificas*, ecce Deus veniæ: *viuificas*, ecce Deus fons vitæ, & plenitudo virtutis & gratiæ: *benedicis*, ecce Rex & corona æternæ gloriæ. In sexto ordine per eum qui venit in sexta ætate, & per virtutem Crucis ejus, jam pleniùs omnem veritatem cognoscimus, & per eum Deum Patrem honoramus & glorificamus: vbi majori sumpta fiducia & audacia, vt ad summam pacis omnium petitionum pertingamus & brauium, colligimus orationem, *Pater noster*, &c.

Cur tres cruces faciamus in 5. ordine.

CAPUT VIII.

Ex illo quintuplici Crucis signo quinque gradus in veritatis cognitionem ascendendo notantur.

IN hoc enim ordine quinque cruces facimus, vt per virtutem & amorem crucis, quinque gradus in cognitionem veritatis ascendamus, sine quibus salui esse non possumus. Primus gradus est fidei de æternitate Patris, secundus de æqualitate Filij, tertius de vnitate essentiæ, quartus est de modo essendi, quintus de vnitate Spiritus sancti cum vtroque, id est cum Patre & Filio. Et nota, quòd in hoc ordine longè alius modus & alia ratio, quàm in alijs ordinibus obseruatur; eo quòd in crucibus faciendis magna diuersitas ostenditur. Corpus Domini integrum manu tenetur, & in eodem oratio Dominica continetur, vnde & inde multæ quæstiones oriuntur. Prima quæstio est, quare in crucibus faciendis tanta diuersitas ostenditur. Sed quæ diuersitas ostenditur? Prima est, quia crux ex vtraque protenditur vltra Calicem, secunda calici, quia Calici coæquatur, tertia est quia infra Calicem coarctatur, quarta & quinta quiaante Calicem deprimitur. In prima ergo cruce æternitas Filij cum Patre intelligitur, in secunda æqualitas, in tertia vnitas Spiritus sancti, in quarta & quinta quod est æternus, & vnus Deus. In eo autem quod dicitur, *Per ipsum*, intelligitur creatio: in eo quod dicitur, *Cum ipso*, intelligitur operatio: in eo quod dicitur, *In ipso*, intelligitur conseruatio. Per Filium enim Pater creauit & creat vniuersam creaturam: cum Filio Pater, &c. cum Spiritu sancto regit & disponit, & conseruat: vnde dicitur, *Est tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis bonor & gloria*.

Diuersitas in crucibus faciendis.

CAPUT IX.

Quare corpus Christi integrum tunc in manu teneatur.

SECUNDA quæstio est, quare Corpus Christi integrum in eisdem crucibus faciendis manu teneatur; quod ideò fit, quia in sexta ætate ita integer & perfectus homo apparuit, & ipsum & perfectum & integrum exhibuit, & pro nobis se obtulit; ideò in sexto ordine eum integrum manu tenemus, quem fide & opere perfectè imitari debemus.

CAPUT X.

Cur in ordine sexto dicatur Pater noster: *& pax in septimo detur*, &c.

In sexto ordine dicitur Pater noster, &c.

TERTIA quæstio est, quare in hoc ordine potius quàm in alijs dicatur oratio Dominica. Dicendum, quòd ideo fit, quia in sexta ætate Dominus iste veniens, orationem Dominicam docuit, & ideò in sexto ordine conuenientiùs, quàm in alijs ponenda fuit: septi-

mus ordo à pace incipit, & ad pacem tendit; vnde, *Pax Domini*. Est enim pax inordinata superborum, qui contempto superiori, obediunt inferiori. Est pax simulata proditorum, est pax immunda fornicatorum, est pax celebrata rebellium & schismaticorum, est pax gratiosa justorum. Hæc est pax Domini ordinata, quæ ordinem diligit: vera, quæ neminem fallit: munda, quæ omnia inquinamenta refugit: pudica & æterna, quæ finem nescit. In hoc autem ordine quæstiones multæ oriuntur, quæ Spiritu sancto reuelante soluuntur. Prima quæstio est, quare tres cruces fiant ibi, *Pax Domini*, &c. Solutio hæc est, quia tres sunt vitæ humanæ naturæ: prima est animæ simul cũ corpore, secunda est animę relicto corpore, tertia est resumpto corpore. In prima vita pax est necessaria, quæ longè facit à crimine: in secũda, quæ longe facit à terrore, tertia quæ longè facit ab vtroque, cõsummata gloria & beatitudine, & ideò dicimus: *Pax Domini sit semper vobiscũ*. Secunda quæstio est, quare istæ non supra, vel extra Calicem, sed tantùm intra fiant. Solutio, quia nec in septima ætate, quando accipietur ab octaua pax consummata, non erit quidem vnde exteriùs sit dolendum, sed vnde interiùs potiùs sit gaudendum, propterea cruces non extra, sed intra facimus. Tertia quæstio est, quare tertia particula Dominici Corporis manu teneatur in crucibus faciendis. Solutio. Tertia pars Dominici corporis quam manu tenemus cùm crucesfacimus, pars est Ecclesiæ, quæ est in exultatione, & gaudet cum Christo in æterna beatitudine. Quarta quæstio est, quare eadem particula factis crucibus descendit in Calicem. Solutio. Dicendum, quòd quia laborem signat & imitationem Dominicæ passionis, habet suum interius, & suum exterius. Exterius pressuram & tribulationem, interius gaudium & consolationem: propterea tertia particula descendit in Calicem, quia post laborem cum Christo æternam recipiet requiem. Quinta quæstio est, quare duæ partes extra Calicem remaneant. Solutio. Duæ partes Dominici Corporis quæ extra Calicem remanent, duæ partes sunt Ecclesiæ: vna pars quæ est in peregrinatione, alia quæ est in expectatione. Sexta quæstio est, quare *Agnus Dei*, dicitur ter, & quare in duobus primis est conuenientia, & quare in vno sit differentia, ibi, *Dona nobis pacem*. Solutio. Tria sunt tempora, quorum duo sunt tempora misericordiæ, tertium est pacis & justitiæ. Quia ergo in tempore tribulationis, speratur & expectatur misericordia, in tempore verò resurrectionis pax conseruatur atque justitia: propterea quando dicitur *Agnus Dei*, &c. in duobus primis est conuenientia, in tertio verò est differentia.


Tres sunt vitæ hominis.

Cur cruces fiant intra calicem.


Ecclesia triumphãs per tertiam hostiæ partem designatur.

Duo tempora misericordiæ, vnum justitiæ.

Hunc breuem Tractatum cum Opusculis S. Thomæ Parisijs nuper excusum, sic arbitrabar correctum fore, vt superfluum videretur, exemplaria manuscripta consulere: at quia contrarium reperio, & ipsa manuscripta nunc non sunt præ manibus; si ex ijs potuero, quæ hic incorrecta apparẽt, corrigere, id postea in notis præstabo.



DOMNI



DOMNI GVILLELMI
ABBATIS S. THEODORICI

Libri duo de Natura Corporis & Animæ, sub nomine Theophili, id est Deum diligentis, descripti.

PROLOGVS

FERTVR celebre apud Græcos delphici Apollinis responsum, *Homo scito teipsum*. Hoc & Salomon, imò Christus in Canticis. *Si non*, inquit, *cognoueris te, egredere*. Qui enim non immoratur in eis quæ sua sunt, per sapientiæ contemplationem, ingreditur necessariò in aliena per curiositatis vanitatem. Quapropter cùm omni homini qui capax est rationis, vix suus sufficiat sensus, nisi adjutus à gratia, vt sciat seipsum: cùm hoc nihil ei conferat, nisi ex hoc quod ipse est, ascendat ad eum à quo ipse est, & qui est super ipsum: miserrimè errat & desipit, qui extra se in alienis intellectum suum dispergit; cui natura, imò author naturæ Deus, tantum intra se indixit operationis negotium. Vt igitur microcosmon nostrum, id est minorem mundum, hominem scilicet, ex aliqua parte intus perscrutemur, & foris; id est anima & corpore; vt per visibilia vel sensibilia nostra intellecta, ad visibilium & invisibilium omnium surgamus authorem; primùm aliqua discutiamus de corporis natura, deinde de his quæ sunt animæ. Scias autem, quæ legis, non mea esse, sed ex parte Philosophorum vel Physicorum, ex parte verò Ecclesiasticorum doctorum; nec tantùm eorum sensa, sed ipsa eorum, sicut ab eis edita sunt, dicta vel scripta, quæ excerpta ex eorum libris hic in vnum congessi. *Cantic. 1.*

PHYSICA HVMANI CORPORIS.

OMNE corpus animale tetraformatum est; id est ex quatuor compositum. Aliud est enim tetraformatū, alia sunt ex quibus constat. Ex quibus constat, quatuor sunt elementa. Vnumquodque autem elementorum vna tantū contentū est qualitate. Ignis caliditate, aër humiditate, aqua frigiditate, terra siccitate. Sed ignis quia mobilis est, ex motu assumit siccitatem; & est calidus & siccus. Aër, quia sub igne est, ab eo sumit quod proprium habet & naturale, id est caliditatē; & est calidus ab igne, humidus à seipso. Aqua ponitur sub aëre, & ideo humiditatem ab eo sumit, frigida à seipsa. Terra sub aqua est, ideo frigida ab ipsa, sicca autem in seipsa est. Itaque secundū Hypocratem, si corpus animale ex vno constaret elemento, numquam doleret: quia non esset vnde doleret, vnum existens. Sed terra lutificata efficitur aqua; aqua rarefacta & calefacta & evaporata, fit aër: cōdensatus & collect⁹ aër efficitur aqua; & sic de reliquis; & hoc modo fit corruptio. Ex his quoque quatuor elementis, quatuor in corpore animali creantur humores; propter quod & ipsorū filij dicuntur; sicut elementa mundo, sic & isti corpori animali vitæ & incolumitatis materiam & ordinem administrantes: si suo modo & ordine suo dispensentur, & non vitio vel incuria corrumpantur. Alioquin sicut aqua mutatur in terram densata, & terra in aquam lutificata: sic ipsi humores, cùm in se inuicem vel ab invicem corrumpantur, corrumpunt & destruunt corpus suum; quod viuificare & ordinare debuerant. Itaque in corpore animali sua propria est complexio prima & naturalis in ipso elementorum coniunctio: quæ si æqualis est & bene composita, vt contraria non impugnentur vel destruantur à contrarijs; sed calida temperentur à frigidis, frigida à calidis, sicque de reliquis; bona fit complexio, & consentiente natura fit eucrasia, bona scilicet temperantia quatuor qualitatum. Rebus enim naturalibus in temperamēto manentibus impossibile est humanum corpus ab aliquo morbo infestari; si est, vt dictum est eucraticum, id est bonæ complexionis. His autem distemperatis, necesse est alterari corpus. Sed de his alias. Nunc videndū, vnde ipsi quatuor humores nascuntur vel nutriūtur. Omnis cibus vndecumque sumatur, sicut suprà de corpore animali demonstratū est, ex quatuor constat elementis. Sed quàm multipliciter & dissimiliter in eis quæ vesci possunt, natura elementorum se habeat secundum caliditatem & frigiditatem, siccitatem & humiditatem, liber graduum demonstrat. Cùm igitur cibus accipitur, os primùm adaptat illum in subtiles & minutas partes cum dentibus & lingua. Lingua quippe ministrat: dentes frangunt & comminuunt. Sic præparata esca transmittitur stomacho per guttur & merim, vix ad mensuram palmi vim saporis producens. Est autem meris membrum longum & rotundum & concauum & intus villosum: habens introrsū pilos longos, alios in trāsuersum, alios sursum ad os directos. Pilj sursum directi naturaliter cibum attrahunt: qui verò in transuersum stomachi, stringunt, & stringendo in succū transmutant: & paulatim in os stomachi demittunt. Stomachus vero duo habet ora, alterum superius alterum inferius: quæ etiam portæ vocantur, quia clauduntur per horas, & aperiuntur. Superius enim os stomachi accepto cibo clauditur donec digeratur. Deinde de ipsa digestione retinens quod suis aptū nutrimentis inuenit, cætera portâ inferiori apertâ egerit in

Qualitas cujusque elementi propria.

Quatuor humores corporis.

Vt fiat comestio.

inferiora. Operatur autem hæc stomach⁹ per quatuor quasdã virtutes, quę sunt ei naturales, appetitiuam, contentiuã, digestiuam expulsiuam:

Quatuor stomachi facultates.

quibus etiam cæteræ nonnullæ partes corporis non carent; sed maximè quatuor illæ partes, quæ corporis dicuntur fundamenta, idest cerebrum propter animalem vel sensualem virtutem, cor propter spiritualem, hepar propter naturalem, genitalia propter generatiuam virtutem. Appetitiua & digestiua desideriũ faciunt; media contentiua seruit digestioni, continens scilicet cibũ, ne redeat vnde descendit, & stringens & paulatim per partes transmittens inferiùs, & vt cõpetit, ordinat digestioni. Appetitio autem stomachi, vel contentio, vel expulsio, sicut de meri dictum est, fit ministerio quorumdam pilorũ per stomachum in longitudinem & in transuersũm porrectorũ: quibus etiam quidam inferiores sub stomacho intestini non carent. Hæc autem fiunt per primam digestionem, quæ in stomacho peragitur. Est autem digestio cujuslibet rei per naturalem caloré ebullitio.

Digestio cibi quid.

Porrò, quæ per inferiorem portam egeruntur, suscipit duodenum intestinum; quod sic vocatum est, quia ad mensuram est duodecim digitorum, statim cum facta est digestio, & per digestionem rei digestæ alteratio, sequitur eorum quæ fœculenta sunt egestio. Suscipiunt & alia intestina quæ egeruntur, tria subtilia superiùs circa os stomachi, tria grossa inferiùs. Est autem inferius intestinum vnum subtile vocatum, in quod post eam quam diximus digestioné factam in stomacho, cum descenderit quod egestũ est, aliquandiu ibi immoratur: donec ibi secunda quadam digestione meliùs succus ille depuratus, & subtiliatus, per venas quas dicunt mesaraicas, quod subtile est & purum, remittit ad hepar. Sciendũ autem, quia in digestione alij sunt cibi, qui mutant & non mutantur, vt diagridium: alij mutantur & mutant, vt cæpe & allia, quæ & cibi sunt & medicina. Hepar prædictum succũ suscipiens per venas prædictas, & eam quæ dicitur porta, in sui naturam transmutat, iterum digerendum. Quicquid enim in eo igneum est, ad nutrimentum sui assumit cholera rubea; quicquid aëreum, sanguis; quicquid aquosum vel humidum, flegma; quicquid grossum & terreum, melancholia.

Vt formentur quatuor humores.

Sic igitur humores quatuor in hepate creati, & ab hepate in totũ corpus distributi, si secundum rectam naturæ regulam incedunt, quamvis diuersæ sint qualitatis, vnam tamen formam operantur sanitatis, inuicem cooperando, invicé se adjuvando. Cholera quidem rubea, cùm sit calida & sicca, caliditate sua sanguinem subtiliat: & cum ea vadit sine acumine, subtiliatus, vt eis membris quæ subtilia sunt, & subtilem cibum desiderant, congruũ sanguis præbeat alimentum. Sanguis verò cùm sit calidus & humidus, humiditate sua illius temperat siccitatem. Flegma cùm sit frigidum & humidum, frigiditate sua seruit calori sanguinis, humiditate subvenit siccitati melancholiæ, cui ex frigiditate concordat. Et nota, filios elementorum incedere secundum viam patrum suorũ. Eodem enim modo elementa operantur in mundo majori, quo operantur quatuor humores in mundo minori, qui est homo, id est microcosmos, vt suprà dictum est: ex sua sibi diuersitate concordantia, & per concordé diuersitatem facientia pulcherrimam ordinis sui vnitatem. De digestione etiam ista fumus ascendens lenis & suauis, molliter tangit cerebrũ, & ventriculos ejus opprimit; intantum vt omnes ejus actiones sopiat: hic est somnus.

Somnus.

In quo cessantibus omnibus animæ virtutibus sola viget virtus naturalis, quæ tunc tantò intentiùs operatur, quantò tota ei vacat natura. Anima verò interiùs requiescens, exclusis omnibus sensuum officijs reuoluit penes se præterita, præsentia, & futura: & hæc sunt somnia.

Somnia.

Cùm verò quatuor hi humores creantur in hepate & formantur; non tamen vnusquisque in propriam formam secernitur; sed secũdùm formam ipsius hepatis, quæ sanguinea apparet, confusè omnes subsanguinei apparent: & vnumquodque ad nutriendum & regendum totum corpus, per suas vias, venarum scilicet & arteriarũ dispensantur, hoc modo generati. Primùm cibi in medio stomachi albi efficiuntur, id est flegmatici; circa inferiora prope hepar quasi sanguis aquosus: decoctus in hepate sanguis; plus decoctus cholera rubea; nimis decoctus cholera nigra.

Flaua & atra bilis.

Cholera verò rubea ab hepate egrediens, multipliciter se in corpus infundens, per venam quandam se ad inferiora cum quadam corrosione deponens, fæculenta quæ remanserant, exire prouocat per egestionem. In quo qui cogit naturam ante voluntatem, facit contra sanitatem. Lædit etiam sanitatem; qui cùm venit voluntas, naturæ differt necessitatem. Per alium verò venæ cujusdã surculum stomachum ingressa cholera rubea, digestioné ibi operatur & appetitum. Diuiditur etiam in alias corporis partes, cujus retrimenta fel suscipit. Est enim officium fellis, vt sanguiné à cholera rubea purificet; ne cũ sanguine commorans eum incendat. Quæ vbi per se nimium dominatur, omnia incédens pessimas infirmitates operatur.

Officium fellis.

Sanguis ab hepate per venas duas egrediens, quarum vna concaua vocatur, porta altera; in partes se innumeras diffundit, per venas & venarum surculos.

Vena caua & vena porta.

Vna est, quæ intrat stomachũ, & inde fert cibum ad hepar, siquem invenerit. Altera ingreditur stomachi latitudinem, portans illuc ab hepate cibum: vnde ventriculus stomachi cibum digerens sibi sumat nutrimentum. Altera ad splenem vsque procedés, fæces sanguinis ab hepate trahit. Sed antequam illuc veniat, diuiditur in partes plures, & ad carnem nutriendam mittitur. Hæc vena à medicis panagras vocatur; proprium est enim sanguini corpus nutrire. Est etiam proprium sanguini, vt aëris imitetur qualitatem; cujus, sicut iam dictũ est, habet naturam; inquantum plurimas patitur sui mutationes, sicut aër. Si enim fuerit grossus & turbidus, significat caliditatem & humiditatem nimiã: si subtilis & aquosus, significat frigiditatem hepatis: si rubeus & fœtidus, significat infectionem choleræ rubeæ, & sui putrefactionem: si spumeus, ventositatem: si coagulatus & aquosus, significat nimium flegma, & expulsiuæ virtutis defectum.

Vitia sanguinis.

Quod enim per vrinam vel sudorem, alijsue modis, debuit expelli, remansit in sanguine. Flegma semicrudus est cibus: propterea frigidum est & humidum. Flegma in nutrimentũ corporis aliquando operatur deficiente sanguine: & decoctũ mutatur in sanguinem. Flegma si liquidum emittitur & sine sapore, naturale est: si dulce, infectum sanguine; si salsum, infectum cholerâ rubeâ; si actum, melancholiâ: si vitreũ & coagulatum, ex frigiditate

Flegma quando alijs humoribus mixtum.

est. Ex actionibus sic cognoscetur. Si flegma naturale redundauerit, cibi potusque appetitũ remittit, propter humoris abundantiam in stomacho: cibi potusque saporem minuit, sicut aqua cujusque cibi sibi admixti saporẽ solet minuere. Si dulce flegma dominatur, cibus omnis dulce sapit, & citò digeritur: si salsum dominatur, minoratio cibi sequitur, & os amaricatum, & potus appetitus. Acre verò debilitat potius appetitum, cibumque prouocat: cibo non digesto, & in inferiori parte stomachi collecto, superiori parte relicta vacua, quæ cibum appetit. Vitreum flegma cibum & potum destruit: rigores facit prę nimia frigiditate. Quatuor ergo hi humores superiora appetentes, ibi purgantur naturali quadam purgatione: cholera per aures, melancholia per oculos, flegma per nares & os. Vrina verò colatura & purgamentum sanguinis est. Et cùm propter humiditatem suam & abundantiam sanguis & flegma faciliùs ferantur, & superfluitates suas ejiciant: per renes eas & vesicam egerunt, nulla propria vasa habentes; sicut cholera rubea fel, melancholia splen. Melancholia enim in splene sedem habet, vbi ab hepatis sanguine decolatur: & inde iterum ad os stomachi remittitur, vt appetitum confortet. Hæc est humorum distributio ex digestione hepatis procedens: deinde ex ipsius digestionis feruore fumus quidam procedens generat spiritum, qui dicitur naturalis, hepar ipsum viuificans ad seruiendum naturæ, in quodcumque virtus expetit naturalis. Tres quippe sunt virtutes in corporis regimine. Virtus autẽ est habitus operationis in membro, ad id quod efficitur. Quæ alia naturalis in hepate, alia spiritualis in corde, alia animalis in cerebro. Omnia autem corporis regimẽta aut ex anima sunt & natura; aut ex sola natura. Quod à natura & anima regitur, est animatum: quod à sola natura, inanimatum. De inanimatis modò nihil ad rem. In eis verò quæ sunt animata, necesse est animæ & naturæ quandam virtutem inesse, qua valeant suam adimplere actionem. Quæ virtus ex actionibus concipitur. In eo enim quod appetimus, continemus, digerimus, & egerimus, exercetur virtus naturalis; in eoqnod sentimus, & voluntario motu nos mouemus, virtus animalis: in eo verò quod aërem attrahimus & emittimus, virtus spiritualis. Virtus naturalis cõmunis arboribus, bestijs, & hominibus: virtus spiritualis bestijs & hominibus: virtus animalis animalibus similiter in quibusdam: in quibusdã non. Nam phantasiam & memoriã perfectè nõ potest habere, nisi animal rationale. Virtus autem naturalis tria habet, id est tres virtutes; generatiuã, pascitiuam nutritiuam. Generatiuam in spermate, pascitiuam in vegetatione, nutritiuam in augmentatione de paruo in magnum. Hæc autem maximè sanguis operatur, qui virtutem habet nutritiuam & augmentatiuã. Cui subseruiunt in hoc superfluitates ejus mundificantes, fel, spen, renes. Fel choleram rubeam attrahens ad se, ne eum exurat; spen superfluitates ejus in se suscipiens: renes verò superfluitates aquosas de sanguine in vesicã emittunt egerendas, sicut intestina grossos cibos à stomacho suscipiunt egerendos. Et hæc omnia operatur spiritus naturalis, qui natus in hepate virtutem naturalem augmentat & regit, actiones ejus custodiens; sicut spiritualis spiritus in corde, & spiritus animalis in cerebro. Tres enim sunt spiritus, tres virtutes regentes & viuificantes. Et sicut naturalis originem & sedem habet in hepate: sic spiritus spiritualis in corde. Cor enim spiritualis caloris est fundamentum. Alimenta ejus, pulmo, panniculi, lacerti pectoris. Lacerti enim nerui sunt cum carne mixti, quorũ motu aër trahitur ad refrigerandũ; & calor expellitur fumosus quadam spiritus digestione. Spiritus autem est virtus virtutum ad peragendas suas actiones. Est enim spiritus quædam vis animæ, per quam virtutes suos actus operantur: naturalis scilicet in hepate, spiritualis in corde animalis in cerebro. Istæ enim tres virtutes vel tres spiritus fundantur in tribus principalibus membris istis, hepate, corde, cerebro: & ab his in totum corpus diffundũtur. Spiritus ergo spiritualis vel eius virtus fundata in corde, operatur dilatationem & constrictionem. Dilatatio est, cùm se cor dilatat, & dilatatur arteria ad aërem attrahendum, modo conuenientem, modo superfluum; & sanguinem subtilissimum à venis. Nisi enim cordis calor sic temperaretur; sedem suam, & omnia quæ vicina sunt, combureret. Vnde etiam dicitur requiescere cor in sinu pulmonis, quasi in sinu nutricis, aërem sibi ad sui nutrimentum iugiter attrahentis. Cujus attractionis meatus si quouis modo obruitur: ad ipsum refugit semper, quamdiu in eo aliquid inuenit aëris, vnde pascatur. Qui si omnino deficit, cor moritur. Vnde dicunt physici, hominẽ non plus quàm septem diebus viuere posse sine cibo; nec plusquàm septem horis sine aëre. Virtus ergo spiritualis est quæ viuificat omnia; & à qua viuit quicquid viuit in corpore. Et hic est spiritus spiritualis. Hic, vt sæpe jam dictum est, in corde natus, per arterias vadit ad totius corporis mẽbra; spiritualem virtutem augmentans atque regens, ejusque actiones custodiens. Arteriæ verò à corde procedentes, & in spiritu vitali circumquaque deferendo cordi seruientes, villosæ sunt, intus & foris villos habentes: eos qui foris sunt in longitudinem porrectos, ad attrahendum de cordis imo calorẽ vel spiritum; & tunc dilatantur ipsæ arteriæ. Alijs verò villis interioribus in transuersum positis constringũt spiritum: & fumosas superfluitates expellunt. Et hæc est prima spirit⁹ spiritualis digestio. Deinde ipse spiritus per arterias quæ dicuntur iuueniles, per dextrum & sinistrum colli in cerebrum ascendentes, cerebrum ingreditur. Iuueniles enim illæ craneum ingrediuntur. Est autẽ craneum sedes cerebri, testa scilicet capitis, in qua ipsum cerebrum continetur. Est autem cõpositum ex multis ossibus; tum propter fumositatem, vt per poros inter ossium juncturas habeat spiritus viam exeundi, tum propter venas & arterias introrsum admittendas. Iuueniles arteriæ spiritum vitalem deferentes, craneum penetrantes, vsque ad cerebri sedem sub ipso cerebro multipbliciter in modũ retis dilatantur: vt sub ipsius retis fomento spiritus iterum digeratur. Ibi enim spiritus spiritualis immorans digerendo purificatur. De qua digestione spiritus animalis creatur: pòst per duas arterias supra rete retortas egreditur: & ad ventriculum prora cerebri dilabitur. Vbi iterum subtiliatus & depuratus, depurationes suas ejicit per meatũ palati & narium. Et hæc est tertia ejus digestio. Ipse verò transit ad puppis ventriculos per viã

Superfluitas humorũ quà exeat.

Virtus naturalis, spiritualis, aĩalis.

Virtus naturalis triplex

Sedes spirituum quæ.

Vnde fiat spiritus animalis.

mediam proræ & puppis: & memoriam & motum ibi facit; sicut in prora phantasiã & sensum. Est autem prora anterior pars cerebri in anteriore parte capitis locata: puppis verò posterior pars cerebri in posteriore parte capitis posita. Vnaquæque autem quasi proprium domicilium quemdam habet ventriculum, in quo virtus sua continetur: inter quos medius ventriculus rationem continet & intellectum. Et sciendũ, quia cerebrum per se quædã facit, quædam per officiales suos. Rationem in medio positam, sicut Reginam & dominam, qua distamus à bestijs: phantasiam in prora, memoriam in puppe per se facit: animalem autem virtutem, id est sensum, in prora, motum autem in puppe; alterum per quinque sensus, alterũ per neruos à puppe procedentes. Quod autem per se facere dicimus rationem, memoriam, & phantasiam; cùm etiam in brutis animalibus esse videantur phantasia & memoria, sicut sensus & motus, (alioqui nec canis dominum suum recognosceret, nec auis ad suum nidum rediret,) sciendum est, nec memoriam eis inesse, nec phantasiã: sed inesse eis tantò majorem vim sensuum, aut vsum sensualium actionum, quantò anima eorum à ratione est aliena, suo corpori tota dedita & affixa; tota vacat sensibus tantùm & motibus. Vnde & motus etiam habet viuaciores, & vsus membrorum ad motus suos promptiores. Hunc autem spiritum spiritualem quidam Philosophi animam esse dicebant: qui corpoream animam esse volebant. Sed falsum est. Anima enim spiritualis est substantia ad imaginem Dei facta, Deo simillima: sic quodã modo se habens in corpore suo, sicut Deus in mundo suo: in corpore scilicet vbique existens, & vbiq; tota. Tota in naturalibus, tota in spiritualibus, tota in animalibus operationibus. In naturalibus operatur subtiliter, in animalibus subtiliùs, subtilissimè in spiritualib[9]. Quædam enim facit naturaliter, quædam actualiter & passibiliter, id est animaliter: quædam per seipsam, & secundùm seipsam, id est spiritualiter. Siue igitur virtus naturalis, siue animalis siue spiritualis; non sunt anima, sed animæ instrumenta. Sed redeamus ad propositũ. Hę itaque omnes spiritualium actionum rationes in corde fundantur; de corde exeunt. Quod cùm ita, vt dictum est, naturali ardeat calore: ipso calore ad se trahit quicquid ejus calorem potest temperare. Et cùm forma ejus talis sit, vt quasi duas habeat auriculas; dextra auricula venam ab hepate suscipit, per quam sanguinem sibi attrahit; per sinistram verò emittit arteriã quandam magnam, multis diuisionibus suis spiritum vitalem vbique administrantem. Sciendum etiã de arterijs, quia per totum corpus quadam familiaritate venis conjunguntur: & per poros, quos in eis prouida creauit natura, de quibus abundant, inuicem sibi communicant, arteriæ scilicet venis vitalem spiritum; venæ arterijs nutrimentum naturale: nec vmquam sanguis nutritius deest in arterijs, nec spiritus animalis in venis. Sed ad spiritum redeamus. Diximus, quia transiens spiritus spiritualis in posteriorem cerebri puppim, memoriam in eo operatur & motum: memoriam per se, motum per officiales suos: nerui, sicut in anteriori prora phantasiam per se, sensum per officiales suos, qui sunt quinque sensus. De spiritualibus autẽ spiritus actionibus disputare difficile est: de eis verò quæ per officiales in corpore aut circa corpus facit, aliquid in promptu est, de sensu scilicet & motu. Vt igitur de motu primũ agamus: motabilis virtus facta in cerebro mouet per se quæ vicina sunt. Natura enim prouida septem paria neruorum in ipso cerebro fundauit: qui per congruos meatus exeuntes, quæ circa & infra caput & collum sunt, vsque ad diaphragma, id est vsque ad mediũ viscerũ, tum per se, tũ per alios neruos ex se prodeũtes & furcantes, mouent quæ mouenda sunt, & ministrant quæ ministranda sunt. Nam quinque sensus sui motus & sui sensus vim vnicuique ministrant: similiter cerebro, linguæ, gutturi, & alijs, vt dictum est, vsque ad diaphragma. Sed quia virtus hęc in cerebro fundata, vt dictum est, id est vis motabilis & à cerebro procedens lentissimum & pigerrimum redderet animal ad mouendũ, si per neruorum virtutem à summo cerebro exeuntium, itusque eorum & reditus per omnes corp[9] partes, & vsque ad pedum ima dispensaretur vis voluntarij motus: congruum cerebro natura prouidit auxiliarium, quod & vsque ad inferiora descenderet, cui operationis motabilis & sensificationis vim in inferiora vbique deferẽdã mutuaret. Nerui quippe naturaliter faciunt motũ; musculi cũ neruis sensum; membra delicata ad humores peregrinos trementia, nihilque in corpore sensum doloris patitur, quod his non regatur. Dolor enim quem in læsione ossium vel vngularum vel hujusmodi sentimus, non in osse & vngue, sed in eorũ sunt cũ carne & neruis cõjũctionib[9]. Quia ergo si à summò vsque ad imũ, vt dictum est, nerui tenderentur, & facile pro ipsa longitudine possent rũpi, & sensus & motus hebesceret: prouisus est nervus qui lingua arabica nucha vocatur, descendens à cerebro, & à fine puppis, per spondilia dorsi, id est ossa spinæ vsque ad inferiora. Vnde etiam dorsi vel spinæ cerebrum nominatur. Propter quod etiã adsimilitudinẽ cerebri quibusdam fomentis & nutrimentis vestitur & tegitur. Cerebrum enim cum craneo claudatur, inter ipsum & cranei duritiam duos habet panniculos interpositos; vnum mollissimum & lenem, quo foueatur, vnde & à Physicis pia mater vocatur: alterum validiorem, quo à cranei duritia defendatur, vnde & dura mater vocatur. Sic & dorsi cerebrũ nucha & piam matrem & duram habet matrem: insuper & alios duos habet panniculos ex ligamentis compositos; vt his defendatur & operiatur. Nam vsque ad piam matrem aliquo casu læsis omnibus operimentis, si nucha manet illæsa, nullum erit periculum. Nucha patiente vel incisa, sensum & motum perdunt omnia inferiora, superioribus in suo statu permanentibus: intantũ vt si in prima spondili post craneũm præcidatur, adiacentia & subjacentia omnia sensu & motu priuentur. Ab hac ergo nucha per neruos hinc & inde prodeuntes, sensus & motus administratur omnibus membris infrà vel circùm positis. Hoc itaque modo motus voluntarius à cerebro prodit in totum corpus. Est autem puppis vnde motus procedit, minor quàm prora: quia dignior & profusior est proræ operatio, & plura quàm puppis, continet operationum instrumenta. Est etiã mollior prora quàm puppis; quia puppis durior esse debuit, vt faciliùs motum pateretur: prora verò mollior, vt sensum citò reciperet sensuales nerui ab ea pro-

Cerebrũ sedes rationis.

Anima in corpore, vt Deus in mũdo.

Cordis auricula.

Virtus motrix vt se exerat.

Quid sit nucha.

deuntes, qui sunt septē pares; cum à puppi pauci prodeant motum sensumque facientes. Nam etiam his & omnibus à cerebro prodeuntibus natura & motum contulit & sensum: & motū agiliorem, & sensum acutiorem & digniorem. Sed quia ex neruis puppis & mediatoris ejus, qui dicitur nucha, vniuersalis ille corporis motus procedit & sensus: puppi specialiter & motus assignatus est & sensus. Iam ad animalem virtutem, vel animalem spiritum transeundum nobis est. Quæ cùm maximè in quinque illos notissimos corporis sensus se exhibeat, & in eorum actiones: de ipsis sensibus subtilius aliquid perspiciendum nobis videtur: primumque de visu, cujus parva sed mirabilis officina oculus, vix ab aliquibus philosophorum vel physicorum ingenijs investigari vel perspici aliquādo potuit, differamns. Oculi igitur quantæ sint præ cęteris sensibus dignitatis, ipsa ostendit natura, cùm ante sedem rationis viciniùs eos collocavit, sicut sensū & in potentię similitudine magis sibi convenientem: & in discernendis eis rebus, quæ sub se & circa se sunt, magis necessarium. Oculorum organa vel instrumenta visum à cerebro deferentia, opticus est nervus, humores, & tunicæ, de quibus postea dicetur. Opticus nervus sub pia matre de ipso cerebro procedens, ibiq; natus & fotus, ne pro teneritudine sua in egressu ab ossibus cranei læderetur, ipsius piæ matris pellicula involut⁹ producitur: & vsque ad oculos procedens, vimq; visibilē eis administrans, in mediam chrystalleidon solidatur. Deinde humores & tunicæ visum facientes vel adjuuantes, hi sunt. Tres sunt humores, septem tunicæ. Humor est medius, qui chrystalleidos dicitur, in quo, vt dictū est, visus fundatur. Est autem forma ejus rotunda, vt non leuiter patiatur, plana tamen in vna parte, vt solidè ac stabiliter visus dirigatur. Sub isto, vel post istum, id est retro, positus est vitre⁹ humor hoc ordine. Primùm ei supponitur tunica retina, vel circūponitur: ideo sic appellata, quia ex venis & arterijs in modum retis est composita. Hujus officium est sanguinem aduenientem subtiliare, ne grossior sanguinis substantia christalleidon lædat. Crystalleidos proprium est visus instrumentum: à crystallo propter claritatem sic vocatum. Ab hac retina non per venas vel arterias, quarum ibi nulla est conjunctio, sed naturaliter vitreus humor sanguinem sugit, in suam conuertens naturam alimentum; vnde & nutrimentum christalleido subministrat. Inter retinam tamen & vitreum humorem duæ adhuc sunt tunicæ; id est secundina, ideo sic vocata, quia secundum locum tenet, & scliros id est dura vt ab interiori parte à superuenientibus superfluis humoribus, alijsque superfluitatib⁹ oculos defendant. Super has tres tunicas positus est vitreus humor, id est similis vitro: jungitur opticus nervus non simplex sed binatius, vt vnusquisque suum habeat ministrantem sibi vim visibilem spiritum. Post vitreum humorem quarta est tunica, propter sui tenuitatem dicta tela araneæ: vt & facilis sit humori attrahendo, & præ leuitate sua vtrumque mulceat humorem. Super hanc enim ponitur christalleidos, post quem euagaidos, id est humor albugine⁹ albugini oui similis, qui crystalleidon & humiditate sua exteriùs nutriat, & ab aëre defendat, ne eum exsiccet. Post hunc posita est vuea tunica, facta in modum vuæ, receptibilis lachrymarum. Post hūc cornea, dura vt cornu: vt defendat evagaidon ab incursibus exterioribus. Quæ etiā chrystallinum tenet humorem: ne si assiduè acies oculorum extra protenderetur, exsiccaretur vel hebetaretur visus, sicut in piscibus, qui numquā oculos claudunt, & ideo in retia currunt. Septima tunica ponitur conjūctiua; quæ omnia continet & conjungit. Et ipsa est albedo quæ apparet in oculis. Ista non operit, sed circumdat vueam. Porrò nervus opticus à cerebro veniēs concavus est, vt spiritum visui ministret sufficientē: qui cùm ad oculos venit, sic dilatatur, vt vitreā tunicam totam circumdet. Spiritus autem visionis à cerebro egrediens, & eamdem tunicam percutiens, oculum irradiat. Vnde sequitur, vt crystalleidos quæ est lucentissima & clarissima, & primum videndi instrumentum, cito aptet se coloribus. Spiritus enim visibilis in concauitate neruorum clarificatus, egrediens & vsque ad claritatem crystalleidos perueniens, & inde foras exiens, miscetur ad diei aërem. Qui æ duo dum sibi concorporantur: facile vtraque & citissimè commutantur. Aër enim & spiritus facile visarum rerum se commiscent coloribus. Spiritus autem chrystalleidon exiens, mutationemque sibi deferens, citò eam mutat. Quam mutationem cùm mens senserit quæ in cerebri ventriculo est, res exteriores colorib⁹ discernit; per colores quoque formam corporis, quantitatem atque motū intelligit. Aër enim diei lucentissimus tantum spiritui dat supplementum, quantum neruo cerebrum. Nervus enim à cerebro defert sensum atque motum, suisque deportat membris. Similiter aër exterior visibilium colorum fert mutationes; & spiritus eandem menti infert mutationem. Omnis enim sensus sentientem transmutat quodammodo in id quod sentitur, alioquin non est sensus. Quod tunc in oculo efficitur, cùm interiori spiritui splendor exterior conjungitur. Quod fit sine aliqua moræ interpositione. Sic ergo visus formatur in oculo. Ipse autem visus si subtilis est & multus, longinqua & propinqua perfectè videt. Multus enim videt remota: subtilis bene discernit videnda. Multus & grossus remota videt, quia multus; non perfectè, quia grossus. Paucus & subtilis videt prope & perfectè. Non enim longè ex visus paucitate; perfectè autem, ex subtilitate. Paucus & grossus non videt longè pro sui paucitate, nec perfectè pro sui grossitudine. Hęc de visu vel oculo. De naribus verò; duæ narium viæ duabus de causis sunt necessariæ. Quæ major est, ad attrahendum spiritum & odoratum: altera, ad emittendas grossas superfluitates à cerebro venientes. Viæ autem istæ ad proram cerebri admittunt odoratū, sed non faciunt. Duo enim frustula vberibus simillima odoratus sunt instrumenta. Quæ duræ matri apposita, & per ipsam pertusatam ad cerebrum vsque pertingētia, inferiùs autem vsque ad nares prope descēdentia hoc modo odoratū faciunt. Fumus corporū odoriferorum dissolutus & cum aëre mixtus, per narium foramina ab vberibus illis trahitur, & vsque ad cerebrum transmittitur. Quē cerebri ventriculis attractum in suā mutant naturam. Hanc verò mutationem sentit mens, & sic fit odoratus. Aëris verò attractio cerebro est necessaria: quia idem ei facit quod cordi anhelitus. Dum enim cerebrū dilatatur: aër ad ipsum

Officina visus mirabilis


Narium viæ duæ ad quid

Vt fiat odorandi actio.

refrigerandum attrahitur. Dum verò constringitur, superflua fumositas expellitur. Et cùm dilatatione aër à pulmone, à naribus, à gutture trahitur, fit odoratus. Isto enim modo odoranda odorantur: cùm per prædictas mamillas, vt dictum est, fumus de corpore odorifero dissolutus & aëri commixtus, ad cerebrum pertrahitur: auditum verò facit par neruorum à cerebro procedentium, & in aures se dilatantium: vbi foramen ipsarum aurium cartilaginibus tegitur duas ob causas; & ne aliquid incidat, quod auditum impediat: &vt vocem adjuvet; quæ ad cartilaginem veniens ibi adunatur, vt fortiter intret foramina. Porrò duo illi nerui in foramen, vt dictum est, aurium se dilatant, & totum operiunt: operimentum tantum valet auditui, quantum chrystalleidos visui. Vox autem est aër ictus. Tactus ergo vel ictus aëris ad aures venit; & intrãdo paulatim alternatur. Tactus enim propinqui aëris propinquiorem percutit: ille succedentem sibi. Sicque alternando aures penetrat, donec perueniat ad operimentum neruorum, de quo jam dictum est: ibique ipsum operimentum in naturã tacti aëris à natura transmutatur. Sunt enim similia, quia vtraque aëria. Hæc autem permutatio ad mentem ducitur per neruos; mens autem discernit naturam intromissæ vocis; & sic fit auditus. Lingua verò instrumentum est gustus & locutionis: habens vicinas sibi quasdam venas, salivas sibi semper administrantes. Hæ ab initio linguę incipiunt in modum arteriarum: à quibus humectatio phlegmatica emanat, quæ vocatur salivaris. Venit autẽ nervus à cerebro, qui per linguam diuiditur, vt det ei sensum gustus, qui sic efficitur. Res gustanda, cùm ad linguam venit, ejusque essentiam tangit: natura in ea operatur, vt lingua in naturam rei gustatæ mutetur. Mutatio tangens nervum, per eum menti transmittit gustum discernendum & judicandum: & hic est gustus. Tactus alijs sensibus est similis: quia mutatur in rei substantiam quæ tangitur. Quæ mutatio mãdatur menti per nervos: & hoc modo sentit mens illam mutationem. Omnes autẽ sensus proprium habent membrum, pręter tactum. Tactus enim totius est corporis, exceptis partibus illis, quæ nervis carẽt, vt pili, & vngulæ, & talia: quæ vbi ligantur, quia hoc non sine nervis fit, ibi tantùm sentiunt. Et vt finem faciamus de sensibus, nihil patitur in corpore, quod non sentit: nihil sentit, quod nervis non regitur. Sciendum etiam de sensibus, respondere eos quatuor humoribus, de quib⁹ suprà multa dicta sunt. Visus enim igneæ est naturæ, auditus aëriæ, odoratus fumeæ, gustus aquosæ, tactus terrenæ. Quid mirum, cùm etiam ætates singulæ hominis singulis respondeant humoribus? Adolescentia enim vsq; ad vicesimũ quintum annum vel tricesimum, assimilatur sanguini, qui per humiditatem & caliditatem nutrit. Quidquid enim crescit, per humidum & calidũ crescit. Vsque huc augetur & viribus & altitudine, & lõgitudine, & latitudine. Deinde sequitur juuentus, choleræ rubeæ similis propter siccitatem & calorem: cujus calor humiditatem adolescentiæ consumit: & ideo sicca est, quia humiditate minorata sequitur siccitas. Iuuentus conseruans corpus perfectum sine diminutione virium finitur trigesimo quinto vel quadragesimo anno. Deinde senectus frigida & sicca choleræ nigrę assimilatur: frigida propter humiditatem juuentutis exsiccatam, quæ est nutrimentum caloris. Hæc quinquagesimo quinto anno vel sexagesimo finitur. Huic succedit seniũ naturaliter siccissimum & frigidissimum, accidentaliter autem humidum, propter indigestionẽ & abundantiam phlegmatis. Hæc de homine exteriori diximus, non tamen omnino exteriori: sed de quibusdã, quæ sunt in corporibus humanis, nec tamen subjecta sunt omnino sensib⁹ hominis: sed ratione & experientia discernuntur à physicis & philosophis, qui hucvsque peruenire potuerunt, humanæ naturæ exquirentes dignitatem. Qui tamen absurdissimè in hoc degenerauerunt, quòd in horum numero partem illam hominis putauerũt deputandam, qua homo imago Dei est incorruptibilis, cæterisq; animantibus pręeminet, animam scilicet rationalẽ: hunc decorem tantùm hominis commendantes & salutantes, quomodo scilicet naturaliter præ cunctis animantibus in cęlum erectus aliquid se cum cælo habere testatur: qũo per totum corp⁹ ipsum secundùm in longum distinctionem mẽbrorum media viget vnitas, hinc autem & inde pulchra per latũ membrorum respondet parilitas: quomodo totum ipsum corpus in pondere & mensura & numero inveniatur cõpositum. Transeamus ad animam. Ponderis enim æquitatem in corpore humano testatur membrorum parilitas: mẽsuram autem probrare potest mensurandi solicita experientia. Dicũt enim Physici, quia si homo supin⁹ extensis manibus & mẽbris jaceat, si circinũ in centro vmbilici locatum vndique circũvoluatur, inoffenso mensuræ cursu in omnibus partibus suis par sibi & æqualis inueniatur. De numero satis constat. Vt enim omittam de exterioribus mẽbris, quorum numerum nullus potest ignorare: etiam omnia interiora certis constare numeris, non est dubium. Nam etiam ossa ab his, quibus id curæ fuit, numerata sunt, & inuenta sunt ducẽta & quadraginta vnum esse, in omni corpore humano. Similiter de nervis. Neruorũ à cerebro exeuntium inventa sunt esse septem paria: à nucha triginta duo paria, & vnum impar. Quid multa? Et venas & lacertos, & omnia quę sũt in corpore, certis constare numeris: certũ est. Sed jam, vt dictũ est, ad animã transeam⁹: nec quid de ea Philosophi vel Physici sęculi sentiant vel opinentur, sed quid Catholici Patres à Deo didicerint, & homines docuerint, breuiter perstringamus.

Vt fiat auditio. *Quid sit vox.* *Sensus mẽbrum habẽt proprium, præter tactũ.* *Sensibus respondent 4. humores.* *Singulis ætatibus humor aliquis donatur.* *In corpore est pondus, numer. & mes.*

Finis Physicæ humani corporis.



D. GVILLELMI S. THEODORICI ABBATIS,

Physica Animæ.

Animæ definitio.

NIMA, sicut Phylosophi hujus mundi dicunt, substantia est simplex, species naturalis, distans à materia corporis sui; organum membrorum, & virtutem vitæ habens. Porrò secundum nostros, id est Ecclesiasticos Doctores, anima spiritualis propriaque est substantia, à Deo creata, viuificatrix, rationabilis, immortalis, sed in bonum malumque conuertibilis. Quòd autem propria ejus dicitur substantia: ideo quia nullus alius spiritus carnem suscipit vel corpus, vt ejus passionibus aut condoleat aut lætetur. Viuificatrix autem sui corporis miris & ineffabilibus modis intelligitur. Tria enim circa corporis naturam esse intelligimus: quorum causâ singula quæ in nobis sunt constituuntur. Nam quædam propter viuere tantum, quædam verò propter bene viuere: quædam ad successionem futurorum bonorum opportunitatem habent. Quæcumque igitur in nobis talia sunt, sine quibus non recipitur humanam vitam consistere, in tribus particulis intelligimus, sicut in priori libello prætaxatum est: scilicet in cerebro, in corde, in hepate.

Tres partes ad vitam necessariæ.

Nam cætera omnia adjectio quædam sunt bonorum, quæ propter bene viuere natura contulit homini: sicut sunt sensuum organa, & cætera multa, quæ vitam quidem in nobis const,tuunt: quoniam plurimis ex eis quocumque casu deficientibus, nihil minùs viuit homo. Sunt verò quædam ex eis à natura vitæ constitutionibus adjecta, & vitæ officinis subseruientia: sine quorum adminiculo suum illæ officiũ implere non possunt; sicut sunt venter & pulmo, & cætera nonnulla. Pulmo siquidem ignem qui in corde est per attractionem aëris sufflando infrigidat: qui nisi hoc faceret, ignis cordis & ipsum, & omnia vicina combureret. Venter verò escam visceribus introducit: sine qua natura statim deficeret. Istis verò plurima sunt subseruientia & coadjuvãtia suis modis singula. Non enĩ vniformiter nobis ex vno aliquo ad viuendum virtus deducitur: sed auctrice animâ à Deo datâ, plurimis particulis natura ad vitæ constitutionem suas occasiones & efficientias inspirans, necessariam quamdam & penè inscrutabilem ex omnibus in vnum viuendi facit collationem. Quæcumque ergo ad munimen, vitæue pulchritudinem natura machinata est, omittentes, quæ plura sunt, & ad se inuicem suas habentia differentias: prima ex eis segregemus principia, in quibus vitæ constitutio fundatur: scilicet cerebrum, cor, & hepar. Primumque videamus de cerebro; cujus potens efficacia in administratione vitæ, per hoc à contrario declaratur, quod nec minimã recipit vulneris læsionem, quin mors statim sequatur passionem. Neruosum itaque illud operimentum, vel membraneum, in quo ipsum continetur cerebrum, quod Græci himen vocant, omniũ voluntatiorum motuũ fontem esse constat & causam: a qua voluntario quodã spiritu per neruos qui ex ipso procedunt descendente, & in omne se corpus per ipsos neruos diffundente, varia & multiplex fit motuum administratio, multùm velox & versibilis, & ad omnem agitationem oportuna.

Motuum voluntariorum causa.

Hinc ceruicis circumuolutiones, capitis inclinationes & eleuationes, circa maxillas agilitas, palpebrarum & oculorũ motus celerrimi, manuum administratio varia. Hinc in gradiendo crurum & pedum successio, cæterorumque omnium artuum motiones, neruis siue laxatis, siue retractis, quasi naturali quadam machinâ voluntario quodam spiritu vitæ se agentes. Ipsa verò virtus in sede cerebri propriũ quemdam obtinet imperativum motum: qui prompto spiritu juxta quamdam naturæ administrationem in singulis singula operatur. Sic & de corde.

Cor fons vitæ.

Cujus calor naturalis si extinguitur: cõtinuo infrigidato corpore mors sequitur. Per quod euidenter apparet, quemdã viuendi fontem & causam in corde etiam consistere, ex quo fistulares pori & arteriarum procedens multiplex diuersitas, alijs ab alijs nascentibus, vniuersò corpori ignem & vitalem spiritum administrant. Quoniam verò omnino etiam oportebat cibum quemdam cordis calori à natura administrari, non enim recipit ignis à seipso manere, nisi ex conuenienti cibo vel materia nutriatur; propterea sanguinis rivuli veluti ex fonte quodam ex hepate surgentes, cum calido spiritu vbique per corpus venarum ministerio decurrunt: ne separatim altera ex altera passio facta naturam corrumperet. Omnis enim superfluitas, corruptrix passio est. Sic vitæ nutriendæ & confortandis naturalibus incrementis, per hanc artificialem & disciplinalem formationem statim conjuncta virtus animâ rationali ostenditur, obscuriùs quidem per primam manifestationem; deinde verò ex processu naturæ, & bonorum studiorum vsu, manifestiùs. Sicut enim qui figmentum hominis excidit in lapide, primùm quidem sculpit figmenti formã; deinde verò formæ illius secundum sua lineamenta distinctionem & decorẽ, sic author naturæ, & corporis & animæ conditor Deus, hominem format ad imaginem & similitudinem suam; obscuriorem quidem in primo, euidentiorem verò & perfectiorem post operis consũmationem. Sic ergo in sculptura organi animæ species secundum subjecti analogiam præmonstratur, imperfecta in imperfecto, in perfecto perfecta futura. Quæ & principio perfecta esset, si in suo principio corrupta natura per malitiã non fuisset. Propterea nascimur vt pecudes; nec continuo, nec nisi cum magnis & diuturnis laboribus relucere potest in nobis factoris imago; sed longa quadam via per materiales & pecuales animæ proprietates ad perfectionem suã homo ducitur. Gratias tamen creatori suo non quantas debet, sed quantas potest, totus homo referat: qui in ipsis suis primordijs omnis creaturæ ei confert perfectionem; omnipotẽti virtute dans ei esse cum lapidibus; dans ei vitam seminalem cum herbis & arboribus; dans vitam sensualem siue animalem cum pecudibus: additurus etiam vitam rationalem cum Angelis. Sed quovis modò herbæ & arbores vivere videatur, habere animã bruta & quævis animalia;

Omnis creatura perfectio inest ho-

constat tamen, hæc omnia, quamvis quovis modo viuentia, animam non habere, nec assurgere in hoc ad dignitatem conditionis humanæ. Nã in germinibus quædam quidem apparet animalis operatio: quæ tamen nõ procedit vsq; ad motus, qui per sensum fiunt. Est enim ibi vita, quãvis non sit anima. Ad quam conficiendam, intuere & vide omnium elementorum particulatim semina conuenisse. Est quippe illi terra in crassitudine, aqua in humore, aër in progressione, ignis in germine. Et cùm inferiora rato rerũ ordine semper superioribus afficiantur: transacto brumali frigore per conuersionẽ cœli recursu siderum calor à superioribus veniens aërem sibi & loco & natura proximum prius afficit. Qui quoniã tanto gradu igni cedit, quãto ipse aquam supereminet: per radices arborum vel quorumpiam germinum de terræ imis aquas attrahit, eoquod ignis elementorum omnia naturaliter rapiens tepefactum aërem ad se cogit; perque arboris medullam sicut ipse haurit aërem, sic aër aquam, sic aqua terram; sicut nos cum volumus per festucam de inferioribus aquam haurimus. Ex his elementis quatuor, quæ modulatè musiceque in arboris vitam sibi concinunt, si quid contra mensuram vel defluit forte vel superfluit: ægrescit arbor primum, dehinc moritur veluti victa languore. Bruta verò animalia per motum voluntarium & adjectionem sensuum dignius aliquomodo viuere videtur, quàm herbæ vel arbores: non tamen vsque ad perfectionem quæ in rationis & intelligentię gratia consistit. Propterea dicimus, verã quidem perfectamque animam humanam esse solam, quæ in omni valet actione. Si verò quidpiam aliud vitam participet, abusiuè dicimus animatũ: quia non perfecta in his anima est, sed quædam tantũ operationes animalis actionis, quas in primordijs suis etiam homini constat esse ingenitas. Bruta quippe omnino sunt suis sensibus dedita, huc vsque valentia; ideoque vehementiùs etiam in his quàm homines, qui sensus istos ratione supergrediuntur, se exerentia: sicut fluuius qui leuiter decurrens, vbi quovis repagulo prohibetur ne progrediatur, ibi vehementiori impetu se agit. Spiritus verò hominis longè aliter. Nam sensibus dominatur, & de sensibus judicat. Quasi enim regina sedens ratio in media civitatis suæ arce, portis sensuum vndique patentibus, domesticos domestica, peregrinos peregrina ingerentes, suo vnumquemque vultu & habitu discernit & suscipit, & collocat suo vnumquemque scientiæ loco: per genus etiam & cognationes & gentes singulos discernens, singulisque suas memoriæ mansiones distribuens. Itaque mirabile quid est animus secundum sui naturam, qui sensuum virtutibus per singulos se impertitur, & per singulas virtutes conuenienter ipsorum sensuũ scientiam recipit. Nam quia aliud aliquid præter sensus sit, nullus sapientum potest dubitare. Si enim vnũ esset cum sensu: vnam omnino secundum sensum operũ haberet societatem. Nunc autẽ simplex & incompositus, licet in multipliciter partitam sensualitatem diuidatur: tamen in singularitate varium inuenitur, vnum in varietate. Quin potiùs quia in simplo nihil varium potest considerari: nec aliud est cum tangit, nec aliud cum olfacit, nec aliud cum gustat, sicque de reliquis. Vide ergo, quantũ distat sensualitas hominis rationalis à sensualitate bruti animalis? Sileat etiam omnis conjecturalis ac vana ratiocinatio eorum, qui in particulis quibusdam corporis intellectualem includunt virtutem; quorum alij quidem in corde principatum esse constituunt; alij verò in cerebro animum ordinari contendunt; & super hæc singuli suas afferunt physicas conjecturas. Sed conjecturæ corporalium in qualescumque corporum constitutiones referendæ sunt: animum verò singulas quasque particulas per ineffabilem commixturæ vel virtutis ratione obtinere, æstimandũ est. Quod si hi qui pro corde agunt, Scripturam prætendunt nobis, in qua de Deo dicitur, *scrutans corda*, & nos adjiciemus, quia *scrutatur* etiam *renes Deus*. Qui ergo cordis meminit, & renum etiã recordatus est; aut in vtrisque aut in neutro intellectualẽ constituit substantiam. Author enim naturæ, intellectualis substantiæ ad corporalẽ societatem & contractum quemdam voluit esse ineffabilem & inintelligibilem: scilicet vt neq; intus existat; neque enim in corpore incorporale tenetur, neque comprehenditur à corpore; neque exteriùs inueniatur eadem naturæ lege. Nam secundum quemdam modum superrationalem & inintelligibilem appropinquat animus naturæ; & coaptatus in ipsa & circa ipsam, consideratur, sicut considerari potest, neque intus positus vel circumplexus; neque extra positus, vel quasi circumplectens; sed modo quodam, qui nec dici potest nec intelligi, omnino naturę permeabilis est, & ad suas operationes efficax. Non enim in parte aliqua, sed in toto tota intellectualis illa natura, neque in concauitatibus corporum interiùs locatur; neque abundantia carnis vel alterius cujuslibet rei expellitur: sed veluti organum musicum totum corpus in suos creat effectus. Et sicut in organo musico modulari scientes, aptum artis suæ instrumentum inuenientes solemniter artis ipsius officium exercent: si verò carie vel vetustate fuerit attritum, vel quolibet euentu turbatum; artifex quidem de arte nihil perdit, organum verò inactuosum manet & absonum: sic & animus totum organum obtinens, & intellectualibus operationibus singulas partes sicut consueuit tangens, in his quidem quæ secundùm naturam disponuntur, quod suum est operatur: in his verò quæ infirmantur, artificialem sui motum pigrum habet & inactuosum. Vnde & natura organũ corporis vsui rationis per omnia componit & coaptat. Verbi gratia, vide manus corpori copulatas: quod in nullo inuenies animali irrationali. Ex quo quanta in corporis humani organo subsequatur harmonia, aduerte. Primum quòd in anteriori parte omnes bestiæ pedes habent, homines verò manus. Deinde etsi multi sint hujus vitæ vsus, ad quos emachinauit natura manuum officia, seu in pace seu in bello: tamen ante omnia ideo natura corpori manus adjecit certa rationis necessitate; ne si homo manuum expers fuisset, juxta morem quadrupedum escæ vsui oris forma configuraretur, scilicet dũ colli modus prolongaretur ad percipiendam escam de terra, more brutorum animalium extenuarentur nares, ante os prominerent labia callosa, ponderosa, crassa, ad sectionem pabuli oportunitatẽ habentia: pars verò carnosa circa dentes solida esset & aspera, sicut in canibus cæterisque carnem comedentibus: sicque contingeret, si

Quo vegetetur arbor.

Perfecta anima est sola humana.

Ratio est quasi Regina in corpore.

Anima à sensibus differt.

Anima est in qualibet corporis parte.

Ierem. 17. Psal. 7.

ret, si manus corpori deessent, vt articulata vox formata ori deesset, dum oris constitutio ad vsum soni non conformaretur; sed necesse esset hominem aut balare, aut mugire, aut latrare; seu aliquem aliū bestialem fremitū emittere. Nunc verò dum manus seruit ori, os famulatur rationi, ac per hoc animo rei spirituali & incorporali; incommunicabilis cum animalibus irrationabilibus addita est gratia, vt plectri instar dum oris particulas voci coaptatas tangit, per talem sonorum formationem interiorem suum loquēdo interpretetur motum: veluti si quis musicæ peritus existens, propriam ex passione aliqua nō habens vocem; volens autem manifestam facere musicam, alienis vocibus modulatur, per tibias siue lyras artem publicans. Sic animus diuersorum intellectuum inuentor, cum ipse incorporeus corporeas dictiones per se non habeat; intelligentiæ impetus per corporales sensus sufficit ostendere. Licet etiam manuum alia adhuc sit digna rationi prærogatiua. Magnum enim rationalis gratiæ munus est, quòd per manus scribendo loquimur: quòd per manus quodammodo elementorū voces characteribus suis compactas pronunciamus. Seruiunt igitur rationi & manus & os. Manus scribendo futuris vel absentibus: os verò facillimè & promptissimè loquendo quicquid interiùs suggerit ratio. Spiritus quippe per arteriam repulsus ex follibus spiritum recipientibus impetu quodam sui arteriam in vocem roborat aërem percutiendo: deinde secundum tibialis instrumenti formam per circulares quosdam membranarum quarūdam motus, ipsarum membranarum vehiculis in gyro circummodulans superiora petit; vbi maxillæ, dentes, & lingua, quasi quamdam plectri formam imitantes, multiformi & velocissima varietate sonos ad vsum coaptant; labia verò distincta quadam sui apertione & compressione idipsum faciunt, quod digiti modulantis in tibia, qui spiritum conceptum in tibiæ foraminibus ex multiplici varietate in vnam formant melodiā. Sicque verba sua humana digerit natura: rationis verò est ea dispensare. Si ergo, vt dictum est, graue & laboriosum seruitutis officium circa ciborum vsum labijs distribueretur, muta interiùs anima per organicā hanc loquēdi distinctionem suam non exerceret rationem; & muti ad inuicem rationabiles esse non possemus. Nunc autem talem administrationem manus in seipsas transferentes, aptum & liberum seruitio rationis os dimiserunt. Animus verò loquendo suas exerens motiones, aurium, oculorum, cæterorumue sensuum adminiculo ad se recipit alienas, tantam habens internam capacitatem in quam omnia confluant, quæ vndecumque infunduntur; stylosque suos habens, quib⁹ ea describat in memoria; diligentiùs alia, ideoque magis inhærentia; alia negligentiùs, & ideo citius abolenda. Sicque ad imaginem ejus qui creauit eum, qui stabilis in seipso dat cuncta moueri, vna quidem est potentia ipse insitus animus, qui per singula sensuum instrumenta exiens quæcumque occurrentia transcurrit; ipse per aures audiens, ipse videns per oculos, sicq; de reliquis. In hoc tamen longè dissimilis est ab eo cujus est imago; quia differentibus potentijs Deus ea quæ sunt non tangit; quia absurdū est, in simplicitate Deitatis intelligere receptionem & multiformitatē receptoriæ operationis. Sed

Aliud munus manuū, scribere: sicut oris loqui.

Animus in sensibus operatur.

non exigitur ab imagine, vt in nullo * quæ in principali suo intelliguntur, deficiat. Iam enim identitas esset, non imago. Non ergo in his quę circa diuinam naturam considerantur, & incōprehensibilitatem essentiæ, necesse est eum qui sortitur imaginem, omnem ad principale exemplum imitationem habere. Nam si imaginis natura principale exemplum comprehenderet, esset proculdubio super id quod comprehenderet. Quinetiam in hoc ipso quòd neque sui ipsius perfectam apprehendit scientiam rationalis animus; diuinæ incomprehensibilitatis naturam per quamdam similitudinem videtur characterizare. Adhuc aliud quid sibi vult corporeæ figuræ rectitudo. Erecta hominis figura ad cœlum extensa, & sursum aspiciens, imperialem regalemque dignitatem animæ rationalis significat; ostendens traditum sibi à creatore dominium omnium aspicientium deorsum, & multum se habere cum supernis, si ingenitæ imaginis custodit dignitatem, scilicet vt imperet animus rationi, nec patiatur, quin eligat quod vtile est. Hujus dignitatis expertes sunt, qui rationem, quæ naturaliter domina est, seruire facientes desiderijs naturæ, libidini quæ per sensus est, blandiuntur seruiliter. Naturales enim in eis affectus carnis vel sensuū animus sequitur; minister eorum factus, quorum dominus esse debuit & judex. Ideoque natura corporis ad libitum animo imponit & contristati sensum, & lętantis concupiscentiam. Hujusmodi enim homines imagine creatoris exutā, aliam induerunt imaginem terram respicientē, pecudalem, bestialem. Non enim secundum furorem hominis ad Deum est similitudo; non ex voluptate supereminenti naturæ consimilatur: formido quoq; & ferocitas, & ad quædam desiderium, ad quædam verò odium, longè sunt à diuinæ pulchritudinis charactere. Hæc & his similia ab irrationali humana sibi contraxit natura. In his enim irrationalis vita ad conseruationem suam munita est à natura, ad homines verò translata passiones sunt animæ. Et verè passiones, quibus homo factus ad imaginem Dei, ad imaginem pecudū se patitur humiliari. Verè passiones, quia contra naturā sunt. Hinc Divid *Homo*, inquit, *cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Nā, sicut dictum est, quæ in bestijs sunt natura, in hominibus sunt vitia. Furore enim feruntur carne vescentia; voluptatis amor fœcunditatē seruat animalium, infirmum formido; debiliores à fortiore timor; corpulentum seruat edacitas. A nullo horum passiones pecudibus vel bestijs proueniunt: quia à nullo eorum quæ secundū libidinem sunt, tristitiæ materies in irrationalibus est. Humana verò miseria passiones has patulo corde in se ipsam admittens, ipsarumque passionum principia per deliberationū cooperationem penes se ipsam in multitudinem & robur quoddam coaugens: turbulentissimā ambiguamque exinde consequentium vitiorū generationē operatur. Sic voluptatis amor principium quidem habuit ex ipsa similitudine ad irrationalia: sed in humanis delictis coaugmētatus, tantas peccatorum differentias per libidinem progenuit, quantas in irrationalibus nemo potest inuenire. Hæc enim & talia cognata quidem sibi abjicit ratio rationabilium affectuum: sed augentur cogitationum auxilio. Inde

*adde * eorum*

Non imitatur anima Deum in omnibus.

Cur figura hominis erecta.

Quando anima creatoris exuat imaginē.

Psalm. 48.

Quæ in bestys sunt natura, hominis sunt vitia.

ex ira nascitur insania, inuidia, mendacium, insidiæ. Hæc autem omnia malignæ operationes degenerantis animi sunt. Nam si denudata foret passio cogitationum auxilio; cito deficiens bullæ instar deperiret. Et hæc omnia, sicut dictum est, ex pecudali generatione in constitutionem hominis cointrauerunt: cum author naturæ ejus seruitio ea contradidisset. Nam cui duplicis forma rationis occasiones constituit, corpori animum, terrenum diuino commiscés: voluit, vt per cognationem & societatem qua ad vtrumque potiebatur, altero frueretur, altero verò vteretur: Deo frueretur per diuiniorem naturam; terrenis verò bonis vteretur per cognatum sensum. In operationem quippe regni commodam & aptam naturã nostram optimus artifex condidit: & in obseruationibus animæ, & in ipsa quoque, vt jam satis dictum est, corporis figura tale præparauit animal, quale ad regnum opportunitatem haberet; scilicet non pronum in terram, sed erectum in cœlum. Anima siquidem rationalis intelligens & conseruans honorem suum, regale quiddam est & excelsum: hinc ostendens se à rustica humilitate & degeneratione esse longè naturaliter segregatam, cùm sit libera & per se potens imperet omnibus, & seruire faciat suis ipsa voluntatibus, suisque potentijs administrata, quod proprium regiæ dignitatis est. Propter hoc nudus quidem naturalibus protectionibus, inermisq; nascitur: intantũ, vt cũ in alijs aliorũ animantium primordijs læta mater appareat natura, in homine solo videatur tristis nouerca. Alijs quippe animantibus variæ qualitatis tegumenta contradidit; testas scilicet, cortices, spinas, coria, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera: truncos etiam, vel arbores, cortice interdum gemino à frigoribus & calore tutauit: hominem tantum vt diximus, nudum in nuda humo natali die abjicit, ad vagitus statim & ploratum; nullumque aliud tot animalium ad lachrymas, & has protinus, in lucem edidit. Solus quippe in omnibus antiquis vel recentibus historijs natus esse ridens legitur Zoroastes inuentor magicæ artis: videlicet vt infausto ortu & innaturali appareret notabilis, qui naturarum communium infaustis artibus, futurus erat impugnator. Deinde miserum hominem, vt in carcerem se datum intelligat, statim vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: præter solum oculorum & oris officium, quod liberum permittitur ad lachrymas tantum & vagitus. Et hoc qui feliciter educatur, Inperatoris vel Regis filius. Iacet igitur vinctus pedibus & manibus flens animal à supplicijs vitam auspicans, vnam tantum ob culpam, quia natum est. Heu dementiam existimantium ab his initijs ad superbiam hominem egenitum! Deinde prima roboris spes, primumque temporis munus, quadrupedi eum similem constituit. Et quando hominis succedit incessus? Quando vox & lingua in verba formatur? Quãdo cibi perceptio? Quãdo diu palpitantis verticis firmitas? Adde quod præter omnia animalia solus miser homo nihil per se sciat, nisi plorare: sed magno matrum vel nutricum vel sui ipsius labore ei addiscendum sit, quicquid hominis esse debet, vel potest, naturale. Vbi verò tandem aliquando stabilitus vel confirmatus videtur esse totus ille humanæ dignitatis status: statim morbi succedunt & medicinæ, & ad extremum cura sepulturæ. Nulli⁹ quippe vita vel sanitas fragilior; nullius vitæ vel sanitatis cura propensior. Subito casu aliquo intercipitur, & vel ruina opprimitur; vel graminis aut vermiculi alicujus veneno interficitur, vel bestiæ cujuslibet, suffocatur. Vixque peruigili cura vel fuga se potest tueri ab omnib⁹, quæcumque quovis modo potestatem habent nocendi. Omnibus expositus ex fragilitate corporis, quæ natura subjecit sub pedibus ejus ex virtute rationis; & pauper homo, & omnium quæ ad vsum sunt egenus, in hanc vitam inducitur: miser videri potiùs quàm beatificari, secundum formam exteriorem. Non enim acie cornuum armatur, non vnguium acuminibus, non vnguilis seu dentibus, non dente vel aculeo mortifero, sicut multa animalia; non pilorum amictu corpus tegitur. Solus quippe homo est velociter currentium tardior, enormium breuior, naturalibus armis munitorum expugnabilior. Et quomodo, dicet quis, qui talis est, imperium super õnia dicitur possidere? Bene per omnẽ modum. Primùm, quòd nocendi potentiam in rebus subjectis ratio humana habet subjectam: dũ eam vel cauet prudenter, vel destruit potenter, & in propriam redigit seruitutem. Quod enim videtur naturæ nostræ egenum: occasio est ad eorum quæ sibi subjecta sunt, dominatum. Et forsitan imperium despiceret homo; dum nullius subditorum seruitio indigeret. Nunc verò hujus rei gratia per singula quæ nobis subjugata sunt, hujus vitæ vtilitates dispertitæ sunt; vt necessarium nobis sit imperium, quo super illa naturam humanã sublimauit Deus. Tarditas nãque corporis nostri & ad mouendum difficultas, equum sibi seruire imperauit & edomuit. Rursum alia animalia bajulandis oneribus subjugauit. Carnis nuditas necessarium fecit ouium dominatum. Ne herbam vt bos comederet, ad terræ culturam ipse sibi bouem subjugauit. Habet etiam canem, & contra feroces & noxias bestias quasi vivum quemdam gladium, & nocturni somni custodem; cornuum verò acie & vnguiũ acumine ferrum acutius & fortius; quod præstet homini arma, non belluina, truculenta, connaturaliter eum semper onerantia, sed cum ratione sumenda & deponenda. Habet etiam ex ipso ferro munimenta corporis fortiora squamis crocodilli: galeæ scilicet & loricæ. Quid multa? omnis creatura homini sicut regi seruit & militat. Vnde vide & amplectere, ô homo, dignitatem naturæ tuæ: nec tantum tibi vilis sis in eis quæ sunt corporis, in quibus ab animalibus vinceris, quàm pretiosus in interiori tuo, in quo omne quod viuit, vel quod non viuit, antecellis. Secundum interiorem enim dignitatem in regiam natus es conditionem. Omnipotentis enim naturæ imaginẽ fieri, quid est aliud, quàm continuò regalem conditam fuisse naturam? Vt enim juxta consuetudinẽ hominum loquamur, qui imagines regum vel potentum componunt, formæ figuram parificant, amictuque purpureo regalem dignitatem depingunt: dicitur etiam secundum humanam consuetudinem imago rex: sic humana natura quoniam ad imperium aliorum constituta est, per similitudinem ad vniuersitatis regem veluti quædã animata imago electa est; principali exemplo & dignitate & nomine Deo communicans, non amicta purpura, nec sceptro vel diademate dignitatem in-

Anima Deo frui, creaturis vti debet

Solus homo nudus nascitur, & omni natura ope destitutus.

Homo alijs creaturis dominatur & vtitur.

dicans: neque enim principale exemplum in talibus est; sed pro purpura virtute induitur, quod omnia regalia superexcellit insignia, pro sceptro beatitudine immortalitatis insignitur; pro regali diademate corona justitiæ perornatur: itaut propter omnia in regni dignitate ostendatur diligenter principalis exempli formā assimilans. In eo enim quod ad imaginem Dei factus dicitur homo; tale est ac si diceretur, quia humanam naturam participem omnis boni fecit Deus. Plenitudo enim omnium bonorum est Deus, imago autem Dei est homo. Igitur in eo quod sit plenitudinis omnis boni capax, ad principale exemplum imago habet similitudinem; est enim nobis omnis boni forma, virtutis, sapientiæ, & omnium quæ in melius possunt intelligi: in eo item quod sit liber omni necessitate animus, nullique naturali potentiæ subjugatur, sed per se potentem ad id quod desiderat habet voluntatem, virtutem scilicet liberi arbitrij; suā exprimit dignitatem. Res enim est dominatu carens, ac voluntaria, virtus: quod autem cogitur, violentiamque patitur, virtus non est. Hic animus vel hæc anima à Deo datur, ab anima verò naturalis vita nostra. Datâ autem animâ quærendum est, quid sit, quare sit, quomodo sit. Cùm quid sit quærimus, spectat ad physicam; quare sit, spectat ad rationē: quomodo sit, spectat ad moralitatem. Quid sit, nemo comprehēdit; quia nulla ejus est materia, quia res est spiritualis, intellectualis, Deoque simillima. Quare sit, qui non vult scire, non est dignus vivere: scilicet vt viuat secundum rationem. Quomodo sit, ipsum exigit modum secundum rationē viuendi. Ad quod, sicut corpus ex quatuor constat elemētis, vt viuat: sic anima rationalis habet quædam quatuor virtutum elementa, quæ sunt prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Ex his igitur quatuor quasi elementis, rationalitas animæ formatur: ea rationalitas quæ vivendi modus est secundum rationem. Nam per sua quasi elemēta in plurimas partes deducta, multiplicia & varia gignunt in anima germina virtutum quatuor hæc virtutum elementa. Sicut etiam anima in administrationem vitæ materialis quatuor virtutibus vtitur in singulis corporalis organi principalibus partibus, appetitiuâ scilicet & contentiuâ, digestiuâ, & expulsiuâ; sic administrationem rationalem quatuor exercet passionibus, spe scilicet & gaudio, timore & tristitia. Et sicut tota corporalis vitæ natura tribus se agit virtutibus, naturali videlicet in hepate, spirituali in corde, animali in cerebro: sic spiritualis vel rationalis vsus in tres se exerit potentias, scilicet rationalitatem, concupiscibilitatem, irascibilitatem. Et sicut tres illæ virtutes tres de se generant effectus, sine quibus vita humana non subsistit, naturalis scilicet virtus in hepate nutritiuum, spiritualis in corde viuificatiuum, animalis in cerebro sensualem: sic ad spiritualem vel rationalem vitam ordinandam vel consummandam in rationalitate fundatur fides, in concupiscibilitate spes, in irascibilitate charitas. Licet enim fides non habeat meritum, cui humana ratio præbet experimentum: tamē quia in rationalitate fundatur, quasi naturaliter semper solet esse auida rationis; quia vix ei fit credibile, quod vel congrua authoritas, vel ipsa ratio non demonstrat aliquomodo esse rationabile. Concupiscibilitas verò & spes quanta sibi affinitate iungantur, non est laboriosum ostendere: imò otiosum ostendendo laborare. Porrò irascibilitas & charitas intantum sibi videntur aduersa; vt alterum alterius videatur esse peremptoriū. Sed hanc diversitatem feruor quidā spiritus colligit in vnitatē: quia feruor in ira, feruor in charitate est. Non autem hanc iram dico bestialem; sed humanam, rationalē. Est enim ira rationalis; & est ira bestialis. Rationalis in duo diuiditur, in zelum & disciplinam. Est autem hic habitus mentis, non aliud quàm amor Dei & proximi, odiumque vitiorum. Ideoque odiū vitiorum, quia amor Dei & hominum. Porrò ira bestialis diuiditur in tria, in furorē, vbi in quantitate nullus modus est; in eam quæ dicitur manis, vbi nullus terminus; in eam quæ coitus appellatur; cui sola vindicta finem facit, sicut coitus feruori carnis. Feruet ergo ira rationalis ex charitate; charitas nihilominus feruet in ira in qua fundatur: quia nisi ira præcederet, charitas non sequeretur. Non enim potest diligi justitia, nisi odiatur iniquitas. Sicut ergo in hepate, in corde, in cerebro, suæ virtutes, vt dictum est, & virtutum effectus corporalem vitā administrant & tuentur: sic ista spiritualem. Sed & sicut illa vel ex defectuum suorum remissione, vel ex superfluitatis intentione, operationum suarum diuersa patiuntur impedimenta, quæ sunt passiones corporis, siue infirmitates, sic & ista. Rationalitas enim corrupta sæpe de se generat præsumptiones, hæreses, & his similia. Concupiscibilitas concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ. Irascibilitas irā bestialem, truculentiam, odium. Nunc de sensibus videamus. Habet autem anima sensus animales; habet nihilominus & spirituales. In vtrisque verò tam potenter, tam mirabiliter operatur, vt vix humanus hoc comprehendat intellectus. Inuisibile enim quid & incorporeum est anima; & tamen per sensus operatur quiddam inuisibile & corporeum de corpore visibili. Est enim sensus vnus quilibet de quinque inter inuisibile incorporeum, & corpus visibile, inuisibile corporeum; quia in eodem corpore. Inuisibile incorporeum est anima; & inuisibile corporeū quod de corpore visibili mirabiliter agit anima; est visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Aliud enim est visus, aliud oculus; aliud auris, aliud auditus; & sic de reliquis. Sed & interior visus animæ clarescit prudentiâ, insipientiâ tenebrescit: auditus fallaciâ offenditur, veritate mulcetur: fragrat animæ rationali æquitas, fœtet iniquitas vel immunditia; vanitate tabescit, virtute pinguescit: misera est contubernio stultitiæ, beata complexu sapientiæ. Tota oculus est, quia tota videt, & totum quod inspicit videt. Homo verò exterior nec totus videt, quia solo oculo videt; nec totum videt quod videt: quia nullius visi corporis omnia videt. Ad de quod hoc est ibi videre quod audire, odorari quod gustare vel tangere; cùm hujusmodi vnitas vel potentia in corpore esse non possit. Cum autem animam invisibile quid vel incorporeū dixerimus, ac per hoc illocale, nihil enim incorporeum locale: querendum est, vt lucidius aliquid perscrutemur de ipsa anima, vtrum verè illocalis comprobetur; vtrum omnino sicut diuinitas, à prædicamētis illis quæ propria sunt corporum vel corporalium, segregetur: quorū nulli diuina subjacet essentia, licet ipsa sit prima &

Quæ sint insignia animæ.

Libertas arbitrij.

Quatuor animæ elementa.

Fides an rationem respuat.

Ira rationalis duplex.

Ira bestialis triplex.

Anima habet sensus spirituales.

Deus non est in prædicamentis.

summa substantia. Non enim dici potest qualis, qui est incomparabilis: non quantus, qui nulla mole magnus est: quid habet, qui nihil non habet? quomodo est, qui ipse modus est? nec est quærendus habitus habenti omnia; nec locus ejus qui est illocalis, & vbique totus; nec tempus æterni, nec actus quieti, & in quiete omnia possidentis: nec passio impassibilis. Humana autem anima quia non habet molem, non habet quantitatem; quia affectuum mutabilitati subjacet, non effugit qualitatem; quia non clauditur in loco localiter, non recipit localitatem. Cùm enim sicut Deus in mundo, sic quodammodo ipsa sit in corpore suo; vbique scilicet, & vbiq; tota, tota in singulis sensibus, vt in singulis tota sentiat; tota in singulis partibus, vt totum tota vegeret & sensificet: localis quomodo dicetur? Sic & de reliquis prædicamentis. Nulli ergo prædicamento subjacet diuinitas, anima quibusdã, corpus omnibus subjacet. Agitur enim anima non per loca, sed pro affectuũ diuersitate delectabiliter & pœnaliter. Quæ licet sine corpore incorporaliter per affectus vel mulcetur vel affligitur: totum tamen corpus sine anima nec pœnalia sentit, nec suauia. Anima enim in suis actionib⁹ amplioris & agilioris potentiæ est, quàm corpus. Hinc est, quòd etiam dum corpus administrat & sensificat, si quando per internum mentis obtutũ in superna & sempiterna se erigit, ita quodammodo corporeos deserit sensus, & ab eis illocaliter discedit; vt coràm posita non videat, juxtà sonantia non audiat: percursam in legendo paginam non intelligat; mirabili, & diuinæ quodammodo consimili potentiã, horã eãdẽ tota in intellectu contemplando cœlestia, tota in sensu vel actu in agendo: cum tamen quod agit non sentiat, tota in corpore quod viuificat. Ipsaque est anima quæ sentit; ipsa quæ quod sentit, non intelligit: ipsa quæ nec sentiendo nec intelligendo vegetat corp⁹ & viuificat; per quod sentit quod per seipsam non intelligit. Ipsa etiam anima sua est potentia. Quod enim cogitat, accidens ejus est: ipsa verò sua substantia est, qua cogitat. Sic de voluntate. Velle aliquid accidens ei est; ipsum verò velle, substantia ejus est. Tota igitur cogitat, quia tota cogitatio est; totaque vult, quia tota voluntas est. Vide, obsecro, quomodo proficimus in imaginẽ ejus qui creauit nos. Si enim anima cogitans tota cogitatio est; si tota voluntas est: profectò tota diligens tota dilectio est. Sed & Deus dilectio dicitur, & est. Sed dilectio illa talis est, vt nec ipsa diligere nisi bonum; nec per eam diligi possit nisi bene. Hæc autem dilectio, quæ est humana anima pro affectuum mutabilitate potest & in superiora, quod ei solus Deus est, cœlesti charitate flagrare; & in inferiora damnabili amore defluere. Tantæ majestatis creata anima ac dignitatis, ad imaginẽ creatoris sui, seque contemplans & ipsum, paululum in seipsa consistit; potentiamque suam ipsa non sine horrore suspicit, cogitansque vtrũ supra se sit aliquid, quo sibi à se transeundum sit, inuenit quia omnia mutabilia vel mobilia non nisi ab immoto possunt moueri. Intelligensque de se, quia etsi non mouetur per locum, mouetur tamen per affectum: aliudque esse supra se stabilius stabilimentum, quod nec loco mouetur nec tempore: quia vt dictum est, nihil mouetur nisi ab immoto, videt se anima stare necessariò, vt moueat corpus per locum pariter & temp⁹: sicut stans Deus in semetipso mouet animam per tempus: invenitque se mediam inter Deum & corpus, eoquod nulli corporum similis sit, cùm similitudo Dei sit; nec tamen Deo possit æquari, quia & si ab illo cœperit, ex ipso tamen vel de ipso non est. Videt se videre incorporalia per se, corporalia per corpus: videt etiam corporalia videre se per se, sine corpore. Videt quippe, vt alia omittam, ipsa sui interiora corporis, triformitatem scilicet cerebri coëuntis, & jecoris massam jacentem, & regulis alienis hærentem: stomacho libram pendentẽ, cordis plectrum sine intermissione feriens, venarũ tramites, neruorumque texturas & origines, cõpages ossium, pulmonumque concava, & alia innumerabilia. Vndecumque cogitat, siue de locis, siue de regionibus, ibi est: licet contẽplari per naturam nequeat: eorumque contemplatur situs locorum, decursus fluminum, vultus hominum, cæteraque talia. Quæ licet non videat, quia corporalia sunt, nec nisi corporalibus oculis videri possunt: sic tamen vbicumque cogitat adest, vt loca quæ cogitat, corporali visione non videat; sicut adest vbi viuificat, vbi ipsa quæ viuificat, sui corporis interna non videt. Et in hoc etiam ex aliqua parte, imaginem sui conditoris in se recognoscit: in hoc etiam quod videt illum lumen illuminans, se verò lumen luminabile. Amplius. Ad imaginem summæ Trinitatis videt quodammodo respondere, quæ sibi in se ipsa præsto sunt; mentem scilicet, cogitationem, & voluntatem. Nam cùm cogitat aliquid, totũ est in mente quod cogitat: & quod totum simul meminit, totum simul cogitat, & vult cogitare & meminisse: hoc est, amat habere mentem & cogitationem. Cumque cogitare se meminit, totam certè cogitationem tota mente comprehendit, & totum amorem suũ vel mentem suam tota cogitatione cogitat, cùm amare vel meminisse se cogitat: toto amore suo eamdem totam mentem atque eamdẽ cogitationem suam tota diligit; cùm meminisse & cogitare se, ipsumque amare diligit. Et si se singula tota simul vel ament vel cogitent, vel meminerint: nõ majora erunt tota simul tria, quàm vel mens tota pariter recolens, vel cogitatio tota cognoscens, vel amor totus diligens. Hoc videns anima in se esse, imò hoc videns se esse, audiensque sibi Deum quodammodo loquentem; veritatẽ videt radiantem, Christum intendit prædicantem & dicentem. *Ego & Pater*, & charitas mea, non tres, sed *vnũ sumus*, vnus Deus sumus: tu verò mens rationalis, cogitatio, dilectio tua, vnus es homo, ad similitudinem authoris tui factus, non ad æqualitatem creatus: nempe non genitus; formatus es, non ipse formator. Recede ab his quæ infra te sunt, minus formata, minusque formosa, quàm tu es; accede ad formam formatricem, vt possis esse formosior, eidemque semper adjungere, quia tantò ab illa specie amplius accipies, quantò te illi majori charitatis pondere impresseris. Ab illa enim obtinebis imaginis hujus indemutabilem statum, à quo sumpsisti principium. Hæc & alia loquitur veritas ad aurem cordis, intrinsecùs admonens nos. Quæ quæcumque audit anima: cùm semper humana miseria prompta sit ad inuidiã, non habet vnde inuideat Angelo; quia homo talis, & Angelus, & Deus, vnus jam sunt spiritus, secundum Apo-

Vt Deus in mundo, sic anima in corpore.

Anima est sua potentia.

Mutabilia ab immoto mouentur.

Anima similitudo Dei à Deo, nõ ex Deo.

Anima lumen luminabile.

Ioann. 10.

1. Corin. 6.

stolum: vel vnum sint in Deo, secundum Euãgeliũ; maximè cùm hominis caput homo Christus in vnitatem personæ ab ipsa veritate à Filio Dei verè & perfectè assũptus meruerit jam olim audire, quod numquam potuit audire Angelus. Audiuit quippe à Deo Patre. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit.* Gaudeat itaque glorificata in capite suo Christo sancta humanitas; & exaltata super Angelos exultet in seipsa: cùm adoratum ab homine Angelum recusantẽ audit & dicentẽ pia humilitate, dulcissima charitate. *Vide ne feceris; conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum.* Præsumat etiam minimˀ regni Dei peregrinus adhuc in sæculo; quia teste eadẽ veritate, *Angelus* ejus *semper videt faciem patris.* Sed redeamus adhuc ad imaginẽ Trinitatis. Sicut nihil sine creatore Deo, ipsa scilicet Sancta Trinitate existit; ita nihil omnino esse potest, quod non & vnum sit, & trifariã consistat. Omnis quippe anima, sicut dictum est, tribus indiuiduis subsistit; memoria, consilio, voluntate. Omne verò corpus & vnum est, & mensurabile, & numerabile, & ponderabile est. Anima verò secundum sua tria horum trium capax efficitur: quippe secundum ipsa de mensurabilibˀ & numerabilibus & ponderabilibus judicans, hoc est de omnibus corporibus. Permanat enim à summo quod Deus est, per medium quod est anima, ad imũ quod sunt corpora, vnitæ specimen Trinitatis; corporibus signa sui imprimens, animabus verò notitiam tribuens. Hæc omnia anima intellectu conspiciens, non jam tantum delectatur in sua formositate, quàm in forma formatrice, cui intendendo semper efficitur formosior. Ipsum enim intendere, formari est. Quicquid enim ad Deum afficitur, non est suum, sed ejus à quo afficitur. Et ô beata anima & verè beata, quæ si orat, sicut dicit apostolus, non ipsa, sed *Spiritussanctus* pro ea orat *vsque ad ineffabiles gemitus*: si loquitur, *Spiritus* per eam *loquitur mysteria*: quæcumque demùm operatur, non ipsa, sed *Spiritus* in ea *omnia* in omnibus *operatur, diuidens singulis* singula *prout vult.* Sicut enim corpus viuit ex aĩa; sic exDeo viuit aĩa illa, ipsa soli suspirans, ipsum solũ jugiter spirans, sicut corpˀ viuens aërem: tota manens in Deo per fidelem affectionem, eumque quem amat in se habens manentem per omnipotentẽ operationem, vnus spiritus cum eo existens. Voluntas enim Patris & Filij Spiritussanctus incogitabili gratia, ineffabili gaudio, secretissima inspiratione, manifestissima operatione voluntatẽ ejus sibi conformans, amorem ejus omnipotentia spirituali sibi vniens, intantum cum ea vnum efficitur, vt sicut dictum est, interpellante ea gemitibus inenarrabilibus, ipse potius interpellare dicatur. Et hæc est oratio Filij ad Patrem *Volo*, id est, voluntatis meæ virtute, quiSpiritussanctus est, efficio, *vt sicut ego & tu vnum sumus* in substantia, *sic & ipsi in nobis vnũ sint* ex gratia. Vnum amore, vnum beatitudine, vnum immortalitate & incorruptione, vnum etiam quodammodo ipsa diuinitate. *Quotquot enim receperunt eum: dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sed consideremˀ gradus ab imo vsque ad supremum, quibus anima ad perfectionẽ contendens, proficiendo ad suum conscendit authorẽ. Anima igitur in primo gradu corpus hoc terrenum atque mortale præsentiã suã viuificat; colligit in vnum, atque in vno tenet; defluere atque contabescere non sinit; alimenta per membra æqualiter suis cuiqȝ redditis distribui facit: congruentiam ejus modumque conseruans, non tantum in pulchritudine, sed etiã in crescendo atque gignendo. Sed hæc omnia homini etiam cum arbustis communia videri queunt. Hæc enim & dicimus viuere, in suo verò quodque illorum genere custodiri, ali, crescere, gignere videmus, ac fatemur. Ascende itaque ad alterum gradum, & vide quid possit anima in sensibus, vbi euidentior manifestiorque vita intelligitur: quorũ nobis cum his quæ radicibus fixa tenentur, nulla potest esse communio. Intendit se anima in tactum: & calida, aspera, lenia, dura, mollia, leuia, grauia, sentit atque discernit. Deinde innumerabiles differentias saporum, odorum, formarum, gustando, olfaciendo, audiendo, videndoque dijudicat. Atque in his omnibus ea quæ secundum naturam sui corporis sunt adsciscit atque appetit, rejicit fugitque contraria; remouetque se ab his sensibus certo interuallo temporum, & eorum motus quasi per quasdã ferias reparans, imagines rerum quas per eos hausit, secum cateruatim atque multipliciter versat, & hoc totum est somnus & somnia. Sæpe etiam gestiendo ac vagando facilitate motus delectatur; & sine labore ordinat membrorum concordiã. Pro copulatione sexus agit quod potest, atque in duplici natura societate atque amore molitur vnũ corpus: sed hæc rursus omnia posse animam etiã in bestijs, nemo negat. Ergo attolle te intertiũ gradum, qui jam est homini proprius; & cogita memoriam non consuetudine inditarũ per sensus ad animam, quæ ad bestias pertinet, sed animaduersione atque signis commendatarum atque retentarum rerum innumerabilium, tot artes opificum, agrorum cultus, extructiones variarum vrbiũ; ædificiorum, ac moliminum multimoda miracula; inuentiones tot signorum in literis, in verbis, in gestu, in hujuscemodi sono, in picturis atqȝ figmentis; tot gentium linguas, fluuios eloquentiæ, carminum varietates, ludẽdi ac iocandi causa milleformes simulationes, modulandi peritiam, dimetiendi subtilitatem, numerandi peritiam, præteritorum ac futurorũ ex præsentibus conjecturã. Magna hæc & omnino humana; sed est adhuc ista partim doctis atqȝ indoctis, partim bonis ac malis animis copia communis. In his tribus gradibˀ vides, anima quid valet in corpore. Suspice igitur & insili quarto gradui; quo bonitas incipit, & omnis vera laudatio. Hinc enim anima se non solum suo, secundum quod vniuersi partem mundi agit, sed ipsi etiam vniuerso corpori mundi audeat se præponere, bonaque eius bona sua non putare, atque potentiæ pulchritudinique suæ comparata, discernere atque contemnere: & inde quo magis delectatur Deo, magis sese abstrahere à sordidis; nihilque velle alteri quod sibi nolit accidere: sequi authoritatem ac præcepta sapientum, & per hæc loqui sibi Deum credere. In hoc tam præclaro actu animæ inest adhuc labor: & contra hujusmodi molestias atque blanditias magnus acerrimusque conflictus. In ipso enim purgationis negotio subest motus mortis. Quod cùm effectũ fuerit, id est cùm fuerit anima ab omni tabe libera, maculisque diluta: tũc se denique in se ipsa lætissimè tenet, nec omnino metuit quodlibet sibi, aut vlla sua causa quicquã angitur. Est ergo iste quintˀ gradus. Aliud

Marginalia: Ioann. 17. — Matth. 3. — Angelus renuit adorari ab homine. — Apocal. 22. — Matth. 18. — Anima tribus subsistit. — Rom. 8. — 1. Corin. 12. — Quæ anima ex solo Deo viuit. — Ioann. 17. — Ioann. 1. — Gradus primus animæ ad Deum. — Gradus secundus. — Gradus tertius. — Gradus quartus. — Gradus quintus.

est enim efficere, aliud tenere puritatem, alia prorsus actu, qua se inquinatam redintegrat; non patitur se rursum inquinari. In hoc gradu omnifariã concipit, quanta sit. Quod cum conceperit: tunc ingenti quadam & incredibili fiducia pergit in Deum, id est in ipsam contemplationem veritatis: & illud, propter quod tantum laboratum est, altissimum & secretissimum præmium. Sed hæc actio, id est appetitio intelligendi ea quæ verè summeque sunt, summus aspectus est animæ; quo perfectiorem melioremque ac rectiorem non habet. Sextus erit iste actionis gradus. Aliud est enim mundari oculum ipsum animæ, ne frustra & temere aspiciat & pranè videat: aliud ipsam custodire sanitatem, atque firmare: aliud serenum atque rectum aspectum, in id quod est videndum, dirigere. In his duobus gradibus vides quid in seipsa valet. Sed intende, quòd qui prius volunt serenum atque rectum aspectum habere, antequam mũdati & sanati fuerint; ita illa luce reuerberantur veritatis, vt non solum nihil boni, sed etiã mali plurimum in ea putent esse, atque ab ea nomẽ veritatis abjudicent: & cum quadam libidine & voluptate miserabili in suas tenebras, quas eorũ morbus pati potest, medicinæ maledicentes, refugiant. Vnde diuino afflatu & prorsus ordinatissimè illud à Propheta dicitur. *Cor mundũ crea in me Deus: spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Spiritus enim rectus est, credo, quo fit vt anima in veritate quærenda deuiare atque errare non possit. Qui profectò ea non instauratur, nisi prius cor mundum fuerit: idest nisi priùs ipsa cogitatio ab omni cupiditate & fæce rerum mortalium sese cohibuerit & eliquauerit. Iam verò in ipsa visione & contemplatione veritatis, qui septimus est atque vltimus gradus animæ, neque jam gradus sed quædã mansio, quò illis gradibus peruenitur, quæ sint gaudia, quæ fruitio veri & summi boni, cujus serenitatis afflatus, solus intelligit qui fruitur. Per hos igitur gradus fidelis anima ardens desiderio, solicitudine non pigra, anabathmon, id est ascensum faciẽs, & ascensiones in corde disponens, vsquequo perueniat in locum quem proposuit vel disposuit ei Deus; viuit, sicut dicit Apostolus, vita Dei, vita scilicet spirituali in gaudio Spiritussancti, in spe filiorum Dei, in contemplatione & exemplari summæ justitiæ. Viuit etiam quamdiu hic viuit, quamdiu hîc ex parte per speculum videt & ænigmate, naturalibus passionibus suis sic vtens, vt in carne posita non secundum carnem viuat, & pene fiat impassibilis, cum passiones ipsæ non passiones ei sint, sed virtutes: dum non timet nisi timore casto; dum non dolet, nisi quia differtur à regno, dum in latitudine charitatis exhilarata læta currit viam mandatorum Dei; omnia credens, omnia sperans, omnia sustinens, & à contemplatione finis sui suauiter amans; & quod fruitur, & quod patitur, & quod expectat, dulciter in eo requiescens in spe, quamdiu manẽt fides, spes, charitas, tria hæc. Cùm enim absorpta fuerit mors in victoria, & euacuatum quod ex parte est, jam non erit fides vel spes, sed sola res; cùm in ea regnabit & exultabit major omnium charitas, destructo timore & dolore, speque fideque transmissa; & tunc intrabitur in gaudium Domini, in quo intrabit beata anima feliciter, in eo victura æternaliter, & in illud proprium corpus resurrectura mirabiliter, vt quod particeps fuit laboris, particeps etiam sit gloriæ in vita æterna. At contrà infelix & degener anima, si tamen anima dicenda est, quæ se ipsam occidit, & in seipsa mortua est, catabathmon, idest, descensum facit inferiùs: imò non descensum sed ruinam, vt quæ in sordibus est, sordescat adhuc: agitque & patitur omnia per contrarium, alienata à vita Dei. Nam ad imaginem & visionem Dei creata, vbi incipere debuit Deum sapere, ibi incipit desipere: egressaque à facie Domini sicut Cain, habitat in regione dissimilitudinis; in terra Naim, id est commotionis. Extorris à virtute vitijs subigitur: alienata à pace filiorum Dei in seipsa tumultuatur: artem naturalem in nequitiã corrumpens & astutiam, malitiosa efficitur; animalitatis vel sensuum illecebris turpiter se immergens luxuriatur: efficiturque sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; prudens tantum vt faciat malum, bene autem facere nesciens. Sui nulla cura; Dei nulla memoria. Vnde & passionibus suis fœdè angitur, quibus miserè abutitur; dũ non timet, nisi quæ sensibus sunt molesta; non gaudet, nisi cum præsto sunt, quæ blandiuntur; non dolet, nisi cum tolluntur: per omnia bestiæ vel pecudi similis; nisi quòd, vt suprà dictum est, in illis est natura, quod vitiũ est in humana anima. Tamen continuo vsu malitiæ à nimietate languoris sui sic aliquando obstupescit, vt & ipsa quodammodo efficiatur impassibilis, siue insensibilis: dum nimia intentione nequitiæ quævis durissima & aspera carni non refugit, vt suis, id est animæ corruptionibus deseruiat, auaritiæ scilicet & concupiscentiæ carnis, vel oculorũ, vel ambitionis sæculi. Sic viuit, quamdiu sepulchro corporis includitur. At vbi inde auulsa fuerit; penè sicut in brutis animalibus, quibus se sentit similem, toto cum corpore moritur. Cum enim vera ejus essentialis virtus omnino in ea deperierit, de qua dicit sapientia, *Deum time, & mandata ejus obserua, hoc est enim omnis homo*: justissimo tamen judicio Dei tota mori non permittitur; sed quantum ad dolorem solum reseruatur passibilis, exclusa ab omni gaudio, alienata ab omni spe, timorem nullum habens doloris, sed ipsi dolori tota emancipata. Nempe viuens quiddam viuificũ in ea remanet, quia viuit tantum, vt patiatur; passibilis vt puniatur vel torqueatur, viuifica vt corpus iterum viuificet: vt cum eo torqueatur semper, cum quo libuisset, si licuisset, peccare semper. Heu quàm melius illi fuerat, si sicut anima pecoris tota cum corpore moreretur: ne in æternum puniretur. Hãc autem beatæ animæ & miseræ dissimilitudinẽ, sola facit amoris dissimilitudo. In altera quippe amor naturalis dignitatis tenorem: in altera verò degenerat in pecudalẽ carnis animalitatẽ.

Summus aspectus animæ. *Gradus sextus.* *Psalm. 50.* *Spiritus rectus quis.* *2. Cor. 4.* *Iusto passiones fiunt virtutes.* *Quæ anima descensum faciat.* *Genes. 4.* *Anima bestijs similis* *Eccle. 12.* *Discrimen beatæ & miseræ animæ ab amore est.*

Finis Physicæ Animæ.

B. GVILLELMI ABBATIS S. THEODORICI

Speculum Fidei.

NTER omnia salutaria Dei salutarium nostrorum, que Deus noster, Deus saluos faciendi, homini ad salutem suam proposuit obseruanda, sicut dicit Apostolus, *manet tria hæc, fides, spes, charitas*, maximè obseruanda saluandis mortalibus. Hanc enim trinitatem constituit Trinitas sancta in mente fideli, ad imaginem & similitudinem suam, qua renouamur ad imaginem ejus qui nos creauit, in homine nostro interiori: & ipsa est machina illa salutis humanæ, cui ædificandæ ac construendæ in cordibus fidelium inuigilat omnis Scriptura diuinitus inspirata. A fide enim incipit homo. Interim quippe dum peregrinamur à Domino, non nos fallit Apostolus, qui dicit, Christum per fidem habitare in cordibus nostris. Sed & spes peregrinationi nostræ necessaria est. Ipsa enim est, quæ consolatur in via. Tolle enim viatori spem perueniendi: frangūtur vires ambulandi. Cum autem venerim⁹ quo tendimus; jam non erit fides. Numquid enim dicetur nobis, crede? Non vtique; quia videbim⁹ Deum, & contemplabimur eum. Sed neque spes jam erit necessaria; quando erit res. Quod enim videt quis, quid sperat? Nec tamen fides & spes peribunt, sed in res suas trāsibunt: cùm, quod credebatur, videbitur; habebitur, quod sperabatur. Charitas verò non tantum erit, sed perfecta erit: cùm, quod nunc diligitur credendo, & sperando, tunc diligetur videndo & tenendo. Interim verò homini in illud lumen incircumscriptū intēdere cupienti quàm necessaria sint tria hæc, facile est aduertere. Tria namque habeat necesse est, oculus, quibus jam bene vti possit, vt aspiciat & videat. Oculus verò animæ mens siue ratio est, ab omni malo pura atque purgata: quod ei primo nihil aliud præstat, quàm fides. Si enim non credat se visuram, quod adhuc demonstrari non potest ægrotanti, quia nequit videre nisi sana; non dat operā suæ sanitati. Sed quid, si credat quidem & rem se habere, sicut dicitur, atque ita si videre potuerit, se esse visuram; sanari tamen se posse desperet: nonne se prorsus abjicit atque contemnit, nec præceptis medici obtemperat: præsertim quia præcepta ipsa necesse est vt morbus dura sentiat? Ergo fidei spes adjicienda est. Quid si, & credat ita se habere omnia, & se speret posse sanari; ipsam tamen quæ promittitur lucem non amet, non desideret; suisque tenebris, quæ jam ei in consuetudine jocundæ sunt, se arbitretur debere esse contentam: nonne nihilominus medicū respuit? Ergo tertia charitas necessaria est, & nihil tam necessarium. Igitur sine tribus istis anima nulla sanatur, vt possit Deum videre; hoc est, intelligere. Cum ergo sanos habuerit oculos: restat, vt aspiciat. Aspectus autem animæ, ratio est. Sed quia non sequitur, vt omnis qui aspicit, videat: aspectus rectus atque perfectus, id est, quem visio sequitur; virtus vocatur. Virtus namque est recta vel perfecta ratio. Sed & ipse aspectus, quamvis jā sanos oculos conuertere in lucem non potest, nisi tria illa permaneant; fides, qua creditur ita rem se habere, ad quam conuertendus est aspectus, vt visa faciat beatum: spes, qua cum bene aspexerit, se visurum esse præsumat: charitas, qua videre perfruique desideret. Iamque aspectum sequitur illa visio Dei, quæ est finis aspectus; non quo jam non sit, sed quo nihil amplius habeat quo se intendat: & hæc est verè perfecta virtus, ratio perueniens ad finem suum, quam beata vita consequitur. Ipsa autem visio intellectus ille est, qui est in anima, cùm animæ intelligere, hoc est Deum videre contigerit. Ita cùm justus ex fide vivat, manent vtique ad formandam vitam fidelium tria hæc. Hinc namque fit, vt pares cum eis mores non habeant infideles; qui hæc tria cū fidelibus paria non habent. Qui enim à fidelibus alia credit, alia sperat, alia diligit: necesse est vt etiam aliter viuat. Nam etsi vsus quarundam rerum similis esse nobis cum gentibus videtur: longè tamen aliter his rebus vtimur, qui ad alium finem vsum earum referimus: aliter de eis gratias agendo, de quo praua & falsa non credimus; & easdem res non ad eundem finem referendo, sed ad finem diuini legitimique præcepti, charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Nam & homo fide spe & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios forte instruendos. Ita multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt. Vnde & in illis arbitror jam impletum esse quod dictum est; quoniā *siue prophetiæ, euacuabuntur, siue linguæ, cessabūt; siue scientia, destruetur.* Quibus tamen quasi machinis tanta in eis fidei, spei, & charitatis surrexit instructio; vt perfectum sine illis apprehēdant, quale potest esse perfectum vitæ hujus, quod per fidem, spem, & charitatem, apprehēdi potest. Perfectio namq; hujus vitæ non alia est, quàm per fidem, spem, & charitatem, perfectè que retrò sunt obliuisci; & in ea extendi quę ante sunt. Nam & Apostolus hoc dicit. *Quotquod*, inquit, *perfecti sumus; hoc sapiamus.* Quicumq; ergo verè quęrūt Deū Trinitatē; triū virtutum harū affectent, in semetipsis habere Trinitatem: & conformare se studeant ad earum disciplinam. Conscientia earum paradisus voluptatis est, pollens affluentia gratiarum, & castis sanctarum delitijs virtutum: vbi homo incola paradisi ipsius cum Deo conuersatur; & sæpe eum videt, semper ab eo videtur: sæpe cum eo loquitur. Tres autem cardinales istæ virtutes vbi sunt, ad aliquam similitudinem Trinitatis Dei sic sibi inuicem connexæ sunt & conjunctæ, vt sint singulæ in omnibus, & omnes in singulis; vt quod, & quantum, & quomodo, quis

1. Cor. 13. · *Ephes. 3.* · *Fidei spei & caritatis necessitas.* · *Rom. 8.* · *Rom. 1.* · *1. Corin. 13.* · *Perfectio hujus vitæ in quo sita sit.* · *Philip. 3.*

credit; hoc etiam, & tantum, & eo modo speret & amet: sic etiam speret, quod credit & amat; sic amet, quod credit & sperat. Fides enim nomen virtutis est; & magnæ & eximiæ virtutis. Sed fides quæ spem & charitatem non habet; virtus non est. Sic enim & dæmones credunt, & homines, qui sicut dæmones credunt; nisi quòd pejores esse videntur ipsis dæmonibus homines quidã; in eo quod homines nec timent, vbi dæmones contremiscunt. Certamque esse fidem oportet; vt certa sit spes, certa charitas. Sicut enim rectè credi non potest sine spe, nec sperari nisi præcedente fide; sic nec alterius formæ spes esse potest quàm fides. Creditum quippe bonũ suum spei format appetitum; cùm credita bonitas crediti dat fiduciam sperandi. Ad similitudinem ergo summæ Trinitatis sicut fides spem gignit, sic charitas ab vtroque, hoc est à fide & spe procedit; cùm non potest non amari quod creditur & speratur; & eodem vtique modo amari, quo creditur & speratur. Sicut enim ibi tres personæ coæternæ sibi sunt, & consubstantiales; ita & hic fides, spes, charitas, non tempore alia prior, alia posterior est, quantũ ad virtutis substantiam quodammodo consubstantiales; licet videantur habere secundum formam differentis affectus, quasi differentias quasdam personales. Rationalis quippe animi virtus generalis est recta ratio; cujus tot sunt species, quot rationalis hominis dicuntur virtutes. Nam & trium virtutum harum, fidei, spei, & charitatis, vna virtutis forma, quia tota à fide proficiscitur, in hac vita, in qua credimus, speramus, amamus, quod non videmus, fides est, & fides nominatur: per quam hic ambulamus, quamdiu à Domino peregrinamur: tota futura & dicenda charitas in futura vita, & gratia nominis & merito perfectionis; cùm fide & spe non pereuntibus, sed in res suas transeuntibus, videbitur & habebitur, quod nunc creditur & speratur. Nam & in hac vita, inquantũ aliquando proficitur in idipsum summæ veritatis, per affectum sentiendi de Domino in bonitate, fides & spes nonnumquam, non tã charitati conformãtur, quàm vniuntur: adeo vt tribus ipsis in lumine vult⁹ Dei proficiendo ambulantibus, licet suæ vnicuique maneat species proprietatis; sæpe tamen in tribus non nisi vna sit seu appareat facies charitatis. Ascendentibus enim de valle hac lachrymarum ad supernarum celsitudinem promissionum, charitas hæc, seu dilectio, seu amor hic, ab initio fidei inchoatur: vbi homini primit⁹ ab infidelitatis tenebris progredienti continuò sol iste justitiæ exoritur; cùm non solum credi incipit & sperari quod non videtur; sed etiam diligitur inquantum creditur & speratur: quamvis in hac vita dilectionis ipsius plenitudo seu perfectio nulli prorsus, cujuscũque profectus fuerit, speranda sit; quousque illuc perueniatur, vbi videntium facie ad faciem tota erit beatitudo habere quod diligetur; & omnis virtus diligere quod habebitur. Interim verò ambulantium per fidem est, eò niti, eo suspirare; vbi à fatigatione viæ, & tædio peregrinationis, sperãt respirare. Species namque summi boni ad amorem sui & cognitionem naturaliter semper suscitat & trahit omnem rationalẽ intellectum, quò mundiorem, eò jam sibi propinquiorem; eò ardentiorem ad videndũ, quòd videndum beatis mundicordibus promittitur: quòd nonnisi mundis cordib⁹ videtur; ad quod videndum, nonnisi fide corda mundantur. Cui suspirat, quicumque affectat diligere Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex omni mente sua; & proximum suum, inquantum prævalet, adjuvat in hoc ipsum, quẽ diligit sicut semetipsum. Sed quamdiu ex peccato primi hominis, & pœna peccati ejus, in filijs carnis ejus, qui etiã sunt filij gratiæ, fit quod dicit Apostolus de seipso, *condelector* inquiens *legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis; & caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem:* quamdiu sic est homo, palã omnibus est, quàm non diligat Dominum Deum suum, sicut debitor est; scilicet ex toto quod homo est, quod vivit; qui toties tã multa, tam carnaliter extra Deũ concupiscit. Quãdiu enim hic viuitur; carnalis concupiscentia minui potest, frẹnari potest: extinguiverò vt penitus non sit, nõ potest. Quapropter perfecta illa dilectio quæ ex toto est, quæ secundũ præceptũ legis Dño Deo debetur, prẹcipitur in hac vita: sed nequaquam à quoquã perficitur. Præcipitur tamen; vt quò nos extendere debeamus, non ignoretur. Quæ inquantũ proficit in nobis, intantum concupiscentias carnis minui necesse est; donec ibi perficiatur, vbi extra Deum jã nulla concupiscentia est. In quo hic proficere, per fidem ambulare est. In quo quicumque proficiens inuenietur exiens de hac vita: indubitanter de eo credendum est & sperandum, perficiendum eum in futura vita. De fide autem non rectam fidem habemus; si non intelligimus fideliter ante omnia, cujus donum sit. Est autem fides res liberi arbitrij, sed liberati à gratia. Nequaquam enim liberum potest esse arbitrium hominis venundati sub peccato; nisi liberante eo, de quo dicitur. *Si vos filius liberauerit: tunc verè liberi eritis.* Ad peccatum tantùm per se liberum est: qua libertate peccant omnes, quicumque delectatione vel amore peccati peccãt. Sed hac libertate serui facti sunt peccati, liberi justitiæ: nullum fructum justitiæ liberum habentes vel velle vel perficere; nisi liberante gratia liberati à peccato serui facti fuerint justitiæ. In quo in filijs Adæ venientibus ex massa damnationis antiquæ, quem vult justè deserendo indurat debita justitia: cuj⁹ vult subueniendo miseretur indebita misericordia. Vbi offert bonam & liberã voluntatem, & accipit fidem adjutus: jactat quæstionem, & meretur dãnationem desertus & reprobatus. Dicit enim. *Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit?* Tremat qui sperat; vbi sic audet, qui desperat. Non quærat rationem, sed imploret miserationem: & ex eo qui reprobatur, nisi subueniret gratia, discat quid & ipse merebatur. Nã, sicut dicit Apostolus, *Non omnium est fides.* Quorum ergo est? *Fundamentũ Dei*, ait, *stat: habens signaculum hoc. Nouit Dominus, qui sunt ejus: &, discedant ab iniquitate omnes qui inuocant nomen Domini.* Quicumque enim ab æterno in præscientia Dei sunt præcogniti: ipsi sunt qui crediderunt, qui credunt, qui sunt credituri. Ipsi sunt, & extra eos nullus: oues Domini, oves pascuæ ejus, quæ vocem ejus audiunt, quas nemo rapit de manu ejus; populus ejus, scientes quoniam Dominus ipse est Deus. Ipsi sunt verè credentes, veri adoratores in spiritu & veritate: ab æter.

Iac. 2.
Homines quidam peiores dæmonibus.
Rom. 7.
Galat. 5.
Concupiscẽtia non potest in hac vita penitus extingui.
Ioann. 8.
Rom. 9.
2. Thessal. 3.
2. Timot. 2.
Ioann. 10

ab æterno præsciti, cùm non essent; prædestinati, vt aliquid essent; vocati, cùm auersi essent; justificati, cùm peccatores essent; glorificandi, cùm immortales fient. Noti ergo & præcogniti in Dei præscientia, notificantur etiã sibi in conscientia sua, inquantum inuocant nomen Domini; & testimonium reddit Spiritussanctus cõscientiæ eorum, quòd sunt filij Dei: noti etiam fiunt hominibus, inquantum discedunt ab iniquitate præ cæteris hominibus. Sed in magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea; sed & lignea ac fictilia: & alia quidẽ sunt in honorem, alia verò in contumeliam. Quod quare sit, vel quomodo sit, arbiter est figulus: qui habet potestatem ex eodem luto facere quod vult; siue in honorem, siue in contumeliam. Nec habet super hoc respondere figmentum figulo, homo Deo, lutũ plasmanti, creatura creatori suo: qui cùm faciat omnia causa vel ratione, qua ipse nouit; cùm sit dominus omnium, liberè de omnibus, quod bonum est in oculis ejus facit; & certè bonus bene omnia facit. In quo sicut humilitas credentis certissimũ est signum ovis Domini, quæ ponenda est à dextris: sic superba quæstio non credentis, signum est hœdi ponendi à sinistris. Nam apud Deum nullus, nisi humilis spiritu saluatur: in ostium fidei, nisi humiliato capite nullus ingreditur. Foramen acus est fides; non potest per eam intrare camelus enormis & tortuosus; nisi ad humilitatem & simplicitatem Christi attenuatus fuerit & direct⁹. Venit enim ad ostium fidei superbus & elatus: & dum vocatur ad credendum, inuitatur ad ingrediendum, stat & disputat contra ostiarium, cur alio admisso, alius excludatur: donec justo judicio ostiarij clauditur ei ostium: & de admissis & exclusis disceptans, ipse inter exclusos inuenitur. Dicit enim ad singula quæ non capit, *durus est hic sermo*; durior ipse: & abiens & conuersus retro, in eis quæ retro sunt ordinatur. Pauper verò spiritu, qualium est regnum Dei, cum timore & tremore salutem suam operans, nec ponens in cœlum os suum, venit ac plorat: & vt admittatur, orat; & cùm admittitur, adorat: semper pauidus, vbique trepidus ad arbitrium figuli quodcumque voluerit de luto suo facientis. Ingressus etiam non est securus, quamdiu grauat eum sensus carnis suæ: incedens cum timore, proficiens cum amore; ardens ad intelligenda quæ videt, timens verò scrutari quæ non debet. Non ergo volentis, neq; currentis; sed miserentis est Dei, & quod bene vis ô homo, & quod credis. Equidem si non vis credere, non credis; credis autem, si vis: sed non vis, nisi à gratia præueniaris: quia nemo venit ad Filium, nisi Pater traxerit eum. Quomodo? Vtique creando in eo, & inspirando ei liberam voluntatem, qua liberè vult id quod vult: hoc est, vt voluntatis ejus sit, quod bene vult. Deo enim inspirante fit in nobis voluntarius mentis assensus in his quæ de ipso sunt: & corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; & ipsa est fides. Sic ergo dictum est, si vis credis, sed non vis, nisi à Patre traharis: & si vis, ideo vtique vis, quia à patre traheris. Ideo *vosmetipsos*, ait Apostolus, *tentate; si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est? Nisi forte reprobi estis.* Quomodo autem est Christus Iesus in nobis? Vtique per bonam voluntatẽ, quia pax hominibus bonæ voluntatis: volendo scilicet, vt habitet Christus per fidem in cordibus nostris. Voluntas enim hæc aliquantus jam amor Christi est, sine quo fides in Christum omnino esse non potest. Pia namque fides sine spe & charitate esse non potest. Omnimoda ergo bonæ voluntatis absentia signum est omnimodæ reprobationis, & obduratæ infidelitatis: sicut bona ejus conscientia testimonium est Domini fidele, quòd sum⁹ filij Dei, & gratiæ adoptantis. Cur enim non credis ô infidelis? Vtique quia non diligis. Non credis, quia non diligis; non diligis, quia non credis. Neque enim alterum esse potest sine altero: quia alterum pendet ex altero. Incipe diligere; hoc est, age vt velis; & incipies credere: & tantum credes, quantùm voles; hoc est, quãtum diliges. Voluntas enim initium amoris est. Amor siquidem vehemens voluntas est. Et amor crediti, suggerit facultatem credendi. A carnali affectione accipe similitudinem ad Patrem Deũ. Credit se homo majorum authoritati, & quod nullo didicit experimento, patris & matris suæ filium se esse indubitanter tenet: quia crediti patris & matris tanti apud eum est authoritas, vt eam nec refellere velit, quia diliguntur: nec possit, quia digni habentur in judicio diligentis, quibus absque dubitatione credendum videatur. Amplectere & tu gratiam diuinæ adoptionis; hæres Dei, & cohæres Christi. Flecte genua tua ad patrem Domini nostri Iesu Christi; *à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur*: vt det tibi *secundum diuitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per spiritum ejus in interiori homine, habitare Christum per fidem in corde* tuo: & agnosce generis tui dignitatem; ne degenerem te comprobes per incredulitatem. Nam & secundum generationem carnalem, abnegare parentes grauis naturæ injuria est. Agnosce matrem gratiam; patienter sustine, vt te nutriat in sinu authoritatis lacte simplicis historiæ; & inhia vberibus, vt citò crescas. Crescere, proficere; decrescere verò, deficere est. Nec nasci, nec crescere secundum carnem, voluntatis est: spiritualis verò natiuitas, & incrementa spiritualia, voluntatis sunt. Voluntas verò in hoc filia gratiæ est. Gratia generat, gratia lactat, gratia nutrit ac prouehit, & ad perfectum vsque perducit: hoc est, vt charitas, id est magna & bene affecta voluntas fiat; charitate verò operãte multò dulciùs omni affectu carnali, & multò certiùs, præsto fit Spiritus ad testimonium perhibẽdum filijs gratiæ, quòd sint filij Dei; quàm natura filijs hominum, quòd sint filij parentũ suorum. Qui verò credit, scire debet, quid credat: quo authore, quo docente, quod credit credat. Qui enim verè fidelis est, & bonæ voluntatis circa fidem; nequaquam in eis quæ fidei sunt, quid credat eligit: sed sine omni retractatione & hæsitatione, quidquid credendum indicit diuina authoritas, credit. Nec nouas ipse sibi fides confingendo, sapit ea, quæ quasi carnali ejus sensui magis conueniunt: sed semper ea sapere appetit, quæ vera sunt: ipsis rationem conquirens, & doctrinam coaptans; nec de eis hæsitans humana ea ratione dijudicando: sed certa habens, fide & amore inhærendo. In quo tamen fit aliquando, vt sint qui fidem habeant, qua majorem nemo habere possit; in confessione ejus parati dare animas suas; sicut Domino attestãte majorem nemo charitatẽ habet, quàm

Marginal notes: 2. Tim. 2. — Ioann. 6. — Rom. 9. — Ioann. 6. — Fides opus est gratiæ & liberi arbitrij. — Rom. 10. — 2. Cor. 13. — Fide humana credimus nos filios parentum. — Ephes. 3. — Bona voluntas gratia filia.

Ioann. 15. vt animam suā ponat quis pro amicis suis: qui in credendo tamen, hoc est in cogitando ea quę fidei sunt, caligant & laborant. Humani autem hæc animi grauitas, & grauis infirmitas, & mira cœcitas est. Facillimum quippe & optabile etiam sæpe multis est, si necessitas vel occasio ingruerit, mori etiam propter fidē: quibus in credendo; hoc est de eis quæ fidei sunt cogitando, non facile est ipsiùs fidei assequi puritatem. Nec mirum, cùm sæpe etiam promptissimè moriantur propter fidem; quibus difficile nimis est viuere secundum fidem. Hinc namque est, quòd cùm ea quæ fidei sunt in Scripturis, seu historialiter audiuntur; seu moraliter à Sanctis Doctoribus traduntur, seu in mysterijs quibusque vel sacramentis tractantur: nonnumquam quidem non consentiente sensu, nonnumquam verò etiam errante consensu; à plerisque etiam fidelib⁹ tam difficulter & tam scrupulosè accipiuntur, ea quæ dicuntur. Infirmi quippe ingenij, sed infirmioris fidei homines animales, non percipientes, aut vix percipientes ea quę Dei sunt, licet repugnante ratione fidei rationi & consuetudini humanæ: sæpe etiam nolentes, quasi infinitatem diuinæ potentiæ metiuntur de infirmitate sensus humani, seu fidei suæ, quasi suggerente natura humana & sensu ejus, Deum nil posse, vel esse, vel agere, nisi quod homo de eo videtur sibi posse intelligere: sacramenta fidei, sanctarum mysteria Scripturarū, figmenta esse humanarum adinuentionum. Porrò vir fidei & virtutis, quicūque ille fuerit ad vitam prædestinatus, præuentus à gratia, & sicut Paulus misericordiam consecutus, vt sit fidelis; etsi aliquādo in eis quæ fidei sunt patitur aliquem carnis suæ sensum, nullum prorsus præbet assensum: sed sicut diuinæ authoritatis fidele mancipium primo omni studio animi subjicit se disciplinæ fidei ej⁹ quæ discitur: deinde omni pietatis affectu ambit ad eā quæ donatur: primò ad eam quā reuelat caro & sanguis: deinde ad eam quam nō reuelat nisi Pater qui est in cœlis: primo ad scientiam, quam nox nocti indicat; deinde ad verbum quod dies diei eructat: satagitque discere non solum quod creditur, sed etiam quibus cōtra inimicos fidei fides ipsa muniatur; quò fiat fides ipsa vbi non est, confirmetur vbi est: vitā etiam moresque coaptans; vt quod creditur, nō solum credatur, sed & speretur, & diligatur; & diligendo intelligatur, & intelligendo diligatur. Sic enim creditus cum Deo spiritus meretur Spiritum sanctum, gratia gratiam, fides intellectum & affectum pietatis, & intellectum amoris, in captiuitatem redigentem omnem intellectum in obsequium Christi: vt secundum quod scriptum est, *nisi crediderit is non intelligetis*, qui credit, amando intelligere mereatur quod credit. Sicut enim olim priusquā veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat, & lux pedagogus noster fuit in Christo Iesu, vt ex fide justificaremur: at vbi venit fides, jam non sumus sub pædagogo, sed recepta adoptione filiorum inuenti sumus filij Dei, accepto in cordib⁹ nostris Spiritu Dei, in quo clamamus Abba Pater: sic etiam in ipso tempore gratiæ, priusquam splendescere incipiat in cordibus nostris illuminatio Euangelij gloriæ Christi, custodiri & concludi habemus sub authoritate ejusdem Euangelij in gratiam reuelandam nobis tempore illuminantis nos misericordiæ Dei. Sit ergo interim authoritas pædagogus noster in Christo Iesu: vt per humilitatē credendi à gratia mereamur illuminari. Cùm enim venerit illuminans gratia, jam non sumus sub pedagogo: quia vbi fuerit spiritus Domini, ibi libertas. Accepto enim spiritu Filij Dei, efficimur & ipsi filij Dei: & intelligentes & sentientes nos patrem habere Deum, cum omni jam fiducia renuntiantes authoritati, dicimus ei, quod mulieri Samaritanæ dicebāt conciues sui. *Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè saluator mundi.* Interim verò dum præparatur credēdo, id est in his quæ fidei sunt cogitando, intellectui locus suus agatur necesse est: vt in cogitatione detur authoritati magnus locus. In eo, ergo quod nec sensu concipi, nec vlla valet ratione interim inuestigari, obedientissimè cedatur & credatur diuinæ authoritati: sicuti est de Saluatore humanæ dispensationis euangelica historia, & gestorum ejus, quæ eis qui tunc fuerunt, tunc facta sunt, ad videndum, & ad credendum quod non videbant; nobis autem credenda indicūtur, quia sic facta sint, & per ea credendū est, quod & illi credebant. Sed etsi in corde ebullire incipiunt sensuum carnalium tentationes, scandala fidei, tristes hæsitationes, & quæstiones tenebrosæ, quibus non tam ex placito voluntatis, quàm ex incuria neglectæ mentis, vel leuitate naturalis de rationalitate feruoris, fidelis etiam animus nonnumquam caligare solet; nulli meliùs animus regendum se credit & committit, quàm diuinæ authoritati: scilicet quam diuinitas in tam eminenti culmine dignitatis constituit; & quam verbo & scripto, & vita & morte sua nobis commendauerunt tot & tanti homines Dei. In qua cùm piè & humiliter acquiescitur, bene ibi & quasi in tuto requiescitur; donec per operationem Sancti Spiritus ipsa, sicut dicit Propheta, experientia intellectum incipiat dare auditui: donec obtineat fides, vt res cujus præcessit fides, credentis illucescat affectui; vt de fide Iesu Christi fiat in corde ejus & exemplum humilitatis, & incentivum amoris, & sacramentum redemptionis: vt, sicut dicit Apostolus, fiat ei Iesus Christus à Deo Patre justitia, sapientia, & sanctificatio & redemptio. Etenim tunc jam bene creditur, tunc de fide dignè fidei cogitatur; quamvis non jā tam cogitatur, quàm agitur: quia quicquid fidei est, Spiritussanctus in anima illa actualiter quodammodo operatur; cum affectus fidei feruet in conscientia; in intellectu verò fulget illuminans gratia: & affectus boni operis resplendet in vita. Relictā verò in initio credendi authoritate duce, necesse est perire de via justa ambulantes in sensu carnis suæ: nonnullos verò etiam de numero fidelium sæpius offendere: qui etsi non sic offendunt vt cadant; non tamen sine aliquo viæ discrimine & sancti in fide profectus detrimēto, inueniuntur pertransire. Dicit enim insipiens in corde suo, *non est Deus*. Ali⁹ verò dicit, *quomodo scit Deus, aut si est scientia in excelso*; dubitans de prouidētia Dei. Miratur alius, si pro salute hominis vel debuit Deus homo fieri. Et multa in hunc modum. Nam etiam feruentiores in religione animos, sed teneriores adhuc in fide, attentare sæpe solent hujusmodi de fide tentationes, non occurrendo in faciem venientes, sed latenter quasi à latere insidiantes, & quasi vestem fidei à ter-

Marginalia: 1. Timot. 1. — *Fidelis motus infidelitatis sentit, sed non consentit.* — 2. Cor. 10. — Isaie 6. — Galat. 3. — Rom. 8. — 2. Cor. 3. — Ioann. 4. — Isaie 28. — 1. Corin. 1. — Psalm. 13. & 72.

go vellicando; non dicentes *est est, non non*: sed *forsitan & forsitan* susurrantes. Forsitan, inquiunt, sic est: forsitan non est. Forsitan aliter fuit, aliter scriptum est: propter aliquid quod scriptum non est. Et respiciente rationis judicio disparent omnia; & integra quidem licet inueniatur fidei vestis, vellicata tamen sentitur & concussa. Siquidem & ratio videtur esse quæ impugnat, & ratio quæ repugnat; illa animalis & carnaliter sapiens, hæc autem spiritualis & spiritualiter dijudicans omnia: illa quasi de inexpertis hæsitando, hæc verò authoritati omnia subdêdo: insuper ægrè ferendo in aliqua sui parte aliquatenus sibi rem venire in dubium; cui ex authoritate diuina & fide non ficta, non dubium tribuit assensum. Sed quid faciat creditus cum Deo spiritus? Legit sibi euangelica tam verba Domini quàm miracula; & in omnibus veneratur & adorat veritatis sancta vestigia. Requisitus fidem, *Tu es*, inquit, *Christus filius Dei*: requisitus amorem, *Tu scis*, inquit, *quia amo te, & animam meam pono pro te*. Et cùm cuncta quæ fidei sunt intrepido corde credat ad justitiam, ore autem confiteatur ad salutem, ex regula authoritatis; ab aure tamen cordis excutere non potest *forsitan & forsitan*, susurrium tentationis: non illud dicens sibi, sed molestissimè ferens ab aliquo animæ suæ sensu dici sibi. Gemit ergo ad verba Apostoli; & nimium ipse suspectus est sibi. *Vosmetipsos*, inquit, *tentate si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vos ipsos, quia Christus Iesus in vobis est, nisi forte reprobi estis?* Et alibi. *Nemo loquens in Spiritu sancto, dicit anathema Iesu.* Cui constantissimè ipse subjûgit. *Imò si quis non diligit Dominum Iesum Christum, sit anathema, maran atta.* Et tamen in omnibus his ab occulto nescio quo conscientiæ excutere non potest aculeum mortis, non quidem transpungentem, sed tamen pungentem: nonnumquam verò nec pungentem, nec tamen recedentem. Multumque veretur, ne Christus Iesus in aliqua sui parte non sit, si quid sit in aliqua parte conscientiæ suæ, quod contra eũ sit: cùm hæc ipsa timoris & doloris anxietas veræ fidei manifestum argumentum sit. Non sentit hoc, nisi qui pugnat; & qui jam quod credit amat, & timet perdere quod jam tenet; qui spiritualiter examinatur: cui non sufficit communis cũ multis consuetudo assentiendi, & professio confitendi: qui expertus jam aliquid, incipit scire quid desit sibi. Quid autem timet in hujusmodi; quid anxiatur; quid dolet, nisi fides? Statuit ergo se contra se homo Dei: & ipse semetipsum spiritualiter examinans dicit. Quid est, ô anima, in quo conturbas me? Non fide stas? Non credis? Et duo hæc proponendo sibi conferens, & agens secum; de vtroque sibi respondeat cor suum. Discutit vtrumque quid sit; & inuenit quia fides voluntarius est assensus mentis, in eis quæ fidei sunt; credere verò cum assensu de eis cogitare. Omnesque terminos fidei suæ circumspiciens, & puram sibi voluntatem in corde, & assensum in oris confessione, opera etiam fidei inueniens in proposito & professione vsq; ad martyrij & mortis necessitatem, si forte ingrueret; interim de fide bene respondet sibi. Cogitans deinde mentis suæ statum; qualis sit, cùm de fide cogitat; inuenit certum quidem in ea liberi arbitrij assensum in fide: aliquid tamen in cogitatione contra assensum. Idipsum verò penes se discutiens quid sit, quid sibi velit, inuenit rationem ex obedientia fidei simpliciter ire in assẽsum: & omissâ in dubijs naturali viâ ratiocinandi, per viam gratiæ incedentem omnia subdere authoritati. Cumque mens abducta à via naturæ in viam gratiæ per aliam viam miratur se reduci in regionem suam; aptans tamen se ad credendum, hoc est de rebus fidei cum simplici assensu cogitandum, vim illico patitur recurrentis naturæ: & scire volens vbi suum commodet assensum, etiam contra voluntatem ratiocinatur contra authoritatem: licet enim simpliciter ire quo jubetur assentit; tamen rationem respiciens, quasi consuetam sibi viam requirit. Nam etsi possibile est rationi in cogitando de fide libramine judicij omnia subdere authoritati: tamen rationalitati eripi non potest vis vel motus naturalis ratiocinandi. Menti quidem ad inquisitionẽ veritatis naturaliter semper tendenti, sicut finis solet esse quærendi, inuentio ipsâ veritatis, ad quam tenditur: sic via ad inueniendum solet esse ratiocinatio, qua veritas inuenitur. Cùm ergo fides ei indicitur per authoritatem, & à fine se differri videt quem sperabat, & viam intercludi, per quam incedere solebat, nisi quod per hanc dilationem promitti sibi gaudet supereminentem scientiæ charitatem: ibi se certissimè inuenturam credens quod perfectũ est, euacuato quod ex parte est: cum tamen ratiocinationi authoritatem, & fidem interim scientiæ jubetur anteponere, tamquam certitudini opinionem, & sapientiæ hujus mundi stultum Dei: hæsitat nonnumquam & palpitat, sed non vsq; ad contradictionem: quia non tam ratio volũtatem, quàm voluntas trahere videtur rationem ad fidem. Sicque agitur, donec illuminante gratiâ incipiat aliquando boni sui fides capere intellectum, spes appetitum, charitas sensum. Interim verò fiunt hæc in homine ad manifestationem infirmitatis suæ, vt ostendat & ipse se sibi: simul etiam vt peccato viciata natura & nimis prona in sensum carnis suæ à seruitute carnis liberetur; & operante Spiritu sancto per exercitia pietatis paulatim cogitandis spiritualib' rebus & diuinis conformetur. Magni quippe exercitij est, nec sine magno auxilio gratiæ Dei effici potest, non accepta ratione, absque hæsitatione, quod credendum indicitur, credere & amare, & amore crediti ipsum credere amare: intantum vt magnitudo amoris tollat scrupulum suspicionis; cùm in fide etiã certa, sicut certa esse potest fides, quãdiu fides est, nõ possit esse cognitio certa: nec alia, quàm de qua Apostolus dicit, *Nunc cognosco ex parte*. In quo qui non recipit disciplinã, perit cito de via gratiæ, & reducitur in viam corruptæ naturæ, & efficitur animalis, qui non percipit ea quæ Dei sunt: & incipit male credere, id est de fide malè cogitare. Cujus cogitationibus cùm se miscet is qui tentat, aufert nonnumquam etiã fidem de corde ejus, & abit retro: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Fidem etenim in seruo Dei ad vexandum vel cribrandum, vel etiã, si potest, ad perimendum, maximè impetit inimicus: quia non ignotum habet, deuotam Deo conscientiam in nullo se periculosiùs deijcere, vel grauiùs contristare, quàm in eo quod faciei Dei faciem ejus conciliat: in quo viam ad Deũ habet deuotio serui sui, & viam ad cor hominis consolatio vel gratia Domini Dei sui; ex quo

Matth. 16.
Ioann. 21.
2. Corin. 13.
1. Corin. 12. cap. 16.
Quis sentiat tentationem contra fidem.
Fidei involuntaria pulsant hæsitationes.
1. Corin. 13.

incentivum ei fit omnium bonorum suorum; in quo ei est consolatio vnica laborum ac dolorũ suorum. Primus siquidem accessus ad Deum est fides, dicente Apostolus. *Accedentes ad Deũ credere oportet, quia est; & inquirentibus se remunerator sit.* Fides enim radix est omnium virtutum, & fundamentum bonorum operum. Nec virtus est, quæ non est ex fide; nec ædificatio sed ruina, extra fidei fundamentum. Propter quod antiqui serpentis malitia primò hanc radicem inficere; primò hoc fundamentum semper aggreditur labefactare: agens si potest, vt fides vel omnino non sit, vel imperfecta sit: vel vt obscuretur in ea sensus gratiæ illuminantis; vel subducatur ei adeps pinguedinis spiritualis. Ideo blasphemus ille coluber etiam nunc paradiso Dei non timet irrepere, fidelium mentes attentare, insibilare blasphemias: varias in fide suspiciones incantare. Sed qui jam in fide proficit; sciat noxium ejus caput semper meliùs despiciendo esse conterendum, quàm ad singula ei respondendo ipsa consuetudine colloquij improbæ malitiæ robur addendum: quia non effugiet contagium veneni mortiferi, si non venenati oris pestiferum à se penitus removerit afflatum. Sunt etenim duæ in homine tentationes, seu vitia ex pœnâ peccati ipsi concreta naturæ, concupiscentia carnis, blasphemia Spiritus, ex quo primo primis parentibus generis humani insibilata est à serpente vetiti cibi concupiscentia, & blasphemia in Deum, dicente illo ad mulierem. *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de ligno, quod est in medio paradisi? Sciebat enim, quia qua die comederitis, eritis sicut Dij.* His enim verbis & credenti mulieri Deum in hominem fuisse inuidũ facile persuasum est; & mulier per serpentem, & vir per mulierem ad diuini præcepti transgressionem per concupiscentiam cibi vetiti impulsus est. In quibus cùm tota tunc esset; tota peccauit humana natura. Et idcirco ex tunc concupiscente carne aduersus spiritum, & spiritu aduersus carnem, factus est impotens sui homo venundatus sub peccato: concupiscens sæpe quæ non vult, & cogitans etiam sæpe de Deo, quæ non vult: maximè incẽtoribus malorum horum spiritu blasphemiæ & spiritu fornicationis imminentibus. Fornicatio verò & blasphemia inter õnes tentationũ pestes hoc insigne mali habere videtur, vt rationis tantum iudicio, & cogitationis exercitio reluctantibus fortius obluctentur & immineant: faciliùs vel effugentur à fugientibus, vel à contemnentibus superentur. Vnde Apostolus. *Fugite, ait, fornicationem.* Fugienda enim est, vel cõtemnenda omnis omnino ejus memoria: vti ne saltem sub occasione reluctantis polluatur conscientia recordantis: cùm ad cogitatus vel leuissimi contactum statim moueatur naturalis ille carnis pruritus. De blasphemia verò tentanti diabolo, ac dicenti, *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me,* non nisi scutum veritatis vel authoritatis doctor veritatis opposuit dicens. *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis; & illi soli seruies.* Sed & in libro regnorum cùm blasphemarent Dominum pueri regis Assyriorum, mandauit suis Ezechias dicens. *Ne respondeatis eis.* Non enim respondendum est aliquatenus spiritui blasphemiæ, vel colloquendum cum eo, sed tantum scutum ei fidei opponendum: cujus virulenta malitia quidquid attuleris, polluere nititur; nec agit vt respondẽdo ei satisfiat: ad hoc tantum ambit, vt vel cõtristet conscientiam credentis, vel corrumpat in aliquo fidei puritatem. Geminorum verò malorũ horum alterum stimulus carnis est, alterum animæ; vtrumque circa desides quasi naturale commonitoriũ, ab eo, sicut dictum est, trahens originem, qui ex incantatione colubri antiqui esse sicut Deus concupiuit; statimque traditus in concupiscentiam carnis suæ; semetipsum erubuit; tegens eas corporis partes, quas tegmine non egentes bene creauerat, qui creauit. Vtrique tamen vitio suum adhibendum est antidotum. Non enim omnibus membris vna conuenit medicina. Non sanat pedem, quod sanat caput; non vitia carnis, quod vitia animæ. Tentatio enim carnis afflictiones carnis requirit, & corporales labores: tentatio verò animæ, orationis, lectionis, meditationis, exposcit auxilium; & siqua sunt alia studij spiritualis. Præcipuè autem fidei puritatem non assequitur, nisi vera & profunda humilitas cordis, & devotio pia, & peruigilis instantia orationis. Orandũ ergo sæpe est, ac dicendum. *Domine auge nobis fidem.* Nam sæpe etiam qui in ea proficit, si nõ habeat adjuvantem gratiam, molestam patitur naturam. Rationalitas enim, sicut dictum est, in seipsa inquieta & improba, vbi ratiocinandi habet facultatem, fidem sæpius aggreditur, etsi non studio contradicendi; non vt illi velit occurrere, sed quasi illam sibi occurrere. Nam sicut solet agere in rebus humanis humana ratio, quasi per mediam credendi necessitatem irrumpere nititur in rerum diuinarum cognitionem: sed tamquam aliunde ascendens, offendit, impingit, labitur, donec reuertatur ad ostium fidei; ad eum qui dixit, *ego sum ostium*: & humiliata sub jugo diuinæ authoritatis, quantò humiliùs, tantò securiùs ingrediatur. Sed in alijs non sentit tentationem negligẽtiæ magnitudo, in alijs rationis hebetudo, in alijs illuminatæ fidei concepta certitudo. Negligenti enim & hebeti sufficit interim fides à carne & sanguine reuelata; nec tentatur, quia nec spiritualiter examinatur; quando sufficit ei vel consuetudo assentiendi, vel professio confitendi, nesciẽti vtique quid sit fides: quod si sciret, daret certè operam, intelligere quod credit. Altera siquidem est fides, quam reuelat caro & sanguis: altera, quam revelat Pater qui est in cœlis. Altera, & non altera. Eadem fides; sed alter affectus. Illa docet quid sit credendum; ista fidei suum suggerit intellectum, & plenam intellectus etimologiam; cùm, qui credit, intus in affectu cordis legit quod credit. Illa pædagogus est, tutor vel author humanæ infirmitatis; ista verò ipsa est hæreditas & perfectio libertatis. Illa verò tolerat negligentes, nec excludit hebetes, formã omnibus præferens veritatis, ista non suscipit nisi spiritu feruentes, Domino seruientes, habentes illuminatos oculos cordis. Non autem hebetes hos dicimus, simplices filios Dei, cum quibus crebrò ejus sermocinatio fit: quorum proprium est meritum & singularis gratia, qui fidem accipere merentur reuelante Dei: non eam solam quam reuelat caro & sanguis; sed illam etiam quam revelat Pater qui est in cœlis; docibiles Dei & absque omni verborũ, siue cogitationum disceptantiũ strepitu, à Sancto Spiritu discentes: ad quod docendum, si non adsis

Hebr. 11.

Virtus non est sine fide.

Cogitationes blasphemiæ melius superantur despiciendo, quam disputando.

Genes. 3.

1. Cor. 6.

Memoria fornicationis eurfugienda.

Matth. 4.

4. Reg. 18.

Stimulus carnis & animæ.

Luc. 17.

Ioann. 10.

Fides à carne reuelata: altera à Patre.

ipse Spiritus & docenti & discenti, deficiunt perstrepentes rationum ratiocinationes. Hujusmodi enim non negligentes, sed simpliciter & singulariter strenui sunt in fide & prudentes: nec in silentio suo hebetes æstimandi sunt; sed in eo quod acceperunt singulariter sapientes: quia sentiunt de Domino in bonitate, & sentiūt sensu amoris quicquid de Deo credunt; & sapit eis quod sentiunt: & vbi lassescunt & deficiunt ratiocinationes, ipsi currunt; & quia ambulant simpliciter, ambulant confidenter. Non enim in curribus ingeniorum suorum, vel in equis fiduciæ humanæ, sed in nomine Domini. Non in literatura: in potentijs Domini, & in justitia ejus solius. Nihil enim dijudicantes in fide, nihil discernentes, omne rationis suæ judicium Spiritu sancto jugiter illuminandum offerentes, & dirigentes omnem suum sensum in fidei assensum; spirituales ejus fructus dulciter capiunt & confidenter. Sentiuntque de Domino in bonitate, quia simplicitate cordis quærunt illum; & inuenitur ab his, quia non tentant illum; apparet autem eis, quoniam fidem habent in illum; impleturque in eis, quod pro discipulis Patrem orans dicit Dominus Iesus Christus. *Et hi cognouerunt verè, quia à te exiui.* Quomodo cognouerunt? Sequitur. *Et crediderunt, quia tu me misisti.* Vtique ideo cognouerūt verè, quia crediderunt verè. Hebetes verò sunt circa fidem alij, qui naturaliter nec intelligunt, nec intelligere possunt: alij quos ad intelligendum facilitati comparandæ dignam piget operam dare, cùm possint. Nequaquam verò simplicem simpliciter credentē extollimus, quasi ad depressionē spiritualis examinatoris: qui si non sit scrutator majestatis, sed æmulator pietatis, & imitator simplicitatis, tentationum laqueos non solum illæsus euadit, sed etiā magnificè in eis eruditus proficit. Quorum alia gratia est. Aliud enim est habere simplicem fidem, & fructus ejus simpliciter in corde capere suauitatē: aliud intelligere quod creditur, & paratum esse semper ad redendum de fide rationem. Simplex fides sapit, sed non lucet; & est à tentationibus remotior. Hæc autem etsi nonnumquam cum labore sapit, lucet tamē, & est contra tentationes tutior. Licet enim pedetentim in fide proficiat, habitantem per fidem gerens in corde Christum, quæcumque fidei sunt, certa tenet scientia acclamante conscientia: & eam fidem firmissimo fovet amplexu, quam ei reuelauit caro & sanguis: & ad eam suspirat, & cum ei datur, suauiter in ea respirat, quam reuelat Pater, qui est in cœlis. Et licet sanctæ simplicitatis cōpendio sæpe à simplici præuenitur: ipse tamen à fonte gratiæ, qui omnibus patet, non repellitur. Aliquando enim de maledictione Ade in doloribus laborans sibi, in spinis & tribulis terræ suæ, in tentationibus corruptæ naturæ suæ, in sudore vultus sui vescitur pane suo; aliquando dum nescit, sicut Iacob inuenit benedictiones Domini in agro cordis sui. Non enim inanis esse potest labor exercitij spiritualis in fide fideliter expensus: nec dolor dilationis suo potest defraudari præmio pietati impensus. Sæpe enim adest fidei laboranti illuminans gratia; & sic quasi in transpuncto infert ei invisibilium cognitionem & spem, & in cognitione & spe amorem: vt sine vllo temporis interuallo & sensus distinctione, continuò & amor ex fide, spe mediante, per cognitionem oriatur; & fides itidem in amore per cognititionem solidetur: intantum vt, sicut jam suprà dictum est, fidei cognitio, & spes, & amor, licet intelligantur tria quædam in ipsa fide diuidua; in virtute tamen fidei ipsius quodam conjunctionis argumento ex tribus vna fiat, in sensu credentis, sperandarum rerum substantia indiuidua: cùm quod creditur, credendo etiam cognoscitur; quod verò cognoscitur, ex cognitione boni sui speratur; & speratum & cognitū amatur. Quod de fide, spe, & charitate, semper debet esse fideli animæ in fide; tametipsi non semper esse possit in intellectu. Istæ enim speciales sunt animæ virtutes: in quibus robur ejus omne cōsistit. Hæc ossa, de quibus crebrius Psalmista commemorat; quæ *custodit Dominus* in sanctis suis. Quæ cùm ad inuicem conjunguntur: fit ex eis *vnum os*, quod *non contereretur*. Hæc est perfectio fidei in hac vita: de quo alibi dicit. *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto.* Diuisa verò ab inuicem facile conturbantur, & animā conturbant valde; & vel confringuntur, & exprobrant nobis inimici nostri: vel dissipantur, & secus infernum nos constituunt. Quibus cùm adhærent carnes, id est cæteræ animæ affectiones; & ipsæ ab ossibus robur, & ossa ab eis trahunt salubris succum pinguedinis: & fit eucrasis, id est bona complexio animæ. Si verò soluuntur ab inuicem, & carnes defluentes in semetipsis tabescunt, & morientia ossa, fides sine operibus, spes sine cōsolatione dilationis, charitas sine dulcedine pietatis, in semetipsis sicut cremium arescunt. Cùm ergò carnes ossibus adhærent, bene & cum ossibus, & cum carnibus agitur: quia & carnes ex ossis robore solidatur, & ossa à carnibus nutriuntur. Quod si ós carni adhæret, sicut quodam loco idem Propheta deplorat dicens, *adhæsit os meum carni meæ*; mollescit in carnem, & totum caro fit. Hoc est, si fidei conformantur affectiones animæ; homó ille spiritu viuit, spiritu & ambulat, & quasi totus spiritus est: si verò spirituales illæ virtutes resoluuntur in affectiones carnales, totum caro fit, & dicitur de illo homine, *non permanebit spiritus meus in homine isto, quia caro est.* Nutrienda ergo est suis alimentis fides, spirituali huic examinatori; & ante omnia spiritu humilitatis Deo afficienda, donec piæ deuotioni apparere incipiat ipsa speratarum substantia rerum: vt feruor naturalis rationalitatis, sicut jam dictum est, operante gratia vertatur in feruorem amoris: & importuna ratiocinatio efficiatur pia contēplatio, scientiæ inuenti gaudium fruendi. Interim verò dum exercetur, dum eruditur natura, & docetur quid valeat sine gratia; etsi ratione rationalitatis feruorem naturalem, ne vsque ad cōtradictionē ebulliat, cohibemus, vt tamen non ferueat quod feruet, vix efficimus; vt scientiæ naturalis appetitus scrupulosè aliquatenus non suspiciat ad credendum, quod attingere ei non licet sensu aliquo vel rationis vel corporis ad discutiendum. Sed ne timeas serue Dei, non moueantur pedes tui, non effundantur gressus. Infideles signa petunt; hæsitantes sapientiam requirunt. Tu verò amplectere Christum crucifixum, prædestinatis ad ruinam scandalum, sapientibus in oculis suis stultitiam: sed vocatis omnibus & justificandis, Dei sapientiā, & Dei virtutem; quia quod stultum est Dei, sapientius, & quod infimum, fortius est omnibus homini-

Sap. 1.

Ioann. 17.

Aliud est fidem habere, aliud intelligere quod creditur.

Non est inanis labor in fide expensus.

Psalm. 33.

Psalm. 138.

Psalm. 101.

Genes. 6.

Nutrienda fides suis alimentis.

bus. Si sensum carnis consulis, stultum videtur & infirmū: si autē cum Apostolo sensum Christi habueris, intelliges Verbum Dei summā esse sapientiam: sed stultitiam hujus sapientiæ esse carnem Verbi; vt quia carnales quique per carnis prudentiam pertingere non valebant ad sapientiam Dei; per stultitiam prædicationis & fidei simplicitatem, id est per carnē Verbi, sanentur. Stultus esto, vt sapiens fias: & illuminabitur tibi dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit. Infirmare ad infirmum Dei; & disces, quàm sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credidimus, secundum operationem potentiæ virtutis ejus. Nec terreat animum fidelem momentanea & prætervolans trepidatio in credendo; cui de fide non deest bonæ conscientiæ, & in conscientia Spiritus sancti testimonium, si etiam sub examinatione martyrij facta fuerit interrogatio. O fidelis anima non te damnat insons natura, sed stupet ad insolita; non detrectans: aliquid scire appetens. Vide matrem Domini, speciale fidei signum. Accepto bono nuntio salutis nostræ, & conceptionis suæ; & pignore Sancti Spiritus, certissimè matrē Domini futuram se credens: aliquid tamen, id est mysterij hujus adimplendi modum, scire voluit dicens. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Rem fide tenebat; modum scire desiderabat. Rem amplectebatur anima fidelis, confortante eā ipsa gratia qua erat plena: sed modum quo id fieret, mirabatur stupens natura. Sentiebat siquidem jā in seipsa singulariter operantem Spiritum sanctum: sed mirabilia quæ credebat, nesciebat eū in carne sua sine auxilio carnis operaturum. Cui Angelus. *Spiritus*, inquit, *Sanctus superueniet in te: & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ac si diceret: Digitus Dei est hic. Sic de spirituali regeneratione baptismi, modum ejus sciscitanti Nicodemo Dominus respondit. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem ejus audis: & nescis vnde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu.* De sacramento quoque corporis & sanguinis sui scandalizatis, *Spiritus est*, inquit, *qui vivificat: caro autem non prodest quicquam.* Omnia enim hæc operatur vnus atque idem spirit⁹, sicut vult; constituens sacramenta fidei, alia vt sint sacræ rei signa corporalia & visibilia, sicut in baptismo, sicut in sacramento corporis & sanguinis Domini: alia vt sint tantùm sacra recondita spirituali intellectu ipso Spiritu sancto præduce inuestiganda; de quibus dicit Apostolus. *Vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* Occultum enim voluntatis Dei & altissimū est, & omnium sacramentorum sacramentum; quod notum facit secundum bonum placitum suum, quibus vult, & sicut vult: quod sicut diuinum est, sic modo quodam diuino revelat ei qui donante ipso dignus est. Quinpotius non diuinum, sed Deus est: quia ipse est Spiritussanctus, qui substantialis Dei voluntas est. Hæc enim est voluntas Dei, qua facit omnia quæ vult Deus, de quo scriptum est. *Omnia quecumque voluit Dominus fecit.* Ipse ergo spiritussanctus, ei cui se infundit, ipsa Dei voluntas, ei in quo fit, innotescit: nec innotescit alibi, quàm vbi fit. Nā etsi à claritate luminis & veritatis ejus abscondere se non potest oculus humanæ rationis: nō tamen nisi qui eam facit, & in quo fit, volendo scilicet, quod vult Deus, particeps potest esse ej⁹ suauitatis. Sicut enim non sentit, nisi qui viuit, quia nonnisi viuentis vita est, quæ sentit: sic illā nemo scit, in quo non fit: quamvis nōn omnes eam sciant vel sentiant, in quibus fit, sicut in infantibus & idiotis. Sicut enim multi habentes animam, nesciunt quid sit anima; sic multi habentes gratiam, nesciunt eam. Ei verò quem sibi afficit, reuelat exteriora sacramenta: cùm omnium res sacramentorum sua in eo operatur significatiua. Ipse enim ea sacrat Spiritussanctus, vt sint tantæ rei sacramenta: ipse ea reuelando fideli conscientiæ commendat, in qua rem ipsam operatur occulta gratia. Omnibus enim interioribus nostris interior Deus, in exterioribus nostris, hoc est in sensibus corporis exteriora nobis credidit sacramenta; per quæ interiora nostra ad sua introduceret interiora, per corporalium sacramentorum operationem paulatim suscitans in nobis gratiam spiritualem: qui etiam ad hoc inclinauerat se ad consortium humanitatis nostræ, vt participes nos efficeret diuinitatis suæ. Ideo jubente salutis nostræ authore in aqua baptismi caro lauatur exteriùs, interiùs verò Spiritu sancto operante anima purificatur; & sic in fide filij hominis & filij Dei justificati homines peccatores efficiuntur filij Dei. Corporalem etiam, sed incorruptibilem cibum corporis & sanguinis Domini manducat homo fidelis corporaliter, sed incorruptibiliter: intantùm corporaliter nobis congruentem; quantū incorruptibiliter nos leuantem: intantum intellectualis rationis sensum Deo conformantem; inquantum gustu amoris illuminati Deo vnientem. Temporalibus enim assueti, temporalibus sumus purgandi; nec purgati merebimur æternorum contemplationem, nisi purgandi temporalibus adhibuerimus fidem. Temporalia verò hæc & trāsitoria sunt, & tamē per primitias Spiritus præferunt primitias æternorum: & vtrique congruunt, & promittenti fidei, & implēdæ veritati: & mortalitati nostræ, & æternitati futuræ. Quod potissimùm in persona Mediatoris elucet nobis: qui in seipso manens Deus æternus, in tēpore est homo factus; vt per temporalē & æternum à temporalibus ad æterna trāseamus. Ideo, sicut dictum est, corpus Domini manducam⁹, & sanguinem bibimus corporaliter, sed reficimur spiritualiter: corporaliter in baptismo lauamur, sed spiritualiter purificamur. Sic enim quibusdam Christianæ pietatis rudimentis paulatim erudiendus erat fidei nostræ assensus: in quo cùm non tentamus Dominum Deum nostrū, sed simpliciter & fideliter credimus cum eo spiritū nostrum, & ipse incipit nobis credere seipsum: vt jam non simus de illis, de quibus legitur in Evāgelio, quia credebant in Iesum, ipse verò non se credebat eis: abusiuè quippe dictum de illis est, quia credebant in eum, quē non diligebāt. Credere enim in eum, amando in eum ire est. Illi verò Christum eum esse credebant, sed non sicut Christum diligebant. Nec ipse eis se credebat; quorum interioribus oculis judicio quo nouerat ipse, in ea forma, in qua nequaquam potest non diligi à quibus potest videri, non apparebat. Primò ergo in rebus Dei absque omni retractatione vel hæsitatione, simplicem & purum debemus fidei assensum: deinde ad intelligenda quæ credimus cum omni obseruatione & obedientia mandatorum Dei credere debemus spiritui sancto totum spiritum nostrum & intel-

1. Corin. 1.

Trepidatio inuoluntaria non imputatur.

Luc. 1.

Ioann. 3.

Ioann. 6.

Ephes. 1.

Psalm. 134.

Multi habentes gratiā nesciunt eā.

Baptisma abluitur anima.

Quando Christus seipsum nobis credat.

Ioann. 2.

lectum: non tã ambientis conatu rationis, quàm affectu pij ac simplicis amoris. Sicque plus studijs humillimæ pietatis, quam viribus potentis ingenij, promerebimur, vt incipiat se credere nobis Iesus; cùm illuminante gratia intellectum rationis, fidei assensus efficietur amoris sensus; qui ad sacramentum cognoscendũ internæ Dei voluntatis, jam non habeat opus exterioribus sacramentis. Quorum tamen sacrosancta religione quãdiu hic viuitur, religantur exteriora nostra, & per ea interiora nostra, ne in aliena diffluant: propter quod & religio à religando nomen accepit. Nam in corpore positi corporalibus sacramentorũ formis cohibendi eramus & continendi: & corporalium sacramentorũ corporalibus formis ex obedientia instituentis sapientiæ Dei commonendi; & ad interiorem eorũ gratiã, & significata interiora, exterioribus eorum significationibus reuocandi. Ægroti quippe sumus, de corruptione naturæ languentes; & sanitatẽ desiderare debemus. Ægritudo nostra mutabilitas nostræ mortalitatis est; medicina qua hinc illuc transitur, Mediatoris est. Fides autem maximè est rerum temporaliter pro nobis gestarum, per quam corda nostra mundantur, vt ad æterna non credenda, sed intelligenda, idonea inueniãtur. In qua si fideliter nos agimus, & fides meretur veritatem: & mutabilitas transit ad creditæ rei incommutabilem æternitatem. Hic ergo quamdiu purgamur, suam sacramentis rerum reddamus reuerentiam, ipsis verò rebus fidem: vt his purgati & adiuti proficiamus ad ea, quibus & res gestæ seruierunt, & sacramenta earum seruiunt, & fides ipsa; ad æternorum scilicet contemplationem. Porrò immunda anima, impura conscientia, superbus animus, curiosa jactantia, meritò ab inquisitione diuinorum sacrmentorum vel mysteriorum arcetur; quia Spiritus disciplinæ effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis: & in maliuolam animã non introibit sapientia. Humilis autem pietas, fidelis amor, & pura conscientia, simplices filij Dei & pauperes spiritu, & cùm reuerenter fugiunt, prouocantur à Spiritu sancto; & quodammodo attrahuntur ad hæc requirenda. Amant etenim, & ideo quærunt cùm quærunt; & vt amplius ament, querunt. Tu ergo ô fidelis anima, cùm in fide tua naturæ trepidanti ingeruntur occultiora mysteria; aude & dic, non studio occurrendi, sed amore sequendi. Quomodo fiunt ista? Quæstio tua, oratio tua sit, amor sit, pietas sit, & humile desiderium; non in sublimibus scrutans Dei majestatem, sed in salutaribus Dei salutarium nostrorum quærens salutem: & respondebat tibi magni consilij angelus. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittã vobis à patre; ille suggeret vobis omnia; & docebit vos omnẽ veritatem.* Nemo enim scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita & quæ sunt Dei, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. Festina ergo particeps esse Spiritus sancti. Adest cùm inuocatur; nec nisi jam adsit, inuocatur. Cumque inuocatus venit; in abundantia venit benedictionis Dei. Fluminis impetus est, lætificans ciuitatẽ Dei. Et cùm venerit, si te inuenerit humilem & quietũ, & trementem sermones Dei, requiescet super te; & reuelabit tibi, quod aufert Deus Pater à sapientibus & prudentibus hujus sæculi; & illucescere tibi incipient ea quæ potuit sapientia discipulis

Sacramenta cur corporalia.

Sapient. 1.

Ioann. 14.

1. Corin. 2.

in terra dicere: sed illi non poterant portare, donec veniret Spiritus veritatis, qui doceret eos omnem veritatem. In qua percipienda vel discenda, frustra hoc expectatur ab ore cujusuis hominis; quod percipi non potuit, vel disci, ex lingua ipsius veritatis. Sicut enim ipsa veritas dicit, *Spiritus est Deus.* Et sicut necesse est, eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare: sic scire eum vel cognoscere desiderantibꝰ, non nisi in Spiritu sancto intellectum fidei, & puræ ac nudæ illius veritatis sensum expedit quærere. In tenebris enim & ignorantia vitæ hujus, pauperibus spiritu ipse est lumen illuminans; ipse trahens charitas; ipse afficiens suauitas; ipse hominis ad Deum accessus; ipse amor amantis; ipse deuotio; ipse pietas. Ipse ex fide in fidem reuelat fidelibus Dei justitiam: cum pro gratia dat gratiam; pro fide auditus fidem illuminatam. Sunt, ait Apostolus, quidam *formam quidem pietatis habentes: virtutem verò abnegantes.* Forma quidem fidei, quæ verbis & Ecclesiasticæ disciplinæ institutis tradi potest hominibus ab hominibus, in assensu bonæ voluntatis præsto est omnibus hominibus: cùm adhuc videt in speculo & in ænigmate, & in imagine pertransit homo; in speculo, à quo erudimur; & in obscuriore ænigmate, in quo exercemur; & in simplici & euidenti imagine, in qua dulciùs afficimur: ipsa verò pietas, ipsa veritas, non nisi à Spiritu sancto traditur aut docetur; nec nisi digito Dei menti inscribitur. Credo ergo indubitanter Sãctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritũ sanctum, vnius substantiæ, inseparabili æqualitate diuinam habere vnitatem: ideoq; non tres esse Deos, sed vnum Deum: Deum autem factũ hominem pro nobis ad sanandum superbiæ nostræ tumorem summum medicamentum; ad redemptionem nostram & soluenda peccata nostra altum sacramentum: fecisse miracula, & à mortuis surrexisse. Si scis quid sit omnipotentia; crede de omnipotente, quia potuit; si sapis quid sit summum bonum, summa bonitas, vbi tanta fuit necessitas perditorum; crede de summo bono, quia voluit: si potes cogitare, quid in mundo egerit humiliata diuinitas: senti de Domino in bonitate, quomodo Deum suũ hoc opus decuit. Primo cùm in causa salutis humanæ Pater Filio, vel ipse sibi Filius non pepercit, in forma sua summum bonum mundo innotuit: & Deũ diligere sicut diligendus est, hominẽ perdocuit. Diligens enim hominem quodammodo vsque ad contemptum sui, docuit hominem Deum diligere vsque ad contemptum sui: qui nesciebat miser diligere nisi semetipsum etiam vsque ad contemptum Dei. Et hæc est pietas, hic est proprius Dei cultus, quo à creatura sua colendus est Deus. Hæc est sapientia, quam attulit in mundũ summa sapientia: creans in ea tot gloriosos martyres, tot sæculi suiq; perfectos contemptores. Hæc est enim sapientia Dei, qua sapit Deus sapienti; viuenti de spiritu vitæ ejus vsque ad sensum amoris ejus; amanti vsque ad imitationem similitudinis ejus; in temporalibus sentienti in seipso, quod & in Christo Iesu domino nostro; in æternis verò & ad Deum, eum habẽti sensum, de quo dicit quidam sapiens. *Scire enim te, sensus est consummatus.* Propriè enim in forma Mediatoris resplendet antiqua illa sapientiæ diffinitio, qua determinatur rerum humanarum diuinarumque cognitio; vt intelligatur, vel potius

Ioann. 4.

2. Timot. 3.

Sap. 6.
Sapientiæ definitio.

sentiatur, sicut jam supradictum est, vsque ad saporem amandi, ad affectum imitandi: cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus æqualem se esse Deo, Dominus noster Iesus Christus; cùm humiliauit semetipsum formam serui accipiens, vsque ad mortem crucis: quis, quid, pro quibus fecit. In quo summæ sapientiæ commemorando, intelligendo, & amando, conformis factus, & effectus sapiens Dei, ex ea quamdam deducit sapientiam Deum colendi sicut Deum: qua etiam vitam, mores, actusque suos, & omnia sua, diuino quodam sapore condit ad omnes homines, & oleo quodã lætificantis gratiæ adlinit: vt videntes homines bona opera ejus, glorificent Patrem, qui in cœlis est: habens gratiã ad amicos, patientiam cum benignitate ad inimicos; ad quoscumque potest beneficentiam; ad omnes omnino homines beneuolentiam: & legem illam naturalem, qua nemini facere vult, quod sibi fieri noluerit, omnibusq; facere vult, inquantum potest, quæcumque ab alijs sibi vult fieri. Rursumq; ex hac sapientia scientiam, quã secernit in sapiente suo summa sapientia; non eam, quæ vana hujus mũdi sectatur: sed quæ seruit fidei, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Scientia verò hæc modus quidam est vel habitus mentis, ad suscipienda ea, quæ propriè fidei sunt; eas scilicet res quæ sensibiliter menti inferuntur per sensus suos, siue alienos, vel sui sentientis, vel alterius narrantis siue scribentis; sicut sunt facta Domini temporalia, historica cognitione illata: natiuitas ejus, passio, resurectio, ascensio ejus; patrata inter homines miracula. Quorum cognitionem non inuenit ratio hominis penes se, sicut inuenit diuina quælibet & æterna: sed quolibet genere discendi suscipit; seu videndo, seu audiendo, seu legendo, quasi aliunde aduentitia. Menti siquidem ad æternitatem creatæ, vt ejus per intelligentiam sit capax, per fruitionẽ particeps, quasi naturali quadam affinitate conjuncta videntur, quæ æterna sunt ac diuina: intantum, vt etsi stolidior facta forte fuerit ex vitio, numquam tamen eorum priuetur appetitu. Nam etsi inuisibilia fortè cogitare non poterit; sic tamen eorũ cognitioni [cogit]ationi humanæ concreta est, vt à boni & pulchri, beatitudinis & immutabilitatis amore seu delectatione, nequaquam aliquando recedat: nisi cùm in appetitu, vel amore boni, falso bono decipitur. In quibus tametsi habet natura appetitũ ex gratia creante; non tamen ea perfectè dignoscit, nisi ex gratia illuminante; nec apprehendit, nisi Deo donante. Cùm ergo reminiscitur, qui conuertitur ad Dominum, facile inuenit, quod notum est Dei, insidens naturaliter menti suæ vel rationi. Quæ verò temporalia temporaliter discuntur, & quasi aduentitia aliunde per sensus inferuntur, non ea facilitate adhærent menti: donec fide proficiente, & gratia illuminante, scientia temporalium transformetur in sapientiam æternorum; & res temporis induant gratiam æternitatis: cùm Christus Iesus incipit jam non secundum carnem agnosci; & secundum ipsum facta ejus intelligi, & opera æstimari. Nam secumdum Prophetam qui dicit, *Annuntiauerunt opera Dei: & facta ejus intellexerunt*; non est magnum annunciari opera Dei, si facta ejus non intelliguntur. Omnia enim facta Verbi verba nobis sunt, in quibus nobis loquitur, semetipsum indicans nobis in factis suis bene intellectis. Intelliguntur autem non solũ per mysticas interpretationes in cogitatione vel sermone scientiæ: sed multò dulciùs & efficaciùs per pij affectiones amoris in meditatione vel sermone sapientiæ. Hinc est, quod dicit Apostolus, alij dari per Spiritum sermonem sapientiæ; alij sermonem scientiæ. Interim verò donec formetur Christus in nobis, fides, quia scientiæ res est, quasi naturaliter scire appetit, quicquid ei credendum indicitur, & cùm non potest, turbatur. Scientia verò hæc, siue modus suscipiendi ea quæ fidei sunt, hic est; ordinante eum summa sapientiã in suscipientis conscientia. Primò ex obedientia Domini dicentis, *Qui crediderit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*: rebus, sicut jam dictum est, extrinsecùs venientibus ex præcipientis obedientia per simplicem assensum quasi hospitalis gratia non negatur. Deinde verò per bonæ voluntatis familiaritatẽ, quasi in jus ciuile & socialis vitæ consortium, in communionẽ ejusdem panis atque ejusdem calicis suscipiuntur. Postmodùm verò quasi per mutua connubia jungũtur affectus; cùm ex sensibilibus intellectis intelligibilia, & ex intelligibilibus commendantur sensibilia, cùm quasi inuicem conferunt sibi; de quib⁹ abundant; tẽporalibus Deum commendantibus, & intelligibilem facientibus omnipotentem Dei bonitatẽ: bonitate verò & potentia Domini adstruentib⁹ temporalium fidem: quia bonus & potens voluit, & potens potuit facere pro salute humana, quod vix credere sufficit natura humana. Inuisibilia enim Dei in hoc maximè *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; cùm bene credita temporalis dispensatio Mediatoris per fidem, vel eam quæ fidei est scientiam, erudit & enutrit ad æterna capienda cor credentis: & bene cogitata æterna faciunt temporalium testimonia credibilia nimis. Magnitudinẽ siquidem diuinæ bonitatis in corde diligentis testatur dignitas operis; & intellectum aliquatenus summum bonum in sensu amoris constituit dignum Deo opus suũ. In hoc enim, de regno charitatis, quod est in statu æternitatis, illuxit nobis summa sapientia secundũ posse doni sui, supra posse captus nostri; cùm qui erat in forma Dei factus est in forma serui, docuit intelligentes per ea quæ fecit, quid boni sit, quod nos maneat in illa regione summi boni. Quodquidem temporaliter est factum; sed in eo qui in principio erat apud Deum; vita erat opus suum; & æternaliter erat apud Deum. Ex quo profluxit in mundum noua sapientia, sapientia super omnem sapientiam mundi hujus, & stultam eam faciens, intelligentium & sapientium, stulta & infirma Dei fortiora esse omnibus hominibus; sapientium suaui mentis sapore humilitatem filij vsque ad mortem, mortem autem crucis, passiones patientis pro nobis, irrisiones, alapas, sputa, flagella, spinas, & clauos, & cætera, quæ anima vulnerata charitate vix aliquando potest recordari præ pondere doloris; numquam verò obliuisci eam patitur affectus amoris. Ex quo fiunt temporalia Domini opera in corde fideli æternitatis mira quædã sacramenta; & ad imitationem earumdem passionum incentiua mirifica: vt amans quantum potest, ardeat amare plusquam potest humana infirmitas; & pati pro eo plusquam pati potest infirma humanitas. Hoc autem fit, cùm secundum præceptum Apostoli

sanctificat

Marginalia: Scietia quid sit. — Psalm. 63. — 1. Cor. 12. — Marc. 16. — Rom. 1 — Ioann. 1.

1. Petri 3. Ioan. 17. sanctificat homo fidelis Dominum Iesum Christum in corde suo; & ipse Dominus sanctificat semetipsum in eo. Hanc fidem vtinam omnes assequerentur, qui profitentur: omnes haberẽt, qui in numero fideliũ se censeri gloriantur. Nõ enim arbitrandum est, quòd possit hanc ad Deũ habere fidem: quicumque sæculo huic adhuc probatur seruare fidẽ. Propter quod dicit Apostolus, quia *bonam conscientiam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* (1. Timo. 1.) Mala enim conscientia facile patitur naufragium; nec probè, nec probabiliter habere se potest circa fidem: qui concupiscentia carnis vel sæculi corruptam habuerit mentem. Vnde item dicit Apostolus de quibusdam. *Corrupti mente, reprobi circa fidẽ.* (2. Timo. 3.) Si quis verò verè fidelis est, sicut ad leuissimam cordis vel cerebri læsionem, vel earum in corpore partium, in quibus vita continetur, tota repente stupescit natura: sic ad pulsum fidei vel leuissimum, tota in eo contremiscit bonæ volũtatis substantia. Et sicut prudentia serpentis totum corpus objicere solet pro capite tuendo, in quo vita ejus continetur: sic homo fidelis nil agere vel pati recusat, dum fidei suæ sua semper maneat sanitas imperturbata. Orand⁹ ergo nobis est assiduè Pater noster qui est in cœlis, vt fidem nostram etsi probandam aliquando vsque ad tentationem patitur perduci, non quasi reprobandam patiatur induci; sed præstet cum tẽtatione prouentum, vt possimus sustinere Omnibus etiam studijs pietatis contra sensum carnis & feruorem naturæ quærendum est auxiliũ gratiæ; ne fides fatiscat, ne deficiat, sed fructum afferat in patientia: donec paulatim gratia Spiritussancti totam illam naturæ trepidantis effigiem mirificet in substantiam quandam perfectæ fidei; perficiens in ea, quod David precatur. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum.* (Psal. 118.) Adsciscat sibi prudens animus mumimentũ fidei, ad confirmandum cor, ad illuminandam fide conscientiã, magna Ecclesiæ luminaria; summos viros spiritualis scientiæ, summæ sapientiæ, sanctitatis probatæ; doctrinas & scripta eorum, opera eorum & martyria: dicatque sibi contra motus tentationum suarum. Tune istis melior es, aut sapientior, sanctior, aut perspicacior; qui hoc in mundo docuerunt, quod à Deo didicerunt; magnificè prædicauerunt, luculenter descripta ad nos transmiserunt; vita & miraculis confirmauerũt; morte & martyrio sacrauerunt? (Efficax cõsideratio ad fidẽ retinendã.) Hujusmodi autem fidei cogitationes, mentiumque nutationes, & hæsitationes cogitationum, maximè circa humanitatem Saluatoris agitantur, & ea fidei mysteria, quæ nobis in ea reuelãtur. Nam de Deo vtrum sit, vtrum agantur omnia per ejus prouidentiam, quæ creata sunt & condita per ejus omnipotentiam; ad omnem cõscientiam, quæ rationis est capax, sic naturaliter se demonstrat veritas summæ essentiæ, & manifestam se facit; vt non sit, qui à Deo se esse non intelligat, qui de seipso scit quod sit; intantum vt nec ipse insipiens audeat dicere nisi in corde suo, *non est Deus*; in corde scilicet insipienti & fatuo. (Psal. 13.) In nullo enim hominũ qui satis sit compos mentis suæ, sic inuenitur deprauata humanitas, vt non intelligat omnis creaturæ creatorem esse Deum; qui sit super omnem creaturam, inquantũ ab ipso omnis creatura est; extra omne tempus, quod apud eum nullum est; extra omnem locum, qui apud eum nullus est, qui immutabilis mouet omnia: penes quem authorem omnium & motuum & mobilium, indubitanter æstimandum est esse immobilem potestatem, & causalem rationem omnium, & creandorum & mouendorum. Qui cùm ab æterno certis & immobilibus causis omnia quæ futura sunt prædestinauit; jam secundum prophetam, omnia quæ futura sunt, fecit. Hæc omnia liberè de Deo cogitare paucorum est; omnem tamen hominem rationalem penes se hæc habere naturaliter, humanæ rationis est. Propter quod ex imagine sũmæ veritatis ac summi boni ab omnibus hominibus veritas etiam non cognita diligitur; & nõ nisi quod creditur vel intelligitur, bonum appetitur, æternitas & incorruptibilitas amatur. Quapropter siquis sibi in hoc mouerit quæstionem, cito inuenit penes semetipsum quo compescat ratiocinationem tumultuantem, vel se accusans tarditatis, occultam veneretur veritatem. De humanitate verò Saluatoris non aliud docere, non aliud ab homine, neque per hominem possumus discere, quàm, *qui crediderit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* (Marc. 16.) Deũ quippe facere vel potuisse, vel debuisse, quæ fecisse eum adstruit Euangelica prædicatio, præsto sunt multæ & multiplices, & ipsa causa dignissimæ rationes: fecisse verò, extra authoritatem Euangelicam apud pias quidẽ aures & mentes grauissimam & reuerendissimam, apud infideles siue hæsitantes, quas afferemus rationes? Nec ipsum, sicut dicunt ore, submurmurãt corde, nec opera ejus viderunt, qui dixit. *Si mihi non creditis, vel operibus credite.* (Ioan. 10.) Non viderunt Apostolos in nomine ejus facientes miracula: non eos, qui per eos crdiderunt, signa sequentia; de quibus ipse dixit. *Signa eos qui crediderint, hac sequentur.* (Marc. 16.) Quamvis vsque hodie non desint signa & miracula in Ecclesia Dei, & publica & priuata: sed fiunt suis locis, suisque temporibus; non ad voluntatem hæsitantium, vel ad quæstiones incredulorũ; sed in adjutorium fidelium, & consolationem pro fide vel in fide laborantiũ: quæ vel in illis, vel per illos fiunt, non vt credãt, sed quia credunt. (Fiunt hodie quoque miracula.) Sed errare amant increduli, habentes amores quos nolunt vincere: & per illos missi in errores, à quibus non inueniunt quà redire. Sed & sensus in eis carnis, qui etiam de spiritualib⁹ nescit cogitare, nisi corporaliter; multominus de ijs, quæ humanæ dispensationis sunt in Domino Iesu Christo, scit vel potest cogitare nisi carnaliter. Nisi enim Spiritussanctus adjuvet infirmitatem etiam fidelium piè quærẽtium, humiliter petentium, religiosè pulsantiũ: facilius multò est homini de Deo sentire diuina; quàm vel diuina in homine, vel humana in Deo cogitare; donec ipso Spiritu adjuuante, & Domino Iesu Christo semetipsum in cordibus credentium sanctificante, illuminatæ fidei apparere incipiat in vna eademque persona Mediatoris, & diuinitas, quæ sunt humanitatis clarificans in majestate sua & humanitas, quæ diuinitatis sunt clarificans in humilitate sua, fiat in eis, quod ipse Dominus dicebat aliquando orãs pro discipulis suis. *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo: & Deus clarificauit eum in semetipso.* (Ioann. 13.) Etenim secundum modum vel profectum puritatis interioris in cordibus credentium, & glorificatur Christus in pulchritudine glorificatæ humanitatis; & in gloria diuinitatis apparet

piæ fidei in affectibus eorum. Non enim omnium est, nec omnibus conceditur in hac vita, quod speciali quadam prærogatiua gratiæ aliquibus in Euangelio Dominus repromittit dicens.
Mat. 16. *Sunt de hic stantibus: qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo.* Aliter eum vidit Stephanus in ipso articulo martyrij sui, cùm
Acto. 7. *intuens in cœlum vidit cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei:* aliter eum videbat, cui ipse post resurrectionem suam dicebat,
Ioan. 20. *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quem etiam aliter vident per fidē cogitando, qui digni sunt, cùm soli sibi sunt: aliter, cùm per afficientem gratiam ipse est in ipsis per affectum deuotionis. Cùm enim speculatur gloriam Domini anima sitiens ad Deum viuum: ducente gratia offendit in Mediatorem Dei & hominum, hominem & Deum, imaginē Dei inuisibilis, Dominū Iesum Christum. Quæ cùm ex magnitudine bonitatis qua pro nobis homo factus est, & virtute majestatis qua Deus est, sentit in seipsa splendorem gratiæ Dei, & figuram substantiæ ejus: fit quod dicit Apostolus.
2. Cor. 3. *Nos*, inquit, *reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu.* Amat enim, & amor suus sensus suus est, quo sentit eum quem sentit; & quodammodo transformatur in id quod sentit: non enim eum sentit, nisi in eum transformetur: hoc est nisi ipse in ipsa, & ipsa in ipso sit.
Amans trāsformatur in id quod sētit. Et enim sicut se habet sensus exterior corporis ad corpora & corporalia: sic est interior ad similia sibi, id est, rationabilia ac diuina, vel spiritualia. Interior verò animæ sensus, intellectus ejus est. Major tamen & dignior sensus ejus; & purior intellectus, amor est; si fuerit ipse purus. Hoc enim sensu ipse Creator à creatura sentitur: intellectu intelligitur: quantùm sentiri vel intelligi potest à creatura Deus. Sensus enim vel anima hominis cùm se mouet ad sentiendum, sentiendo mutatur in id quod sentit: alioqui non est sensus: vt puta, sicut Physici autumant, vis visibilis à cerebro per radios oculorum egressa offendit in formā vel colores visibilium: quas cum menti renunciat, conformatur eis mens ipsa, & fit visus. Non enim aliter videret videns. Quod æquè de cæteris sensibus intelligendum est. Sic mens pro sensu habet intellectum, eo sentit quicquid sentit. Cùm sentit rationabilia, ratio in ea progreditur: qua renunciante, mens in ea transformatur, & fit intellectus. In eis verò quæ sunt ad Deum, sensus mentis amor est: ipso sentit, quicquid de Deo secundùm spiritum vitæ sentit. Spiritus autem vitæ Spiritussanctus est: de quo amat quicumque amat quod verè amandum est. Cùm enim nihil ametur, nisi quia bonum est, aut bonum putatur: datur intelligi, quoniā soli summo bono omnis amor debetur, & totus amor: & ad ipsum recurrit semper, si non captivus ac
Sūmo bono omnis & totus amor debetur. vinctus alicubi tenetur, vbi falso bono decipitur. Amori verò nostro, affectui nostro illi naturali, sic est amor Dei, sicut corpori nostro anima sua est. Si in ipso est viuit; sin autem, nonnisi morticinum quoddam est, quod non sentit, quod sentiendum est. Cùm autem viuit homo, & sentiens per eum quod sentiendum est sentit, in id quod sentit transformatur; plus in hoc valente amantis affectu, quàm vel sensu in corporibus, vel in rationalibus intellectu: & vnus spiritus efficitur homo cum Deo, cui afficitur. Habet enim voluntas animæ ad copulandas res etiam corporeas vim tantā, vt sensibus eas admouens tanta nonnumquam intentione sensus ipsos in eis formatos detineat, vt voluntas ipsa efficiatur amor, vel cupiditas, vel libido: ferventiore intentionis vehementia intantum rebus sensis inhians, vt de eis ipsum corpus inhiantis vel amantis sic afficiat vel inficiat: vt aliquando illud in similem vel speciem vel colorem transfundat. Genes. 30.
Non hoc latuit Patriarcham Iacob: qui colores quos volebat, artificiali & naturali machinamento pecudibus nascituris indidit: ne hominis barbari nequitiā laboris sui mercede defraudaretur. Quod multò potentiùs digniúsque agitur; cùm ipse, qui est substantialis voluntas Patris & Filij, Spiritussanctus, voluntatem hominis sic sibi afficit, vt Deum amans anima, & Vt transformetur ai. Deū amās
amando sentiens, tota repente transmutetur: non quidem in naturam diuinitatis, sed tamen in quamdam supra humanam, citra diuinā, formam beatitudinis: in gaudium illuminantis gratiæ, & sensum illuminatæ conscientiæ: intantū vt Spiritus hominis qui paulò antè vix in Spiritu sancto poterat dicere, *Dominus Iesus*; jam inter 1. Corint.
filios adoptionis confidenter clamet, *Abba Pater:* nec tantum spiritus, sed & caro ejus Rom. 8.
promissæ incorruptionis & glorificationis suæ jam aliquas sentiens primitias, gratanter abneget se sibi, alacriter currens post spiritū suū: sicut ille post Deū. Et hæc est jubilatio beati populi scientis jubilationem, in lumine vultus Dei ambulantis, in nomine ejus exultantis: quibus exaltationis justitia Deus est, & gloria virtutis eorum ipse est. Hæc enim est assūptio Dñi, & sancti Israël regis nostri; cùm sentimus de eo in bonitate, qui similis factus est nobis; & sentimus in nobis, quod & in Christo Iesu Domino nostro: cùm similes efficimur ei gratanter compatiēdo nunc, post modum similes ei futuri conregnando. Nec enim major potest esse suauitas homini in hac vita: quàm cùm in imagine conditoris in similitudinem bonitatis ejus inuenit se bene affecta conscientia. Hanc quicumque desiderat suauitatē, nequaquā onerosam habeat in exercitio fidei laboriosam necessitatem: quoniam *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio* Rom. 5.
verò spem: spes autē non confundit; quia post probationem diffunditur in corde charitas; & mox per Spiritum sanctum ordinatur sua piæ menti suauitas: & fit ei in hoc crebra visitatio Dei, custodiens, sicut dicit sanctus Iob, spiritū serui sui. Iob 10.
Quæ enim potest esse visitatio dulcior, consolatio major, lumen diuinius sperantibus, in tenebris hujus vitæ laborantibus filijs lucis: quàm vel in transcursu fulguris gratiæ illuminantis oculis cordis aliquando aliquatenus videre demonstrantem, sentire promittentem, & quid apud Dominum misericordiæ & copiosæ redemptionis, quid propitiationis sit, intelligere; laborantibus in regione mali quid in regione boni promittitur suspicere; ante reuelatam faciem gratiæ reuelatam offerre faciem bonæ conscientiæ? O ergo quicumque desideras & affectas habere in fide tua, in vita ista, gaudium hoc diuscusū Domini Dei tui: esto non dubius, non hæsitans, sed certissimus arbiter cordis tui. Habe in fide certa gaudium certū in fundamento suo,

fundatum cum conscientia bona; & hoc tuum erit, & nemo tollet illud à te. Deinde postquã cœperis videre, satage vt crebriùs videas; efficaci⁹ sentias: vt incipias cognoscere. Ex hoc enim fideli suo jã illucescere incipiet noua quædã fidei facies in cognitione Dei, promittens se tantùm in hac vita, plenissimè verò se datura in futura vita: de qua orans Dominus pro discipulis, dicebat ad Patrem. *Hac est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quē misisti Iesum Christum.* Cognitio autem hæc Dei alia fidei est, alia amoris vel charitatis. Quæ fidei est: hujus vitæ est; quæ verò charitatis, vitæ æternæ: vel potius, sicut Dñs dicit, *hæc est vita æterna.* Aliud quippe est cognoscere Deum, sicut cognoscit vir amicum suum: aliud cognoscere eum, sicut ipse cognoscit semetipsum. Cognitio communis est cogniti hominis, seu cognitæ rei, ex aliquanta visione conceptam penes se in memoria habere phantasiam, qua res ipsa vel absens cogitatur, vel præsens cognoscitur. Hæc cognitio in Deo, fidei est; non quòd sit similitudo aliqua phantasmatis, sed aliquis affectus pietatis: qui ex fidei forma conceptus & commendat⁹ memoriæ, quotiens redit ad experientiam recordantis, suauiter afficit conscientiam cogitantis. Ea verò cognitio quæ mutua est Patris & Filij, ipsa est vnitas amborum, qui est Spiritussanctus; nec aliud eis est cognitio, qua se mutuò cognoscunt; & substantia, qua sunt id quod sunt. Hac verò cognitione *nemo nouit Patrem, nisi Filius; & nemo nouit Filium, nisi Pater: vel cui ipsi voluerint reuelare.* Verba hæc Domini sunt. Aliquibus ergo reuelant; scilicet quibus volunt, quibus innotescunt; hoc est, quibus largiuntur Spiritũ sanctum: qui communis notitia, vel communis voluntas est amborum. Quibus ergo reuelat Pater & Filius, hi cognoscunt, sicut Pater & Filius se cognoscunt; quia habent in semetipsis notitiam mutuam eorum: quia habent in semetipsis vnitatem amborum, & voluntatem vel amorem; quod totum Spiritussanctus est. Sed aliter hoc est in diuina substantia, in qua cum Patre & Filio consubstantialiter ipse vnum est; aliter in inferiore materia: aliter in creatore, aliter in creatura: aliter in propria natura, aliter in gratia; aliter in donante, aliter in accipiente: aliter in æternitatis incommutabilitate, aliter in temporali permutatione. Ibi enim mutua charitas, vnitas, similitudo, cognitio, & quicquid commune est ambobus, naturaliter & consubstantialiter Spiritussanctus: hic autem facit illud in eo in quo fit; & faciendo per gratiam in ipso est. Ibi mutua cognitio Patris & Filij vnitas est; hic hominis ad Deũ similitudo, de qua dicit Apostolus Ioannes in epistola sua. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Similem enim ibi esse Deo, videre Deum, siue cognoscere erit: quem intantum videbit siue cognoscet, qui cognoscet vel videbit, inquantum similis ei erit: intantum erit ei similis, inquantũ eum cognoscet vel videbit. Videre namque ibi seu cognoscere Deum, similem est esse Deo; & similem ei esse, videre seu cognoscere eum est. Hæc cognitio perfecta vita erit æterna: gaudium quod nemo tollet habenti. Nequaquam enim hic plenũ esse potest, quod non nisi in plena Dei cognitione impleri potest: quia quæ de Deo hic sciuntur vel cognoscuntur, nequaquam sciri possunt vel cognosci, sicut in vita illa, vbi videbitur facie ad faciem, & sicuti est. Qui cognitionis modus non est hic expectandus ab ore alicujus hominis: quia non potuit addisci ex ore ipsius veritatis. Non quòd Dominus non potuerit docere; sed humana infirmitas non posset portare. Nec tamē hic omnino eum aufert à dilectis dilectoribus suis: vt sciant quid desit sibi. Etenim pauperum spiritu amori indigo & egeno, & ad id quod amant anxio, superfertur Spiritussanctus amor Dei; hoc est facit opera sua in eis; non per indigentiæ necessitatem, sed per abundantiam gratiæ & beneficentiæ suæ. Hoc significabat, cum superferebatur super aquas, quæcumque fuerint aquæ illæ. Sicut enim sol superfertur aquis calefaciens eas & illuminans, & calore suo trahens eas ad se vi quadam naturali, vt pluvias inde subministret terræ sitienti, in loco & tēpore misericordiæ Dei: sic amor Dei amori fidelis sui superfertur aspirando & benefaciendo rapiens eum ad se naturali quodam appetitu se sequentem, & instar ignis vim habentem naturalem sursum tendendi; & vnit eum sibi, vt creditus cum Deo vnus cum eo fiat spiritus hominis & credentis. Quodque communiter vocantur Pater & Filius, *Spiritus enim est Deus,* quodque propriè vocari oportuit Spiritum sanctum, qui non tam est vnius eorũ, quàm in quo apparet communitas amborum, ipsum vocabulum spiritus communicat homini ipse Spiritussanctus; vt secundum Apostolum sit homo Dei cum Deo vnus spiritus, & gratia nominis, & affectu virtutis: non vnus tantum homo, sed multi homines cor v[illegible]m habentes in ipso & animã vnam ex deriuatione illius summæ charitatis, in cujus fonte est, quod est vnitas Trinitatis. Et hęc est mira creatoris ad creaturam dignatio, magna gratia, incogitabilis bonitas; pia creaturæ ad creatorem fiducia, dulcis accessus, bonæ conscientiæ suauitas, in amplexu & osculo Patris & Filij, qui Spiritussanctus est, hominem quodammodo inuenire se medium, & ipsa charitate Deo vniri, qua Pater & Filius vnum sunt: in ipso sanctificari, qui sanctitas est amborum. Hujus boni sensus, & suauitas experientiæ, quanta potest esse in hac misera vita & falsa, jam quamvis non plena, vera tamen est vita, & verè beata; in futuro futura plena & plenè beata, & incommutabiliter æterna; scilicet cùm cognoscet Paulus sicut & cognitus est: cùm euacuabitur quod ex parte est, & veniet quod perfectum est: cùm videbitur Deus sicuti est. In hac enim vita cognitionis hujus plenitudinē promittere periculosa præsumptio est: & in hujusmodi sicut circa credenda infidelitas, sic circa intelligenda temeritas cauēda est. Sed regat interim authoritas fidem, veritas intelligentiam. Interim etenim etsi non potest Deus videri, vel cognosci sicuti est, non parũ proficit proficiens, si nil pro Deo suscipit quod ipse non est: vt quicquid corporeum locale occurrerit, quicquid alicujus prætulerit formam qualitatis vel dimensionē quantitatis, respuat mens fidelis & improbet: ipsamque veritatem sicut potuerit cogitet, & certissimè eam cognoscat & amet; quæ quàm vera sit, ex hoc evidenter dignoscitur, quia etiã non cognita amatur. Hæc veritas Deus est, qui est quod est; & ex quo, & per quem, & in quo, est omne quod est: hoc ipsum summum bonũ est, ex quo, & in quo, & per quem est bonum, bonũ quodcumque est. Remove quæcumque ex veritate

Marginal notes: *Ioan. 17.* — *Cognitio fidei & carit.* — *Mat. 11.* — *1. Ioan. 3.* — *Quid sit similes Deo fore.* — *Genes. 1.* — *Amor Dei amori bõis superfertur.* — *Ioan. 4.* — *1. Cor. 6.* — *Spir. sanct⁹ osculum Patris & Filij.* — *1. Cor. 13.* — *Nil pro Deo recipiendũ quod non est ipse.*

vera, quæcumq; ex bono bona sunt; ipsamq; veritate n, ipsum bonum cogita, si potes. Quis cogitat, & non amat? Nimirum Deus est idipsum est, quod cogitare & amare idipsum est. Ipsum dico, non de ipso. De ipso enim multi cogitãt, qui non amant. ipsum autem nemo cogitat, & non amat. Semper verò inhiandum est, vt quãtum datum fuerit, gustetur quàm suauis est Dominus; cum verò mens pia, mens humilis admitti non meretur in illam puritatem, propter suã impuritatem: vel si admittitur ad gustandum, non sufficit stare ad fruendum propter suam imbecillitatem: non sine gemitu amoris & lachrymis doloris inde pellatur, & amplectatur bonitatem Domini ad disciplinam: bonitatem in eo quod indigna admittitur; disciplinam, quod repulsa eruditur; feratque patienter, quamdiu mũdatur, & dignam se faciat quæ crebriùs admittatur, diutiùs immoretur: vbi & aliquando in æternũ habitare mereatur, vt possit esse in Christo, vbi ipse est; in Patre esse cum illo, in quo ipse est. Quod non est hujus vitæ, sed ejus, in qua videbitur sicuti est: videbitur, cognoscetur, nõ credetur. Vtinam intelligeremus quæ dicimus. Videt hæc, intelligit hæc beat⁹ populus, qui scit jubilationẽ: qui ambulat in lumine vultus Dei. Nos verò verba jactam⁹, verbis involvimur, & impedimur ab eo quod nullis verbis exprimi potest: & tamen non nisi verbis de eo aliquid dici potest. Suas enim formas verba habent in significandis rebus in locutione; & eas imaginant in loquentis vel audientis cogitatione. Et cum significant formas & formata, mentem ab interioribus suis foras trahunt ad res, quarum ipsa signa sunt. Cùm verò rerum spiritualium vel diuinarum signa sunt, intus quidem nos mittunt; sed intro non nisi impediunt, & oculis mentis caliginem obducunt. Sic enim mentem admissa inficiunt imaginationibus suis, vt vix sine eis cogitari possint spiritualia vel diuina, quarum nullæ penitus formæ vel imagines sunt. Verbi gratia. Deus quid est? Nomen timoris. Dñs quid est? Nomen potestatis. Si rei ipsius nomẽ requiris. [Exod. 3.] *Ego sum*, inquit, *qui sum*. Hoc nomen, sicut ipse dicit, ei est ab initio: quia ad significandam rem, nullum ei aliquando verbũ propiùs accessit. Non tamen sicut est exprimit, quia pertransit: quod autem significat, est æternũ: nec plenè illud significat, nisi verbum coæternum. De ipso ergo multa multis edicere fas est, ipsum autem cui præter ipsum? Amor tamen, amor illuminat⁹, qui intus Deo loquitur, meliùs hoc agit: & humilis deuotio, cujus conatus pietas est, accessus oratio, inuentio, vel intellectus, ipsa rei fruitio vbi colloquitur affectus & gratia, respõdent sibi fides & intellectus: spes & res conueniunt, misericordia & veritas obviant sibi, justitia & pax se osculantur. Sed quia fides nutrit amorem, quæ sanat ad hæc oculum mentis: quod intelligimus, sine obscuritate capiamus: quod non intelligimus, sine ambiguitate credamus: nec à verbis omnino recedamus: quamdiu nescientibus eorũ ministerio ingeritur nobis, quod verbis nobis percipiendũ est: & tamen sine omni verborum forma credendum est nobis. Nam & ideo Verbum Dei in forma hominis apparuit, vt multiphariam multisque modis olim Deus [Hebr. 1.] locutus patribus in Prophetis, nouissimè dieb⁹ istis loqueretur nobis in filio: hoc est efficaciter, sicut in ipso Verbo suo: quia quod temporaliter & corporaliter in eo fiebat, quasi ad suscipiendum manibus fidei porrigebat: ipsum autẽ Verbum per quod facta sunt omnia, per corporalia & temporalia purgandis promittebat: & purgatis in æterna beatitudine pleniùs contemplandum & habendum reseruabat. Vbi sicut Christus non secundum hominem cognoscetur: sic & hic à desiderantibus aliquatenus eum supra hominem cognoscere, verbis quæ de eo sunt nõ nimis inhæreatur: sed eis quasi nauigio à fide ad speciem transeatur. Cùm enim dicitur, quia *Pater in Filio, & Filius in Patre est*: [Ioan. 17.] & ipsi in nobis, & nos in ipsis: si verbotenus hæc intelligimus, quid nisi idolũ in cordibus nostris fabricamus? Cùm enim locus sit unicuique vbi est, si ex his verbis cogitamus locum vel locale quid in Deo, longè à veritate aberramus. Sicut igitur jam dictum est, siue in verbis, siue in verborum formis non parum proficitur: si nil in corde cogitatum pro Deo recipitur, quod ipse non est: quamdiu nõ potest cogitari Deus, sicuti est. Sed cùm alius sit Pater, alius Filius: hoc est esse Patrẽ in Filio, id esse, quod est Filius: hoc esse Filium in Patre, id esse, quod Pater est. Nos verò sum⁹ in eis per piam affectionem: ipsi verò in nobis per misericordissimam pietatis ejus operationem. Sed & illa verba Domini, & hæc nostra illa exponentia vsu vel ratione docuimus dicere os nostrum, & cogitare cor nostrum quoties volumus: quæ tamen non aliquando intelligimus, nisi per affectus experientiam, & interiorem sensum amoris illuminati, etsi multum velimus. Ideo ipse Dominus apparens in carne hominis, sicut de mundo abstulit vanitatem idolorum; sic dum cogitationibus Deum proposuit in Trinitate vnitatem, Trinitatem in vnitate, fulgurans choruscatio divinitatis omnẽ tulit à cogitatione fidei de Deo vanitatem imaginationis. Cum enim diuinitatis intellectum docuit esse supra homines: suo inde modo docuit cogitare homines. Omnia ergo facta vel verba Verbi Dei vnum nobis verbũ sunt: omnia quæ de eo legimus, audimus, loquimur, meditamur, siue provocando amorem, siue incutiendo timorem, ad vnum nos vocant, ad vnum nos mittunt, de quo multa dicuntur, & nihil dicitur: quia ad id quod est, non peruenitur, nisi occurrat ipse, qui quæritur, & illuminet vultum suum super nos, & illustret faciem suam: vt in lumine vultus ejus sciamus quà gradiamur. Vultus ej⁹ sensui amantis innotescens volũtas ejus est: facies ejus cognitio veritatis ejus. Nec vnquã bene de Deo sentitur, nisi cũ Deus facie hac formatur, vel faciei huis conformatur sensus de Deo sentientis: nec de sensis bene judicatur, nisi de vultu illo prodeat judicium judicantis; nec bene quid agitur, nec bene aliquando viuitur, nisi inde formentur actus vel vita, secundũ Deũ viuere volentis; nec inde quæritur, nec inde accipitur nisi ex dono gratiæ omne meritũ præuenientis. O ergo, quẽ nemo quærit verè, & non inuenit, quippe cùm ipsa veritas te quærendi in conscientia quærentis non suspectum jã habeat responsum aliquatenus inuentæ veritatis; inueni nos, vt inueniamus te: veni in nos, vt eamus in te, & vivamus in te: quia verè non est volentis, neque currẽtis, sed tui miserentis. Tu prior inspira, vt credam⁹: tu conforta, vt speremⁿ: tu prouoca & accende, vt amem⁹: totumq; de nobis tuũ sit, vt bene nobis in te sit, in quo viuimus, mouemur, & sumus.

Finis Speculi Fidei.

EIVSDEM B. GVILLELMI

ABBATIS S. THEODORICI.

ÆNIGMA FIDEI.

De Deo solum scimus quod est.

HVMANÆ infirmitatis religiosa confessio est; de Deo hoc solum nosse, quod Deus est. Cæterum essentiam ejus vel naturam, & secreta illa imperscrutabilis judicij ejus decreta inuestigare quidem & perscrutari pium est: quæ tamen cùm mens terrena non penetret, inscrutabilia & inuestigabilia esse confitendum est. Quorum alterum religiosæ voluntatis est: alterum imperscrutabilis naturæ. Vnde & Apostolus, cujus fidem homo sæculi non capit, & cujus sensus dicta alius præterquàm ipsius verba non explicant; perscrutando & inuestigando ea stupet, & dicit. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus: & inuestigabiles viæ ejus.* Vbi ergo tāta fortitudo trepidat, humanæ verecundiæ modum religiosa omnipotentiæ fides concludat: neque se infirmitas intelligentiæ nostræ ad perscrutandā ea quæ perspiciendi naturam non habent, extendat. Si enim cernentibus solis claritatem virtus contuentis virtute luminis obstupescit, intantum, vt si quando causam radiantis lucis sollicitiùs acies curiosæ contemplationis inquirat, vsque ad emortuum videndi sensum oculorum natura reuocetur, accidatque magis nitendo videre ne videat: quid nobis in Dei rebus & sole justitiæ expectandum est? Nonne volenti supersapere incumbet stultitia? Nonne ipsum acre intelligendi lumen stupor hebetis desipientiæ occupabit? Non enim causa inferior causam naturæ potioris intelligit: nec subjacet humanæ conceptioni ratio cœlestis. Nam intra conditionem infirmitatis erit: quicquid infirmi hominis conscientiæ subdetur. Sed inquantum ratio cœlestis se permittit intelligi, intantum expetēda est: ne si contenti ejus indulgentiæ moderamine non sumus, amittamus indulta. Estne ergo in Deo, quod percipi possit? Est plane, si modo hoc velis, quod possis. Cæterùm si vltra quàm potes, speres id quoque quod potuisti, non poteris. Visio namque facie ad faciem, & plena cognitio nemini hic datur: sed pro merito fidei, qua credimus hic quod non videmus, in futuro promittitur. Habemus enim interim hic promissorum bonorum lumen in fide; in qua tamquam per speculum & in ænigmate felicium rerum, & futurorū bonorū imaginem intuemur. Si enim quæritur, vtrum in hac vita mortali à mortali homine potest videri Deus: respondemus, potest. Sed non corporeis oculis, sicut videmus hunc solem: vel mentis obtutu, sicut vnusquisque semetipsum videt aliquid quærentem aut scientem: sed fide, quæ canonicarū Scripturarū authoritate munitur. Visus est tamē à Patrib⁹; ea specie quā voluntas elegit, non natura formauit. *Deum enim nem o vidit vnquam*, ait Euangelista Ioannes; vtique sicut videntur ista, quæ visibilia dicuntur. Propter quod & continuò subjunxit. *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse narrauit.* Deum enim corporeis oculis istis nemo vnquā vidit: sed narrante Vnigenito, qui est in sinu Patris, narratione ineffabili, creatura rationalis munda & sancta impletur de visione ineffabili; quæ sic potest intelligere narrantem, sicuti verbum non sonus auribus strepens, sed imago mentibus innotescens: vt illud ei interna & manifesta luce clarescat, quod dictū est à Domino. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Desiderium enim veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt, non, vt opinor, in eā speciē flagrat contuendam, quæ quando vult, sicut vult, apparet quod ipse non est: sed in eam substantiā, qua ipse est id quod est. Videri enim hic mundo corde potest: comprehendi non potest. Sed in hac quæstione Deum videndi, plus mihi videtur valere viuendi modus, quàm loquendi. Nam qui didicerit à Domino Iesu Christo mitis esse & humilis corde: plus in hoc cogitando & orādo proficiet, quàm legendo vel audiendo: quāuis nònumquam & legendo & audiendo proficiat. Nemo autem se dicat velle Deum videre; qui mundando cordi curam tantæ rei dignā noluerit impendere. Nemo enim valet Deum videre & viuere: quia necesse est attrahi ab hac vita mentem, quæ in illius visionis ineffabilitatem assumitur. Alterius namque & potioris vitæ est visio illa, quæ in futuro promittitur: sed jam hic in cunctis filijs gratiæ inchoatur. Vnigenitus ergo filius Deitatis naturam atque substantiam insonabiliter narrans dignis idoneisq; oculis tanto conspectui, etiā in hac vita inuisibiliter monstrat: & qui potest Deum inuisibiliter videre, potest etiā & inuisibiliter adhærere. Deus enim inuisibilis & incorruptibilis, *qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quē nemo hominū vidit, vel videre potest*, per id quod videt homo corpore⁹ corpora, per hoc ab hominibus videri non potest. Qui si & mentibus piorum esset inaccessibilis; non diceretur, *Accedite ad eum, & illuminamini.* Et si mentibus piorū esset inuisibilis: non diceretur, *quia videbimus eum sicuti est.* Perspiciamus totam ipsam Epistolam Ioannis. Dilectissimi, inquit, *nunc Filij Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Inquantum ergo eū videbimus, inquantum similes ei erimus: & inde eum videbimus, vnde similes ei erim⁹, mente scilicet: quia & nunc intantum non videmus, inquantū dissimiles ab eo sumus. Quis autem vel dementissimus dixerit, corpore nos similes Deo fore? In interiore ergo homine similitudo ista est, qua renouatur homo de die in diem in agnitione Dei, secundū imaginem ejus qui creauit eum: vbi tantò ei efficimur similiores, quantomagis in ejus cognitionem charitatemque proficimus: & intantum eum propius

Rom. 11. — *Augustinus Epist. 112.* — *Ioan. 1* — *Ioan. 14* — *1. Timo. 6.* — *Psal. 33.* — *1. Ioan. 3.*

quiùs, ac familiariùs videmus, inquantum cognoscendo eum ac diligendo efficimur ei similiores. In quo quantuscumque hic profectus fuerit, longè est ab illa perfectione, qua Deus videbitur sicuti est facie ad faciem: vbi tanta erit excellentia, vt multò plus adipiscatur charitas, quàm vel fides credidit, vel spes desideravit; plus inueniat adeptio, quàm formabat cogitatio. Regio namque est illa viuentium ac videntium, intellectualium & intelligibilium: vbi sine vlla corporis similitudine veritas cernitur: nullis opinionum falsarũ nebulis offuscatur. Ibi enim sicut in Trintate quæ Deus est, mutuò se vident Pater & Filius; & mutuò se videre, vnum eos esse est, & hoc alterum esse, quod alter est: sic qui adhoc prædestinati sunt, & in hoc assumpti fuerint, videbunt Deum sicuti est, & videndo efficientur sicut ipse est, similes ei. Vbi etiam sicut in Patre & Filio, quæ visio, ipsa vnitas est: sic in Deo & homine, quæ visio, ipsa similitudo futura est. Spiritussanctus vnitas Patris & Filij, ipse etiam charitas & similitudo Dei & hominis: sed aliter in summa essentia, aliter in inferiore natura. Ibi enim videbitur claritas Domini, non per visionem significantem, siue corporalé, sicut visa est in monte Sina, siue spiritualem sicut vidit Isaias, vel Ioannes in Apocalypsi, sed per speciem; non per speculum & in ænigmate, sicut hic videtur ab hominibus qui digni sunt hac visione, quantum eam capere potest mens humana secundùm assumentis gratiam: sed facie ad faciem. Quod quisquis arbitratur homini vitã istam mortalem adhuc agenti posse contingere; scilicet vt dimoto atque discusso omni nubilo phantasiarum corporalium atque carnalium, serenissima incõmutabilis veritatis luce potiatur, & mente penitus à consuetudine vitæ hujus alienata, illi constanter & indeclinabiliter hæreat: nequaquã quid quærat, intelligit. Alterius enim vitæ hoc est: & quisquis omnia quæ ibi habenda sunt, vult hic habere; ostendit, se fidem non habere. Sed credenti colligitur meritum, vidẽti redditur præmium. Credat ergò potiùs sublimi authoritati minimeque fallaci, quamdiu sumus in corpore, peregrinari nos à Domino, & ambulare nos per fidem, non per speciem: ac sic perseueranter retinens atque custodiens fidẽ spem & charitatem, intendat in speciem, ex pignore Spiritussancti, quod accepimus; qui nos docebit omnem veritatem: cùm Deus qui suscitauit Dominum Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra per inhabitantẽ Spiritum ejus in nobis. Priùs autẽ quàm viuificetur, hoc quod mortuum est propter peccatum; proculdubio corruptibile est, & aggrauat animam. Quæ quando adiuta excedit hanc nebulã qua tegitur omnis terra, id est hanc carnalem caliginem qua tegitur omnis vita terrena; tamquam rapida coruscatione perstringitur: & in suam infirmitatem redit, viuente desiderio quo rursus erigatur, nec sufficiente munditia, qua figatur. Quod quantò quisque magis potest; tantò major est: quantò autem minùs, tantò minor. Si autẽ nihil adhuc tale mens hominis experta est, inqua tamen habitat Christus per fidem, insistendum est minuendis & mortificandis concupiscentijs carnis & oculorum, & superbiæ vitæ hujus; & cũ moralis actione virtutis omni studio fidei robur addendum, quoadusque perfectè mortificatus ea morte, de qua dictum est Moysi, *Non enim videbit me homo & viuet*; incipiat viuere ea vita, de qua item Dominus dicit, orans Deum Patrem pro discipulis suis. *Hac est autem vita æterna, vt cognoscant te Deum verum: & quem misisti Iesum Christum.* In quo qui evigilauit jam in Deum, Spiritussancti calore excitatus, atque in ejus amore coram se ipse viluit sibi; volensque intrare ad eum nec valens, eoque lucente sibi attendit in se; inuenitque se & suam ægritudinem illius munditiæ contemperari non posse: flere dulce habet, & eum precari, vt etiam atque etiam misereatur, donec exuat totam miseriam: & precari cum fiducia jam gratuito pignore salutis accepto per ejus vnicum Saluatorem hominum & illuminatorem. Hunc verò ita egentem & dolentem scientia non inflat: quia charitas ædificat. Præposuit enim scientiam scientiæ; præposuit scire infirmitatem suam, magis quàm scire mundi mœnia, fundamenta terrarum & fastigia cælorum: & hanc apponendo scientiam apposuit dolorẽ: dolorẽ peregrinationis suæ ex desiderio patriæ suæ, & conditoris ejus beati Dei sui. In hoc genere hominum, in familia Christi tui, Domine Deus meus, si inter pauperes tuos gemo pauper, da mihi de pane tuo; & quærentem vultum tuum, Domine; requirentem, & esurientem & sitientem justitiam tuã in contemplatione vultus tui; da mihi satiari de veritate tua, non de phantasmate cordis mei: ne repellendo tuam veritatem, resiliam & recidam in vanitatẽ meam. Ego certè sentio quàm multa figmẽta pariat cor humanum. Quid enim est cor meum, nisi cor humanum? Sed hoc oro te Deum cordis mei, vt nihil ex his figmentis, mihi pro solido vero inhæreat: sed inde veniat mihi lumen veritatis tuæ, vnde mihi quamvis projecto à facie oculorum tuorum, & de longinquo redire conanti per viã quam stravisti nobis humanitate vnigeniti tui, aura veritatis ejus aspergitur: quam intantum, licet mutabilem, gratanter haurio, inquantum in ea nil mutabile video; nec locis & temporibus sicut corpora; nec solis temporibus & quasi locis, sicut spirituum nostrorum cogitationes, nec solis temporibus, & nulla vel imagine locorũ, sicut quædam mentium nostrarum ratiocinationes. Omnino enim essentia tua, qua es quod es, nihil habet mutabile, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate: quia æterna ibi est veritas, & vera ibi est charitas, vera ęternitas, & chara ibi est æternitas, chara veritas. Idcirco namque, quoniam exulauimus ab incommutabili gaudio, nec tamen inde præcisi sumus vel abrupti, vt non etiam in istis mutabilibus & tẽporalibus æternitatem, veritatem, beatitudinẽ, quæramus: nec mori enim, nec falli, nec perturbari volumus; missa sunt nobis diuinitùs, missa congrua peregrinationi nostræ, quibus admoneremur, non hic esse, quod quærimus: sed illuc ab ista esse redeundũ: vnde nisi penderemus, hic ea non quæreremus. *Cùm enim venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*: vsqueadeo parvum, vt factum; & eo vtique missum, quo factum. Venit mira docens, & mirabiliter ea hominibus persuadens: contemptum eorum quæ videntur, præ amore eorum quæ non videntur: contemptum sui, præ amore Dei. Venit incredibilia faciens, & incredibiliùs ea hominibus credenda contradens. Humiliatus enim est Dñs Iesus Christus,

Exod. 3. Isai. 6 Apocal. 1. — *1. Cor. 5.* — *Ioan. 17.* — *Humilitas est vilescere sibi.* — *Galat. 4.*

vt nos humiles esse doceret. Conceptus est continens omnia, natus est gignens omnia, mortuus est viuificans omnia. Post triduum resurrexit & ascendit in cœlum: & humanam carnem, quam assumpserat, ad Patris dexteram collocauit. Mirabile hoc est: sed multò mirabilius est, totum mundum rem tam incredibilē credidisse. Quòd etsi ipse modus consideretur à nobis, quo credidit mundus, etiam ipse verè diuinus aduertitur; & valde mirabilis inuenitur. Ineruditos namq; liberalibus disciplinis, & omninò quantum ad doctrinas sæculi pertinet, impolitos homines, nõ peritos grãmatica, non armatos dialectica, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare sæculi paucissimos misit, duodecim, ex quibus vnus abijt retrorsum. Et tamen sic per eos omni genere piscium repleuit Ecclesias, vt plurimi etiã ex ipsis sapientibus sæculi, quibus videbatur ignominiosa crux Christi, eã in fronte signentur: & de qua erubescendũ putabant, eam in arce pudoris constituant. Cùm ergo ægrotaret totus mundus, hoc modo venit ad eos Verbum Dei carne velatum, ad sanandum eum de interitionibus suis, manibus suis medicamenta conficiens, & spargens ea super morbos orbis terrarũ, Euangelium regni quod prædicandum erat in vniuerso mundo, & Scripturam veteris & noui Testamenti, quæ de ipso est. Tantamque ei dedit authoritatem in vniuerso mundo, quantam habere oportebat rem per quam Deus innotescere vellet hominibus, & ab hominibus credi sibi. Cui cùm se humiliter credunt homines, & credendo ei subjiciuntur: ipsa est fides per quã mundantur beati mundo corde, quibus hoc promittitur videndum, visuri non nisi per fidẽ mundantur. Quia enim ad æterna capessenda idonei non eramus, sordesque peccatorum nos prægrauabant temporalium rerum amore contractæ, & de propagine mortalitatis tamquam naturaliter inolitæ, purgandi eramus. Purgati autem vt contemperaremur æternis, non nisi per temporalia poteramus: quamlibet jam contemperati tenebamur. Quia enim in temporalia deuenimus, & eorum amore ab æternis impedimur: quædam nos temporalis medicina suscip[illegible] c[illegible]randos; quæ non scientes, sed credentes [illegible] lutem vocat, non naturæ excellentia, sed t[illegible]poris ordine prior. Nam in quem locum quisque ceciderit, ibi debet incumbere & inniti vt resurgat. Formæ carnales amore suo nos detinent, in quẽ per consensum peccati cecidimus: ipsis innitendum est, vt surgamus. Idcirco filius Dei qui in forma Dei erat, exinaniuit semetipsũ formam serui accipiens, vt homines in homine Deum credendo recipientes, accepta potestatẽ efficerentur filij Dei. Non enim ad eum qui vbique præsens est, locis mouemur; sed bono studio bonisque moribus. Quod non possemus, nisi ipsa sapientia tantæ infirmitati nostræ congruere dignaretur, & viuendi nobis præberet exemplum, non aliter quàm in homine, quoniã & nos homines sumus. Sed quia nos cùm ad illam venimus, sapienter facimus: ipsa cum ad nos venit ab hominibus superbis quasi stultè fecisse putatur. Et quoniam nos cùm ad illã venimus, conualescimus; ipsa cum ad nos venit, quasi infirmata est. Sed quod stultum est Dei, sapientius est quàm homines: & quod infirmum, fortius quàm homines. Cùm ergo omnibus modis medeatur animis Deus pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia ab ipso ordinantur, nullomodo beneficentiùs consuluit generi humano, quàm cùm ipsa Dei sapientia, id est vnicus filius consubstantialis Patri & coæternus, totum hominem suscipere dignata est, Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis. Ita enim demonstrauit carnalibus, & non valentibus intueri mente, veritatem, corporeisq; sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura; quòd non solum visibiliter, nam id poterat & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato, sed hominibus in vero homine apparuit. Ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda: & ne quis fortè sexus à suo creatore se contemptum putaret, virum suscepit, natus ex fœmina est. Nihil egit vi, sed omnia suadendo & monendo. Vetere quippe seruitute transacta, tempus nouæ libertatis illuxerat: & opportunè jam homini suadebatur atque salubriter, quàm libero creatus esset arbitrio. Miraculis conciliauit fidem Deo, qui ipse erat; passione homini, quem gerebat. Satellites voluptatum diuitias perniciosè populi appetebant; pauper esse voluit. Honoribus & imperijs inhiabant: Rex esse noluit. Carnales filios magnum bonũ putabant; tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissimè horrebant; omne genus cõtumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ major injuria, quàm justũ innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant: morte mulctatus est. Ignominiosum genus mortis crucem putabant: crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vilefecit. Omnia quæ vitare cupientes à pietatis studio deuiabamus, perpetiendo dejecit. Nullum enim peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit: aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. Tota igitur vita ejus in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Quæ cùm incunctanter creduntur, & cùm fide cogitantur ad diligendum quod creditur, & videndum sicut creditur: quid nisi mundatur cor, ad videndum quod mundicordibus promittitur? Quoniam verò diuina prouidentia non solum singulis hominibus quasi priuatim, sed & vniuerso humano generi tamquam publicè consulit; quid cum singulis agatur, ipse Deus scit, qui agit, atque ipsi cum quibus agitur, sciunt: quid autem agatur cum genere humano per historiã commendari voluit, & per prophetiam; & ad vtrumque fides habenda est, vt vnusquisq; hominum fidelium, & ex eo quod singulariter à Deo accepit, & ex eo quod cum genere humano, credat fideliter cum Deo spiritum suum. Temporalium autem rerum fides, siue visibilium, siue inuisibilium, magis credendo quàm intelligendo valet: vbi nisi credatur quod dicitur, nulla prorsus ratione id persuaderi potest. Hujus ergo religionis sectandæ caput est historia & prophetia temporalis dispẽsationis diuinæ prouidentiæ, pro salute generis humani in æternã vitam reformandi atque reparandi. Quæ cum credita fuerint, mentem purgabit vitæ modus diuinis præceptis conciliatus, & exemplis conformatus; & idoneam faciet spiritualibus percipiendis, quæ nec præterita sunt nec futura; sed eodem modo semper manentia, & nulli muta-

Modus quo mundus ad fidem adductus est, diuinus est.

Quæ medicina nos curandos suscipiat.

Quid exemplo suo docuerit Christus.

Prouidentia Dei generalis & particularis.

bilitati obnoxia: id est vnum ipsum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Et visibilium quidem rerum præteritarum, quæ temporaliter transierunt, sola fides est: quoniam non adhuc videnda sperantur, sed facta & transacta creduntur: sicut est illud, quòd Christus semel pro peccatis nostris mortuus est & resurrexit; quod jam non speratur futurum, sed tantũ diligitur factum. Ea verò quæ nondum sunt, sed futura sunt, ita creduntur, vt etiam videnda sperentur, & etiam diligantur: sicut est spiritualiũ corporum nostrorum resurrectio; licet ostendi modò nullo possint modo. Quæ verò ita sunt, vt neque prætereant, neque futura sint, sed æterna permaneant; partim sunt invisibilia, sicut sapientia & justitia: partim visibilia, sicut Christi jam immortale corpus. Sed inuisibilia intellecta conspiciũtur; ac per hoc & ipsa modo quodam sibi congruo videntur: & cum videntur, multò certiora sunt, quàm ea quæ corporis sensus attingit. Sed ideo dicuntur inuisibilia, quia oculis istis carnalibus videri omnino non possunt. At illa quæ visibilia sunt permanentia, possunt, si ostendantur, etiam his corporalibus oculis ostendi: sicut Dominus semetipsum discipulis post resurrectionem ostendit: & post ascensionem Paulo Apostolo, & Stephano Diacono. Proinde ista visibilia permanentia ita credimus, vt etiamsi non demonstrentur, speremus ea nos quandoque visuros; nec ea conemur ratione intellectuque comprehendere; nisi vt ea quia visibilia sunt, ab inuisibilibus quasi distinctiùs cogitemus: cogitatione ea sicut occurrerint imaginantes, cùm sæpiùs aliter sint, quàm quomodo ea imaginamur. Iustitiam verò & sapientiam, & quicquid ejusmodi est, non aliter imaginamur, aliter contuemur: sed hæc inuisibilia mentis atque rationis intentione intellecta conspicimus sine vllis formis vel molibus corporalibus: sine vllis figuris lineamentisque membrorum: sine vllis localibus finibus, siue spatijs infinitis. Similiter contuemur & lumen ipsum, quo cũcta ista discernimus, speciem scilicet æternæ rationis: in qua nobis satis apparet, quid credam⁹ incognitum, quid cognitum teneamus: quam formam sensu corporis recordemur, quam cogitatione fingamus: quid corporis sensus attingat, quid imaginetur animus simile corpori: quid certum & omnium corporum dissimillimũ intelligentia contempletur. Hoc enim lumen, vbi hæc cuncta dijudicantur, non vtique, sicut hujus solis & cujusq; corporei luminis fulgor, per localia spatia circumquaque diffunditur, mentemque nostram quasi visibili splendore collustrat: sed invisibiliter & ineffabiliter, & tamen intelligibiliter, lucet: tamque nobis certum est, quàm nobis efficit certa, quæ secundũ ipsum cuncta conspicimus. Cùm autem tria sint rerũ genera quæ videntur; vnũ corporeũ, sicut hoc cœlũ & terra ista; & quicquid in eis corpore⁹ sensus cernit & tangit: alterum simile corporalibus, sicut sunt ea quæ spiritu cogitata imaginamur, siue recordata vel oblata quasi corpora contuemur: vnde sunt etiam visiones quæ in somnis vel in aliquo mentis excessu his quasi localibus quantitatibus ingeruntur; tertium ab vtroque discretum, quod neque sit corpus, neque habeat aliquam similitudinem corporis, sicuti est sapientia, quæ mente intellecta conspicitur, & in cuj⁹ luce de his omnibus veraciter iudicatur: in quo istorum generum credenda est, quam nosse volumus, Trinitas Deus? Profectò aut in aliquo, aut in nullo. Si in aliquo, eo vtique quod est alijs duobus præstantius, sicut est sapientia. Quod si donũ ejus in nobis est, & minus est quàm illa summa & incommutabilis sapientia, quæ Dei sapientia dicitur; puto quod non debem⁹ dono suo inferius cogitare donantem. Si autem aliquis splendor ejus est in nobis, quæ nostra sapientia dicitur, quantumcumque ejus per speculum & in ænigmate capere possumus: oportet vt eum & ab omnibus corporibus, & ab omnibus corporalibus secernamus. Si autem in nullo generum horum pronuntianda est esse ista Trinitas, & sic est inuisibilis, vt nec mente videatur; multò minùs de illa opinionem hujusmodi habere debemus: vt eam rebus corporalibus, vel corporalium rerum imaginibus similem esse credamus. Non enim corpora pulchritudine aut molis magnitudine superat, sed dissimilitudine ac disparilitate naturæ: etsi discreta est à comparatione bonorum animi nostri, qualia sunt justitia, sapientia, charitas, & cætera talia; quæ certè non pendimus mole corporis, nec eorũ quasi corporeas formas cogitatione figuramus: sed ea, quando rectè ea intelligimus, sine aliqua corpulentia vel similitudine corpulentiæ in luce mentis aspicimus; quantùm est ab omniũ comparatione quantitatum & qualitatũ discretior? Nec tamen eam omnino ab intellectu nostro abhorrere, Apostolus testis est, vbi ait. *Inuisibilia ejus per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus ac diuinitas.* Quapropter licet eã, in his quæ nostris adjacent sensibus corporalibus, vel quod nos ipsi in interiore homine nostro sumus, scientia comprehendere laboremus, nec sufficiamus: non tamen impudẽter in ea quæ supra nos sunt, diuina & ineffabilia, pietas fidelis inardescit: quam non viriũ suarum arrogantia inflat; sed gratia & desideriũ ipsius conditoris ac redẽptoris inflammat. Attendat autem homo intellectu suo quo Deum capere desiderat, nil in natura sua esse melius: & videat vtrum ibi videat vlla lineamenta formarum, nitores colorum, spatiosam granditatem, partium distantiam, molis distensionem, aliquas per locorum interualla motiones, vel quid hujusmodi. Nil certè tale inuenimus in eo, quo in natura nostra nihil melius inuenimus; hoc est in intellectu nostro, quo sapientiã ipsam capimus, inquantum eius capaces sumus. Quod ergo non inuenimus in meliore nostro, nequaquam admittere debemus in cogitando, id quod tam incomparabiliter melius est omni meliore nostro. Sed tanta vis est amoris, vt ea quæ cũ amore diu cogitauerit humanus animus, eisque curæ glutine inhæreſcit, attrahat secum, etiam cùm vel ad seipsum redit, siue ad eam quæ supra ipsum est, naturã diuinitatis: & quia illa corpora sunt, quæ foris per sensus corporis adamauit, eorumque diuturna quadam familiaritate implicatus est, nec secum potest introrsum tamquam in regionem corporeæ naturæ ea inferre; imagines eorum secum trahit, vix semetipsum vel naturam, vt dictum est, diuinitatis, aliud esse imaginans, quàm id, sine quo eã cogitare non potest. Hæc enim est maledictio, Domine Deus, qua maledixisti terrã in opere Adam & filiorũ ejus: quam cum operati fuerint, non reddit fructum suum; sed spinas ac tribulos germinat eis: vt in sudore

Mat. 28. 1. Cor. 15 Acto. 7

Lumen fidei videtur, quo cætera videtur.

Tria rerum genera, quæ videntur.

S. Trinitas nec mẽte videtur.

Rom. 1.

Diuina ad instar corporũ cogitam⁹.

Genes. 3. sudore vultus sui comedant panē suum. Et quid facient pusilli tui, filij hominis, non tam de terra terreni, quam de cœlo cœlestis, viri dexteræ tuę quem confirmasti tibi, jam primitias spirit⁹ habentes: & ex ipsis expectantes redemptionem corporis sui? Nam & ipsi intra se ingemiscunt, jā olim à peccato liberati, sed nondū à pœna peccati: ex pœna primi peccatoris euntes & flentes, & mittentes semina sua; & licet viuentes de mensa tua, vix tamen aliquando nisi post lachrymosos sudores & spinosas compunctiones panē suum quotidianū accipientes de manu tua. Panis enim vivus & viuificans eis est memoria abundantiæ suauitatis tuæ, gratia visitationis, & alicujus visionis tuæ: gaudium in sensu amoris tui, & bonitatis tuæ. Mundo namque gaudente ipsos permittis flere ac lugere; illis desolationē, istis verò promittens consolationē: vis eos esurire ac sitire; sed promittis eis æternam satietatem. Sed facis dilationem ad exercitium amoris: rursumque nonnumquam visitationis ac visionis tuæ aliquam eis copiam facis ad solatium dilationis. Et vbi per præuenientem gratiam puram inuenis voluntatem & intentionem; tu in hora illa visitationis tuæ, virtute præsentiæ & abundantia gratiæ tuæ, perficis in mēte fideli puritatem: & puritas pro captu suo meretur visionem, sed sicut Apostolus dicit, *ex parte; per speculum, & in ænigmate.* (1. Cor. 13.) Quamdiu enim peregrinantur in carne à te domino Deo suo, nequaquam videndi te facultatem habent, nisi ex parte: inquantum viuit in eis adhuc ex parte, quod ad videndum te facie ad faciem, & sicuti es, perfectè tendentibus, prius mortificandum esse testatur Dominus loquens ad Moysen. *Non enim,* (Exod. 33) inquit, *videbit me homo & viuet.* Quod quid est, nisi corpus in nobis peccati naturaliter concretarum nobis concupiscentiarum carnis? Hinc namq, tam anxiè & lachrymabiliter liberari deposcebat, qui dicebat. *Infelix ego homo, quis me* (Rom. 7.) *liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominū nostrum Iesum Christum.* Qui enim hoc dicebat, nequaquam per impatientiam hujus vitæ desiderabat corporaliter mori: sed à viuentibus adhuc in eo aliquibus concupiscentijs carnis liberari: à quibus nemo liberat, nisi gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christū, charitatem suam diffundendo in cordibus nostris per Spiritum sanctum, quem dat nobis. (Rom. 8.) Ipsa namque est lex, spiritus vitæ: liberans, sicut dicit idem Apostolus, à lege peccati & mortis; concupiscentijs scilicet carnis, quæ sicut sordes interioris oculi hominis, impedientes eum à videndo eo, quod non nisi mundo corde videtur: & à vita æterna, de qua Dominus dicit; *hac est* (Ioann. 17.) *autem vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Cristum.* Vt enim ibi videat oculus interior ad videndum Deum factus, hic mundatur, vbi inchoatur visio, quæ ibi perficitur. Inchoatur enim hic sanctitate vitæ, & vsu diuinæ contemplationis, vbi amor meretur visionem, cùm creditur, speratur, ac diligitur, quod non videtur: perficienda ibi, vbi visio pascet amorem; cùm omnis virt⁹ erit, diligere quod habebitur: & tota beatitudo, habere quod diligetur. Idcirco dicebat, qui sic erat; & dicunt qui sic sunt. *Cupio dissolui, & esse cū Christo: multò enim melius.* (2. Cor. 5.) Sic autem sunt, qui per fidē ambulantes, etsi perfecti sunt viatores, nondum tamen sunt peruentores: perfecti, inquantum ea quæ retro sunt obliti, in interiora se extendunt: viatores, inquantum adhuc in via sunt. Domine Deus cordis mei, & pars mea in æternum, finis omnis desiderij mei, & destinatū intentionis; inter hos, quamvis longè infra eos, & dissimiliter ab eis, jam olim aggressus viam ad te per fidem ambulandi ad rectè viuendum, & disciplinam cordis mundandi ad videndum te & contemplandum: in hoc consenui, & nondū cœpi. Sæpiùs autem cogitanti mihi de communi fide nostra in te, sine qua impossibile est placere tibi Domino Deo nostro, & in qua salutem omnium constituisti; & ideo omniū esse debet, tam pusillorum in Ecclesia Dei, quam magnorū: quomodo, cùm quæritur apud Sanctos Doctores scientia ejus, tantis inuenitur quæstionū perplexitatibus inuoluta; tantis disputationum ænigmatibus obscurata, vt vix à paucissimis hominibus puritas ejus queat apprehendi; visum est aliquando ad felicissima illa & aurea Euangelicæ simplicitatis tempora prima recurrere, & ad proprium illū stylum Spiritussancti tui, quo per ministerium eorum, qui vnigenitum tuum Saluatorem nostrum venturum in carne potuerunt præuidere, seu qui venientem meruerunt videre, primo cœpit inscribi lex spiritus vitæ in tabulis cordis carnalibus credentium. (*Theologia multis nunc inuoluta difficultatibus.*) Vbi cùm plana omnia inuenio, & rem communem tam sapientibus quàm simplicibus, & quæ sic fortes exerceat, vt infirmos quosque à se non absterreat; redit ad memoriam exprobratio illa prophetica in populum Iudæorum, quòd contempserunt aquas Siloë domesticas, decurrentes cū silentio: ierunt in viam Ægypti bibere aquas turbidas fluminis Ægyptij. (Isaia 8. Ierem. 2.) Non enim, sicut per aliū Prophetam quidam deplorant, cogimur ibi aquas nostras pecunia comparare, nec dare manus Ægypto & Assyrijs, vt saturemur pane; sed gratis omnia accipimus. (Thren. 5.) Præsto ibi est omnibus diuina authoritas, cui contradicere nefas est, dicens. *Crede tantum, & saluus eris; &, omnia possibilia credenti.* (Marc. 5. & 9.) Audientes ergo ibi, Domine De⁹ noster, dicentem veritatem, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti:* (Matth. 28.) statim credimus in te, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. (*Trinitas personarū, & vnitas essētia diuina*) Neque enim veritas hoc diceret, nisi hoc essetis. Nec baptizari nos juberes, Domine Deus, in ejus nomine, qui non esset Dominus Deus. Nec in nomine, sed in nominibus: nisi vos, Pater, & Filius, & Spiritussanctus, essetis vnus Deus. Non enim diceretur voce diuina; *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est:* (Deuter. 6.) nisi vnus Deus essetis: qui Pater, & Filius, & Spiritussanctus estis. Et si tu Deus Pater, ipse esses filius tuus, Verbum tuū Christus; & ipse esses donum tuum, & donum filij tui Spiritussanctus, non legeremus in literis veritatis, *Misit Deus filium suum:* (Galat. 4.) nec tu vnigenite, diceres de Spiritu Sancto, qui à Patre & à te procedit, *Quem mittet Pater in nomine meo; &, quem ego mittam vobis à Patre.* (Ioann. 14.) Non ergo ipse Pater, qui Filius: non ipse Filius, qui Spiritussanctus. Ad hanc regulā fidei dirigens omnem intentionem meā, quantum posse me facies, quæram Domine vultū tuum: vultum tuum Domine requiram semper. Domine Deus meus, vna spes mea, exaudi: ne fatigatus nolim te quærere: sed quæram te semper ardenter. Da quærendi vires, qui voluntatē dedisti; & quantum sat erit, adauge voluntatem quam dedisti. Meminerim semper tui, in-

telligam te, diligam te: donec fideliter reminiscentem tui, & sobriè intelligentem te, & veraciter diligentem te, ô Trinitas Deus, juxta plenitudinem quam tu scis, reformes me ad imaginē tuam, ad quam me creasti. Totum ergo hic habeo de Domino Deo meo, quod interim quærebam, sine tormentis quæstionum, sine sophismatum insidijs, sine strepitu disputationum: scilicet quòd sit; quòd Pater, & Filius, & Spiritussanctus sit. Hæc de Deo est mea fides; quia ipsa est Catholica fides. Credo enim quod lego vel audio: quia vt crederē, & hoc ipsum præcepit, qui veritatem se nominauit. Dixit enim. *Qui crediderit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et cui creditur, si non creditur veritati? Ipse est Dominus Iesus Christus: cui qui credere, & in eū credere, noluerit, non est Christianus. Ego Christianum me profiteor: credo ei in quem credo: & credo Scripturis, in quibus vitam me habiturum confido. Hoc enim fundamentum est, quod sapientia Dei ordinauit: Verbum Dei dictauit; Apostoli sicut sapientes architecti posuerunt: cui quicumque superædificare voluerit, videat quid supædificet; de fundamento autem securus sit. Fundamentū enim stabit: quod autem superædificabitur ignis probabit. De compositione autem fundamenti viderit ipse, qui composuit. Quid enim mihi quærere: quod in hac vita sciri non potest? Verbi gratia, quid mihi quærere, quomodo Trinitas ibi vnitas sit, vel tres vnum; cùm Dominus & Apostoli, & ante eos Prophetæ, sic esse de Domino Deo nostro docuerunt: nec amplius aliquid addiderunt? Quod si Verbum & Sapientia Dei in hac vita nos scire voluisset: nemo meliùs quàm ipse per semetipsum, seu per Apostolos suos in mūdo hoc docuisset. Nam & Sancti Patres nostri Doctores Ecclesiæ, post Apostolos, confidenter dico, si licuisset, nil ampliꝰ dixissent: nec quamdiu potuerunt, super hoc aliquid addere voluerunt. Percurramus omnem seriē canonicarum Scripturarū, tam veteris quàm noui testamenti: nusquam quantum ad nomen Trinitatis, Trinitas Deus legitur: nusquam saltem tres esse, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, inuenitur; nisi in Epistola Ioannis, vbi dicitur. *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritussanctus: & hi tres vnum sunt.* Quod & ipsum in antiqua translatione non habetur. De nomine tamen & numero tantū hoc dico: non de sensu seu intellectu Trinitatis. Sicut enim jam dictum est, Deum Patrem, & Deū Filium, & Deum Spiritum sanctum, omnes illæ Scripturæ clamant vnum esse Deum. Nusquam verò ibi prædicantur in diuinitate tres personæ; nusquam relativa earum prædicatio: nusquam famosum illud homoousion nomen consubstātialitatis, vel saltem nomen simplicis substantię; nusquā ad aliquid, & siqua sunt his similia. Sed cùm cœperunt in Ecclesia hæreses oriri, contra nouitatem & verborum & sensuum cœperunt hæc & hujusmodi verba seu nomina in causa fidei inueniri: sine immutatione tamen sensuum antiquorum, & corruptione canonicarū Scripturarum. Propter quod etiā in idipsum authoritatis ac reuerentiæ nomina ipsa apud omnes fideles assumpta sunt ab antiquo; nomina Patris, & Filij & Spiritussancti: & cætera antiqua nomina omnia rerum earum, quarum signa & hæc & illa sunt. In nominibus enim diuinis, seu verbis quibuslibet, quibus aliquid dicitur de Deo, non tam signa ipsa nominum vel verborum attendenda sunt, quàm id quod per signa ipsa designatur. Instabat enim tempus cribrandæ Catholicæ fidei, vt purgaretur; exercendæ, vt probaretur. Et ideo ineffabilis illa natura summi boni paulò indulgentiùs in verba humana passa est seipsam demittere, in adjutorium humanæ ad Deum pietatis: non tamen vsque ad angustias humanæ rationis. Hujusmodi enim cùm sint communis rationis instrumenta circa res communes; cùm in causa fidei assumuntur, nonnisi scandala sunt, si non rationi fidei fideliter coaptentur. Nec renuit magnus Dominus, & sapientia ejus cujus non est numerus, numerorum nomen Trinitatis in eo quod simpliciter dicebatur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritussanctus: nec novum nomen homoousion in eo quod qui Pater, & Filius, & Spiritussanctus dicebantur vnus Deus, alterū secundum quod ad alterutrum sunt: alterum secundum quod ad se sunt, & vnum sunt. Priùs enim quam in Ecclesia exurgeret Sabellius, ipsum prædicans esse Patrem, qui Filius est; ipsum Spiritū sanctum, qui Pater est vel Filius: prædicatio fidei de Patre & Filio & Spiritu sancto, non indigebat nomine Trinitatis. Quod vbi in causa fidei susceptum est, & tres cœperunt dici, Pater, Filius, & Spiritussanctus; & quæri cœpit, quid tres: nec tunc, nec vsque nunc inuentum est, quid responderetur, sicut oporteret, & secundum quod res se habet. Quod enim dicitur, tres personæ, alia ratio est. De quo postmodum dicetur. Sic & priusquam insurgeret Arrius, qui inæqualitatem ac dissimilitudinē astruendo, conatus est nobis ingerere turbam Deorum, nomen homoousion ratio fidei ignorabat: licet sensum nominis nō haberet incognitū, quod ab initio prædicabat. Nunquid enim ignorare poterant fideles temporis illius, quod Dominus dixit. *Ego & Pater vnum sumus?* Hoc enim est homoousion, nihil aliud. Nomen enim sicut jam diximus, novum est, & in prædicatione fidei pro tempore necessarium; sed res eadem est. Sicut ergo contra Sabellium admissum est in causa fidei nomen Trinitatis, sic contra Arrium homoousion oppositum est nomen consubstantialitatis. Sicque numerus, si tamen numerus, inuentus est vel assumptus in illa natura creatrice omnium: quæ pondus etiam, & mensuram, & numerum creauit; in quibus disponit cuncta quæ creauit. Quis autē, vel qualis numerus? Non augens, non minuens, non separans, non conjungens: non diuisus, non confusus. Non enim quomodo in Trinitate trium hominum tres homines sunt: sic tres ibi dij æstimandi vel computandi sunt. Vnum enim ibi sunt, qui tres; tres, qui vnum. Nec Trinitatis ibi pars tertia est vnus; nec major pars duo, quàm vnus; nec majus aliquid tres simul, quàm singuli: quia spiritualis, non corporalis est magnitudo. Tres ergo ibi, sicut propter singulorum perfectionem partes vnius Dei non sunt; sic nec tres dij, seu perfecti seu imperfecti æstimandi, seu cogitandi sunt. Vbi ergo numerus? Numerus qui ibi est, & numerus est, & numerus non est. Est enim ibi quoddam ineffabile, quod verbis explicari nō potest. Cùm enim dicis, Pater, Filius, Spiritussanctus, tres numerari videntur: sed nullius ibi numerus est. Si enī quæris, quid tres; deficit numerus. Vbi cogitare

Marc. 16.

Credere Deo & in Deum oportet.

1. Cor. 3.

1. Ioann. 5.

In scripturis non est nomē personæ diuinæ nec homoousios, &c.

Sabellij heresis.

Arrij heresis.

Ioann. 10

Nomina n[…] na res, ead[…]

cœperis, incipis numerare: vbi numeraueris, quid numeraueris non potes respondere. Singulus quisque ibi Deus est. Num tres dij? Absit. Singulus quisque omnipotens. Numquid tres sunt omnipotentes? Minimè. Non sunt tres dij, non tres omnipotentes, non tres sapientiæ, non tres sapientes: non tres magni, nec tres magnitudines. Substantialiter enim hæc omnia in Deo dicuntur. Et tanta est vis summæ illius substantiæ in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, vt quicquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Dicimus enim, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritussanctus: sed in summa non tres dicimus Deos, sed vnum. Et hæc generalis est regula omnium, non solum quæ, vt dictum est, substantialiter de Deo dicuntur; sed eorum etiam quæ ad creaturam; sicut cum dicitur Creator, Dominus, & cætera talia. Hujusmodi enim, sicut sunt magnitudo, bonitas, & cætera, prout in rebus sunt, accidentia sunt; non autē in Deo. In Deo enim cum hæc dicuntur, intelligendus est inquantum possumus sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine indigentia creator, sine situ præsens, sine habitu continens, sine loco vbique totus, sine tempore sempiternus, sine sui mutatione mutabilia faciens, nihilque patiens. Cùm ergo quæritur de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, quid tres sint, non hoc quæritur, in eo quod ad alterutrum sunt; sed in eo quod sunt; nec magis tres boni, seu tres magni, vel aliquid hujusmodi, quàm tres Dij dici possunt, secundū supradictam regulā substantialium nominū in Deo. Sed instat humana infirmitas, numerorum & rerum numerabilium consuetudine infecta: & dicit. Omne quod relatiuè ad aliquid dicitur, est etiam aliquid ad se, præter id quod relatiuè ad aliquid dicitur. Verbi gratia, tres homines sunt pater & filius, & quilibet amicus eorum. In eo quod ad se sunt, tres homines sunt; in eo quod ad inuicem, pater, & filius, & amicus sunt. Nisi id quod ad se sunt, essent: quod ad inuicē sunt, esse non possent. Tria ergo aliqua, seu tres aliqui ad se sunt; qui Pater, & Filius, & Spiritussanctus adinuicem sunt. Quid tres? Quid tria? Hic nisi respondeatur, obtinuit Sabellius id, pro quo hæreticus dicitur. Excedit verò supereminentia diuinitatis omnem communis eloquij facultatem. Si enim rem sicut est perpendimus, procul dubio est Pater, est Filius, est Spiritussanctus: nec ipse est Filius qui Pater, nec ipse est Spiritussanctus, qui Pater & Filius. Tres ergo sunt. Dices. Numquid tres essentiæ? Absit. Nam secundum supradictam regulam nominum diuinorum, essentia est Pater, essentia Filius, essentia Spiritussanctus: sed tamen non tres essentiæ, sed una essentia. Ergo quid tres? Deficiunt humana verba ad verba Verbi confugiamus. Cùm enim loqueretur Dominus Iudæis de semetipso, & de Patre suo, dixerunt. *Vbi est Pater tuus?* Ac si dicerent. Duos esse dicis, te & patrem tuum; te videmus, vbi est pater tuus? Respondit Dominus. *Ego & Pater vnum sumus.* Ac si diceret. Vnum, quia vnus sum cum Patre Deus, sumus, quia ego & Pater duo sumus. Sicut ergo requisitus Dominus se & Patrem dicit esse vnum; sic & nos ab eo edocti de Trinitate quæ Deus est, requirenti quid tria, quid tres, respondemus, vnum. Si improbus est, & adhuc pergit quærere, quid vnum, dicimus, Vnus Deus. Nec tamen improbus erit, si homo fidelis est, vt apponat quærere, quis Deus, cùm non sit nisi vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritussanctus, Pater ergo & Filius, non vnum est, sicut dicit Sabellius: sed vnum sunt, sicut dicit Dominus. Sanctus quoque Spiritus nisi esset Deus Homoousios, hoc est, ejusdem substantiæ cum Patre & Filio, nequaquam Dominus diceret. *Spiritus est Deus.* Et alibi. *Si in spiritu Dei ejcio dæmonia.* Itē. *Misit me Dominus, & Spiritus ejus.* Et omnes in hoc conueniunt Scripturæ, vnum esse Deum cum Patre & Filio Spiritū sanctum. Et hæc est vna, vel hoc est vnū, quod petit à Domino David, ac requirit ad contemplādum dicens. *Vnam petij à Domino, hanc requirā.* Vnum autem hoc non numero vnū est, sed natura, videlicet solidū idipsum, non habens partes, sed in omni quod est vel habet, habens integrum totum suū; si tamen omne, vel totum, vel integrum dici potest, vbi partes nullæ sunt. Vbicumque autem in Scripturis plura aliqua vnum dicuntur, & non additur quid vnum, sicut additur vbi dicitur, cor vnum & anima vna: eadē natura in nullo dissimilis vel dissentiens significatur. Inquantum ergo tria aliqua sic sunt, intātum vnum sunt. Sed verè sic tria aliqua esse, solius est Trinitatis illius, quæ Deus est. Nam etsi sunt aliquando tres homines eiusdem naturæ, ejusdemque voluntatis vel consensus: certè tres homines tres semper homines sunt: & si aliquādo in aliquibus consentiunt, in multis dissentiunt. In Trinitate verò quæ Deus est, qui tres sunt verissimè vnum sunt: & non tres dij, sed vnus Deus sunt, vnius naturæ, ejusdem essentię. Vnius enim essentiæ prædicatio perfectam concludit vnitatem. Cùm ergo quæritur de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, si tres, quid tres; ex authoritate Domini, & secundum rationem fidei, nil meliùs seu conuenientius veritati respondetur, quàm vnum, Placuit tamen Patribus propter disputandi necessitatē, seu tractandi vel colloquendi difficultatem, exceptis relatiuis nominibus, pluralem numerum admittere: & vt vno nomine respondeatur; quid tria, dicere tres personas; sic tamen, vt nullæ ibi moles, nulla interualla cogitentur: nulla distantia cujuscumque dissimilitudinis: nulla separabilis distinctio, seu personalis confusio. Non pars ibi cogitetur vel totum: non majus aliquid Trinitas quàm vna persona, non minus persona, quam Trinitas tota. Licet enim à se inuicem determinari videantur, tamen sicut fide intelligi potest, infinita in se intelligenda sunt tria illa, quæ tres personę dicuntur: & singula esse in singulis, & singula in omnibus; & omnia in omnibus, & omnia vnū. Cùm enī ineffabile hoc quod ex sensibus & verbis Sanctorum Patrum penè ineffabiliter fari conati sumus, conaretur humana inopia loquēdo proferre ad sensum hominum, inquantum illud in secretario mentis pro captu tenebat, de Domino Deo suo, siue per piam fidem, siue per qualemcumque intelligentiam; timuit catholica pietas dicere tres essentias: ne in illa summa æqualitate vlla intelligeretur diuersitas. Certissimè quippe & de Scripturis cognoscitur, & piè credendum est, & in hoc etiam aspectus mentis perstringitur, esse & eum qui Pater est, & eum qui Filius est, & eum qui Spiritussanctus est: nec eundem esse Patrem, qui Filius est, neque ipsum esse Spiritum sanctum, qui Filius aut Pater est. Cùm tamen non auderet tres essentias dicere,

Margin notes:
Quędam de Deo substantialiter dicūtur quędā ad creaturas.
Ioann. 8.
Ioann. 10.
Personæ diuinæ sunt tres, nō tria, sunt vnum, nō vnus: sūt tamen vnus Deus.
Ioann. 4.
Luc. 11.
Isaie 48.
Psal. 26.
Acto. 4.

quæsitū, quid sine offendiculo diceret: & dixit tres personas. Quib⁹ nominibus non diuersitatē intelligi voluit, sed singularitatē noluit: ne quasi singul⁹ intelligeretur Deus: scilicet vt nō solùm ibi intelligatur vnitas ex eo quod dicuntur tres personæ: quod etsi res sicut est, nō diceretur, non omnino tamen taceretur, cùm quæreretur, quid tria, vel quid tres: sed communi etiam modo loquendi aliquid responderetur. Non solum autē, sed & per hæc nomina trium personarum facta est omnibus fidelib⁹ fandi de ineffabili copia copiosior, & compendiosior, & ad respondendum cautiùs inimicis, & ad subtiliùs inquirendum de Deo, & conferendum cum amicis: & confessio fidei formam habet sanorum verborum; & ad tractandum vel disputandū aptum verbi instrumentum.

Duplex personæ definitio.

Diffinitur autem persona à diffinientibus duobus modis: siue, rationalis naturæ indiuidua substantia: siue, cujus pro sui forma certa sit agnitio. Prima diffinitio nomen substantiæ præferens, quò se offerat, non ambiguus intellectus est: videlicet ad consortium nominum eorum quæ substantialiter ad se de Deo dicuntur: vt sicut dicitur Deus Pater, Deus Filius, De⁹ Spiritussanctus; & tamen non tres dij, sed vnus est Deus: sic si de Deo persona prædicetur, dicatur persona Pater, persona Filius, persona Spiritussanctus: in summa verò vna persona. Et secundum hanc diffinitionem non magis ibi fas est dicere tres personas, quàm tres Deos. Porrò juxta alteram diffinitionem requisiti quid tres, respōdemus tres personas: cum singulæ earum ex forma pronuntiationis suæ, qua dicitur, siue persona Patris, siue persona Filij, siue persona Spiritussancti, certam sui præferentes agnitionem, ad respondendum quid tres, aliquam habeant facultatē. Respondetur enim & dicitur, tres personæ communi nomine, sicut tres homines siue tres personæ, quasi tria propria relatiua: vt intelligantur persona Patris, persona Filij, persona Spiritussancti. Et cùm proprium sit Patris quod genuit; proprium Filij, quod genitus est; propriū Spiritussancti, quòd ab vtroq; procedit: in his proprijs nulla intelligitur naturæ separatio: sed quædā personalis agnitio. Hæc de nomine personæ; quod in causa & ratione fidei à Sanctis Patribus appositum est. Non enim injustum visum est Ecclesiæ Dei, in ordinando dogmate fidei Sanctos Patres magnam habere debere authoritatem, qui magnum pro fide pertulerunt laborem, vsque ad effusionem sanguinis sui, & mortificationem corporum suorum. Credo ergo & confiteor vnum in tribus personis Deum, tres personas expressas sub proprietate distinctas, nō nomina tantummodo, sed & nominum proprietates: id est personas, siue vt Græci dicunt, hypostases, hoc est subsistentias. Nec Pater Filij aut Spiritussancti aliquando personā excludit: nec rursus Filius aut Spiritussanctus Patris nomen personamque recipit: sed Pater semper Pater est, Filius semper Filius, Spiritussanctus semper Spiritussanctus. Itaque substantiā vnū sunt; personis ac nominib⁹ distinguuntur. Et hæc est mea fides; quia hæc est Catholica fides de Domino Deo nostro, Patre, Filio, & Spiritu sancto: cujus intellectu, qualis in hujusmodi rebus intellectus esse potest, ad cognitionem diuinitatis, qualis & ibi cognitio esse potest, pertenditur; primò de credendis nulla infidelitate dubitando, deinde de intelligēdis nulla infidelitate dubitando, deinde de intelligendis nulla temeritate diffiniendo; postmodum verò veritati cùm apparuerit, fideliter & ardentissimè inhærendo.

Tres gradus ascensus fidei ad Deum.

Tribus enim intelligentiæ gradibus proficienti fidei ascendendum est ad Deum, & ad cognitionem ejus. Primus gradus est, diligenter inuestigatum habere, quid sibi de Domino Deo suo sit credendum: secundus, quomodo de eo quod rectè creditur, rectè nihilominus ei cogitandum sit & loquendum: tertius, ipsa jam rerum experientia est in sentiendo de Domino in bonitate, sicut sentiunt, qui simplicitate cordis quærunt illum. Primus tā facilis est ascendenti, quàm credere facile est volenti, sed cui datum est. Sicut enim Apostolus dicit, *non omnium est fides*. *2. Thessal. 3.* Secundus eò difficilior, quò à natura rerum remotior, eorum est, qui sicut idem dicit Apostolus pro consuetudine *exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali*, *Hebr. 5.* quavis & à curiosis præsumatur. Tertius perfectorum est, qui de toto corde suo, de tota anima sua, & ex omni mente sua, affectant diligere Dominum Deum suum: primitias jam & pignus Spiritus habentes, quod sint filij Dei. Item primus gradus in authoritatē fundatus, fidei est, habens formam fidei, probatæ authoritatis probabilibus testimonijs fundatam. Secundus rationis est, non rationis humanæ, sed ejus quæ propria fidei est; habens & ipse formam sanorum in fide verborum diuinæ authoritati per omnia concordē. Hujus est scire, non solùm cogitare & loqui de Deo rationabiliter secundum rationem fidei; sed & quomodo fides eadem fiat vbi non est, nutriatur & adjuuetur vbi est, & qualiter contra inimicos defendatur. Tertius jā gratiæ illuminantis & beatificantis est, finiens fidem, seu potius beatificās in amorem, à fide ad speciem transmittens, inchoando cognitionem: non eam quæ fidei est, & cum fide hic incipit esse in homine fideli, sed de qua Apostolus dicit. *Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. *1. Cor. 13.* Illa enim est, quam perfecta charitas inchoat in hac vita: perficiendam in futura. Hæc verò præsentis temporis fidei res est; seu potiùs ipsa fides est, per quam Deus cognoscitur, sicut per fidem cognosci potest: & inquantum creditur, intantū cognoscitur. Hæc enim in primo intelligentiæ gradu habet exordium; in secundo incrementū: in tertio quodammodo deficiendo perficitur, cū transitur à fide credentis & sperantis in cognitionem & gaudium habentis & fruentis: seu habere & frui incipientis. Duæ enim istæ cognitiones tantum ab invicem sunt differentes, quantum differt à Deo in eo quod ipse in semetipso est, quicquid homo secundùm hominē de Deo seu cogitando seu loquendo sentire potest. De Deo verò meliùs posse hominē cogitare quàm loqui, ipsum autem longè aliter esse, quàm possit homo de eo cogitare siue loqui, omnibus vel tenuiter de Deo sentientibus manifestum est. Et tamen prima hæc ad Deum cognitio est, rationabiliter secundum rationem fidei scire de Deo vel cogitare, vel loqui. Quod cùm multis non sicut oporteret credentibus sæpe magis in promptu sit, quàm pluribus verè fidelibus, rectè quidem credentibus, sed id quod credunt discernere non sufficientibus: manifestè datur intelligi, nequaquam hanc esse perfectam cognitionem veritatis, quæ prætereuns aliquando veritatis verissimos amatores, non se negat multis

amatoribus vanitatis. Multi enim hujusmodi multa sciunt de Deo, vel scire student, seu vt tantum sciant, curiosè agentes: seu vt scire vel videantur vel sciantur, gloriam suam quærentes, & non Dei. Ipsa enim est scientia de Deo, de qua Psalmista dicit, quia nox eam indicat nocti, hoc est homo homini; caro & sanguis carni & sanguini; infidelis nonnunquā infideli: longè distans à sapientia illa, & verbo illo, quod dies diei, seu spiritualis homo spirituali homini, seu ipse per se Spiritussanctus sancti cujusque hominis spiritui non indicat, sed eructat: hoc est cū sensu quodam diuinitatis, & sapore summæ sapientiæ, occulta aliqua inspiratione insinuat. Quæ tamen cùm ad exercitiū pietatis plurimum necessaria sit, si studijs pietatis delegata piè tractetur, omnibus omnino hominibus appetenda est, & cum omni studio amplectenda: non inutilis futura in profectu fidei, si sobriè & secundū rationem fidei dispensetur. Sicut enim in his quæ de Deo sunt, alta sapere periculosum nimis est; sic sapere ad sobrietatem, laudabile. Scilicet si quis non modo eloquio vel scripto, sed vel sola cogitatione aggrediendum putauerit omnē de summa & incommutabili & imperscrutabili natura pertractare quæstionē; compescendus omnino ac refrenandus est omnis animus humanus à tam immani & inani præsumptione. Ad perscrutanda tamen ea dumtaxat, quorum facultas homini non negatur; vel quæ fidelem hominē prorsus ignorare non licet: adjuuand⁹ potiùs, & exhortandus est spiritus hominis fidelis, nōn extinguendus. Et enim sicut nō posse scire de Domino Deo creatore nostro, quod supra hominē est, non reputatur in peccatum: sic & qui cum posset scire aliqua, non studet, vel qui nondum potest, vt possit, dignam dare operam dissimulat, non solùm apud Deum ignorantiæ Dei reus judicatur: sed etiam in pœnam meritis suis debitam ordinatur: vt hic qui scire vel agere cùm potuit, noluit, cùm voluerit, non possit. Sed & in eis quæ neglecto Deo curiosè sectatur, in præsenti affligitur: in futuro verò mittitur in tenebras exteriores, quæcumque illæ sint, de quibus in Euangelio legitur. Semel ergo ingressi viam Deum quærendi, non lacescamus, non desistamus: fidelis est, qui repromisit dicens. *Quærite & inuenietis.* Et Apostolus. *Sic currite, vt comprehendatis.* Et de semetipso, fratres, inquit, *Ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem; quæ retro sunt oblitus, ad ea verò quæ sunt anteriora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad palmam supernæ vocationis; in Christo Iesu Domino nostro.* Et addidit. *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus.* Quid? Scilicet, *quamdiu peregrinamur à Domino, per fidem ambulantes* viatores nos esse, non peruentores. Et in via fidei strenuum esse viatorem, perfectio vitæ hujus est. Peruentio autem, alterius vitæ est. Piè ergo & humiliter in via hac qua ambulamus, præcedentium Patrum vestigia venerantes pro cedamus: & primę interim cognitionis Dei, quæ per fidem est, ænigmata attentantes, ipsum innocemus, qui posuit tenebras latibulum suum: non vt non videatur, sed vt diligentiùs quæratur; & quo diligentius fuerit quæsitus, eò dulcius ametur, cùm fuerit inuentus. Ambiamus & agamus ipso adjuuante & docente, vt interim quantum ipse dederit, per fidem eum cognoscamus: deinde ... etiam gratia erit, vt de fide ad speciem transeamus. Cognitionis ergo diuinæ quæ per fidem est, qua per fidem cognoscitur Deus, quasi prima sunt elementa nomina diuina, quibus apud homines nominatur Deus, & congrua eis forma sanorum in fide verborū. Nam & à notitia nomina dicūtur. Vt enim gradatim, sicut jam supra prælibauimus, secundum rectum ordinem ad Deum proficiendi, procedamus, primo cognoscendum est de re cognoscenda, quid sit, quod nō nisi nomine aliquo designatur: deinde quale vel qualiter sit; vt sicut res est, sic de ipsa fides capiatur. Sicut enim secundum rationem literaturæ prima elementa colliguntur in syllabas, syllabæ in dictiones; illæque copulatæ ad arbitrium copulatis sensum aliquem efficiunt in corde legentis; sic nomina diuina, quibus apud homines dicitur Deus, coaptata sibi secundum formam sanorum in fide verborum, & rationem fidei: circa occultum illud diuinitatis in corde credentis aliquem fidei efficiunt intellectum. Hinc Paulus Apostolus dilectum discipulum in fide, de quibus oportebat, erudiens: *formam*, inquit, *habens sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & in charitate; in Christo Iesu. Bonum depositum custodi.* Ex quo discimus, ad custodiendum depositum fidei & formam ejus, formam sanorum in ea verborum plurimum obseruandam. Est quippe forma fidei, & est forma sanorum in ea verborum. Forma fidei est, de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, sicut jam sæpe dictum est, Deum Patrem esse, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: & tamen non tres Deos esse, sed vnum Deum. Forma verò sanorum in fide verborum est, proprius quidam modus loquendi de Deo, secundum hæc ipsa quæ præmisimus: quem ex authoritate Chrsti Domini, & Apostolorum, & Apostolicorum Doctorum, jam olim vsus Christianæ pietatis obtinuit circa nomina diuina, & ea quæ in confessione fidei dicuntur de Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Modus autē hic loquendi de Deo propriam quandam habet disciplinā regulis ac terminis fidei munitam, ad docendum loqui de Deo rationabiliter secundum rationē fidei: & præparandos homines ad cogitandum ac sentiendum ineffabiliter de ineffabili. Idcirco autem dicimus, secundum rationē fidei, quia modus hic loquendi de Deo habet quædā propria verba, rationabilia quidem, sed non intelligibilia, nisi in ratione fidei; non autem in ratione sensus humani. Quod enim paulò antè diximus, quia *Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritussanctus, & tamen nō tres dij, sed vnus est Deus,* vtcumque capitur, secundum rationem sensus humani. In rebus enim humanis humana ratio parat sibi fidem: in diuinis verò præcedit fides, deinde ipsa sui generis format sibi rationem. Sicut enim res est: sic de ea fidem captare, & locutionis formam fidei coaptandam esse, rectissima ratio est. Amat autem locutio siue inquisitio de Deo, humiles ac simplices in paupertate spiritus Deum quærentes, quos ad inquirēdum non curiositas agit, sed pietas trahit. Amat loqui, non verbis præcipitationis & alienis; sed ipsis quibus semetipsum & Patrem & Spiritum sanctum manifestauit mundo Verbum Dei ipso locutionis charactere, quo fidē Trinitatis propagauerunt in mundo homines Dei. Odit contentiones, animositates, nouitates, pugnasque verborum & inanium tormenta quæstionum;

Psal. 44.

Quando ignorantia rerū fidei sit peccatum.

Luc. 11.
1. Cor. 9.
Philip. 3.

Patrū doctrinā venerari & sequi debemus.

2. Timot. 1.

Forma sanorū verborū in rebus fidei tenēda.

ipsâ magis experientiâ docens credentes, & informans per meritũ & vsum fidei peruenire ad præmium contemplationis. Nomina autẽ, quæ prima ejus elementa esse diximus, sunt, siue quibus per semetipsum ipsa se diuinitas reuelauit in mundo, scilicet Patris, & Filij, & Spiritussancti, siue quibus ex diuersa consideratione sui diuerso se modo apud homines nominari fecit. Homini siquidem condito ad imaginem Dei, naturalis inest appetitus cognitionis Dei, & propriæ originis. Ex eo enim quod nullus est animus humanus quãtumvis rationis capax, quem natura ipsa dubitare permittat, quin Deus sit; quin sit creator omnium, & omnium potestas & prouidentia penes ipsum sit; satagit etiam & ambit semper quasi naturaliter humana & pietas & curiositas aliquatenus suspicere de eo, quid sit. Qua propter seu inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelligendo, seu per naturalem sensum rationis, seu per donum gratiæ reuelantis, quot de Deo homines considerationes habuerunt, tot eum nominibus nuncupauerunt: scilicet potentem, sapientem, sapientiam, potentiam, & alijs in hunc modũ quàm pluribus nominibus. Quibus cùm etiam homines plerumque nuncupentur; dicuntur enim & ipsi sapientes, & potentes; nemo tamen dicitur sapientia siue potentia, vel aliquid hujusmodi: quia nemo eo modo sapiens siue potens est, quomodo Deus: cùm hoc sit Deo esse, quod sapere, quod posse; & ipse sua sapientia, ipse sua potentia sit. Sic de veritate, de charitate, & alijs hujusmodi nominibus intelligendum est; scilicet quibus substantialiter Deus dici potest. Diuinorum enim nominum non vniformis ratio est. Alia enim de Deo substantialiter dicuntur: alia aliter. Nam in rebus quoque omne quod est, aut subjectum, aut in subjecto est: hoc est, aut substantia, aut accidẽs. Non tamen sic est in Deo. Numquã enim de Deo dicitur aliquid secundũ accidens; sed neq; semper secundum substantiam. Dicitur enim & ad aliquid. Vbi primo sciendum est, quoniam prædicamenta hujusmodi aliena à natura fidei sunt: sicut substantia & accidens, & quod dicitur ad aliquid; & genus, & species, & cætera talia. Instrumenta quippe sunt hæc communia & vulgaria rationis & artis humanæ ad discernendas res communes: rebus autem diuinis prorsus indigna, & à forma sanorum in fide verborũ aliena. Ratio tamen fidei quasi morem gerens humanæ rationi illata sibi ab hominibus non respuit omnino vel abjicit; sed assumit ea sibi, & conformando singula suis regulis & coaptando, in obsequium fidei ac seruitutem captiuatũ quodammodo redigit eorum intellectum. Hinc est, quòd tam multa nomina, quæ in rebus communibus nomina rerum accidentiũ sunt, translata ad Deum, vbi secundum rationem fidei nõ admittitur aliquid secundum accidens, prædicari substantialiter inueniuntur. Verbi gratia, cũ dicitur Deus sine quantitate magnus, sine qualitate bonus: quid intelligitur, nisi quòd ea quæ hujusmodi sunt, secundũ quod accidentia sunt, non admittuntur, & tamen admittuntur; & secundũ hoc quod naturaliter in Deo sunt, quomodo nusquam alibi sunt, substantialiter prædicantur? Sed & vbi accidens non est; neque substantia est, nec esse potest; quæ nullis accidentibus subest, vel subesse potest. Nullorum verò prorsus accidentium susceptrix esse potest summa illa diuinæ naturæ simplicitas: quæ si susciperet, simplicitas non esset. Illa nempe natura simplex verè dicenda est, cui non sit aliquid habere, quod possit amittere: quod siue accedendo, siue decedendo, videri possit mutabile, id ꝙ immutabile; siue quæ non aliud sit habens, aliudque quod habet. Et secundum hoc summa illa natura verè simplex est: eoquod non aliud est in ea qualitas vel quantitas, aliud substantia: nec aliena participatione est id, quod est; siue potens, siue sapiens, siue beata. Meliùs ergo essentia dicitur, quàm substantia; sicut in sequentibus plenius apparebit. Et tamen ipso vsu loquendi, crebriùs in Deo nomine substantiæ abutimur. Potest tamen forsitan nomen hoc secũdum aliam considerationem in Deo dici; vt intelligatur quasi per semetipsum subsistens: siue quòd quasi subsit omnibꝰ quæ sunt, sicut principium & causa & ratio subsistendi. Aliàs autẽ, impropriè omnino dicitur substantia in Deo. Cùm ergo de Deo agendum est, non semper secundum substantiam, numquam verò secundũ accidens, est agendum: nec etiam cùm dicitur ad aliquid, sicut cùm dicitur Pater ad Filium, Filiꝰ ad Patrem, ad vtrumq; Spiritussanctus, nequaquam secundũ accidens intelligendum est. Nũquam enim accessit æterno ac sempiterno Patri Filius, vt Pater fieret, quod quasi non fuerit prius; cùm semper fuerit, vel potius semper sit Pater: semperque de æterno Patre consubstantialis ei & coæternus sit Filiꝰ: semper de Patre & Filio coætern' eis & consubstantialis Spiritussanctus. Sed neque secundum genus & speciem intelligenda aliquatenus est Trinitas Deus; licet hoc aliqui confingant peruersè de Deo sentientes: qui tres personas quasi tres esse species vnius essentiæ, astruere moliuntur: cum & ratio fidei profiteatur, & veritas clamet, nec refelli omnino possit, essentiã ipsam nihil aliud esse, quàm tres personas; & tres personas ipsam esse essentiam. Non ergo secundum genus & speciem cogitari debet Trinitas Deus. Sed neque relatiuè omnino, nisi secundum fidei mensuram. Relatio quippe vnius Dei, non magis quàm vnius hominis est. Relatio tamen ibi est Patris ad Filium, Filij ad Patrem, Spiritussancti ad vtrumque, faciens Trinitatẽ: cùm extra omnem regulã relatiuor ũ vna substantia suam verissimã ac solidissimã teneat vnitatẽ. Seruiant ergo quæ hujusmodi sunt in rebus Dei: quoniã non semper inutilia inueniuntur, si rationabiliter secundùm rationem fidei adhibita dispensentur. Cùm ergo hujusmodi aliquid admittitur, non tam ipsum, quàm quid de ipso ratio fidei efficere velit, attendatur: nec rationibus seu ratiocinationibus hominum subjiciamus causam fidei nostræ; sed omnia illi. Seruiant vbi oportet; non se ingerãt plusquàm oportet. In via enim simplici simpliciter gradiendum est. Secundum Euangelium loquantur; qui secundum Euangelium se viuere profitentur. Vt ergo jam de diuinis nominibus prosequamur, primò de ijs sollicite obseruandum est, quomodo æstimentur; scilicet communia sicut communia; singularia verò sicut singularia. Communia verò dicuntur, quæ secundũ substantiam de Deo prædicantur; sicut potentia, sapientia, charitas, Deus: singularia verò, quæ dicuntur ad aliquid; sicut Pater, Filius, Spiritussanctus. De quibus præcipuè hoc tenendũ est, quod jam suprà diximus; quoniam quicquid

Deus non solum sapiens & potens, sed & sapientia, & potentia dicitur, &c.

Prædicamẽta aliena sũt à Deo, vt & genus & species, &c.

Substantia de Deo potest dici, subsistens, non vt substans accidẽtibus.

Tres Personæ non sunt tres species vnius essentiæ.

ad se dicitur præstantissima illa & diuina sublimitas, substantialiter dicitur: quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relatiuè: tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre & Filio & Spiritu sancto; vt quicquid de singulis ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Propter quod & nomina omnia quæ hujusmodi sunt, communia dicuntur. Dicitur ergo Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritussanctus: & tamen non sunt tres dij, sed vnus Deus. Magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritussanctus; & tamen non tres magni, sed vnus magnus. Sicque de potentia, de sapientia, de charitate, de veritate, & de omnibus nominibus diuinis sentiendum est: quibus sicut dictum est, ad se & substantialiter dicitur diuina majestas. Quæ cùm quodlibet horum dicitur; non qualis sit, sed quid sit, pronuntiatur. Propria verò seu singularia quomodo ad inuicem referantur, manifestum est: Pater scilicet ad Filium, Filius ad Patrem, Pater & Filius ad Spiritum sanctum, & ad ipsos ipse. Hoc ergo modo & ea summæ essentiæ nomina, quæ ad se sunt; & ea Trinitatis, quibus tres ad inuicem sunt; & prædicant vnitatem, & non tacent Trinitatem, suo modo singula. Illa enim in eo quod tribus communia sunt, personalē monstrāt Trinitatem; in eo quod in summa semper vnū sunt, consubstantialem vnitatem: hæc autem in eo quod singulorum propria sunt singula, Trinitatis veritatem; in eo autem quod ad inuicē sunt, & se alterum ad alterum ipso singularitatis suæ nomine referri ostendunt, substantiæ vnitatem.

Nunc de essentia Dei & ejus nominibus prosequamur: scilicet quæ ab ipsa essentia essentialia dicuntur. Quorum principium ex eo est: quod Deus famulo suo Moysi sciscitanti nomen suū, *Ego sum*, inquit, *qui sum*. Sic, ait, dices filijs Israël. *Qui est, misit me ad vos*. Sicut enim ex eo quod est subsistere, substantia dicitur, sic ab eo quod est esse, essentia. Substantia enim quomodo non conueniat Deo; licet hoc nomine sæpe Scripturæ abutantur: jam suprà dictum est. Cui quàm veriùs ac digniùs conueniat essentiæ nomen, palam omnibus est. Solus quippe verè esse dicendus est, qui ab æterno incommutabiliter est, & hoc est ei esse, quod est; & quod est, semper est; & sicut est, sic semper est. Non in se habet, posse non esse, quod est; quia nec in se habet, posse esse, quod non est: & quod sic est, non initio præuenitur, non fine clauditur, non temporibus voluitur, non locis continetur, non ætatibus variatur. Nihil ibi deest, quia totum in eo est; nihil superest, quia nihil extra eū est. Cui ergo naturaliter est, semper posse esse, quod est: ipse solus, aut penè solus esse, dicendus est. Certissimè ergo & de Scripturis cognoscitur, & piè credendum est, hunc Patrem esse, hunc Filium esse, hunc esse Spiritum sanctum: nec eundem esse Patrem, qui Filius, nec ipsum Spiritum sanctum esse, qui Pater est vel Filius. Tres tamē ibi essentias dicere non minus deuitam[9], quàm tres Deos; cū non sit ibi aliud, esse, aliud, Deum esse, sed idem EST. Ideo secundum formam sanorū in fide verborum, & præmissam ex ratione fidei regulam de essentialibus Dei nominibus, dicim[9] essentiam Patrem, essentiam Filium, essentiam Spiritum sanctum: & tamen non tres essentias, sed vnam essentiam. Hæc autem omnia nomina, quæ ab essentia essentialia dicuntur, originis suæ, & rei cuj[9] nomina sunt, formam quamdam præferentia, sicut tres ibi sunt, & vnum tres: sic ipsa omnia sunt vnum, & vnū omnia. Sic enim vno nominum horum censetur Deus, sicut omnibus; nec magis omnibus, quàm vno eorū. Sic vnum bonorum eorum est, quæ tam multis nominibus significantur, sicut omnia; omnia sicut vnum. Hoc enim ibi est posse, quod velle, quod sapere, quod nosse, & quod cætera omnia; quæ, vt dictum est, essentialiter & ad se de Deo prædicantur. Non enim aliter potest, aliter vult, aliter sapit, aliter novit, qui non aliter & aliter hoc & hoc est; sed simpliciter est, quod est. Non enī cogitandum est aut credendum, quasi compositum ex omnibus bonis his summum bonū; quod non minus est in singulis, quàm in omnibus; sed totum in singulis est, & in omnibus vnum. Alioquin non simplex esset Deus noster, sed multiplex. Non solùm autem, sed & omnia hæc simul sic sunt singularum in Trinitate personarū; vt sicut in Deo vnum sunt hæc omnia: sic hæc omnia sit quælibet in Trinitate Persona. Dicitur quidem aliquando potentia Pater, Filius sapientia, bonitas Spiritussanctus: sed vigilanter, cùm hoc dicitur, debet sensus catholic[9], & prudenter animaduertere, eorum quæ tribus communia sunt, hoc modo quædam nonnumquam singulis ascribi, ad contexendum quodammodo & ordinandum ad humanam intelligentiam diuinæ cooperationis cōsensum. Sed & sicut Trinitatis trium Personarum vna operatio est, sic & in his omnibus, quantum in Deo est, vna & indissimilis operatio intelligenda est: quamvis non sic eadem operatio ad creaturam perveniat, quæ tamen sic à Deo proficiscitur. Sicut enim non aliter potens est Deus, aliter sapiens, aliter bonus: sic nec, quantum in ipso est, aliter agit quæ sunt potentiæ, aliter quæ sunt sapientiæ, aliter quæ bonitatis: licet in creaturis ab inuicē dissimilibus dissimilis pareat indissimilis illius operationis effectus. Sed & cùm hujusmodi nominum diuinorum, quæ sicut dictum est, naturali vnitate Personis æquè tribus in Trinitate conueniunt, quædam familiariùs ac frequentiore vsu quibusdam in Trinitate Personis coaptari videntur; sicut ea quæ præmisimus, scilicet potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto: fit hoc ad discretionem Personarum, vt discernantur, non vt separentur. Exceptis enim relatiuis nominibus, quibus licet ad inuicem dicantur Pater & Filius & Spiritussanctus, tamen propria sunt singula singulorum: quocumque nominis vocabulo vnus eorum nominatur, omnes pariter nominantur: quia vnum omnes inueniuntur esse in eo quo nominantur. Dicitur autem Filius non solum sapientia Deus, sed & sapientia Dei, & Spiritussanctus bonitas Dei: quod sanè & secundùm rationem fidei intelligendū est. Sapientia quippe Patris Filius est; nō sapientia, qua sapiens sit Pater, cum sit ipse per se sapientissimus, & summa sapientia: sed in eo sapientia est Patris; quòd cùm sapientia sit, à Patre hoc ei esse est, à quo est ei omne quod est. Est autē Filius de Patre, sapientia de sapientia, vna cum Patre sapientia: sicut substantia, vel potius essentia de essentia, vna cum Patre essentia. Si enim eo modo Filius sapientia Patris dicitur, quasi Pater per eam sapiens sit: jam Filius non tam Fili[9], quàm qualitas Patris erit. Sed & cùm hoc sit Deo sapere, quod esse; & sapientia Patris

Nomina essētialia Dei.
Exod. 3.

Nomina cōmūia appropriantur certis personis.

vna cum Patre essentia sit: si eo modo Filius sapientia Patris esset, vt non nisi eâ sapientiâ, quæ Filius est, Pater sapiens esset; jam Filius non tam Filius Patris, quàm essentia ejus esset: & jam secundum Sabellium ipse Filius qui Pater esset. Eodem modo & de bonitate, quæ Spiritussanctus dicitur, intelligendum est. Sed ne singularitatis hujus pronuntiatione qua Pater dicitur potentia, Filius sapientia, Spiritussanctus bonitas, personæ ipsæ separabiles quovis modo intelligantur: adest continuò ratio fidei, qua eadem singula singulorum communiter etiam de tribus dicantur: vt non solus Pater dicatur potentia, sed & Filius, & Spiritussanctus: nec solus Filius sapientia, sed & Pater, & Spiritussanctus: nec solus Spiritussanctus bonitas, sed & Pater, & Filius. Cumque circa prouidentiã creaturæ prædicatur potentia Patris, sapientia Filij, bonitas Spiritussancti; non aliud intelligendum est in his nominibus diuinitatis, quàm quod eo modo prædicatur operatio omnipotentis & sapientis, & benignissimæ diuinitatis: vt in his quę dicuntur, intelligi etiam queat cooperatio Trinitatis. De qua cùm sancta Scriptura sic loquitur, vt aut in factis aut in verbis, aut in hujusmodi nominibus, aliquid singulis assignet, quod singulis videtur conuenire personis, non perturbetur fides catholica, sed doceatur: vt per proprietatem aut vocis aut operis, insinuetur nobis veritas Trinitatis; & tamen non diuidat intellectus, quod distinguit auditus. Ob hoc enim quædam siue sub Patris, siue sub Filij, siue sub Spiritussancti appellatione promuntur: vt confessio credentium in Trinitate non erret. Quæ cùm sit inseparabilis: numquam intelligeretur Trinitas, si semper inseparabilis diceretur. Bene ergo difficultas loquendi cor nostrũ ad intelligentiam trahit: & per infirmitatem nostrã cœlestis doctrina nos adjuvat: vt quia in Deitate Patris & Filij & Spiritussancti, nec singularitas est nec diuersitas cogitanda; vera vnitas & vera Trinitas possit quidem aliquatenus mente sentiri, etsi non possit simul ore proferri. Hæc interim de essentialibus Dei nominibus dicta sint. De quibus nihil est quod dicimus, quia nihil ad eum est, quicquid de eo dici potest: quoniã non potest explicari verbis, quod ineffabile est. Deficiunt verba, caligat intellectus. Tamen quoniam præcipimur faciem Domini quærere semper; & quod diuinitus præcipitur, quodammodo promittitur; nec desperandum est: expediendus est intellectus, & verborum conatus erigendus quousque potest; & vbi defecerit humana possibilitas, res Dei silentio honoranda est. Sciendum autem, quoniã summa illa majestas, quæ dicitur Deus, potens, sapiens, & cætera hujusmodi, quibus essentialiter & ad se dicitur: hæc etiam omnia ad creaturam dici potest. Etenim Deus, qui in semetipso est qui est, ipse ad creaturam, omnium quæ sunt Deus est; inquantũ omnium quæ non sunt quod ipse, & conditor, & rector, & dominus est. Qui potens est in semetipso esse quod est: ipse per omnia ad omnẽ creaturam non solum potens, sed & omnipotẽs est. Cui etiam semetipsum scire vel sapere, esse est: ipsius non alia ad semetipsum de semetipso, alia ad creaturam de creatura, scientia seu sapientia est. Qui in semetipso non tam bonus est, quàm ipsum essentiale bonum, quo bonum est, quicquid quovis modo bonum est; ipse ad omnem creaturam suam summum bonum est, & summè bonus; quo nil melius potest cogitari: & de quo bene est, cuicumque quouis modo bene est. Eodem modo & de omnibus pene nominibus diuinis, quibus ad se dicitur Deus, intelligendũ est: scilicet, ipsis etiam dici eum ad creaturam nominibus, quibus ad se dicitur: non tã relatiuè, quasi à creatura habendo esse, quod ad eam dicitur; quàm, si sic dici possit, collatiuè, donando creaturæ, vt sit, ad quam dicatur. Hinc magnus dicitur Deus ad creaturam comparatione ipsius creaturæ; magnus in seipso sine omni comparatione: justus ad creaturam, justè cuncta disponendo; in eo autem quod ipse est, sicut eum esse, justum est, justissimus in semetipso; & cætera in hunc modum. Quæcumque autẽ nominibus hujusmodi Dei ad creaturam intelligũtur, sic Deus est, vt sicut de essentialibus ejus nominibus dictũ est, sit, non quasi habens esse suũ ex his partibus suis, qui non est hoc & hoc particulariter; non hoc vel hoc singulariter: non est in parte, quod in parte non est; sed est quod est, qui omnia hæc est, & horum nil ex accidenti est: quia hæc omnia non aliunde mutuãs, sed essentialiter habens, nil habet in semetipso, nisi quod ipse est. Et sicut hæc omnia in ipso non aliud & aliud, sed simplex vnũ sunt; sic nec aliter & aliter, sed simpliciter & vno modo sine omni modo in ipso sunt. Sanè sunt aliqua nominum horum, quæ cum dicuntur in Deo, speciem videntur præferre accidentium relatiuorum, sicut cũ dicitur ad creaturã Creator, Dominus, aut Principium. Sed nequaquam hoc modo accipienda sunt: cùm accidentium omnium sit mutare subjectum: quorum nullum accidere potest incommutabili substantiæ. Sempiternũ tamen esse Deo creatorẽ esse, seu dominum, seu principium, cũ non semper fuerit creatura, cuj⁹ est creator, dominus, ac principium: difficilis intellectus est. Conantes enim homines fari quovis modo de ineffabili, nec valentes nisi verbis, nec ad dicenda ea, quæ hoc modo dicenda sunt, his verbis aptiora verba ibi inueniẽtes, vbi nulla apta sunt: dixerunt Deum Creatorem, Dominum, Principium. Quæ verba cùm in eo quod cuncta creauerit Deus, quodque omniũ domin⁹ sit ac principium, manifesta ac verissima sint: temporaliter tamen incidens æternitati temporalis nomẽ creaturæ, sicut dictum est, difficile intellectu est, quomodo accidens non sit. Omne verò accidens, sicut dictum est, siue accedendo, siue decedendo, necesse est mutare subjectum: quod incommutabili Deo non conuenit. Sed hæc & his similia cùm dicuntur in Deo, sic in illa incommutabili substantia accipienda sunt, vt proprio quodam diuinitatis modo ita dicantur relatiuè ad creaturam, vt quamvis temporaliter aliquid horum incipiat aliquando dici Deus, non tamẽ hoc ipsi substantiæ Dei accidisse intelligatur, quæ sic dicitur; sed illi naturæ ad quam dicitur. Vnde etiam cùm ad eũ refugimus, in ipso, seu in natura ejus nulla fit mutatio; nos autem mutamur, cum meliores ex deteriorib⁹ efficimur. Sic & cùm Pater noster esse incipit, non mutatur: nos verò per gratiam ejus, qui dedit nobis potestatẽ filios Dei fieri, regeneramur, & filij Dei efficimur. Et cum efficimur filij Dei, nostra quidem substantia in melius transmutatur: ille verò incipit esse pater noster, sine vlla mutatione substantiæ suæ. Et cùm justus aliquis incipit fieri

Verba Leonis Pap. ser. 2. in Pentec.

Multis nominib. Deus ad se & ad creaturas dicitur.

Nulla Deo accidentia insunt.

amicus

Deus noua dilectione non diligit. amicus Dei, ipse mutatur: Deus autem absit vt mutetur, qui nullum temporaliter diligit, quasi noua dilectione quæ in ipso ante non fuerit: qui dilexit nos ante mundi constitutionem; & apud quem nec præterita transierunt, & futura jam facta sunt. Quod ergo temporaliter incipit dici Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relatiuè dici: non tamen secundum accidens Dei, quod ei acciderit; sed planè secundum accidens ejus, ad quod incipit relatiuè dici. Res enim diuinæ cum hoc modo dicuntur, nequaquam suo modo dicuntur: sed eo modo quo affectu humano vtcumque capi possit, quod dicitur. Idcirco cum de Deo verbis agitur, rationes verborum rebus coaptandæ sunt; non illæ illis. Rationis enim humanæ omnis verbosa ratiocinatio nonnisi veritatis esse debet inuestigatio: quæ vbicumque se obtulerit, jam ratio non est ratio, si non continuo abjectâ curâ verborum, veritati acquiescit. Nihil autem verius ac manifestius, quàm nec creaturam aliquam, nec aliquid prorsus à creatura accidere incommutabili Deo. In creatore enim omniū Deo, in quo tempus omne, & quicquid temporis est, æternitas & vita est, & quid quo tempore futurum sit, jā ab æterno præsentissimum est, nullo hoc agit tempore creata in tempore creatura, vt Deus aliquando creator incipiat esse, quod quasi nō fuerit priùs, licet hoc dici incipiat aliquo tempore. Sed creator creans creaturam, hoc agit de ea sine tempore, vt quæ non erat, sit suo tempore. Neque in hoc tam accidit illi; quàm, si sic fas est dici, ille illi. Non quod accidens vlla ratione dici queat illa substantia, in qua subsistunt quæcumque sunt: sed ad dicendum quod de rebus hujusmodi sentiri vtcumque potest, verba deficiunt. Hoc ergo modo nomina diuina ea quæ ad creaturam sunt, relatiuè intelligenda sunt: quæ licet sint ad temporalem & mutabilem creaturam, æternæ tamen & incommutabilis essentiæ nomina sunt, & suo modo æstimanda sunt. Cùm enim in Deo, in quo quod factum est, vita est, & in quo quicquid est, Deus est, ab æterno sit principalis essentia omnium quæ temporaliter sunt; nonnisi exemplum summi illius exemplaris, & similitudo aliqua interioris veritatis est omnis hæc forensis creatura: non illi accidens, sed inde procedens, & naturali origine, & causali ratione, & ordine prouidentiæ. Vbi cùm omnia scienti Deo hoc sit esse, quod scire; non ideo ibi scitur omnis hæc forensis creatura, quia est; sed quia ibi scitur, ideo est: quæ quomodocumque in semetipsa mortalis sit, in incommutabili verbo vita est. Cui ergo scire semetipsum est esse quod est: non aliter scit semetipsum, aliter creaturam, qui non aliter & aliter est. Scit enim tempus sine tempore creator, ac dispositor mutabilium omnium sine sui mutatione: quæ quomodocumque in semetipsis sint, omnia in ipso vita sunt. Nec viuere verò aliquando cœpit, nec potest mori, quicquid in æternitate vita est. Quæcumque ergo illa creatura sit, seu viuens seu non viuens, seu intelligens seu non intelligens, quæ in Deo vita est, quod omnis creatura est, quomodocumque in semetipsa mutetur vel corrumpatur, incipiat & finiatur; prima & principalis ejus essentia & veritas existendi, quæ in Deo est, & Deus est, nec mutatur nec corrumpitur; omnia mutabilia ejus summa sapientia immutabiliter ordinauit; sicut ipsa mutabilia immutabiliter creat. Vbi quicquid principio suo similius est, veriùs est; minùs autem est, quod minùs ei simile est. Hoc ergo modo secundum rationem & formam fidei, & nomen creatoris de creatura essentiale Deo est, in eo quod Deus omnis creaturæ principalis essentia est; & nomē creaturæ ad creatorem relatiuum est, inquantū ab ipso creatura ipsa est. Vnde quicquid diximus eò spectat, vt licet nomina creaturæ ad creatorem relatiuè dicantur; nomina tamen creatoris ad creaturam non relatiuè accidentia, sed principalem in Deo essentiam creaturæ significantia intelligantur: propter quod secundum regulam omnium essentialiū in Deo nominum, ipsa etiā pronuntiantur, cum dicitur, creator Pater, creator Filius, creator Spiritussanctus: & tamen non tres sunt creatores, sed vnus creator. Similiter de nomine Domini siue principij, siue omnibus nominibus, quibus Deus ad creaturam dicitur, intelligendum est. Hac ergo ratione his etiam nominibus quibus ad creaturam dicitur Deus, cum eis nominibus computatis, quibus essentialiter & ad se dicitur, ad relatiua transeamus; quibus in Trinitate quæ Deus est, ad inuicē relatiuè dicuntur Pater, Filius, Spiritussanctus. Priùs tamen dicendum est, quia sicut essentia continet vnitatem: sic relatio prædicat Trinitatem. Errare autem in fide vnius illius, de quo Dominus dicit, *Ego & Pater vnum sumus*, nec communem de eo omnium æstimationem habere, scilicet quod Dominus Deus, Deus vnus sit, nemo potest: qui rationis humanæ quantumvis parum sit particeps. Ex quo enim illuxit in mundo Dominus noster Iesus Christus, non solum erubuit mūdus vel homo adorare opera manuum suarum: sed fugit pene de toto orbe terrarum multorum cultus Deorum & dæmonum; & in cultu vnius Dei consentiunt omnes, non solum Iudæus & Christianus; sed etiam Ethnicus & barbarus: nec communi omniū huic sententiæ de Deo occurrere aliquādo ausus est quisquam manifestè, seu hæreticus Christianorum, vel Iudæorum, seu gentium Philosophus. Propter quod etiam fides Trinitatis cū scandalo crucis, quæ jam olim à tempore Patriarcharum & Prophetarū cœperat in mundo manifestari aliquibus hominibus, ex quo temporibus gratiæ omnibus cœpit prædicari, factum est in signum cui à tam multis contradicitur, quasi culturæ trium Deorum, cum improperio crucifixi. Vt enim mittam eos qui foris sunt, sunt aliquando fideles in Ecclesia, qui cùm non capiunt quod dicitur, dicunt, Vt quid nobis prædicatio Trinitatis? Vnus tantummodo Deus, quicumque vel quomodocumq; ille est; prædicaretur & coleretur. Errat autem quicumque hoc dicit: & gratiæ Dei contradicit. *Deum enim nemo vidit vnquam: vnigenitus qui est in sinu Patris ipse narrauit.* Ad hoc enim venit in mundum, hoc effecit, vt Deus Trinitas innotesceret. Nusquam autem in hac vita diuinitas meliùs humano intellectu comprehenditur, quàm in eo quo magis incomprehensibilis esse intelligitur: hoc est in prædicatione Trinitatis. Idcirco enim verbum caro factum est, & habitauit in nobis: vt, sicut ipse Dominus Iesus Christus orans dicit ad Patrem, manifestaret nomen Patris hominibus, & charitatem Dei diffunderet in cordibus nostris per Spiritum sanctum quem dedit nobis. Denique hoc est ænigma fidei, terribile impijs, ad de-

Margin notes: *Futura ab æterno Deo præsentia.* — *Creatura in Deo vita est.* — *Nomē Creator quòd sit essentiale.* — *Relatio prædicat Trinitatem.* — *Ioann. 10.* — *Deuter. 6.* — *Christi aduentu idololatria abolita.* — *Ioann. 1.* — *Ioann. 17.*

terrendos eos & fugandos à facie Domini; blā-dum pijs, ad excitādos eos & prouocandos quærere faciem ejus semper: quod sicut jam sæpe dictum est, dicimus Deum Patrem, Deum Filiū, Deum Spiritum sanctum, non tres Deos, sed vnum Deum. In quo quicumq; notitiam aliquā Trinitatis, seu rerum diuinarum inuestigans per signa verborum, labyrinthum diuinæ reuelationis ingreditur, non scrutator majestatis opprimendus à gloria; sed pauper spiritu, cui proxima semper est misericordia: scire debet, alium esse ordinem discendi in rebus humanis, propter quas significandas cuncta quæcumque sunt verba reperta sunt: alium in diuinis, quibus significandis nulla prorsus verba idonea sunt. In illis enim primo studio discendi quærēda est notitia verborum, per quam ad notitiā rerum perueniatur: in his autem econtrario non tam disciplinæ alicujus studio quàm fidei pietate & feruore amoris ad intellectum & sensum rerū aliquem primo ambiendum est, & continuò verborum quibus de rebus agitur, notitia offeret se proficienti. Verbi gratia inquirenti de relatiuis in Deo, primò se offerunt nomina illa seu verba propria singula singulis, & ad inuicem relatiua, *Pater, Filius, Spiritussanctus; gignens, & procedens.* Hæc autē sic suscipienda sunt nobis, sicut ad inueniendū Deum diuina quædā instrumēta per homines Dei Deo plenos à Deo nobis transmissa, sed tamen rerum notitiā, quarū signa sunt, minimè impleta. Quæ quamdiu ad profectum cognitionis Dei nos adjuuant, quantū nos verba adjuvare possunt, veneranda & amplectenda nobis sunt; vbi verò deficiunt verba sicut verba; cum gratia ejus qui nominatur & benedictione, pertranseunda sunt. Cùm enim dicitur *gignens, genitus, & ab vtroque procedens; Pater, Filius, Spiritussanctus;* verba sunt seu nomina diuinæ veritatis plena: sed in eo quod etiam rerum humanarum aliquam prætendunt significationem, à terrenis & humanis parum nos subleuantia, nisi cùm illa dicuntur, quæ fidei sunt intus cogitentur; scilicet in generatione & natiuitate illa, & processione, nihil esse activum, nihil passiuum, nil temporale, nil locale, nil differens vel separabile; sed idipsum & vnum Deum. Alterum enim ibi esse de altero, alij natiuitas, alij processio est: æternum esse de æterno, coæternitas trium; & alterius ab altero seu æterna natiuitas, seu æterna processio est. Vbi cùm Filius nascendo à Patre gignitur, & Spiritussanctus, à Patre & Filio procedit, nequaquam alter ab altero recedit. Æternaliter enim & incommutabiliter est Pater in Filio, & Filius in Patre, Spiritussanctus in Patre & Filio, & ipsi in ipso, veritate vnius divinæ essentiæ: & est Filius de Patre, & de Patre & Filio & Spiritussanctus, veritate Trinitatis & personarum singularitate. Ipsa ibi Trinitas est, quæ vnitas; vnitas quæ Trinitas: nec minus aliquid est vna persona summæ illius Trinitatis, quàm Trinitas tota: non plus tota Trinitas quàm vna in Trinitate persona. Neque Pater vt haberet Filium minuit semetipsum; sed ita genuit de se alterum se, vt totus maneret: & tantus esset in Filio, quantus in se. Similiter Filius integer est de integro, tantus in Patre, quantus de Patre: semper in Patre, semper de Patre; non minuēs eum nascendo, nec augens hærendo: & sicut Filius de Patre & cū Patre; sic Spiritussanctus de vtroque est, & cum vtroque; nisi quòd Filius nascendo est de Patre, ille procedendo de Patre & Filio. Sicut enim Filio à Patre esse, & hoc esse quod est ille, natum semper esse est: sic Spiritui sancto à Patre esse & à Filio, & hoc esse quod illi sunt, æterna processio est. Hoc ergo modo prædicandus est Trinitas Deus, si tamen modus vllus in illo est, à quo & sub quo modus omnis est: & habent se alter ad alterum, si tamen habitus ibi vllus est, vbi nihil habet Deus, nisi quod est. Et hæc sunt, quæ vt capiantur ab hominibus, proferenda ad homines vestiuntur nomine Trinitatis seu trium personarum, seu mutuarum ad inuicem relationum: vt quocumque modo ab hominibus capiatur, quod de Deo pene ineffabiliter prædicatur. Rerum enim diuinarum intellectus, quarum hæc signa videntur esse, non tam per hæc datur, quàm ad intelligēdum de Deo quod cupimus, formâ hac sanorū in fide verborum informamur & nutrimur. Vt ergo jam de relatiuis quod cœpimus prosequamur: dicuntur ad inuicem tres Personæ relatiuè, sed extra regulam & ordinem relatiuorum: quia non secundum accidens. Dicuntur enim ad aliquid: sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem. Quod nequaquam in Deo secundum accidens intelligitur. Quod enim Pater dicitur Pater, & Filius dicitur filius: æternum eis & incommutabile est. Semper enim Pater pater est; & Filius semper filius est. Et nō ita esse semper, quasi ex quo natus est Filius, vel ex eo quod Pater numquā esse desinat Pater, & Filius nūquam desinat esse Filius: sed ex eo quod semper natus est Filius, nec Pater aliquando cœpit esse Pater, nec Filius cœpit esse filius. Quod si aliquando cœpissent esse, aut desinerent, secundū accidens diceretur. Et tamen relatiuè dicuntur non solū Pater ad Filium, & Filius ad Patrem; sed & Spiritussanctus ad Patrē, & Filiū, & illi ad ipsum, inquantum eorum spiritus est: & ipse procedit ab eis, & ipsi eum emittunt. Quod etiam jam suprà breuiter perstrinximus, hic pleniùs dicendum est: judicet omnis qui de hujusmodi judicare potest, quam sit contra omnem rationem, & vsum omniumm relatiuorum, quod dicimus. Omnis essentia quæ relatiuè dicitur, est etiā aliquid, excepto relatiuo suo: sicut homo domin⁹, & equus jumentum. Homo enim & equus ad se dicuntur, & essentiæ sunt: dominus & jumentum ad aliquid relatiuè dicuntur. Si non essent homo & equus aliquæ substantiæ: non essent qui relative dicerentur dominus & jumentum. Quapropter si & pater non est aliquid quod dicatur ad semetipsum, & filius similiter: non sunt omnino, qui relatiuè ad inuicem dicantur. Sed homo Dominus & homo seruus cùm ad inuicē dicuntur: duo homines sunt. Deus autem Pater & Deus Filius, non duo dij, sed vnus Deus sunt. Tamen reuera cùm Pater non sit Filius, & filius non sit Pater, & Spiritussanctus ille qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater sit nec Fili⁹; tres vtique sunt. Ideoque pluraliter dictum est, *Ego & Pater vnum sumus.* Non enim *vnum est* dixit, quod Sabelliani dicunt: sed *vnum sumus.* Cùm ergo quæritur de Patre & Filio & Spiritu sancto, quid sint, qui sint, si tres aliqui, si tria aliqua, exceptis relatiuis, quibus ad inuicem sunt, quid dicemus? Exceptis enim relatiuis, cùm nulla apud homines nomina triū illorum, siue propria, siue communia inueniantur: non sine causa hoc esse fides pia intelligit; sed ineffabile esse

Alius est ordo discendi in humanis, alius in diuinis.

Nomina relatiua in Deo.

Trinitas est vnitas, & viceßim.

Personæ nō sunt ad inuicem secundū accidens.

Semper natus est Filius

In creatis essentia est aliquid præter relatiuū.

Ioann. 10.

id de quo agitur intelligens, ad cognitionem diuinitatis ex cogitatione humanæ ignorátiæ magis eruditur. Communia verò nomina sunt, cùm dicitur tres homines, propria, cũ dicitur Abraham, Isaac, & Iacob. Hic autẽ nil occurrit præter naturam vel essentiã summi boni, quod profectò si summum est, non tria sunt sed vnum est; & nomen ejus: *Deus*, quod non nisi vnius nomẽ est, quia non nisi vnus Deus est. Hoc autem illud vnum est, de quo Dominus dicit: *Ego & Pater vnum sumus.* Vnum verò illud solidum ac diuinum nequaquam ex differentibus est; quod neque ex partibus constat, neque in partes dissolvi potest. Licet enim ipsa ibi sit Trinitas quæ vnitas, & vnitas quæ Trinitas; nequaquam tamẽ significat ibi nomen vnitatis sub nomine Trinitatis: quasi numerosam triplicitatis conjunctionem: sed inseparabilem diuinæ essentiæ simplicitatem. Propter quod etiam tres personas, quæ in Trinitate inseparabili dicuntur, à se inuicẽ, quovis modo separabiles dici, fas omnino non est: non magis quàm ipsam Trinitatem. Trinitas enim inseparabilis dici non debet, si tres illæ personæ aliquatenus valent separari. Tres enim Personæ etsi non possunt simul dici, non tamen nisi simul debent intelligi. Hoc enim verè inseparabile dicitur, quod nullatenus recipit separationem. Quod si quisquam separari posse putat tres in Trinitate personas, non Trinitas separabilis dicenda est, sed vnitas. Quippe in personis constat Trinitas: in natura vnitas. Natura enim Trinitatis, quæ sola est vbiq; tota, sicut vbique habet suum esse & vnum & totum, sic separationem non potest recipere personarũ. Nominatur quippe ibi personæ ipsæ singulariter, sed ita se voluit Trinitas ipsa inseparabilẽ ostendere in personis, vt nullum ibi nomen sit, quo sic nominetur quælibet persona, vt non aut tribus naturali vnitate conueniat, sicut cùm dicitur potens, sapiens, bonus, & cætera hujusmodi; aut alteram ad alteram referri, etiam in ipso singularitatis nomine demonstret: sicut cum dicitur, *Pater, Filius, Spiritussanctus.* In relatiuis enim nominibus nequaquam sic vna persona singulariter dicitur: vt non ad alteram ipso suo nomine referatur. Relatiuo quippe vocabulo sic vna persona singulariter dicitur in se: vt non dicatur ad se. Idcirco relatio ipsa vocabuli personalis personas separari vetat: quas cùm simul nominat, simul etiã insinuat. Cùm enim dicitur *Pater*, intelligitur pariter & Filius, cujus est Pater, cùm dicitur *Filius*, intelligitur & Pater, cujus filius est. Cùm verò Spiritussanctus *donum* dicitur: sicut *Verbum* Filius ad dicentem, sic & *donum* ad donantem inseparabiliter refertur. Sciendum etiã de relatiuis, quia cum nomina Patris & Filij & Spiritussancti, propria eorum sint: nomina, singulorum singula: & propriæ etiam sint quædam singulorum operationes, sicut Patris quòd genuit, Filij quòd genitus est, Spiritussancti quòd ab vtroque procedit, & alia his similia: in his tamen proprijs nulla est naturæ illius separatio, sed personalis agnitio. Dicuntur enim singulariter tres personæ, vt cognoscantur, non vt separentur: in quibus sic nulla est separatio, sicut nulla eis inesse potest cõfusio. Neque inquam quisquam separabiles in aliquo eas audeat dicere: cùm nullam ante aliam, nullam post aliam, nullam sine alia, vel existentem, vel operantem valeat inuenire, vel debeat cogitare. Vbi sicut nulla potest esse separabilitas operis: ita naturaliter manet vnitas inconuertibilis. Verbi gratia, formam quam virginis Deus assumpsit, tota Trinitas fecit: quam tamen certum est à tota Trinitate factã ad solam Filij pertinere personam. Neque enim sicut est totius Trinitatis operatio; sic illa totius Trinitatis inuenitur acceptio. Etenim proprietas personalis, quia nec ipse est Pater, qui Filius, neque Spiritussanctus: est, qui Pater aut Filius, ostendit aliquid à Patre & Filio factum: quod tamen à solo filio inuenitur acceptũ. Similiter de voce Patris in baptismo intelligendum est, dicentis: *Hic est Filius meus dilectus*: similiter de columba & igne, in quorum specie super Dominum & super Apostolos Spiritussanctus visus apparuisse. Cujus rei exemplum nullũ in creaturis potest inueniri, quia excepta Trinitate, quæ Dominus Deus est naturaliter, nulla est natura quæ possit in se habere tres inseparabiles personas. Sic ergo duę istæ prædicationes, essentialis & relatiua, de Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto, cùm altera se habeat circa ea quæ ad se sunt, terminando vbique vnitatem; altera circa id quod ad inuicem sunt, prædicando Trinitatem; contrariæ sibi esse videntur. Sed in hoc magis conueniunt & amica charitate in vnitate pacis illiꝰ quæ exuperat omnem sensum se complectuntur: cùm & essentialis prædicatio vnum Deum dicit, & tres personas non contradicit: & relatio tres personas relati è se habentes ad inuicem dicit; sed tres Deos dici omnino contradicit. Sicque semper vnaquæque sine injuria alterius prædicat quod suũ est: vt neque id quod suum est deserat, neque interturbet in aliquo quod alterius est; & ex vtroque constet, quod Catholicæ fidei est: scilicet ratio fidei, ipsam prædicans vnitatem, quàm Trinitatem; ipsam Trinitatem, quam vnitatem; vnum Deum. Sunt autem & alia nomina relatiua, quibus relatiuè dicitur Deus; sicut cùm Deꝰ Pater principium diuinitatis relatiuè principiũ dicitur ad Filium, qui de ipso est: & simul cum Filio ad Spiritum sanctum, qui de ipsis est. Vnũ enim sunt principium Spiritussancti, Pater & Filius, sed principaliter Pater; quoniam & hoc Filius à Patre nascendo accepit, vt cum Patre vnũ & ipse principium Spiritussancti sit. Vbi verò principaliter hoc esse dicitur Pater, non anterioritas temporis, non præcessio seu gradus intelligendus est dignitatis, non majoritas seu minoritas majestatis; sed innuitur quis, de quo sit, seu quis ad quem, & quid ad quid, in natura illa cõsubstantialis Trinitatis. Pater enim ex nullo originem ducens, origo diuinitatis est. De ipso verò habet filius, quod nascendo ab eo accepit, vt naturali essentia vnum cum ipso sit. Ab ipso etiam & à Filio, sed principaliter, vt dictum est, ab ipso Patre, est Spiritussanctus: qui procedendo ab vtroque, commune habet cum vtroque vt sit, quod illi sunt. Dicitur etiam Filius relativè *Verbum* Patris dicentis, Sanctus quoq; Spiritus *donum* Dei donantis. Vbi, sicut cùm dicitur *Pater* & *Filius*, nequaquam cogitanda est posteritas deriuatiua gignentis & geniti, sed æternæ natiuitatis secretum, sic nec cùm dicitur *Verbum* Dei, æstimandum est verbum prolativum, sed consubstantiale dicenti & coæternũ: sic nec cùm dicitur Spiritussanctus *donum* Patris & Filij, cogitanda est quasi conditio dati, & dominatio dãtium, sed concordia dati & dantium. Singularis

Summũ bonum vnum est, non tria.

Ioann. 10.

Verbum ad dicentem refertur, donũ ad donantẽ.

Personalis eadem operatio.

Matth. 3.

Pater & Filius vnum principium Spiritussan.

Donatoris & donantis aequalitas. enim relatiorissimæ tacita est, vt licet inæquales ibi videantur relationes, sicut Patris ad Filium, dicentis ad Verbum, donati ad donantem: summa tamen ibi æqualitas sit; cùm vnum sint, alter & qui de altero est, & vnus, qui de duobus; & duo, de quibus vnus est. Vbi cùm à rectè de Deo scientibus & piè cogitantibus, illud vnum, de quo Dominus dicit, *Ego Pater vnum sumus*; nullus inueniatur primus vel medius vel nouissimus, oportet tamen vt ibi tres distinctè dicantur, quos etiam necesse est pronunciari suo ordine, vt quis de quo sit, intelligatur. Primoque loco ponitur Pater qui genuit, secundo Filius qui genitus est, tertio Spiritussanctus qui ab vtroque procedit. Quod etiã in operatione diuinitatis, seu cooperatione Trinitatis, quæ cum relatione triũ personarum magnam videntur habere cognationẽ, prouidentissimè animaduertendũ est; sicut verbi gratia in eo quod Apostol⁹ dicit; *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* Vbi cum à Patre per Filium in Spiritu sancto condita omnia commemorari videantur, tamen in diuersis præpositionum appositionib⁹ nulla intelligenda est diuersitas operationis: sed simplex cooperatio. Æquè enim ex Patre & ex Spiritu sancto sunt omnia, sicut ex natura omnium creatrice: æquè per Patrem & per Filium, & per Spiritum sanctum, sicut per Deum omnium opificem: æquè in Patre & Filio & Spiritu sancto, sicut in Deo omnia continente. In hujusmodi verò positionib⁹ trium personarum, vel præpositionum appositionibus tantummodo intelligenda est personalis adnotatio Trinitatis: sic tamen vt omnia recolligantur ad intelligendam in Trinitate veritatem diuinæ vnitatis, subjungente continuò Apostolo ac dicente; *Ipsi*, inquit, non, *ipsis*. Quæ tamen singula singulis distribuuntur, cũ ex Patre dicantur esse omnia, ex quo principaliter est omnis creatura: & per Verbum quo ipse dixit, & omnia facta sunt, & in Spiritu sancto, qui Patris & Filij bonitas est, continens omnia. Nam & quod cooperari dicuntur, quorum, sicut vna essentia, sic vna operatio est, cooperari dicuntur in eo quod tres sunt: & vna eorum operatio est, inquantũ vnũ sunt. Vnde & Dñs in Euangelio dicit. *Non potest Filius à se facere quicquã, nisi quod viderit Patrem facientẽ. Quæcumque enim Pater facit, hæc & filius facit. Pater enim diligit Filiũ & demonstrat ei omnia quæcumq; facit.* Videre enim Filio Patrẽ, hoc est esse, quod ille est; videre operantem, cooperari est. Item. *Omnia per ipsum*, hoc est, per Verbum, *facta sunt*. Vbi sicut cooperatio intelligitur, in eo quod Pater & Verbum duo sunt: sic simplex intelligitur operatio, in eo quod dicitur Deus omnia fecisse per Verbum suum, hoc est, per id quod vnum sunt, ipse & Verbum suum. Quod tamen intelligendum est, de eo quod fit, vel quod factum est, hoc est de creatura, quæ vel fit ab eo, vt sit quæ non erat; vel aliquid fit circa eam, vt facta subsistat. Quod enim in creatore omnium Deo non fit, sed est: secundum æstimationem creaturæ habendum est. Scilicet genuit Pater, quod Filius non facit: genitus est Filius, quod non facit Pater, qui genuit. Sed hoc non est factura; sed facientis omnia diuinitatis essentia. Nam &, cùm Verbum caro factum est, tota Trinitas cooperando fecit, id quod solum Verbum factum est, carnem scilicet, quæ facta, à solo Verbo in vnitate personæ assumpta est, in quo temporaliter factum dicitur Verbum, quod Deus apud Deum est. Sed & vocem Patris, quæ super Dominum audita est dicens, *Hic est filius meus dilectus*, tota Trinitas fecit, quamvis à solo Patre insonuit: & columbam, in qua super Dominum Spiritussanctus apparuit. Hæc enim omnia temporaliter facta sunt, nec aliter de eis æstimandũ est, quàm sicut sunt. Diximus quæ potuimus, de nominibus diuinis, quæ siue secundum substantiam, siue relatiuè in Deo dicuntur: & de relatione ipsa, qua juxta nominum ipsorum proprietatem ad inuicem dicuntur Pater, & Filius, & Spiritussanctus, haurientes quæcumque diximus, non de fontibus nostris, sed de fontibus Saluatoris, ex Scripturis Sanctis, & certissimis authoritatibus Sanctorum Patrum, inuestigantes aliquam rerum cognitionem ex indicijs nominum suorum. Nomina autẽ ipsa recentia quidem sunt apud homines in prædicatione fidei, nomina inquam, non res nominum. Res enim nominum horũ, non tam coæternæ Deo, quàm Deus sunt. Nam & ipsum nomen Dei, quid est, vel vnde dictum est? Aut quis hoc nomen imposuit Deo? Inferiori enim, ab eo qui supra ipsum est, solet imponi nomen. Quid ergo est, quod summa illa majestas tam communi vsu & generali omnium sententia ab omnibus prorsus hominibus dicitur Deus? Vox quædam est naturalis in homine timoris, ad summam essentiã quæ vtcumque de ea edicit, quod sit, volens nec valẽs edicere, quid sit. Nam & à græco quod dicitur θεὸς, quod timorẽ significat, dicitur Deus. Significat autem naturalem, vt dictum est, timorem hominis ad summam essentiam, nomen ei imponere non audentis, & tamen rem, cui nullum nomen aptum est, potius quodam humanæ vocis vsu, quàm aliqua nominandi proprietate vtcumque significantis. Hinc namque est, quod cùm de eo fari volumus, nec valemus, de compendio ineffabilẽ nominam⁹; & invisibilem, quẽ non possumus videre: & sic de eo qui supra omnem sensum & intellectum est, minus dicendo plus dicimus. Porrò cùm, sicut jam suprà dictũ est, omnia nomina diuina sint vnum, intelligendum est nomen Domini Dei nostri esse aliquam ejus notitiam, quæ omnibus his nominibus vtcumque commendatur fidelibus, & quæ quando vult, innotescit quib⁹ vult, & quomodo vult. Hoc namque nomen est, quod præceptis salutarib⁹ moniti, & diuina institutione formati, quotidie à Patre nostro qui est in cœlis oramus sanctificari in nobis. Quod tunc sanctificatur in nobis, cùm ex sensu vitæ, qui in nomine ipso est, ipse qui nominatur, sanctificãdo nos innotescit nobis; cùm, seu in loquendo de Deo, seu in orando eum, in Spiritu sancto nominatur à nobis eo nominandi modo, quo dicit Apostolus, *Dominus Iesus, in Spiritu Sancto*. Nam & quicumque hoc modo *nomen Domini inuocauerit, saluus erit*: &, *sperant in eo quicumque nouerunt hoc nomen ejus*: & *glorientur in eo, qui diligunt nomen ejus*: & *desiderant judicari secundum judicium diligentium nomen ejus*. Quod fit, cùm inuocantibus eis qui sic sunt, nomen Domini, gratia interiùs operãte res nominis dulcescit in corde, & nomen sapit in ore, cùm Dominus inuocatur, qui jam in affectu inuocantis dominatur: cùm in Spiritu sancto clamatur Deo, *Abba Pater*, & conscientia sua testimonium perhibet cla-

Marginal notes: *Ioann. 10.* — *Rom. 11.* — *Omnia esse ex Patre per Fil. in Spir. S. quid sit.* — *Ioann. 5.* — *Ioann. 1.* — *Matth. 3.* — *Nomẽ Deus timorem significat.* — *Deus cum ineffabilis dicitur, plus dicitur.* — *1. Cor. 12.* — *Rom. 10.* — *Psalm. 9. & 5. & 118.*

manti, quod sit filius Dei. Quod & de reliquis Domini nominibus intelligendum est. Nulli enim quippe nomen Dei est, quod non secundũ formam sui similem gratiam spiret invocanti. Hoc
Apoc. 2. enim est nomen novum, quod in Apocalypsi victori mundi hujus promittitur, scriptum in calculo nouo, nõ stylo ferreo, sed digito Dei. Calculus quippe totus teres & rotundus Catholica fides est; quam qui rodere voluerit, non invenit vbi dentem figat. *Fides Catholica calculus est.* Huic inscribitur nomen Domini novum, hoc est, innovans fideliter nominantem, cùm formæ fidei spiritualis Dei notitia informatur. Hoc autem fit, cùm fides incipiens operari per dilectionem, incipit etiam ipsa formari in dilectionem, & per dilectionem in intellectum, & per intellectum in dilectionem, seu in intellectum simul & dilectionẽ. Difficile enim est homini sic affecto discernere quid de quo, cùm jam in corde credentis & intelligẽtis & amantis tria hæc vnum sint, ad similitudinem quamdam summæ Trinitatis. Sed exteriorem nunc fidei rationem de Trinitate, & publicam ejus formam investigare suscepimus, quam formatam in interiore homine nosse o postmodum ejus erit viuificare, de quo legitur, quòd
Gen. 1. & 2. *formauit Deus hominem* primo *ad imaginem & similitudinem suam*: deinde verò *inspirauit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est in animam viuentem.* Attentato ergo & attrectato paululum, quantum licuit, quantum Dominus dedit, quod de divinis nominibus attingere potuimus, non nostris, sed Sanctorum Patrum sensibus innitentes, cum timore adhuc & tremore procedimus, vt procidamus & ploremus, Trinitas Sãcta, corã te Domino Deo nostro, qui fecisti nos, & in hoc ipsum efficis nos orantes & obsecrantes, ne nos errare permittas aliquatenus in contemplatione vel fide formæ ejus, cui conformari & nos ambimus, & tu præcipis nobis in omnibus Scripturis quæ de te sunt: vt sicut tres vnum estis, ita & nos per virtutem fidei, qua hoc
Ioan. 17. credimus, vnum efficiamur in vobis. Forma ergo fidei cui seruiunt omnia, quæcumque suprà diximus, hæc est, sicut jam sæpe diximus, Patrem Deum, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: & tamen non tres Deos, sed vnum Deum. *Fideles multi vnus sunt.* Nec lineamentis spatijsque membrorum hæc Trinitatis & vnitatis forma distenditur; nec Pater Filium localiter in se suscipit manentem, nec Filius Patrem in se habitantem: aut euacuantur Pater & Filius, cùm Spiritum sanctum emittunt ad illustrandam omnem creaturam suam. Tres quippe sunt, sed non disiunctè: vnum sunt, sed non confusè: sed cùm tres sint, vnum sunt; cùm sint vnum, tres sunt: tres propter Sabellianum, vnum propter Arrianum. Nec in vno Deo est Trinitas ipsa, sed Trinitas ipsa Deus est: nec Deus est in Trinitate, sed Deus ipsa Trinitas est. Neque enim Deus amplius aliquid quàm Trinitas ipsa est: nec Trinitas aliud quàm vnus Deus est. Cum ergo ad confitendum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum aciem mentis intendimus, procul ab animo formas rerum visibilium, & ætates temporalium naturarum: procul loca corporum & corpora locorum repellamus. Discedat ab anima quod spatio distenditur; quod fine clauditur; & quicquid nec semper est vbique, nec vbique totum. Denique cogitatio de Trinitatis Deitate concepta, nihil per distantiam intelligat, nihil per gradus quærat; ac si quid Deo dignum senserit, nulli hoc ibi audeat negare personæ. Omnibus enim existentiæ gradibus exclusis, vna est & incommutabilis in Trinitate Diuinitatis substantia, indiuisa in opere, concors in voluntate, par in omnipotentia, æqualis in gloria, simul implens omnia, & continens vniuersa. Quæ sic in tribus confitenda est personis, vt & vnitatem seruet vnius essentiæ inseparabilis æqualitas: & solitudinem non recipiat Patris & Filij & Spiritussancti Trinitas. Solus quippe Deus est, Pater, & Filius, & Spiritussanctus, præter quem alius Deus non est: sed non est solus aliquando Deus Pater, qui semper ad Filium est, quod est: nunquam solus Filius, qui semper ad Patrem est: nunquam solus Spiritussanctus, qui semper ad Patrem & ad Filium est. Nec tamen triplex dicendus seu æstimandus est Deus; *Nõ triplex dicẽd. Deus.*
qui cùm sit vnus in tribus personis, totus tamen est in singulis. Nihil enim ibi triplicitas inuoluit, vel vnitas confundit; quia diuinus quidam numerus ab omni prorsus numerali differentia remotissimus, sic ibi efficit eam, quæ ibi est, Trinitatem, vt forma simplicis Deitatis alienam ab ea faciat omnem triplicitatis confusionem. Nec alicubi forma hæc, nisi ibi est, vbi numerus est super numerum, quo tres vnum sunt, & vnum tres. Nec quærat homo mortalis humana ratione inuestigare modum, quo hæc de Deo supra humanum modum dicuntur: cùm tu Domine Deus noster nulla ratione nulloque modo cogitandus siue credendus sis subditus esse vlli modo: sub quo & à quo potiùs est omnis modus, quo est quicquid est, seu esse possibile est: tu verò & essentia tua, ipsa tibi & causa & modus existendi es. Idcirco qui sic es, inuestigabile totus profundum es, & imperscrutabile: totus autem, non vt per hoc diffinitus in modo, sed vt intelligaris, sicut intelligi potes, in immenso. Videbunt hoc in futura vita te fruendo, quos hic dignos feceris credendo; vbi videbunt te facie ad faciem sicuti es, & videndo efficientur sicuti es. Sic enim promittit nobis dilectus Apostolus tuus Ioannes. *Similes*, inquit, *ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* *1. Ioan. 3.* Ibi qui te videbunt, non mentientur vltra, nec fallentur; nec dubiæ vltra erunt visiones eorum, nec cogitationes ab alijs in alia transeuntes, & euntes, & redeuntes: sed omnem scientiam suam, quæ non nisi de te erit, ô veritas Deus, vno simul cernent intuitu. Non enim visio illius contemplationis, seu contemplatio illius visionis, à Patre transibit ad Filium, à Filio ad Spiritum sanctum; non in tres diuidetur, nec colligetur in vnum: sed beata perpetuitate, & perpetua beatitudine non jam quærentes sed fruentes contemplabuntur te vnum & verum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum viuentem in sæcula sæculorum. De Deo Patre propriè dictũ videtur, quod Dominus dicit. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et illud. *Luc. 18.*
Vt cognoscant te solum ac verum Deum. Et quod *Ioan. 17.*
Apostolus dicit. *Regi autem sæculorum, immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria.* Item, *Beatus ac solus potens Rex Regum & Dominus Dominantium; qui solus habet immortalitatem & inhabitat lucem inaccessibilem: quem nemo hominũ vidit, vel videre potest.* *1. Tim. 1. & 6.* Sed hæc & hujusmodi sũt, quæ propriè de Deo dicuntur, quæ non ita sunt propria Patris, quasi minùs in aliquo propria sint Filij & Spiritussancti. Etenim consubstantialiter sunt Pater, Filius & Spiritussanctus, sed

Pater est principaliter ratione originis.

principaliter Pater, non principaliter quasi præcipuè, vel principalitate aliqua seu temporis seu dignitatis; sed originis. Est enim Deus Pater quasi fons quidam & origo diuinitatis, principium Filij & Spiritussancti, qui ab ipso sunt, ab ipso habentes esse, quod sunt. Sed cùm sit Deus Pater principium Filij, & principium Spiritussancti, & tres sint principium omnis creaturæ; absit tamen vt tria vel quatuor principia esse credantur Pater, Filius & Spiritussanctus: qui sic vnum sunt principium, sicut vnus Deus. Neque enim dicendus est Pater principium principij, in eo quod Filius, cujus ipse principium est, principium est cum ipso Spiritussancti: sed sic ibi intelligendum est esse principium de principio, sicut Deus de Deo, vnus Deus, vnum principiũ, Pater Filij, & cum Filio Spiritussancti, & cum Filio & Spiritu sancto omnis creaturæ. Oramus etiam Deum Patrem & adoramus, & gratias ei agimus semper non sine Filio & Spiritu sancto; & tamen per Filium, sicut per Mediatorem Dei & hominum Dominum nostrum Iesum Christũ, in Spiritu sancto paraclito nostro, & aduocato orationum nostrarum apud Deum; sine quo nec quemadmodum nos oporteat orare, scimus, nec orantes exaudimur. Cùm autẽ oramus Patrem per Filium in Sancto spiritu, sicut alium per aliũ in alio; nonnisi vnũ Deum oramus in nullo differentem à Deo: sed fiduciam habemus ad Deũ quem oramus, non quasi ex nobis, sed ex justitia quæ est per fidem Domini nostri Iesu Christi, & exaudibiles efficimur per consolantem ac viuificantem nos interiùs gratiam Spiritussancti.

Ioann. 1.

De Filio dicitur. *In principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum.* Vbi cum dicitur, *erat, erat, erat*, de eo quod semper est, hoc primo est intelligendum, quia non refert quomodo in Deo tempora pronuntientur: cùm nullum inueniatur tempus, quo congruè significari possit, quod dicitur, id est æternitas. Vbi cum dicitur, *In principio erat Verbum*, signatur Patris & Filij coæternitas: in eo quod *Verbum erat apud Deum*, personarum veritas, in eo quod *Deus erat Verbum*, Verbi ad dicentem consubstantialitas. Dicitur quoque Filius esse de Patre, quæ est diuina natiuitas, sempiternumque esse Filium de sempiterno Patre, quæ est diuinæ natiuitatis æternitas. Et natus enim, & semper natus intelligendus est Dei Filius: natus, ne quolibet modo imperfecta putetur illa natiuitas: semper, vt natiuitatis ipsius ipsa sese prædicet æternitas. Natus enim pertinet ad perfectionem, semper ad æternitatem: vt quocumque modo illa essentia sine tempore temporali valeat designari sermone. Filius est, quia verè nat⁹ est Deus de Deo, verâ sed diuinâ & imperscrutabili & inenarrabili nativitate. *Generationem enim ejus quis enarrabit?* Non tamen refugimus prædicare in Deo verum nomen generationis & nativitatis, sicut Manichæi, siue quidam Arriani, qui creaturam esse dicunt Filium Dei: sed credimus & profitemur, natũ de Deo Deum; vnumque esse eum qui genuit, & eum qui genitus est. Sicut autem Filius filius dicitur gignentis, sic & verbum dicentis: vt multis modis vtcumque dicatur, quod nullo edici modo potest. Verbum enim Dei magno occultoque mysterio apud homines humani verbi & nomẽ gerit, & aliquam similitudinem. Est enim in homine in interiore cordis ejus verbum aliquod

Dei Filius semper natus.

Isaia. 53.

Verbi Dei & nostri aliqua similitudo.

de quacumque re conceptio aliqua veritatis, sine voce, sine syllabis, sine forma aliqua. Sicut autem verbum hominis vt manifestetur sensib⁹ hominum; vox quodammodo fit, assumendo eã: sic Verbum caro factum est, assumendo eam in qua manifestaretur hominibus. Et sicut verbum hominis fit vox, nec mutatur in vocem; ita & Verbum Dei factum est caro: sed absit à fide fidelium omnium, vt credatur mutatum in carnẽ. Factumque caro Verbum Dei factum est nobis & verbum doctrinæ, non humanæ, sed diuinæ: docẽs nos de compendio implere omnem legẽ, dicens. *Diliges Dominum Deum tuũ in toto corde tuo, & in tota anima tua, & ex tota mente tua: & proximum tuum sicut teipsum.* Deinde, *In his*, inquit, *duobus mandatis tota lex pendet, & Propheta.* Deinde tota vita ejus in terris per hominem quẽ suscipere dignatus est, doctrina & disciplina morum fuit. Diuitias, honores, voluptates, & omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo & docendo vile fecit: paupertatem, contumelias, injurias, dolores, mortemque corporis, & omnia quæ vitare cupiendo à studio bene viuendi solent homines deuiare, perpetiendo dejecit. Docuit etiam carnales homines sensibus carnis deditos, nec valentes mente intueri veritatem, quàm excelsum locũ inter creaturas haberet humana natura, in eo quod hominem assumendo, Verbum Dei ex duab⁹ naturis factũ est vna persona. Hinc enim est, quod dicit Propheta. *Misit verbum suum, & sanauit eos; & eripuit eos de interitionibus eorum.* In qua tamen missione duo sunt, quæ subtiliùs pensanda sunt, scilicet ne missio Filij à Patre quasi separabilis intelligatur, aut temporalis. Nam cùm hoc à Patre & Filio fieret, vt filius in carne appareret: congruẽter dictus est missus ille, qui in carne apparuit; misisse autem ille, qui in ea non apparuit: quoniam ea quæ coram corporis oculis geruntur foris, ab interiore apparatu naturæ spiritualis existunt; & propterea conuenienter missa dicuntur; porrò forma illa suscepti hominis Filij est, non etiam Patris. Quapropter Pater inuisibilis vna cum Filio secũ inuisibili eundem Filium visibilem faciendo, misisse eum dicitur. Qui si eo modo visibilis fieret, vt cum Patre inuisibilis esse desineret: id est, substantia inuisibilis Verbi in creaturam visibilem transiens mutaretur: ita missus à Patre Filius intelligeretur, vt tantum missus & non mittens inueniretur. Cùm verò ita accepta est forma serui, vt maneret incommutabilis forma Dei; manifestum est, quòd à Patre invisibili & ab invisibili Filio, & ab invisibili Spiritu sancto factum sit, quòd appareret in Filio: id est, quòd ab illis inuisibilibus visibilis ipse mitteretur. Seruilẽ enim formam, quã vnigenitus Deus assumpsit, tota Trinitas fecit: sed licet sit in ea totius operatio Trinitatis, acceptio tamen ejus solius Filij est, non totius Trinitatis. Quod si in Christo vna fuisset facta natura divinitatis & carnis: totius ex hoc crederetur incarnatio Trinitatis. Sed natura in Christo est vna, quam invenitur vnigenitus Dei inseparabilem quidem habere cum Patre & Spiritu sancto; propriam verò habet humanitatem suam, cum qua diuinitas ejus non vnam naturam, sed vnam inuenitur habere personam. Sed neq; temporalis credenda est missio Verbi; cùm in ipso Verbo, in ipsa sapientia Dei ab æterno sine tempore fuerit tempus, quo illam in carne

Deuter. 6.
Matth. 22.

Quid Christus docuerit.

Psal. 106.

Missio Filij à quo sit.

apparere oporteret. Quæ plenitudo temporis cùm venisset, hac ratione dicitur Deus misisse Filium suum; vt cùm esset Deus & homo; sicut in vtroque nasceretur, sic non coactus sed sponte moreretur in vtroque. Passa enim est diuinitas cuncta quæ carnis erant in carne: quia passibilem carnem cum humanis affectibus Deus suscepit: non tamen compassa est cũ carne, quia impassibilis semper in sua natura diuinitas permansit. Idem enim erat Deus, idem homo. Nam & hoc certissima fide discernendum ac tenendũ est: quia sicut in Trinitate quæ Deus est, tres confitemur personas, vnam naturam: sic in Domino Iesu Christo duas debemus naturas intelligere, & vnam personam. Et sicut inseparabiles in natura diuininatis necesse est credi tres personas: sic in persona Christi duas naturas. Credimus ergo Dei Filium sine aliquo natiuitatis suæ initio de Patris substantia genitum, Deum de Deo; non ex nihilo, quia de Patre; nõ nuncupatiuum, sed nomen habentem ex veritate naturæ. Quid enim prodest Filio, vt nuncupetur vnigeniti nomine, si priuatur nominis veritate? Frustra namque vnigenitus dicitur, si in ejus generatione non naturalis de Deo generante veritas, sed ex donãte largitas prædicatur. Et alijs enim, quotquot receperunt eum, dedit potestatem filios Dei fieri. Sed in illo sempiternæ natiuitatis arcano sempiternus atq; immutabilis Pater alterum genuit, non diuersum: & quantum generando protulit, tantus ipse permansit. Personaliter distinxit à se, quem naturaliter totum habet in se. Ille igitur ineffabilis de Patre sine initio natus, postquàm venit plenitudo temporis, vt missus à Patre fieret ex muliere, totus regnans in sinu Patris, totum semetipsum formãs in sinu matris, totus venit in vterũ virginis. Neque enim pars ejus remansit in Patre, & pars ej⁹ venit in Virginem, cùm totus in Patre maneret, quod erat: & totus in Virgine fieret quod non erat. Sic ergo verus Deus ac summus totum hominem in se accepit: & sic plenitudo diuinitatis veritate diuinæ humanæque substantiæ inconfusibiliter permanente semetipsam pleno conjunxit homini: vt vnitate deinceps manente personæ, nec homo Christus à sua diuinitate, nec idem Deus Christus à sua possit humanitate disjungi. Hæc enim personæ inseparabilis vnitas, in qua Deus & homo natus est Christus, fecit, vt & homo Christus per gratiam nasceretur ex Deo, saluã veritate ac plenitudine humanæ naturæ: & idem Deus Christus voluntariè pateretur in carne, saluã impassibili plenitudine diuinæ substantiæ. Quapropter diuinitatem Christi, quam immutabilẽ sancta Scriptura commendat, sic passam fatemur in carne; vt tamen credamus eam non compassam fuisse cum carne. Ideo enim in carne Deus passus est: quia passibilem carnẽ accepit. Ideo autem carni compassus non est: quia in carne patiens impassibilis diuina natura permansit. *Spiritus Deus est*, ait Dominus. Spiritus est Pater, Spiritus Filius, Spirit⁹ qui dicitur Spiritussanctus: & tamen non tres spiritus sunt, sed vnus spiritus, de quo Dominus dixit, quoniam *spiritus est Deus*: sicut non sunt tres dij, sed vn⁹ Deus. Cum autem vnusquisque eorum sit spiritus, & vtique sanctus, Spiritussanctus qui communis est duorum, & propriè censetur eo nomine, quod commune est amborum, sicut ipse commune est amborum, quicquid communes sunt eorum, diuinitas eorum, charitas, suauitas, beatitudo, & cætera. Sicut enim Filius à Patre est nascendo, sic Spiritussanct⁹ à Patre & Filio procedendo: sed principaliter à Patre, cùm & hoc Filius à Patre nascendo acceperit, vt Spiritussanct⁹ procedendo de ipso æquè ac de Patre sit. Nascendo quippe Filius de Patre hoc accepit, vt Deus de Deo, vnusque cũ Patre Deus sit. Quod tamen reciprocari ad Filium ratio fidei non permittit: scilicet vt cùm similiter Pater & Spiritussanctus vnus sit Deus, similiter etiam de Spiritu sancto æquè ac de Patre Filius esse intelligatur. Fieret enim à duabus patribus vnius filij natiuitas confusio Trinitatis, quod à ratione fidei remotissimũ est. Cùm ergo sit Spiritussanctus spiritus Patris & Filij, & ab vtroque procedat, sitque charitas & vnitas amborum: manifestũ est, quod non sit aliquis duorum, quo vterque conjungitur, quo genitus à gignente diligitur, genitoremque suum diligit, vt sint non participatione alienâ, sed propriâ essentiâ, nec alterius dono, sed suo proprio seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis. In processione verò qua procedere dicitur Spiritussanctus à Patre & Filio, diuina ejus coëssentia ad eos intelligitur: in eo autem quod etiam in creaturam procedit, donũ esse Dei declaratur. Donum enim Dei intantum est Spiritussanctus, vt donorum Dei, quæ nemo omnia habet, nemo vllum habeat, qui Spiritũ sanctum non habet, quorum quicumque habet vllum, non nisi in Spiritu sancto habet. Dantur autem dona multa per Spiritum sanctum, præter charitatẽ, sine qua nihil sunt, nihil prosunt. Nam neque propriè dicitur Spiritussanctus donum, nisi propter charitatem, de qua dicitur. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Hoc enim dono nihil excellentius, quod solum diuidit inter filios regni & filios perditionis, solumque etiã cætera charismata non habeantur, perducit ad regnum. Nam & fides ipsa præter charitatẽ vtcumque potest esse, sed non potest prodesse. Sola enim prodest, quæ per dilectionem operatur. Sanctus enim Spiritus charitas est Patris & Filij, qua se diligunt, & vnitas qua vnum sunt. Hic cum datus fuerit homini, accendit eum in dilectionẽ Dei ac proximi. Et ipsa dilectio est, qua Deus charitas est; nec habet homo vnde diligat Deum, nisi ex Deo. Vnde etiam dicitur, quoniã *Prior* Deus *dilexit nos*; & quia nos idcirco eum diligimus, quoniam ipse prior dilexit nos. Prior enim Deus dilexit nos, non affectu, sed effectu charitatis; cum ante sæcula in adoptionem filiorum nos prædestinauit: in tempore verò beneplaciti sui charitatem suam per Spiritum sanctũ diffudit in cordibus nostris. Neminem enim tẽporaliter diligit æternus, nec efficitur, qui incommutabilis est. Ipse est Spiritus Domini replens orbem terrarum omnipotentiæ suæ bonitate, ingenti vbertate superabundantis gratiæ perfundens omnia pro captu & modo singulorum, vt ordines suos singula teneant, & sponte locis suis acquiescant; largiens bona, disponens vtilia, pijs & fidelib⁹ impertiens diuisiones gratiarum; impijs & infidelibus sæpe pacem tribuens temporum, corporum sanitatem, prosperitatem rerũ, de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam, & his similia; quæ nonnumquam subtrahit sanctis ad probationem sanctitatis, & sceleratis ea & peccatoribus indulget, ad punquea-

Duæ naturæ in persona Christi.

Galat. 4.

Gratia vnionis non adoptionis hic intelligẽda.

Ioann. 4.

Spiritussanctus quo sensu principaliter à Patre sit.

Spiritussanctus Donũ Dei est.

Rom. 5.

1. Ioan. 4.

Sapien. 1.

tionem & ædificationem charitatis. Ipse filijs gratiæ, pauperibus spiritu, in præsentis vitæ exilio aduocatus est & consolator, virtus in aduersis, in tribulationibus adjutor. Ipse docens orare, quomodo oportet; hominemque Deo afficiens, & placentem & exaudibilem efficiens, illuminat intellectum, format affectum; faciens, perficiens, & solus, si solus esse potest, vel dici debet, sufficiens. Sed ideo solus sufficit, quia separari à Patre & Filio non potest, cum quibus inseparabiliter facit cuncta quæ facit.



EIVSDEM B. GVILLELMI

ABBATIS S. THEODORICI,

Disputatio Aduersus Petrum Abaëlardum. Ad Venerabilem Gaufridum Carnotensem Episcopum, & B. Bernardum Clara-vallis Abbatem.

REVERENDIS in Christo Dominis & Patribus, Gaufrido Carnotensium Episcopo, & Bernardo Claræ-vallis Abbati, vitam & dies bonos. Confundor, Deus scit, apud vos, cum de re communis & gravis necessitatis, silentib' vobis, & alijs, quorum erat loqui, cogor vos alloqui; nullus in hominibus, Dñi & Patres. Cùm enim fidem communis spei grauiter nimis & periculosè corrumpi video, nullo resistente, nullo obloquente; quam Christus suo nobis sanguine sacravit, pro qua Apostoli & Martyres vsque ad mortem pugnauerunt, quam Sancti Doctores duris laboribus suis, & magnis sudoribus defensam, integram & incorruptã vsque ad fæces temporum nostrorum transmiserunt: contabesco in memetipso, & à frixura cordis & dolore spiritus cogor pro ea loqui; pro qua, si necesse esset, & opportunum, vellem etiam mori. Nec de minimis agitur, sed de fide Sanctæ Trinitatis, de persona Mediatoris, de Spiritu sancto, de Gratia Dei, de Sacramento cõmunis redẽptionis. Petrus enim Abaëlardus iterum noua docet, noua scribit; & libri ejus transeunt maria, transiliunt Alpes; & nouæ ejus sententiæ de fide, & noua dogmata per prouincias & regna deferuntur, celebriter prædicantur, & liberè defenduntur: intantum vt in curia etiam Romana dicantur habere authoritatem. Dico vobis, periculosè siletis, tam vobis quàm Ecclesiæ Dei. Pro nihilo ducimus corrumpi fidem, pro qua nosmetipsos nobis abnegauimus: non timemus Deum offendere, ne offendamus. Dico vobis, adhuc parturiens parturit malum hoc: sed nisi præuentum fuerit, erumpet in regulum, cui vix inueniatur incantator. Quod cur dicam, aduertite. Casu nuper incidi in lectionem cujusdam libelli hominis illi', cui titulus erat, *Theologia Petri Abaëlardi.* Fateor, curiosum me fecit titulus ad legendum. Duo autem erant libelli idem pene continentes; nisi quòd in altero plus, in altero minus aliquando inueniretur. Vbi cùm aliqua inuenirem, quæ multum mouerent me, notaui; & cur mouerẽt, subnotaui; & cum ipsis libellis misi vobis; vtrùm rectè me moveriat, judicij vestri sit. Cùm enim grauiter turbarer ad insolitas in fide vocum nouitates, & nouas inauditorum sensuum adinuẽtiones cùm non haberem in quem refunderem; vos in omnibus elegi, ad quos me converterem: & quos in causam Dei, & toti' Latinæ Ecclesiæ citarem. Vos etiam timet homo ille, & reformidat. Claudite oculos; quem timebit? Et qui jam dicit, quod dicit: quid non dicet, cùm nullum timebit? Emortuis quippe ex Ecclesia omnibus penè doctrinæ Ecclesiasticæ magistris, quasi in vacuam Rempublicam Ecclesiæ domesticus irruens inimicus, singulare sibi in ea magisteriũ arripuit: agẽs in Scriptura diuina, quod agere solebat in Dialectica, proprias adinventiones, annuas nouitates; censor fidei, non discipulus; emendator, non imitator. Hæc sunt ergo Capitula ex Opusculis ejus collecta, quæ vobis offerẽda putaui. 1. Quòd fidem diffinit æstimationem rerum, quæ non videntur. 2. Quòd impropria dicit esse in Deo nomina Patris & Filij & Spiritussancti: sed descriptionem hanc esse plenitudinis summi boni. 3. Quòd Pater sit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritussanctus nulla potentia. 4. De Spiritusancto, quòd non sit ex substantia Patris & Filij, sicut Filius est ex substantia Patris. 5. Quòd Spiritussanctus sit anima mundi. 6. Quòd libero arbitrio sine adjuvante gratia bene possumus & velle & agere. 7. Quòd Christus non ideo assumpsit carnem, & passus est, vt nos à jugo diaboli liberaret. 8. Quòd Christus Deus & homo non est tertia persona in Trinitate. 9. Quòd in Sacramento altaris in aëre remaneat forma prioris substantiæ. 10. Quòd suggestiones diabolicas per physicam dicit fieri in hominibus. 11. Quòd ab Adã non trahimus originalis peccati culpã, sed pœnam. 12. Quòd nullum sit peccatũ, nisi in consensu peccati, & contemptu Dei. 13. Quòd dicit concupiscentiã & delectatione & ignorantiã nullum peccatum committi: & hujusmodi non esse peccatum, sed naturam.

Peruersa doctrina mox à multis propugnatur.

Capita errorum Abaëlardi.

Hæc pauca interim capitula ex opusculis ej' cõgesta in vnum primò vobis arbitratus sum offerenda, ad excitandos vos, & excusandos nos, ne frustra commoti videamur. Quæ tamen cum alijs incidentibus, auxiliante eo in cujus manu sumus, & nos & sermones nostri, ex hoc latiùs digerere aggrediar; paruipendens, si vobis displicuero in sermone, dum non displiceam in fide: vt si quocumq; modo suggerere potuero vobis me justè commotum, commoueamini & vos; & in causa capitis, siue pes ille sit, siue manus, siue etiam oculus, non parcatis. Dilexi & ego eum, & diligere vellem, Deus testis est: sed in causa hac nemo vnquam proximus mihi erit, vel amicus. Nec

Nec secreta commonitione seu correptione malum hoc attentandum est, quod, ipso se prodente, tam publicum factum est. Sunt autem vt audio, adhuc alia ejus opuscula, quorum nomina sunt, *sic & non: scito teipsum*: & alia quædam, de quibus timeo, ne sicut monstruosi sunt nominis, sic etiam sint monstruosi dogmatis: sed sicut dicunt, oderunt lucem, nec etiam quæsita inueniuntur. Sed jam veniamus ad rem.

CAPVT I.

Abaelardus fidem censet æstimationē.

IN primo limine Theologiæ suæ fidem diffiniuit, æstimationē rerū non apparentium, nec sensibus corporis subjacentiū: æstimans fortasse, vel communem fidem nostram æstimationem esse; vel licitum esse, in ea quodlibet cuilibet ad libitū æstimare. Beatus Augustinus. *Fides enim*, ait, *non conjectando vel opinando habetur in corde in quo est, ab eo cujus est: sed certa scientia acclamante conscientia.* Absit enim, vt hos fines habeat Christiana fides, æstimationes scilicet, siue opiniones. Academicorum sint æstimationes istæ; quorum sententia est, nihil credere, nihil scire, sed omnia æstimare. Similem quippe fidem similis spes, similis charitas comitatur. Si enim fides hæsitat: palpitat spes, charitas nulla est. *Scio* enim, ait Apostolus, *cui credidi; & certus sum.* Ipse verò de omnibus amat putare, qui de omnib⁹ vult disputare, de diuinis æquè ac de sæcularib⁹.

Aug. lib. 13 de Tri. c. 1.

2. Tim. 1.

CAPVT II.

Personas diuinas in aliud mutat.

DEINDE egregia & laudabili professionē præmissa, de fide Trinitatis trium personarum in vnius substantia deitatis: post aliquāta personas ipsas in minus aliquid à subsistentibus personis videtur extenuare velle, cum dicit. *Videtur nobis suprà positis trium personarum nominibus summi boni perfectio diligenter esse descripta: vt cùm videlicet prædicatur Deus esse Pater, & Filius, & Spiritussanctus, eum summum bonum, atque in omnibus perfectum hac distinctione intelligamus. Patris quippe nomine diuina majestatis potentia designatur, qua quicquid vult efficere potest: Filij seu Verbi appellatione sapientia Dei significatur, qua scilicet cuncta discernere valet, ne in vllo decipi queat: sancti verò Spiritus vocabulo charitas ejus seu benignitas exprimitur, qua optimè vult cuncta fieri, siue disponi.* Vnde & alibi manifestiùs dicit. *Notandum, quod ista tria nomina, Pater, & Filius, & Spiritussanctus, quamvis, sicut & alia nomina, de Deo impropriè dicantur; tamen ad commendationem summi boni in descriptione ipsius conuenienter sunt apposita; per quæ potētia Dei designatur, & sapientia, & benignitas. Si enim*, ait, *omnipotens esset, & non omnisapiens, summè bonus non esset: iterum si benignus non esset, ejus potentia perniciosa & inutilis esset.* O quàm longè est hæc sententia ab eo, vbi hoc est posse, quod sapere: sapere, quod benignum esse: & hoc totū, quod esse. Omitto hic friuola de Deo & inepta verba, & insulsas de summi boni essentia dictiones vsq; ad impatientiam verberantes aures meas: scilicet ideo habendam esse Deo sapientiam, hoc est filium generandum, ne in aliquo decipi queat: ideo habendam benignitatem, hoc est Spiritum sanctum, ne perniciosa sit potentia ejus siue sapientia: tamquam hoc non esset habendum, si illud non esset cauendum. Omitto etiam, quòd ibi dicit, quasi ex authoritate B. Augustini, non esse Deum omnipotentē: scilicet quia non potest, nisi ea tantū quæ vult: quod breuitatis causa prætermisimus. Hæc inquam omnia omitto, quæ verba sunt, & verbis ad ea occurrere facile est; ad causam veniamus. Dicit nomina Patris & Filij & Spiritussancti impropria esse in Deo; sed in descriptione summi boni ad commendationem apposita. Poterat autem simpliciter accipi, de qua dicit, summi boni descriptio: nisi in ipso statim exordio narrationis ex descriptione partium in vnitate diuinæ essentiæ videremus exoriri scandalū diuisionis. Ipse enim illud summè ac singulariter vnum statim in descriptionis suæ exordio dissecat in tria; in majus, & in minus, & minimum: sicut in sequentibus meliùs apparebit. Propter quod dicimus, quoniā cùm in nomine Patris & Filij & Spiritussancti à Catholicis Patribus diuinitas prædicatur; fidei est hæc professio, non diuinitatis descriptio. Quæ si posset describi, posset & circumscribi. Sicut enim quod describitur, per partes suas describitur: sic quod circumscribitur, vtique per totum suum. Nempe vbi constat esse partes ad describendum: necesse est etiam, esse totum ad circūscribendum. Nam etsi spiritualis substantia sit: pro corporeis partibus & localibus dimensionibus, habet spiritualis naturæ qualitates: quæ certè sicut suo queunt modo discerni ad describendum, sic suo queunt modo comprehendi, ad circumscribendum. Horum verò omnium natura illa expers est, vbi mera simplicitas, & simplex vnitas est idipsum: non habens partes per quas describatur: non qualitates quibus discernatur. Tres sunt, sed vnum; vnum in tribus, totùm in singulis: si tamen totum ibi est, vbi pars non est: si tantum, vbi neque quantitas neque qualitas est. In tribus nullus alterum includit, nullus alternm excludit: sed, sicut dictum est, tres sunt, & vnum sunt: vnus Deus, vna essentia; vbi, sicut suprà dictū est, hoc est posse, quod sapere; sapere, quod velle; & hoc totum, quod esse. Nec, sicut dicit, sunt apposita ab homine, siue per hominem, tria hæc triū nomina distincta personarum in Deo ad commendationem; siue adhibita ad summi boni particularē descriptionem, siue perfectionem: sed sunt in Deo verè, & naturaliter, & æternliater: annuntiata verò sunt hominibus, vt cùm auditum fuerit vnū in tribus, tres in vno, siquis aliquid ibi putauerit describendum, siue circumscribendum; vnitas non vsque ad solitudinem, Trinitas non vsq; ad diuisionem, omnem compescat & absterreat humanæ rationis conatū. Absit enim à fide Catholica, & prædicatione de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, vt, sicut dicit novus hic magister, alter ibi in altero, siue ad alterū, summū bonū aliquaten⁹ vel dicatur vel credatur perficere: cùm ad omnem summi boni plenitudinem singulus quisque sibi ibi credendus sit sufficere. Absit, vt superabundet in tribus, quod in singulis plenū est: vt particulariter dispertiatur, quod simplex & individuum vnum est: vt in solitudinem redigatur, quod Trinitas est: vbi quod alter est ex altero, vel alter ad alterum, non est dissipatio vnitatis, sed distinctio personarum: quia licet alter ibi verè prædicetur ad alterum, non tamen ibi est alterum & alterum, sed simplex vnū. Hoc de Deo cogitare, in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti credentibus, sperantibus, amantib⁹, pium est; audire iucundum, familiare proloqui, ardenti fidei super omne quod desideratur desiderabile ad intelligendum: illuminato verò amori dulce super omne quod dulce est, quoti-

Sabellianismū olet hæc doctrina.

Dei simplicitas.

Sūmi boni plenitudo in singulis personis diuinis

ens fuerit aliquanta intelligentiæ experientia compertum. In hujusmodi etenim, sicut dicit B. Gregorius, *amor ipse intellectus est*. Non autē hoc modo nobis repræsentat illum, quem dicit Ezechiel, sonum sublimis Dei, pro nominibus Patris & Filij inducta potentia, potentia discernēdi, de potentia tam gerendi quàm discernendi, quasi quiddam ad totum: sicut noster Theologus dicit. Non quòd sæpius in Scripturis & in vsu loquendi, & consuetudine tractandi, Patri non adscribatur potentia, sapientia Filio, benignitas seu charitas Spiritui sancto: sed secundum rationem fidei & intellectum pietatis: vt semper & quantum ad omnipotentiam efficiendi, & quantum ad benignitatem miserendi, non tantum potens, sed & omnipotens intelligatur Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritussanctus; & tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens: sic etiam sapiens, vel, sicut ipse solet dicere, omnisapiens, & omnibenignus, non solus Pater, sed & Filius, & Spiritussanctus. Etenim dicitur de Deo Patre, quia *omnia quæcumque voluit fecit*, & dicit Apostolus *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*: & quia *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Per quā etenim Trinitatis personam aliquid de Deo, siue in aliquo Deus potissimum hominibus innotuit, ipsam in eo ipso adorandam esse & diuinitas reuelauit; & homo consueuit: non autem solam exceptis alijs; sed sicut in hoc operantem, æquè & indifferenter cooperantibus alijs. Minùs autem propriè hujusmodi nomina summæ & supereminētis essentiæ naturam designare videntur; quando cum hujusmodi additamento proferuntur, quibus Deus, non in eo quod ad semetipsum, sed in eo quod ad creaturam est, denominatur: videlicet cùm dicitur potentia gerendi quæcūque vult, & discernendi, siue sapientia, hoc est potentia discernendi; quàm, saltem cùm absolutè pronuntiantur; vt dicatur tantūmodo summa potentia diuina essentia, cui hoc est esse; quod posse, quod sapere, quod benignum esse: si tamen pronunciātur cum hujusmodi additamento creaturæ, videntur quasi non esse, nisi quasi respectu creaturæ: vel videntur esse ad creaturam, quasi qualitas quædam relatiua. Nomina verò Patris, & Filij, & Spiritussancti, propria ibi sunt, exprimentia rem, sicut suprà dictum est, & vsitato modo cogitandi, & familiari vsu loquēdi: secundum veritatem generationis in veritate gignētis & geniti. Quibus cùm adjicitur Deitas, vt dicatur Deus Pater, De⁹ Filius, Deus Spiritussanctus: certissima fides naturalis in deitate vnitatis omnem perimit in veritate substantię pro Trinitate personarum suspicionem multitudinis, & multiplicitatis, & divisionis, & diuersitatis. Etenim tametsi dicatur ad aliquid Pater, ad aliquid Filius, ad aliquid Spiritussanctus; & ipse quippe Spiritussanct⁹ ad aliquid dicitur, inquantum donum Dei est: tamen quantū ad veritatem naturalis coessentiæ, extra naturalis vnitatis metas, nequaquam aliquem eorum aliqua defert relationis necessitas. Semper quippe prædicatur vnum, quamvis non vnus, Pater, & Filius, & Spiritussanctus: & prædicatio hujus veritatis ex ipsi⁹ veritatis authoritate, in obsequiū fidei & confessionis suæ captivū redigit omnem intellectum humanæ rationis. Contra hoc verò quod dicit, impropria esse in Deo nomina Patris, & Filij, & Spiritussancti, tamquam aliud significantia, quàm quod in nominib⁹ ipsis sonat; hoc est contra Arrianos, Beatus Ambrosius in libro de Spiritu sancto dicit. *Audis Filium Dei: aut dele nomen, aut confitere naturam. Quid te quæstionum tormenta delectant? Mihi licet scire de filio Dei, quod natus est: non licet scire, quomodo natus est.* Item. *Non sunt nuda hæc nomina; sed operatricis virtutis indicia. Non enim ipse Pater qui Filius: sed inter Patrem & Filium generationis est expressa distinctio, vt ex Deo Deus intelligatur.* Virtus ergo operatrix, cujus indicia nomina illa sunt, generatio est incogitabilis: quæ solis ipsis cognita est, quibus eam nosse, hoc ipsum quod sunt, hoc est, generantem & genitum, Patrem & Filium esse, est. Propriū ergo, & propriè proprium Patris illius est paternitatis nomen: ex quo in omnibus, in quibus est, est cognomen: sicut Apostolus dicit. *Flecta genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi: à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Ibi quippe nomina hæc nequaquā sicut in hominibus patre & filio sunt ex causa accidente accidentis genituræ: sed qui pater est siue filius, numquā non fuit Pater & Filius; semper Pater, semper Filius; non tēporali sempiternitate, sed sempiterna æternitate; non ex mutatione accidenti, sed ex natura incommutabili. Ne tamen amore veritatis videamur à veritate recedere; si impropria dixisset nomina Patris & Filij, propter mutuam ad alterutrum relationē: videlicet quia nominibus istis non tam quòd sunt, quàm quòd ad inuicē sunt, designari videatur, nonnihil dixisset. Ad quod tamen, quid ibidem beatus Ambrosius dicat cōtra eos, qui in natura diuinitatis Patris & Filij calumniabantur diuersitatem, audiamus. *Cùm*, inquit, *dico genitum, non proprietatem naturæ, sed significationem generationis expressi: sicut si dixero generaliter filium, nec addam cujus, potest intelligi & filius hominis, & filius iniquitatis, vel fœtus pecudum, vel pulli columbarum: & ideo in appellatione filiorum non est expressio significata natura. Si verò naturam voluero designare, aut hominem nūcupabo, aut equum, aut auem: vt natura possit intelligi. Ita ergo, si naturam cupio designare diuinā, Deum verum debeo nominare. Cum autem filium dico, generatum significo: cum verò patrem, generasse declaro.* Nomina ergo Patris & Filij impropria quidem sunt naturæ, sed propria genituræ, in veritate gignentis & geniti Patrem & Filium significantia. Quibus remotis nominibus, & abjudicatis, Theologus noster tamquam improprijs, & rerum aliarum significatiuis; & sicut ipse dicit, Trinitatis reperta veritate, qua summi boni plenitudo perficitur, potentia scilicet in Deo gerendi, ac discernendi, & genitæ de ipsa sapientiæ, hoc est potentia discernendi, & benignitate Dei; cùm ipsam etiam generationem significativum quid esse velit in Deo, proponit ex potentijs ipsis & benignitate demonstrare, quid sit, quid significet, quod prædicatur in Deo generatio Filij de Patre, & processio Spiritussancti de vtroque. Sed primo de Patre & Filio tractandum est; deinde Spiritui sancto suus locus reseruandus. Hoc enim ordine & ipsi incedendū esse videtur.

CAPVT III.

PROPONIT ergo in vnitate diuinæ essentiæ non tam distinctionem, sicut ipse promittit, quàm destructionem Personarum: demonstrare volens ex his quæ de materia & forma, vel ad

Marginalia: Greg. homi. 27. in Euā. Ezech. 1. — Nomina cōmunia tribuuntur perso nis per appropriat indita — Psal. 113. — 1. Cor. 1 — Rom. 5. — De nomina ad creaturas relatiua — Nomina relatiua personarum ad inuicem. — 2. Cor. 10. — Ephes. 3. — De Person Patris & Fi

similitudinem materiæ & formæ dixerunt consistere Philosophi, seriem diuinæ generationis; scilicet quid sit filium esse, vel genitum esse de Patre, dicit. *Sigillum æreum est æs ita formatum. Idem itaque essentialiter est ipsum æs, quod materia ærei sigilli, cum tamen in suis proprietatibus ita sint distincta, vt aliud sit proprium æris, aliud ærei sigilli. Et quamvis idem sint essentialiter, sigillum tamen æreum est ex ære, non æs ex æreo sigillo; & æs materia sigilli est, non sigillum æris.* Deinde aliquibus interpositis subjungit. *Sicut ex ære est æreum sigillum, & ex ipso quodammodo generatur: ita ex ipsa Patris sustantia Filius habet esse, & secundum hoc ex ipso genitus dicitur. Vt enim suprà ostendimus, specialiter nomine Patris diuina potentia declaratur; sicut nomine Filij diuina sapientia. Est autem diuina sapientia, quædam, vt ita dicam, ipsius Dei potentia: quia videlicet ab omni fallacia vel errore sibi prouidere potest. Cùm igitur sapientia quædam, vt dictum est, sit potentia, sicut æreum sigillum est quoddam æs; liquet profectò diuinam sapientiam ex diuina potentia esse suum habere: ad eam videlicet similitudinem, qua sigillum æreum ex ære dicitur esse, quod est ejus materia: vel species ex genere, quod quasi materia speciei dicitur esse, vt animal hominis. Sicut enim ex eo quod est æreum sigillum, exigit necessariò, vt æs sit; & homo, vt animal sit, sed non è converso: ita divina sapientia, quæ est potentia discernendi, exigit quòd sit diuina potētia, sed non è conuerso. Quippe sicut æs tam ad æreū sigillum quàm ad alia se habet; & animal tam ad hominem quàm ad alia; sic & diuina potentia tam ad discernendum quàm ad operandum se habet. Et sicut æreum sigillum de ipsa æris substantia vel essentia dicitur esse; cùm esse videlicet æreum sigillum sit esse æs quoddam: & esse hominem, hoc est animal rationale mortale, sit esse animal quoddam: ita diuina sapientia de substantia diuina potentia dicitur esse; cùm videlicet esse sapientiam, hoc est potentiam discernendi, sit esse potentiam quamdam. Et hoc est Filium de Patre esse; siue genitū esse; videlicet sicut species ex genere Philosophi dicunt gigni siue creari.*

Verba Abaelardi.

Hæc est noua noui Theologi Theologia de Patre & Filio, sanctáChristianæ fidei simplicitaté alienisvestiens exuvijs reluctanté:& obscurioré efficiens, dum nititur facere clarioré. Cùm etenim in fide Trinitatis pro Patre & Filio producuntur nobis potentia gerendi ac discernendi, & de ea potentia gerendi potentia discernendi, tamquam filius de patre, species de genere, materiatum de materia; quasi cacophaton videtur ingerere aurib⁹ fidelium ipsa nouitas tam verborum quàm sensuum, & bonorum euphoniā nominū amissâ, ipsa quasi resilit ab intellectu: scilicet quia nonsuis agitur instrumentis, & cōmuni artificio subjici dedignatur diuina materia. Hæc inquam sunt verba, & iste est sensus magistri Petri de generatione Filij Dei: sic enarrat eam, quam inenarrabilem putabat, qui dicebat. *Generationem ejus quis enarrabit? Ex vtero*, ait Deus Pater, *ante luciferum genui te.* Vterum illū homines Dei loquentes in spiritu Dei interpretari solebant imperscrutabile secretū Patris Dei: de quo ab æterno genitus est Filius Dei. Sed secretum illud jam secretum non est; quod humanis rationibus tam peruium factum est. Miror autem vehementer, hominem aliquid scientem, in essentia summæ ac simplicissimæ vnitatis gen⁹ & species, quæ non nisi ex differentibus prædicantur; siue materiam & materiatum, quæ suo

Isaiæ 53. Psalm. 109. Quid sit vterus Dei, secundum Patres.

similiter modo à se disparantur, producere: cū natura illa non nisi simplex vnum sit; nec nisi ex semetipsa & propter semetipsam sit; nec vlla ei nisi ipsa sibi, & causa & ratio sit, vt sit: sed quicquid est, ex seipsa, & in seipsa, & per seipsam, ipsa sit sibi. Miror etiam vehementer, cùm in hac ipsa Theologia sua bene & catholicè sæpe prædicet homousion Trinitatem; Filium per omnia similem Patri & consubstantialem; quid sibi velit hæc æris & ærei sigilli similitudo; quæ per omnia ad hoc videtur niti, vt inter Patrem & Filium inæqualitatis appareat dissimilitudo. Quid enim aliud agit, cùm dicit, quia sicut ex eo quod æreum est sigillum, exigit necessariò vt æs sit; & homo, ex eo quod est homo, vt animal sit; sed non è converso: ita diuina sapientia, quæ est potentia discernendi, exigit quod sit diuina potentia; sed non è cōuerso? Quid enim, non è conuerso? Scilicet, sicut omne æreum sigillū est æs, sed quoddam; sic sapientia, quæ est potentia discernendi, est potentia, sed quædam. Et sicut non convertitur, vt omne æs æreum sigillum sit, cùm sigillum non sit, nisi æs quoddam: sic non convertitur, vt omnis potētia sapientia sit, cùm sapientia non sit nisi potentia quædam. Quod est dicere, quia sicut omne æs in æreo sigillo nō expenditur; sic in sapientia non omnis inesse potentia intelligitur. In promptu ergo est videre in æreo sigillo adductæ similitudinis dissimilitudinem: in fusili opere multorum inconuenientium confusionem, & sensum alienum, in loco non suo sedem sibi quærentem, nec inueniente. Si enim ad æreū sigillum & æs comparamus sapientiam diuinam & potentiam; scilicet vt hoc sit illa sapientia ad illam potentiam, quod est æreum sigillum ad æs: ô Israël, jam Dominus De⁹ tuus Deus vnus non est, in quo majus & minus est, scilicet ejusmodi potentia ad potentiam, Filius ad Patrem, cujusmodi est ad totum æs, æs quoddam, ad genus suum animal quoddā; pars ad totum, materiatum ad materiam. Hoc enim est, quod dicit; quia cùm sapientia sit quædam potentia, sicut æreum sigillum est æs quoddam; liquet profectò diuinam sapientiam ex diuina potentia esse suum habere; ad eam videlicet similitudinem, qua sigillum æreum ex ære esse dicitur, quod est ejus materia, vel species ex genere, quod quasi materia speciei dicitur. *Quippe*, inquit, *sicut æs tam ad æreū sigillum, quàm ad alia se habet; & animal tam ad hominem, quàm ad alia; sic & diuina potentia tam ad operandum quàm ad discernendum se habet:* vt subaudiamus, quod nō habet sapientia, quæ non est nisi quædam potētia, videlicet discernendi. Ditior ergo est Pater potentia, quàm Filius sapientia, qui dicit. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Deinde docens quid sit, quod significet generatio illa filij de Patre, & ipsam quippe significatiuam potiùs quàm realem, astruere nititur; sicut ipsa nomina gignētis & geniti, hoc est Patris & Filij; subsequitur & dicit. *Sicut æreum sigillum de ipsa æris substantia vel essentia dicitur esse, cùm esse videlicet æreum sigillum sit esse æs quoddam; & esse hominem, hoc est animal rationale mortale, sit esse animal quoddam: ita diuina sapientia de substantia diuina potentia dicitur esse: cùm videlicet esse sapientiam, hoc est, potentiam discernendi, sit esse potentiam quamdam.* Deinde quasi concludit; sed ex inconcessis, & didit. *Et hoc est Filium de substantia Patris esse, siue genitū esse, sicut dicunt Philosophi, species ex genere*

Quid eliciatur ex verbis Abæl. Ioann. 15. Verba Abaelardi.

gigni, sive creari. Ex his omnibus quid judicent alij, viderint ipsi: sed nobis videtur, quoniã quod subsistentes & plenas Personas, quas Græci hypostases vocant, coæquales sibi per omnia, & consimiles, & consubstantiales, in potentiam & semipotentiam extenuare nititur; quantum ad destructionem Personarum Sabellianum est; quantum ad dissimilitudinem & imparilitatem, hoc in sententiam Arrij pedibus ire est. Sed hæreses istæ antiquæ & vetustissimæ veterum sunt. Quòd autem homo dialecticus sic agit de Deo Patre ac Filio, sicut de materia & materiato; cùm hujusmodi omnia longè ab illa substantia sint; & quòd Filium ex Patre, quasi speciem prædicat ex genere, hæc noua hæresis prorsus & propria ejus est: & in hoc, sicut de paulo dicebant Athenienses, ipse, vt mitiùs loquamur, *nouorum deorum annuntiator* apparuit in mundo. Vbi enim jã Trinitas Deus? Vbi personæ gignentis & geniti, & ab vtroque procedentis? Vbi vnitas, de qua dicit veritas, *Ego & Pater vnum sumus?* Etenim destructio personarum, destruit in Deo Trinitatem: dissimilitudo majoris & minoris vnitatem. Deus scientiarum, judex conscientiarum, tu scis, tu vides, quod mallem me in verbis ejus errare, quàm ipsum in fide: sed de verbis ejus, nisi alius me doceat, meo sensu saniorem intellectum nequeo eliquare.

ὑπόστασις

Doctrina Aba. partĩ Sabelliana, partĩ Arriana.

Actor. 17.

Ioann. 10.

CAPVT IIII.

De Persona Spiritussancti.

IAM ad Spiritum sanctum veniamus; quin potiùs ipse veniat in nos, nec de se aliena nos sapere patiatur: sed per omnia nos faciat consentire veritati spiritus veritatis. De quo plurima quæ dicit vtinam non diceret: vtinam saltem contra semetipsum non scriberet. In eis siquidem quæ præmissa sunt, tametsi dicat sæpe quod offendit: tamen aliud & aliud dicendo, dat quodammodo intelligi, non se ex diffinito dicere, quod dicit. Hic autem absque omni velaméto simulationis tam liberè currit sententia, vt omnino etiã defendere velle videatur, quod dicit. Dicit ergo. *Spiritus quasi à spirando dictus. Vnde & veritas dicit. Spiritus vbi vult spirat. Et Propheta conuenienti metaphora spiritum Domini distinguens, spiritum oris ejus ipsum appellat; ideoque ipso nomine suo procedere ex Deo Patre & Filio, potiùs quàm gigni, declaratur. Benignitas quippe ipsa, quæ hoc nomine declaratur, non est in Deo potentia siue sapientia; cùm videlicet ipsum benignum esse, non sit in aliquo potentem esse, siue sapientem: sed hæc ejus bonitas magis secundum ipsum charitatis affectum, siue effectu, accipienda est. Charitas autem, teste beato Gregorio, minùs quàm inter duos haberi non potest. Nemo enim, ait, ad semetipsum habere charitatem dicitur: sed dilectione se in alterum extendit, vt charitas esse possit. Procedere ergo Dei est, sese in aliquam rem per affectũ charitatis quodammodo extendere: vt eam videlicet diligat, ac se ei per amorem conjungat. Cùm itaque tam Filius quàm Spiritussanctus ex Patre sit, hic quidem genitus, ille procedens: differt in eo processio à generatione, quod is qui generatur, ex ipsa Patris substantia est: cùm ipsa, vt dictum est, sapientia ipsum esse habeat, vt sit quædam potentia: ipse verò charitatis affectus magis ad benignitatẽ animi, quàm ad potentiam attineat. Vnde bene sapientia ex potentia, Filius ex Patre esse dicitur, hoc est, ex ipsa Patris substantia esse: Spiritus verò, quamvis ejusdem sit substantiæ cum Patre & Filio, etiam Trinitas ipsa homousion, id est vnius substantiæ prædicatur, minimè tamen est ex substantia Patris & Filij, quod esset ipsum ex Patre Filioque gigni: sed magis ab ipsis habet procedere; quod est Deum se per charitatem ad alterũ extendere quodammodo. Nemo enim sibi ipsi benignus esse potest, sed alteri. Tunc verò Deus qui nullius indiget, in se per benignitatem remaneret; si sibi benignus esse posset, aliquod sibi beneficium impendendo.* Hæc est Theologia magistri Petri de Spiritu sancto; hoc de eo prædicat, & vtinam non contra eum. Ad libitum suum summæ sibi essentiæ format effigiem: à formâ verò fidei ab Apostolis tradita, à Spiritu sancto per ipsos formatâ, & omnibus cõmendatâ fidelibus, aufert quæ vult, apponit quæ vult, noua faciens omnia: noua verba, noua dogmata; quorum nonnisi ipse sibi author est. Cauendum autem, quod quasi improprijs sublatis de fide sacris nominibus Patris & Filij & Spiritussancti, credentes sibi primò irretire nititur ratione nominum aliorum: quorum quasi rationabili consequentia inducat eos in nouitatem sensuum suorum. Si enim secundum regulas & formam fidei, & Euangelicam & Apostolicam disciplinam, agatur de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, quæ nobis nomina ipsa veritas dictauit cum dixit; *Baptizantes in nomine Patris & Filij, & Spiritussancti*: repente in diuina essentia fides & intellectus vnitatis vno veritatis radio dissipat omnem hanc vndecumque collectam caliginem erroris. Sicut enim jam suprà dictum est, cùm prædicamus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, exprimimus veritatẽ Trinitatis: cùm verò adjicimus, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritussanct⁹, fides indubitata deitatis format in cordibus nostris veritatem summæ & indiuiduæ vnitatis. Nolo ergo recedere à nomine bono, in quo baptizatus sum, in quo Christianus sum designatus: nec prorsus loqui scio de Deo, siue audire, siue intelligere aliquid, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. De potentia verò in Deo, siue sapientia, siue benignitate, hoc solum credo & certus sum; quòd omnipotẽs Deus Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritussanctus: & sicut ipse dicere solet, omnisapiens Pater, omnisapiens Filius, omnisapiens Spiritussactus: omnibenignus Pater, omnibenignus Filius, omnibenignus Spiritussanctus: & hi tres vnum sunt; vnus potens, vnus sapiens, vnus bonus Deus, qui est benedictus in sæcula. De semipotentia verò in Deo, quam ipse dicit esse in Filio; & nulla potentia, quam prędicat in Spiritu sancto, tã procul semper sit, quod dicit, à corde meo, quàm procul esse constat ab omnipotente Deo. Vt ergo ad ea quæ dicit de Spiritu sancto respondeamus, quod ipse dederit Spiritussanctus, primo de ipso ejus nomine dicamus. *Spiritus, ait, sanctus à spirando dictus est. Vnde & Dominus dicit. Spiritus vbi vult spirat. Et Propheta congruenti metaphora spiritum Domini distinguens, spiritum eum oris Domini appellat dicens. Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Nos ergo dicimus, quod à Patribus accepimus scilicet quod à subtiliori natura & digniori De⁹ spiritus dictus est, dicente Domino. *Deus spiritus est.* Cùm ergo Pater etiam sit spiritus, & sanctus; Filius quoque spiritus, & sanctus: oportuit censeri aliquo nomine, quod cõmune esset amborum, ipsum, qui communis est, & communitas est amborum; & commune amborum, quicquid commune est eorum; charitas, amplexus, & os-

Verba Aba.

Negat Spiritum S. esse ex substantia Patris & Filij.

Nomina Patris &c. cẽset in Deo esse ĩpropria

Matt. 28.

Verba Aba.

Ioann. 4.

culum, bonitas, suavitas, & gaudium: & vt totum concludam, diuinitas amborum. Quod nō ego ex me; sed beat⁹ Augustinus hoc dicit. *Deus* etiam, inquit, *Spiritus est. Non dixit, Spiritus Dei est: sed Deus Spiritus: vt ipsa deitas Patris & Filij hoc loco dictus sit Deus, quod est Spiritus sanctus.* Congrua verò illa metaphora oris Domini non tam, sicut dicit, valet ad distinguendum inter natiuitatem illam ac processionem; quàm ad declarandam omnimodam earum similitudinem. Cujus enim oris & legitur & intelligitur esse spiritus Domini, ejusdem & Verbum Dei, ejusdem sapientia Dei, quæ dicit. *Ego ex ore altissimi prodij.* De processione verò, ego, inquit Filius, *processi à Patre, & veni.* Sequitur Theologus, & dicit. *Benignitas quæ Spiritussancti nomine declaratur, non est in Deo potentia, siue sapientia, cum videlicet ipsum benignum esse, non sit in aliquo potentem esse, siue sapientem.* Vbi miror, quomodo magis sapientia intelligenda sit potentia discernendi; quàm benignitas potentia bene volendi. Esto tamen, ipsum ipsius sensum prosequamur, & inueniemus, quoniam sicut satis superiùs claruit, quemadmodum & dissimilitudine essentiæ & inæqualitate potentiæ dissimilem & inæqualem Patri constituit Filium; simili modo, vel potiùs vastiori dissimilitudinis intervallo diuidit à Patre & Filio Spiritum sanctū. Cùm enim dicit, quia benignitas Dei, quæ Sancti Spiritus nomine declaratur, non sit in Deo potentia aliqua, sicut ad plenam potentiam quæ Pater est, Filius quædam potentia est: quid hoc est dicere, nisi quod Filius quidem ejusdem cum Patre substantiæ sit quodammodo; quod Spiritussanctus non est vllo modo; qui non potentia, sed benignitas est? Patris enim substantia potentia tam gerendi, quàm discernendi est; cui Filius sapientia, hoc est potentia discernendi, sicut semipotentia ad potentiam, licet manca quadam beatitudine, tamen vtcumque consubstantialis est. Sanctus verò Spiritus cùm nulla prorsus potentia sit, à diuinæ gloria consubstantialitatis penitus alienus est. Vnde etiam sequitur & dicit. *Sed hæc ejus bonitas magis secundum ipsum charitatis affectum siue effectum, accipienda est.* Hoc est dicere. Quia processio Spiritussancti, siue poti⁹ Dei, qua secundum suæ charitatis affectum, qui Spiritussanctus est, in creaturam suam procedit De⁹, non tam substantialis est, quàm affectualis. Indè est quod sequitur. *Charitas autē, teste beato Gregorio, minùs quàm inter duos haberi nō potest. Nemo enim,* inquit, *ad semetipsum charitatem habere dicitur: sed dilectione se in alterum extendit; vt charitas esse possit. Procedere ergo Dei est sese in aliquam rem per affectū charitatis quodammodo extendere: vt eam diligat, ac se ei per amorem conjugat.* Et post pauca. *Nemo,* inquit, *sibi ipsi benignus esse potest, sed alteri. Tunc verò Deus, qui nullius indiget, in se per benignitatem remaneret; si sibi benignus esse posset, aliquod sibi beneficium impendēdo.* Hic Theologus noster palam omnibus est, quomodo carnem potiùs sapiat quàm spiritum, hominem quàm Deum. Moueri enim affectu, siue in aliquid extendi, quàm inconueniens sit incommutabili Deo, luce clarius est. Quòd verò Spiritum sanctum quasi definiens, benignitatē Dei in creaturas, siue affectum, dicit: si Spiritussanctus affectus seu benignitas Dei in creaturas est; non jam tā tertia in Trinitate persona, quàm qualitas quædam Dei est; sicut de Filio Dei sapientiâ Dei dicit beatus Augustinus. *Si,* inquit, *Deus Pater ex ea sapientia, quam ipse genuit, sapiens est; filius qualitas ejus est, non proles.* Super quo, quod beatus Gregorius de charitate videlicet proximi, hominis ad hominem dicit, ipse ad Deum transfert: quasi ex hoc probans, quòd charitatem Deus ad semetipsum, siue in semetipso non habeat; nec charitas Dei charitas sit, nisi per eam in aliud aliquid Deus se extendat. Sed inspectum in semetipso summum bonū intelligendum se præbet piè quærentibus, non tam secundum affectum quem ad creaturas habeat, ipsum esse, seu dici, bonum siue benignum, quàm secundum semetipsum: cùm Deus bonū omnium bonorum, remotis etiam vel non existentibus omnibus bonis, qui ex eo boni, siue quæ ex eo bona sunt, non tamen intelligendum sit in semetipso minùs esse bonum, hoc est, minùs esse quod est: siue etiam potentiam, siue sapientiam, siue benignitatem. Nam neque in hominibus quemquam arbitror in alterum posse esse bonum siue benignum; quem non primò in semetipso secundum bonæ mentis statum constiterit esse bonum. Maximè verò in Deo charitas siue bonitas, non in eo quod procedit in creaturam, est: sed procedit in creaturam, ex eo, siue in eo, quod est. Quòd dicit, Deum ad creaturam se extendere quodāmodo, hoc de Deo nullo cogitandum est modo, qui in omni sua creatura est potiùs suo modo, quo scilicet modo sicut Deus vbique est. Quod dicit, *quia charitas Dei in alium tendit, vt charitas esse possit, nec potest Deus diligere semetipsum:* nos dicimus cum multimoda sanctarum authoritate Scripturarū, & secundum ipsam fidei rationem, quia nusquā Deus diligendo se extendit, qui non diligit nisi semetipsum. Et cum se diligit, hoc est, est quod est: quoniam sicut ipse suum bonum, sic ipse sibi sua dilectio est. Cùm autem diligit hominem, hoc est, dignum eum efficit, cui infundat dilectionem suam Spiritum sanctum: vt de ipso & in ipso homine Deus rectissimè & misericordissimè diligat semetipsum. In quo cùm spiritus hominis Spiritui sancto afficitur; vnus cum eo spiritus efficitur, & in eo ipso quod diligitur, diligit: quia cùm Deus in homine diligit se; hoc est quòd hominem diligit in se: hoc est quòd homo diligit Deum; & quòd homo in Deo est, & Deus in homine. In quo nequaquam Deus homini, sed homo Deo afficitur; cùm sicut dicit Apostolus, in hoc à Deo efficitur. *Qui enim,* ait Apostolus, *in hoc ipsum nos efficit Deus.* Non ergo Deus procedendo extenditur ad hominem per benignitatis affectum, id est per Spiritū sanctum: sed bene affectus homo in Spiritu sancto colligitur & assumitur ad Deum: & fit quod legitur. *Quia Domini est assumptio nostra.* Sicut enim Verbum Dei Patris non est prolatum, sed natum, vt sit qui est Filius: sic non recedit, cū procedit, qui est Spiritussanctus. Semper quippe Filius in Patre est, de quo nascendo est; semper Spiritussanctus in Patre & Filio, de quibus procedendo est. Sunt in Patre Filius & Spiritussanctus, inquantum quod ille est, & ipsi sunt: sunt de Patre, alter nascendo, alter procedendo, inquantum à Patre habent esse quod sunt; est Pater in vtroque, inquantum hoc est, quod illi sunt. Hic humiliter ei erat petendum, vt acciperet; quærendum piè, vt inueniret: pulsandum, vt aperiretur ei. Ipse verò transilit; & quasi

Aug de Fide & Symbol. c. 9.

Eccl. 24.

Ioann. 8.

Verba Aba.

Lib. 6. de Trin.

Greg. hom. 17. in Eua. de dilectione humana loquitur, non de diuina.

2. Cor. 5.

Psalm. 88.

ex sententia diffinit, ac dicit. *Procedere Dei est sese in aliquam rem per affectum charitatis extendere.* Non ergo est processio Spiritussancti, sed Dei; qua agit Deus in creaturam per affectũ charitatis suæ, hoc est per Spiritum sanctum. Non ergo est, cui de Patre ac Filio procedere, esse est; quia non ipse à Patre & Filio, sed potiùs per eũ ipsi procedunt in creaturam: & sicut jam suprà dictum est, Spiritussanctus non tam tertia jam in Trinitate persona, quàm qualitas quædã habitusue Dei ad creaturam est. Amplius. Si processio Dei, siue etiam Spiritussancti, sicut ab eo diffinitum est, in creaturam tantummodo est; remotâ ergo creaturâ processio non est: & plurimùm bonorum nostrorum eget vt sit, cui procedere esse est. Cogitari autem potest, creaturã non esse, quæ aliquando non fuit; & in arbitrio conditoris est, quamdiu sit: cogitare verò Spiritum sanctum non procedere, hoc est esse; prima fronte blasphemum est. Sed est vtiq; & hæc processio, qua procedit Deus per Spiritum sanctum in creaturam; est autem in Deo non secundum affectus, sed secundum effectus, quibus fit in creaturam, vt sit scilicet creatura ipsa, siue vt bene sit: quia causali bonitate ab æterno in ea processione vita est, qua Spiritussanctus à Patre procedit & Filio, & procedendo Spiritussanctus est. Est autem ibi præscientiæ virtute, & gratiâ prædestinationis: fit autem in tempore in creaturam, cum Spiritussanctus vbi & quando vult spirat. Est enim processio in Deo altera naturæ, altera gratiæ. Quæ naturæ est, æterna ibi est; & propria ejus est, cui semper à Patre & Filio procedere est, etsi nulla sit omnino creatura: quæ verò gratiæ est, & ipsa ibi sicut dictum est, æterna est, & communis totius Trinitatis est: fit autem per Spiritum sanctum, non quasi per affectum, sed cum secundum effectus suos modo quo suprà dictum est, bonitas Dei se exhibet in creatura. Illa est Spiritussancti propria de Patre & Filio: ista fit per Spiritũ sanctum cooperãte Patre ac Filio. Illa siquidem Deus est: hæc autem mirificũ Dei opus est. Deinde in eis quæ sequũtur, quando arguitur, & quæritur ab eo, vnde hoc habeat, quòd cùm Spiritum sanctũ pariter nobiscũ de Patre & Filio procedere, confiteatur; adjicit, *sed non ex ipsa ejus substantia:* quærit & ipse vicissim, vnde habeam' & nos, quod ex ipsa eorum substantia eum procedere prædicamus. Vtique ex eo, quod tã nos quàm ipse, eum ex Patre & Filio procedere confiteamur. Etenim procedere ex ipsis quid est, nisi pcedere ex eo quod sunt? Quid enim sunt? Deus. Procedit ergo De' de Deo, Spiritussanctus de Patre & Filio, vnus cum eis Deus. Vtique, ait, sed non ex ipsa eorũ substantia. Et recurrens ad philosophicum præsidium suum, tria, inquit, sunt in æreo sigillo, æs. sigillum, hoc est sigillabile, quasi aptum ad sigillandum, & sigillans. Sigillum autem ex ære est, ex ipsa æris substantia: videlicet quia vt sigillum sit, necesse est in hoc assumi ex ære æris quiddam. Sigillans verò ex ære & æreo sigillo procedit, & ab vtroque habet esse, sed non ex ipsa eorum substantia; ex qua scilicet nihil assumitur, vt sigillans sit. *Sic*, inquit, *Spiritussanctus à Patre & Filio est: verumtamen non ex ipsa eorum substantia est, vel procedit.* Scilicet sicut assumitur ex ære, ex ipsa æris substantia, æs quoddã, vt suo modo formatum sigillum sit; sic de potẽtia Dei est sapientia tam gerendi quàm discernẽdi, vt natiuitas in Deo sit, vt Filius sit de Patre, vt genitus sit. Hoc enim, ait, gigni est, esse de ipsa gignentis substantia Et hoc est, esse de ipsa gignentis substantia; esse de toto quiddam. Sicut ergo æreum sigillũ est de toto ære æs quoddam; sic est de potentia sapientia, hoc est potẽtia quædam. Hoc ergo quia Spiritussanctus non habet, nec inter potentias Dei meretur adscribi; sicut dicit Theologus noster; quia benignitas Dei, inquit, nulla potentia est. Nec est, ait, de ipsa substantia Patris, quod esset Filium esse, & de Patre gigni: sed secundum propheticam illam metaphoram, de qua suprà dictum est, procedit ex ore Dei. Vbi si requisitus, quod sit illud os, quæ sit illa processio, de quo Spiritui sancto procedere, est esse quod est, ignorare se dixerit, facile ei ignoscendum est. Verùm, quodcumq; sit illud os, quæcumque illa processio, ex quo, vel per quam vterq, procedit, & habet vterque, tam Filius quàm Spiritussanctus esse quod est; sicut ex Scripturis jam Propheticis manifestum factum est: certè in vtroq; & ore scilicet & processione, identitas nominum omnimodam exprimit similitudinem rerum, natiuitatis scilicet Filij, & processionis Spiritussancti. Quæ vtraq; cum Scriptura ex eodem ore Domini altissimi eodem processionis nomine esse perhibeat; tanta sibi similitudine confœderantur, vt sicut dicit beatus Augustinus, cum vterque à Patre procedat, insolubilis in hac vita quæstio sit, cur non vterque Filius dicatur. Quòd autem alter Filius sit, alter Spiritussanctus: ipse Dominus in mundo manifestauit dicens. *Pater diligit Filium.* Et alibi. *Spiritus qui à Patre procedit.* Vterque etiã, sicut jam sæpe dictum est, & procedere, & ex eodem ore procedere perhibetur. Porrò natiuitatem Filij determinans beatus Augustinus, sicut homo potuit, dicit. *Erat filius atque est, quia ab eo est, qui id quod est, semper est. Ab eo autem hoc esse, hoc est à Patre, quod est, natiuitas est. Esse autem semper, ab eo qui est semper, æternitas* Quod etiam exceptis nominibus natiuitatis & processionis, similiter de Spiritu sancto prædicandum esse, palam est: vt dicamus. Erat Spiritussanctus atque est, quia ab eo est, qui id quod est semper est. Ab eo autem Spiritui sancto esse, quod est, hoc est à patre: processio est. Esse autem semper, ab eo qui est semper, æternitas est. Vnde etiam legimus, quia Arriani, cùm olim principibus huius sæculi patrocinantibus siue fauentibus, Orthodoxorum fidei insultarent, de eo quòd Filium natum de substantia Patris prædicarent, vrgebant dicentes. Si de Deo natus est, de intra Deum. Si de intra Deum non est, de Deo nõ est. At contrà Orthodoxi dicebant. Absit. Illa enim natura neque extra neque intra habet: neque fides Catholica hoc habet. Sed credimus, propter quod & loquimur, Filium genitum de patre: hoc est, Filium hoc esse, quod Pater est, & à Patre nascendo habere hoc, quod est Quod exceptis nominibus, de quibus suprà dictum est, Filij scilicet atque natiuitatis, quis etiam in Spiritu sancto dubitet esse prædicandum: vt dicamus similiter Spiritum sanctum procedere à Patre: hoc est, Spiritum sanctum hoc esse, quod Pater est, & procedendo habere à Patre hoc quod est? Et hoc est quod credimus & confitemur: Filium ex patre esse, siue genitum esse ex ipsa eius substantia: anathema etiam dicimus ei, quicumque ille est, qui negauerit Spiritũ sanctũ

Non esset processio in Deo, si non esset creatura, secundũ Abailardũ.

Verba Abailardi.

Ioa. 3. & 15

similiter à patre esse, siue procedere, hoc est ex eius substantia. Vnde etiam beatus Augustinus in libro de Trinitate in toto illo prolixo opere, quod, sicut ipse dicit, iuuenis incœpit, senex edidit, in eo quod novus hic Theologus inuenisse se gloriatur, queritur intellectui suo numquam se sufficiens potuisse inuenire eloquium: ipsumque intellectum suum conatum in hoc semper potiùs habuisse, quàm effectum: scilicet ad discernendum, in quo generatio illa & processio differant: cum vtraque à Patre sit. Nam processio Spiritussancti, quæ esse prædicatur & à Patre & à Filio, sicut dicit idem Doctor à patre quidẽ principaliter est, à quo etiam hoc habet Filius nascendo, quod Spiritus ipse Sanctus procedendo ab ipsò est: vt sit vtriusque donum Spiritussanctus, non conditione doni & dominantiũ, sed cócordia doni & donantium. Propter quod dicit idem præfatus Doctor, inter illam natiuitatem & illam processionem tantam esse similitudinem, vt à nullo hominum in hac vita æstimet inueniri posse certam earum, siqua est, dissimilitudinem: sed in futuro, ait, *vid. bitur ab eis qui digni erunt: mente contemplante, quod videri hic non potest, ratiocinante.* Dicendum ergo est magistro Petro; quia sicut cum talibus aliqua ignorare valde tutum est: sic in eiusmodi inueniendis tales velle præcedere, vanũ nimis & periculosum est. Dicendum ei, quia non frustra tantopere à Sãctis Patribus natiuitas illa & processio similes esse prædicatæ sunt: sed quia secundum modum tam nascendi quã procedendi consimiles sunt. Quòd autem videtur esse aliqua in nominibus ipsis dissimilitudo: cùm necdum placuerit Deo reuelare in mundo, cur vel quomodo hoc sit: patiatur hoc interim solos eos hoc scire, quib⁹ hoc perfectè scire, esse est. Quod verò, sicut iam suprà dictum est, queritur nusquam inueniri Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio ex ipsa eorum substantia: nos dicimus, nusquam potiùs inueniri, non procedere. Procedere enim ex eis, quid est: nisi ex eo quod sunt? Quin potiùs procedere Spiritum sanctum à Patre & Filio cùm dicitur, propria locutio est: cùm verò dicitur procedere Spiritum sanctum à Patre & Filio, & additur, ex ipsa eorum substãtia, iam figuratiua locutio est. Patiatur ergo, obsecro, Spiritum sanctum suam, id est, plenam & parem cum Filio ad Patrẽ Deum habere cognationem: à qua minùs philosophico præiudicio eum proscripsit, dicens & scribens, *Filium tanta ad Patrem esse cognationis, vt non solùm ex eo sit, & ex eo genitus sit: sed etiam ex ipsa eius substantia: Sanctus verò Spiritus ex eo sit, & ex ipso procedat, sed non ex ipsa eius substantia.*

CAPVT V.

Spiritũ san. censet Abaelar. esse animam mũdi.

ET in his omnibus à contumelijs Spiritussancti non est furor eius auersus; sed adhuc manus eius extenta. Dicit enim animum esse Deum, secundum Catonem: Spiritum sanctum animã esse mundi, secundum Platonem. Quod miror quo spiritu ipse dicat de Spiritu sancto, qua præsumptione, qua fiducia, tantã, tam insolitam & inauditã rem de Deo dicere, siue scribere præsumat: cùm à nullo hoc penitus authore habeat, nisi à semetipso, nec ab ipso Platone, quem in hoc præcipuè se habere authorẽ gloriatur. Bene, inquit, cum animal esse mundum Plato dixerit, ipsum quoque intelligentem, hoc est rationale animal, esse perhibuit: secundum hoc scilicet, quod eius anima quanto cæteris præstãtior existit, tanto rationabiliùs in eo cuncta agit ac disponit: quippe penes quam, sicut penes Deum, sunt causæ omnium quæ proueniunt, & diuina ei omnium naturarum prouidentia assignatur: in qua omnia quæ facta sunt, vita sunt, etiam quæ mala sunt, quæ optimè per bonitatem eius disponuntur. Mundum autem dicit, quidquid intra se prouidentia conditoris includit: hoc est omnem omnino creaturã. De hoc ergo mundo adstruere nititur novus Platonicus ex authoritate Platonis, quoniam præter sensuum instrumenta, quæ eum habere non necesse sit, cum nulla extra remaneant, ad quæ ista habeãt opportunitatem aliquam, per Spiritum sanctum vniuersa vis animæ in eo consummetur. Addit adhuc multa: quæ cùm ex Scripturis sanctis non habeant authoritatem, & in regulis fidei nullã possint habere rationem: ex hoc ipso faciliora nobis sunt ad reprobandum. Sed sensum hunc de anima mundi legimus iam olim à Beato Augustino reprobatum: qui forsitan expertus aliquem talia sentientem, dicit, cum de origine animæ tractaret, in libro super Genesin ad literã. *Quod* inquit, *scriptum est, quia sufflauit Deus in faciem hominis flatum vitæ: de subjecta sibi creatura fecisse Deus animam intelligendus est, in eo quod sufflasse dictus est. Si ergo diceremus Deum tanquam corporei hujus mundi animam, cum ipse mundus esset tanquam corpus vnius animantis, rectè non eum diceremus sufflando fecisse animam hominis nisi corpoream, de isto aëre subjacente sibi ex corpore suo. Nunc verò quia non tantummodo mundi corpus Deo esse subditum dicimus: sed illum solum esse supra omnem creaturam, siue corporalẽ, siue spiritualem: nec de ipso, nec de corporeis elementis credendus est animã fecisse sufflando.* Item. *Fortasse ex aëre est anima. Huic enim elemento flatus competit. Sed noster non Dei. Vnde suprà diximus, hoc potuisse congruenter putari: si animã mundi tanquam vnius maximi animantis Deum crederemus: vt ita eam flauerit de aëre corporis sui, sicut nostra de sui. Cùm verò Deum constet esse supra omne mundi corpus, & supra omnem spiritum quem creauit incomparabili distantia, quomodo id rectè dici posset?* Item. *Manichæi, qui se Christianos putant, siue putari volunt, eo sunt Philosophis Gentium in opinione animæ detestabiliores: quod animæ naturam illi à Dei natura discernunt: isti autem, cùm aliud nihil dicant esse animam, quàm ipsam Dei substantiã, atque id omnino quod Deus est, non trepidant eam tam turpiter commutabilem dicere: vt nullum sit herba seu vermiculi genus, vbi eam non esse commixtam opinentur.* Item ad Euodium de Trinitate & columba, dicit, nullam omnino creaturam in vnitate personæ Deo aliquãdo coaptatam, *præter solum,* inquit, *hominem ex virgine assumptum: qui quia propter ipsam naturam liberandam ipsa omnia fiebat, in vnitatẽ persona Verbi* Dei *mirabili & singulari susceptione coaptatus est: permanente tamen Verbo in sua natura incommutabiliter; in qua nihil compositi cum quo subsistat, vlla phantasia humani animi suspicandum est.* Adhuc etiam, si anima mundi Spiritussanctus est: partem eum esse mundi constat, sicut anima hominis pars hominis est. Sed & hoc modo Spiritussanctus vna cum mundo isto persona est; & colendus jam à nobis mundus est, & adorandus, sicut in Christo adoramus hominem in vnitate personæ Deo conjunctũ, de quo

Genes. 2.

Refutata est hac hæresis ab Augusti.

Psal. 98. Sap. 1. scriptum est. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Credimus certè & confitemur, quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum: & sicut à principio superferri dictus est Gen. 1. aquis, sic jugiter superfertur fluitanti creaturæ: vel sicut habet verior scripturæ illius translatio, fovet eam, sicut avis fouet pullos suos: omnia continens vt sint, disponens vt bene sint, ordines suos conseruando: dans esse lapidibus, vivere arboribus, sentire pecorib⁹, discernere hominibus. Sed sicut nusquam deest diuina præsentia, & tamen aliter est in hujusmodi creaturis, aliter in sanctis suis: sic etiam Spiritus sanct⁹ spiritus vitæ aliter eos viuificat, de quibus dictũ Ioan 6. est. *Spiritus est qui viuificat,* aliter cætera viuentia: aliter eos qui vivunt de ipso, & ipse vita eorum est; aliter ea quæ vivunt in semetipsis agente ipso, & qualiscumque anima eorum in eis est. Nam etsi in aliquibus sanctis hominibus spiritus eorum vnus aliquando cum Deo efficitur ex participatione gratiæ: procul tamen omnis omnino creatura tam à naturæ diuinæ consortio, quàm ab vnitate personæ cum Deo.

CAPVT VI.

Abas negat gratiã necessariam ad bona opera. QVÆRITVR *etiam*, inquit, *vtrum omnes homines ita sola misericordia Dei saluentur, vt nullus sit, qui bonam voluntatem habere possit, nisi gratia præueniente Dei, quæ cor moueat, & bonam voluntatem inspiret, & inspiratam multiplicet, multiplicatam conseruet. Quod si ita est, scilicet vt homo nihil ex se boni operari possit; vt aliquomodo ad diuinam gratiam suscipiendam per liberum arbitrium sine auxilio gratiæ, prout dictum est, se erigere non possit: non videtur ratio, quare si peccauerit, puniatur. Si enim non potest ex se aliquid facere boni, & talis factus est, vt pronior sit ad malum quàm ad bonum; nonne si peccat, immunis est à peccato? Numquid Deus qui talem eum fecit, laudandus est de tali creatione, & non potiùs culpandus?* Et post aliquanta his similia: subjungit & dicit. *Sed quia ita non est, sed longè aliter: dicendum est, prout veritas se habet. Dicendum est igitur, quòd homo per rationem à Deo quidem datã gratiæ appositæ cohærere potest: nec Deus plus facit isti qui salvatur, antequam cohæreat gratiæ, quàm illi qui non saluatur. Sed sicut qui lapides pretiosos exponit venales, & desiderium videntium excitat ad emendum; similiter Deus gratiam suam apponit omnibus, consulit Scripturis, & exemplis prouocat: vt homines per libertatem arbitrij quam habent, gratiæ cohæreant. Qui prudẽs est, per libertatem arbitrij quam habet, gratiæ cohæret. Qui prudens est, per libertatem arbitrij sui cohæret gratiæ: piger & carnalis, quamvis per liberum arbitrium possit, negligit, & ideo negligitur à Deo. Quòd autem sicut mortuus Lazarus non potuit reuiuiscere, nisi Deo suscitãte, sic ad bene volendum non posse surgere hominem, nisi gratia viuificante, dicitur aut creditur: ideo viuificatio ista tribuitur gratiæ: quia ratio qua homo discernit & intelligit à malo abstinendum & bene agendum, est à Deo. Et ideo hoc inspirante Deo agere dicitur, quia Deus per rationem, quam dedit homini, facit eum peccatum ipsum agnoscere.* Hæc planè Pelagiana Hæresis Pelagiana. hæresis est. Contra quam quantis librorum voluminibus, quantis tractatibus à Sanctis Doctoribus Augustino, Hieronymo, multisq; alijs pugnatum est, & quomodo jam olim ab Ecclesiæ luminibus & fidelium cordibus anathematizata est, neminem arbitror ignorare; qui vel leviter diuinorum librorum familiarem habuerit lectionem. Sed qui hoc audet dicere, nõn ex æquo rẽ cum Deo videtur diuidere. Deus enim, sicut ipse dicit, hominem cum facit rationalem: ipse quod longe melius est, semetipsum efficit secundum rationem viventem vel agentem. Contra quod Dominus dicit. *Sine me nihil potestis facere.* Ioann. 15. Augustin⁹. *Qui nihil dixit, nihil excepit.* Et Paulus. *Deus est qui operatur in vobis, & velle & perficere, pro bona voluntate.* Vide Aug. ibidem. Philip. 2. Cujus enim est rationẽ date, ipsius est datã illuminare. Vanissimæ mentis est, & nimium elongatæ à Deo tentatio ista; superborũ mente cordis sui est ista præsumptio. *Nequaquam*, inquit, *plus facit Deus ei qui salnatur ab eo qui non saluatur ante cohæsionem gratiæ.* Quid ergo agit prædestinatio? Quid vocatio? Augustinus. *Non potest homo bene velle, nisi ab eo qui non potest malè velle.* Dicit, quia dat De⁹ tantummodo rationem, & prouocat cupiditatẽ. Qui verò viuit de spiritu vitæ, certissimè scit, quia certissimo experimento sentit in semetipso, sicut idem doctor dicit, nihil posse in homine, seu rationis discretionem, seu etiam docentis commonitionem, vbi præveniens gratia ad liberandum arbitrium non sanauerit delectationem: & vbi non dederit non solum volendi, sed & perficiendi virtutem. Nec sicut calumniatur, sic facta est à Deo humana natura; sed in hoc per peccatum est corrupta & dejecta, vt hominis arbitrium ad malum tantummodo liberũ sit: ad nullum verò bonũ sit, nisi liberante gratia. Ex quo, sicut beatus Augustinus dicit, *multa facit Deus in homine bona, quæ non facit homo: & nulla facit homo, quæ non faciat Deus, vt faciat homo. Iusto enim judicio alienò omnes peccato tenemur, à quo aliena in fide in baptismo liberamur per gratiam Saluatoris; quamvis in pœnam peccati maneat concupiscentia carnis, in qua erudiamur. A qua nemo potest esse liber, nisi ab indebita gratia liberatus: contra quod nemo murmurat, nisi ad mortem prædestinatus.* Aug. lib. de arb. ad Bon. Hæc omnia quæ præmisimus, beati Augustini verba sunt, ex libro de libero arbitrio ad Bonifacium Papam. Item in libro de Spiritu & litera. Aug. lib. de Spir. & lit. *Illis*, inquit, *acerrimè ac vehementissimè resistendum est, qui putant sine adjutorio Dei per seipsam vim voluntatis humanæ vel justitiam posse efficere, vel ad eam tenendam posse proficere. Et cùm vrgeri cœperint, quomodo id præsumant asserere fieri sine ope diuina: reprimunt se, nec hanc vocem audent emittere; quoniã vident, quàm sit impia, & non ferenda. Sed aiunt, ideo ista sine ope diuina non fieri, quia & hominem creauit Deus cum libero arbitrio voluntatis, & dando præcepta ipse docet, quemadmodum homini sit vivendum: & ideo vtique adjuuat, quod docendo aufert ignorantiam, vt sciat homo in operibus suis quid vitare & quid appetere debeat: quo per liberum arbitrium naturaliter insitũ viam demonstratam ingrediens, continenter, justè, & piè viuendo, ad beatam, eandemque æternam vitam, peruenire mereatur. Nos autem dicimus, humanã voluntatem sic diuinitus adjuvari ad faciendam justitiã: vt præter quã quod creatus est homo cum libero voluntatis arbitrio, & præter doctrinam, qua ei præcipitur quemadmodũ viuere debeat, accipiat Spiritum sanctum: quo fiat in eo delectatio dilectioque summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est, etiam nunc, cum per fidem ambulatur, nondum per speciem: vt hac sibi arrha data gratuiti muneris, inardescat inhærere creatori, atque inflammetur accedere ad participationem*

tionem veri illius luminis, vt ex illo ei bene sit, à quo habet vt sit. Nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat via veritatis: & cùm id quod agendum est, & quo nitendū est, cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuitur. Vt enim diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datur nobis, non per liberum arbitrium, quod surgit ex nobis. Item in Enchiridio, de libero arbitrio primi hominis. *Sic oportebat primò fieri hominem, vt & bene posset velle & male: nec gratis, si bene, nec impune, si malè... Quamvis sine gratia nec tunc vllum meritum esse potuisset: quia etsi peccatum in solo erat libero arbitrio constitutum, non tamen justitia retinenda sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione incommutabilis boni diuinum adjutorium praeberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate, cum velit, nemo enim est, quin, vt nihil aliud dicam, non vescendo, non possit seipsum occidere; ad tenendam verò vitam voluntas nō satis est, si adjutoria alimentorum desint: sic homo in paradiso ad se occidendum, iustitiam relinquendo, idoneus erat per voluntatem: vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eū fecerat, adiuuaret... Sic ergo factus est homo rectus, vt & manere in eadem iustitia posset, non sine diuino adiutorio; & suo fieri perversus arbitrio: & vtrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut rectè de illo. Proinde voluntas facta est Dei, de eo qui suam maluit facere volūtatē, quàm Dei; cùm ex eadem massa perditionis, quæ de illius stirpe profluxit, facit per gratiam aliud vas in honorem, aliud in contumeliam per iudicium: vt nemo glorietur in homine, ac per hoc, nec in se.*

Aug. Enchirid. c. 105. & 106.

Ibid. c. 107.

CAPVT VII.

DEINDE ingreditur causam cum Deo homo ingratus: & adstruere velle videtur, quòd Christus gratis mortuꝰ sit. Quod & scholares ejus quasi ex sententia ejus submurmurant: ex propositis quæstionum calumnijs dicentes, si auderet, non fuisse necessarium in mundo Christi adventum. Sicut enim præ manibus habetis, & legere potestis, invadit Sacramentum cōmunis salutis, de passione & morte Christi: & quantum in ipso est, destruens & exagitans illud, quasi dissipat & discerpit: & mittens illud in vētum, gladium longè nudat post illud. Si duriùs hic loquor, ignoscite: si duriùs gemo, vbi graviùs doleo. *Sciendum, ait, est, quod Doctores nostri post Apostolos in hoc conueniunt, quod diabolus dominium & potestatem habebat super hominem, & iure eum possidebat: ideo scilicet, quòd homo ex libertate arbitrij quam habebat, sponte diabolo consensit. Aiunt namque, quòd si aliquis aliquem vicerit: victus iure servus victoris constituitur. Ideo sicut dicunt Doctores, hac necessitate incarnatus est Filius Dei: vt homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis iure liberaretur à iugo diaboli. Sed vt nobis videtur; nec diabolus vnquā in homine habuit ius aliquod, nisi forte Deo permittente, sicut carcerarius: nec Filius Dei, vt hominem liberaret, carnem assumpsit.* Vt nobis, inquit, videtur. Meliꝰ ergo ipse aliquid afferet nobis, quàm in quo omnes Doctores post Apostolos conuenerunt & consentiunt? Meliusne aliquid ei revelatum est, vel ipse per se adinvenit; quàm quod nos docuerunt, qui à Domino didicerunt? Num sapientia ei profundior? Num sensus acutior? Num vita sanctior? Nū authoritas grauior? *Nobis*, ait, *non videtur*. Quid si ipsi sapientiæ Dei hoc visum est, si Apostolo Paulo & cæteris Apostolis hoc visum est? Nam in ipsum Dominum quasi inuehitur, ac dicit. *Quæ necessitas, quæ ratio, quid opus fuit, propter redemptionem nostram Filium Dei carne suscepta tot & tantas inedias, opprobria, flagella, sputa,* & sicut paulò pòst dicit, viderit ipse vnde acceperit, *spineam coronā capiti eius usque ad cerebrū impressam, denique ipsam crucis asperrimam & ignominiosam mortem sustinere, & cum iniquis patibulum sustinere?* Et in Apostolum. *Quomodo*, inquit, *Apostolus reconciliari hominem Deo per mortem dicit Filij Dei: qui tantò plus aduersus hominem irasci debuit, quantò amplius homines in crucifigendo filiū eius deliquerunt, quàm in transgrediendo eius præceptum gustu vnius pomi?* Et plurima in hunc modum. Et huic homini quid dicemus, qui neque ipsi credit veritati, neque Apostolis, neque Doctoribus Apostolicis? Possunt quidē contra ea quæ dicit multa afferri ex Scripturis authenticis, in quibꝰ simplicibus filijs Dei credentibus, sperantibus, amantibus, de sacramentis salutis humanæ elucent testimonia Domini fidelia, sapientiam præstantia parvulis: justitiæ Dn̄i rectæ recta lætificantes corda, & judicia Domini vera justificata in semetipsa: sed sicut Apostolus dicit de sapiētibus hujus mundi, hæc omnia stultitia sunt illi. Denique videte ad expugnandam veritatem vndecunque congestarum aggerem calumniarum; vim & saporem degustate singularum quæstionum per ordinem subsequentium: & sentietis de qua radice prodeant. Erubescit Evangelium Dei: viluit apud eum Christianæ fidei simplicitas. Qui vtinam vel ea benevolentia legeret Evangelium Dei, qua Platonem legit. Platonem cum legit, vbi eum intelligit, sensum in eo philosophicum magnificè prædicat & extollit: vbi verò non intelligit, vel secundum spiritum hujus mundi secùs eum aliquid dicere deprehendit; in meliorem semper partem interpretari conatur. Vtinam & in hoc imitaretur Platonem, quem amat: quòd ille cùm de Deo agit, cautè & prudenter edicit, quòd ipso revelante æstimando de creatura creatorem, de eo sentit vel intelligit: cætera cum philosophica reuerentia patienter ignorans, inquirentes mittit ad ideas, quas esse dicit in mente summi Dei: in quibus omniū rerū originales species & rationales causas dicit contineri: plus illis deferens, quàm Petrus deferre velit eis, ad quæ Paulus nos mittit, altitudini sapientiæ & scientiæ Dei, & incomprehēsibilibus judicijs ejus; & investigabilibus vijs ejus; sensui & consilio ejus: quæ omnia investigare & dijudicare nititur per vim humanæ rationis. Credit Platoni? Scio quia credit. *Quæ*, inquit Plato, *fuit causa Dei mundum faciendi? Bonitas sua. Quæ, quia bonus, nulli inuidit: fecit quàm melius fieri potuit.* Hoc Seneca de Platone. Quod dicendo Plato rationabili cautela & philosophica prudētia mundum appellans omnem omnino creaturam, omnium quæ in mundo facta sunt breuiter reddit rationem: scilicet bona esse, & bene fieri omnia, quæcumque fiunt à tam bono conditore. Dicamus & nos. Quæ fuit causa Deo, faciendi novam in Christo creaturam? Bonitas sua. Ideo summè bonus fecit eam, quàm melius fieri oportuit. Pro quo si in sapientia Dei *oportuit Christum pati & resurge-*

Negat Abaelard. Christum mortuum fuisse, vt homines redimeret.

Rom. 5.

1. Cor. 2.

Rom. 11.

Verba Platonis apud Senec.

Luc. 14.

re, & ita intrare in gloriam suam: quid in hoc calumniari potest humanæ rationis ingratitudo? Propter quod dicit in Propheta. *Ego feci, ego feram, dicit Dominus.* Quinimò cum multi præsto essent modi saluationis humanæ, omnipotenti & sapienti Deo; cur sicut dicit beatus Augustinus, hunc recusaret, imò cur non hunc potius præ cæteris omnibus eligeret, vbi de diuinitatis gloria nihil omnino est imminutum, & de humilitate & passione Salvatoris tantum in mũdo bonum est effectum? Amplecteretur certè & hic communis salutis effectum, nec tam temerè vel curiosè scrutaretur saluandi modum: si credendo & amando tantũ deferret Christo mundi Salvatori, quantum Plato æstimando detulit Deo mundi creatori. Ait beatus Augustinus. *Potestatem autem in mundo diabolum nimiam habuisse ante aduentum Christi, in passione ejus amittendam: ipse Dominus instante hora passionis suæ testatus est dicens. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps hujus mundi eijcietur foras.* Et iterum. *Ecce venit princeps hujus mundi, & in me non inveniet quicquam.* Nisi enim diabolus potestatem exercendo in mundo esset: nequaquam diceretur, ejicietur foras. Et nequaquam in Domino quidquam requireret; si in cæteris hominibus nihil haberet. Potestas autem hæc diaboli in homine ab illo cœpit, quem primò decepit: non quòd Deus diabolo in homine dederit potestatem: sed mox cùm peccantẽ Deus justè deseruit hominem, seductor invasit peccatorem. Primus siquidem homo cùm conditus esset liberi arbitrij, hoc est, liberũ habens si vellet perpetuam habere cum immortalitate justitiam: sponte consensit inimico suggerenti, cùm nondum pateretur, quod patiebatur, qui dicebat. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, carne autem legi peccati: video autem aliam legem repugnantem legi mentis meæ; & captivum me ducentem in legem peccati, quæ est in mẽbris meis.* Sicque potestas à diabolo est in hominem nõ jure acquisita, sed nequiter præsumpta, & à Deo justè permissa, qua homo servus ejus factus est, à quo superatus est, & illaqueatus laqueis diaboli captivatus est, sicut Apostolus dicit, ab eo ab ejus voluntatem, subaudis faciendam. Sic enim ibi scriptum est. *Vt resipiscant à laqueis diaboli, à quo captivi tenentur ad eius voluntatem.* Cùm enim æquè omnes persequatur, tam justos quàm injustos: ipsi soli sub potestate ejus sunt, qui secundum voluntatẽ ejus vivunt. Seruitus autem hæc seruitus est concupiscentiarum, qua vivit homo secundum voluntatẽ seductoris: cui nemo valet resistere, nisi in regno gratię. Non autem est sub ejus voluntate; in quo quod vult, non potest efficere. Huic potestati ante Christi adventum totus pene mundus erat obnoxius: cum seruirent ei omnes injusti, nec omnino immunes ab ea erant pauci, qui tunc erant justi; cùm à diabolo immisso peccato originali obnoxij omnes mundum hunc ingrediebãtur, qui de carne peccati nascebantur: migrantes autem de sæculo justi, cùm non essent in tormentis cum injustis & cum diabolo, non tamen erãt cum Deo: inquantum in tenebris Deum non videndi detinebãtur. Quæ verò sit justitia in sanguine Christi, qua justificatur homo apud Deum, & quomodo sit hominis reconciliatio ad Deum per mortem filij ejus, difficilis quæstio est; non agitanda in tumultu; sed piè & humiliter quærenda in spiritu. Ipsum etenim est sacramentum, de quo Apostolus dicit. *Et certè magnum est pietatis sacramentum; quod manifestatum est in carne, iustificatũ est in spiritu.* Hoc est, quod factum est in carne Domini Iesu, siue visu, siue auditu, manifestum factum est omnibus: justitia verò quæ per fidem est in sanguine ejus, non nisi in spiritu apparet quibusdam spiritualibus. In quo tamen qui amat non laborat; quia ipse ei amor intellectus est, qui sensum Christi habet, sicut Apistolus se dicit habere, qui bonum gratiæ justificantis sentiendo in Christo Iesu, in semetipso etiam hoc ipsum meretur sentire: nequaquam illud valens sentire in semetipso, nisi priùs pleno illuminãte fidei sensu sentiat in Christo. Vnde, & scriptum est. *Hoc sentite in vobis; quod & in Christo Iesu.* Ipsa quippe est fides, quã sicut Dominus dicit Petro, non reuelat caro & sanguis; sed Pater qui est in cœlis. Vnde & alibi dicit ad discipulos. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo.* Stare quippe in fide multorum est; videre autem in hac vita filiũ hominis in regno suo, paucorum: quibus hoc illuminatis oculis fidei revelat, non caro & sanguis, sed Pater, qui est in cœlis. Videt autem etiam in hac vita filiũ hominis in regno suo, quicumq; regnum Christi effect⁹, & fidei intellectu & amoris affectu, & vitæ effectu manens in Christo, ipsumque habens in se manentem, secundum Apostoli præceptum, novit eum sanctificare in corde suo. Hæc fides testimonium est illud fidele, sapientiam præstans parvulis: contemplans in sacramentis suis justitias Domini rectas, recta *lætificantes corda; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*; timorem Domini sanctum permanentem in sæculum sæculi; *iudicia Domini vera iustificata insemetipsa*; super omnia quæ desiderãtur desiderabilia, vt intelligantur; super omne quod dulce est dulcia, cùm intelligun tur. In hac fide, cum habetur, omni eam habenti, sicut idem dicit Propheta, *rectũ est verbum Domini, & omnia opera eius*: nulla in ea quæstio, nulla hæsitatio; sed fruens tantum affectus. Procul scandalum crucis: sola ei gloria in cruce Domini nostri Iesu Christi, *qui factus est nobis*, sicut Apostolus dicit, *iustitia à Deo, & sanctificatio, & redemptio: vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ipsa intelligit, quæ sit justitia in sanguine Christi, quę hominis ad Deum reconciliatio; inquantum in charitate crucifixi homo ille vnus efficitur spiritus cum Deo. Hæc sapientiam habens in mysterio absconditam, vt manifestũ sit omnibus, quoniam res Dei est, non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spirit⁹ & virtutis; vt non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Veritas est, lux est; tenebras odit, sponte venit ad lucem. Nil propter eam simulãdum, nil in ea dissimulandum est. De prope spectari amat: propiùs eã spectat, qui puriùs amat. Res quippe Dei est, cujus proprium esse amari, in hoc maxime dignoscitur, quòd quicquid de eo est, amore maximè intelligitur. Reconciliatio verò magistri Petri quam fingit in Deo, & imponit nobis, procul fiat ab ipso, sicut procul est à nobis; tamquam hominis irati & implacabilis, nisi per mortem innocentis filij; cùm, sicut ipse dicit, magis debuerit irasci pro morte injusta innocentis filij sui, quàm pro gustu vnius pomi. Sed Deus, in quo non est, iniquitas, in quo

Isaiæ 46.
Potuit alijs modis homo redimi, sed hic conuenientior fuit.
Ioann. 12. & 14.
Vt diabolus in hominem habuerit potestatem.
Rom. 7.
2. Tim. 2.
Sine gratia non resistitur diabolo.
1. Timot 3.
1. Cor. 2.
Philip. 2.
Matt. 16.
Quinam in hac vita videant Christum in regno suo.
Psal. 18.
Psalm. 32.
1. Cor. 1.

non est, est & non, sed est in illo est: qui fecit ab æterno cuncta quæ futura sunt, & quicquid ab eo factum est in ipso vita est; bona cuncta per quemcunque fiant, ab seipso facienda prædestinauit: quorum sicut bona omnia concluduntur intra bonitatem prædestinantis, sic mala nulla effugere queunt ordinem providentiæ justè & rectè omnia disponentis. Prædestinauit ergo mundum faciendum bonitas conditoris, & hominem in mundo, vt de homine instauraret ruinam angelicæ prævaricationis. Quem cùm spōte peccaturum præsciret, cùm liberi futurus esset arbitrij; & in peccato ejus periturum genus humanum: rursum prædestinavit faciendum alterum hominem Christum Dominum, qui peccare non posset, cùm & Deus futurus esset: & in ipso prædestinavit salvandum & liberandum de genere humano genus Christianum. Ipsi sunt illi duo homines, de quibus Apostolus dicit, alterius debitum in omnes processisse in condemnationem; alterius verò justitiam in omnes homines in justificationem vitæ; vt *sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiā justi* constituerentur *multi*. Faciens autem Deus primum hominem, liberi eum constituit arbitrij, vt posset & bene velle & malè: & vel bona ejus voluntas meritum apud Deum haberet gratia misericorditer adjuvante; vel si mala esset, meritum & ipsa haberet malivolum gratiâ justè deserente; & justitiâ Dei malum ejus in pœnam ejus rectè ordinante. Factus Adam & positus in paradiso peccavit, & iratus est ei Deus: & factæ sunt inimicitiæ inter Deum & hominem. Ira Dei cum tranquilitate omnia judicātis justa vindicta fuit peccati immissa peccatori: inimicitiæ in Deum & hominem non aliæ, quàm quæ esse solent inter justitiam & peccatum. Cùm autem venit tempus miserendi: ad salvandum mundum misit Deus filium suum, faciens eum hominem propter saluandum hominem. Quem cùm saluatorem mundi prædestinasset, præsciuit etiam quòd in mundo occideretur: & prædestinavit, quid de ipsa morte ejus ageretur, scilicet salus mundi. Etenim cùm peccati author peccatum ei persuadere non posset, occidit eum quantò potuit crudeliùs: pœnam peccati infligens non peccatori. Et Dominus qui poterat si vellet non mori, quia non homo tantum, sed & Deus erat, & ab omni remotissimus peccato, pœnæ peccati, hoc est, morti nihil debebat, sponte suscepit mortem, quam violenter se intulisse arbitratus est inimicus: & transtulit in se pœnam omnium peccatorum in ipso spiritualiter regenerandorum: sicut Adam peccauerat in pœnam omnium de ipso carnaliter generandorū. Transfuditque in omnē Christianæ fidei posteritatem originalem justitiā per regenerantem gratiam; sicut in omnem posteritatem carnis peccati Adam transfuderat inficientem tabem originalis peccati per carnalem generationem: vt viuerent aliena justitia filij gratiæ; sicut alieno moriebantur peccato filij iræ. Sicque in regno justitię malum non remansit inordinatū: cùm in eo qui pro peccatoribus mortuus est, nullum remansit justificati hominis peccatum impunitum. Tantique valuit pretiū sanguinis illius innocentis: vt quicumque etiam interfectorum ejus per fidem Christo adhærerent; per indebitam ejus mortem temporalem æternam debitam evaderent. Nec, sicut queritur Petrus, sacer ille sanguis diabolo quasi in pretium redemptionis pro homine datur, sed appetenti malitiæ est permissus: vt cum in gaudium ejus funderetur, per justificationem ejus innumera multitudo prædestinatorū ne in gaudium ejus cum eo perirent, ei tolleretur. Nec à Deo Patre quasi ad satisfaciendum est requisit⁹, cùm tamen ei plenissimè satisfecerit oblatus. Nā in cooperatione humanę salutis manifestè se declarauit vnitas Trinitatis: quando, sicut Apostolus dicit, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, & Christus in sanguine suo reconciliabat nos Deo: cum effunderetur sanguis ejus, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ad emundandum conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendū Deo viventi. Nam & prædestinatio qua hoc totum ab æterno prædestinatum est, bonitas Dei, hoc est Spiritussanctus est, charitas communis Patris & Filij, communis suauitas, cōmunis gratia, communis misericordia: quæ sicut ab antiquo, jugiter superfertur creaturæ fluitanti, non indiga voluntate, sed proflua bonitate. Ipsa est de salute hominis voluntas Patris, & obedientia Filij, dilectio Patris & Filij, & diuina bonitas ad creaturam suam. Bonitas quippe Patris ad Filium & ad creaturam, ipsa est imperiū Patris ad Filium de salute humana: eademque bonitas Filij ad Patrem, qui est Spiritussanctus, ipsa est, in salvando homine, modo quo id fieri oportebat, Christi obedientia. Cui perfectè affectus homo Christus, novam per eam obtinuit justitiam patiendo pœnam peccati sine peccato; quàm, cùm etiam Deus esset omnipotens & bonus, largitus est Christiano generi, cum humano genere morienti in peccato suo. Erant etenim & ipsi natura filij iræ, sicut & cæteri, naturâ corruptâ contagione originalis peccati. In quibus postmodum originali justitia per regenerantem gratiam, multò digniùs ac potentiùs obtinuit regnum: quàm priùs per carnalis concupiscentiæ generationem carnalē regnasset in eis veniens ab Adam originale peccatum: cùm, qui filij iræ erant, filij gratiæ effecti in sanguine Christi occultiore mysterij virtute justificati sūt, non solū ab origiuali peccato, sed ab omni peccato: & insuper accipere merentur Spiritum adoptionis sanctū, testimonium perhibentē conscientijs eorum, quòd sunt filij Dei. Sicque sublato, hoc est dimisso peccato, cui justitia inimicabatur; plena facta est Dei & hominum reconciliatio, & finis iræ, hoc est justæ vindictæ in Deo. Fit autem finis vindictæ, sed æternæ, eis qui ad æternitatem regenerantur: manente sententia pœnæ temporalis ad erudiendam fidem æternitatis. Vnde beatus Augustinus dicit in libro de baptismo parvulorum. *Caro quæ primò facta est, non erat caro peccati, qua noluit homo inter delitias paradisi seruare iustitiam. Vnde statuit Deus, vt post eius peccatum propagata caro peccati ad recipiendam iustitiam laboribus & molestijs reniteretur. Propter hoc etiam de paradiso demissus Adam contra Eden habitavit, hoc est contra sedem deliciarū: vt significaret quòd in laboribus, qui sunt delitijs contrarij, erudienda esset caro peccati; quæ in delicijs obedientiam non seruauit, antequàm essit caro pecati. Sicut ergo illi primi homines postea justè vixerunt, vnde meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, nec tamē meruerunt in illa vita ad paradisum reuocari: sic*

Rom. 5.

Christus ad saluandum hominum venit.

Christus omnes redemit, sicut Adam omnes peremit.

Petr. Abaelardus.

2. Cor. 5.

Heb. 9.

& caro peccati; etiamsi remissis peccatis homo in ea justè vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. Tale quid insinuatum est de Patriarcha David in libro Regnorum. Ad quem cùm Propheta missus esset, eique propter peccatum quod admiserat, ventura mala ex iracundia Dei comminaretur; confessione peccati veniam meruit, respondente Propheta, quod ei flagitium facinusque dimissum sit: & tamen consecuta sunt, quæ Deus fuerat minatus, vt sic humiliaretur à filio. Vnde etsi hic dicitur, si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimisso peccato, quod fuerat minatus implevit; rectissimè respondebitur, remissionem illam peccati factam, ne homo impediretur à percipienda vita æterna: secuturum verò illius comminationis effectum, vt pietas hominis in illa humilitate exerceretur ac probaretur. Sic & mortem corporis & propter peccatum hominibus Deus inflixit; & post peccatorum remissionem propter exercendam justitiam non ademit. Hæc beatus Augustinus. Deinde magister Petrus propositas quæstiones, sicut legere poteritis, scrupulosas & plenas scandalis indiscussas præteriens, & multo studio effossam foveam perditionis simplicioribus apertam relinquens, quasi redit ad sensum Catholicum: tamquam immunẽ se faciens, quicumq; ceciderit in eam. Cùm enim in dispensatione mediatoris tria præcipuè intelligenda sint fidelibus, scilicet sacramentum redemptionis & reconciliationis omnium; & ad eos qui maximè per superbiam peribant, exemplum humilitatis; & ad eos, quorum amor in terrenis computruerat, prouocatio charitatis: primo leviter perstricto, secundo penitus neglecto, tertio totus incumbit; dicens hoc fuisse consilium, & hanc esse causam Incarnationis & passionis Domini, vt luce sapientiæ suæ mundũ illuminaret, & ad amorem suum accenderet: tamquam posset prouocari homo superbus ad amorem Dei, nisi primo humiliaretur ab amore sui, & nisi priùs sacramento redemptionis solveretur ligatus à conditione & vinculo peccati. Vbi cùm totum legeritis, quod queritur, quod scribit, quod adstruit, quod exaggerat, quod solvit, quod docet, quod emendat: vestri sit judicij, vtrum secundum præceptum legis, foueam quã effodit, sic operuerit, vt si cujus bos aut asinus ceciderit in eam, non jure ab eo exigendum sit. In quam certè periculosa nimis ruina jam delapsi sunt, qui ex sententia ejus adstruere nituntur, si plenè auderent, Christum Dominum gratis passum, gratis venisse in mundum. Quibus non est dissimulandum, sed ingerendum periculum suum: & ex verbis Apostoli sæpius conueniendi sunt dicentis. *vosmetipsos tentate: si estis in fide ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Iesus Christus est in vobis; nisi forte reprobi estis?* Est autem in eis Christus, quibus placet Christus. Christus illi placet, qui non nisi in fide Christi Iesu sibi placet. Sed non omnium est fides. Vnde idem dicit Apostolus. *Si autè opertum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum: in quibus Deus hujus sæculi excæcauit mentes infidelium, vt nonfulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago invisibilis Dei.* Necessarius verò in mundo intantum fuit Christi adventus & passio ejus; vt hoc singulariter modo servandus esset mundus: sed hoc isto potissimũ modo faciendum fuit; cum isto potissimum modo congruentiùs & efficaciùs faciendum in sapientia sua providentia Dei præordinasset consilio, quod ipse nouit.

2. Reg. 12.

Sola causa Incarnationis Abaelar. fuit vt homo Deum amaret.

Exod. 21.

2. Cor. 13.

2. Cor. 4.

Caput VIII.

Iterum dicit de persona Mediatoris, Deum ab homine secernens, sicut Nestorius. *Sciendũ* ait, *est, quòd licet concedamus, quòd Christus tertia sit Persona in Trinitate: non tamen concedimus, quod hæc Persona, quæ Christus est, sit tertia Persona in Trinitate.* Notanda insipientissima loquẽtis de Deo protervia. *Hoc*, inquit, *concedimus, illud non concedimus*; tamquam de Christo, siue in Christo nil sit, vel esse possit, nisi quod ille cõcesserit. Deinde contra illud Psalmi, *Israël non erit in te Deus recens*; recentem nos in fide nostra Deum habere causatur, si quid in Deo esse, quod ab æterno non fuerit, profitemur. Hæc hæresis propriè Agnoitarum est, quæ olim tempore beati Gregorij in Ecclesia apparuit: de qua idẽ scribens ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, sic inter cętera dicit. *Nemo potest esse Agnoita; qui Nestorianus non sit.* Sicut enim olim Nestorius nisus fuerat astruere, Mariam θεοτόκον, hoc est matrẽ Dei, non fuisse: sic & isti, pro eoquod in Evangelio dicitur de die judicij, quia diem illum & horam *neque Angeli, neque Filius nouit*; & quia Dominus legitur venisse ad ficulneam, quærens in ea fructum, & non invenit; & quòd requisiuit de Lazaro, *vbi posuistis eum*, multa dicebant filium hominis ignorauisse. Sed sicut dicit idem doctor, diẽ judicij Pater solus dicitur scirẽ: quia consubstantialis ei Filius ejus, ex natura quæ est super Angelos habet vt hoc sciat, quod Angeli ignorant. Incarnatus enim vnigenitus Dei, factusque pro nobis homo perfectus, in natura quidem diuinitatis nouit diem & horam judicij; sed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipsa humanitate novit, non ex ipsa novit: quia Deus homo factus diem & horam judicij non nisi per diuinitatis suæ potẽtiam novit. Vnde & nos similiter dicimus, Christum filium hominis in ipsa natura humanitatis suæ, sed non ex ipsa, secundum eam quam cum Deo habet vnionem, tertiam esse in Trinitate Personam: quia sicut incarnatus Deus factus est filius hominis propter hominem assumptum, sic assumptus homo factus est filius Dei propter assumentem Deum. Vnde dicit idem Doctor in epistola sua. *Diem & horam judicij scit Deus & homo, sed ideo homo, quia Deus est ipse homo. Scientiam verò, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum Angelis creatura fuit: hanc se cum Angelis qui creatura sunt, habere denegauit.* Ad quod & nos dicimus, quoniam si in Trinitate, quæ Deus est, tres sunt personæ quod ipse non contradicit, & Christus Deus & homo vna est persona, quod etiam ipsum non contradicit: quam tamen tertiam in Trinitate esse personam nullatenus concedit: jam vtique recentem ab eo Deum habemus; quartam scilicet in Deo cũ Trinitate personam, & in fide nostra quaternitas potiùs quàm Trinitas nobis proponitur adoranda. Sed sicut dicit beatus Augustinus ad Evodium, *assumpto homine nequaquam personarum numerus auctus est, sed eadem Trinitas mansit.* Nos verò, ipsum quem Deus exaltauit, hoc est, si dici fas est, hominem Dominicum, (& dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium terrestrium & infernorum, scilicet vt ab omnibus tãquam Deus adoretur;) ipsum inquam & nos, &

Verba Abæl. de Persona Christi.

Psalm. 80.

Error Agn.

Marc. 13.
Matth. 21.

Ioann. 11.

Christus homo scit diẽ judicij.

August. Epi. 102.
Philip. 2.

omnis lingua confitetur, quia est in gloria Dei Patris: quod non est aliud, quàm quia est tertia persona in majestate summæ Trinitatis: sed secundum hoc quod & ipse est Dei filius, hoc est in vnitate personæ conjunctus vel potiùs vnitus filio Dei: sicut & Deum Dei filium natum temporaliter credimus, & passum, secundum eandem personæ vnitatem, absque omni calumnia recentis in Deo nouitatis. Propter quod etiam B. Augustinus in libro Retractationum pœnitere se dicit, alicubi se dixisse hoc quod & nos paulò antè manifestandæ rei causa diximus, hoc est, *Dominicum hominem*, scilicet inquiens, tanquam homo ipse non sit Dñs; qui, sicut ipse alibi dicit, ex quo ipse esse cœpit, Dñs & Deus esse cœpit. Vbi sicut audire refugit fides Christiana in Christo Deo & homine personæ diuisionem: sic etiã abhorret diuinæ substantiæ cũ humana substantia confusionẽ, siue cõmixtionẽ. Vnde dicit B. Augustinus in libro de Trinitate & columba, sicut iam suprà posuimus. *Nec sonus ille vocis, quo dictum est, Tu es filius meus dilectus, qui continuo esse destitit, coaptatus est in vnitatem personæ Patris, nec illa species corporalis columbæ coaptata est in vnitatem personæ Spiritussancti: sicut neque ille ignis qui eundem Spiritum sanctum demonstrauit, & officio significationis impleto mox esse destitit. Sed solus homo, quia propter ipsam naturam liberandam illa omnia fiebant, in vnitatem personæ Verbi Dei mirabili & singulari susceptione coaptatus est: permanente tamen Verbo in sua natura incommutabiliter, in qua nihil compositi cum quo subsistat vlla phantasia humani animi suspicandum est. Homo enim Verbo accessit; non Verbum in hominem conuertibiliter decessit: atque ita filius Dei simul cum homine suscepto dicitur. Vnde idem filius Dei incommutabilis est, atque coæternus Patri; sed in Verbo solo. Et sepultus est filius Dei, sed in carne sola.* Item Leo Papa de Christo. Totus, inquit, Deus est, propter assumentem Deum: totusque homo propter hominem assumptum. *Nec tamen Verbum in carnem, siue caro in Verbũ mutata est: sed vtrumque manet in vtroque; & vnus in vtroque Christus, nec diuersitate dimisus, nec commixtione confusus. Nec alter est ex Patre, alter est ex matre; licet aliter sit ex Patre, aliter ex matre: ex Patre ante omne principium, ex matre in fine seculorum; vt esset mediator Dei & hominum Iesus Christus, in quo habitaret plenitudo diuinitatis corporaliter: quia non assumentis dejectio sed assumpti prouectio est: quòd Deus illum exaltauit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Vbi licet vna persona sit Dei & hominis: aliud tamen est, vnde communis gloria, aliud vnde communis est contumelia. Sicut enim in Trinitate Deus Pater & Deus Filius vnius substantiæ, sed non vnius personæ: sic in forma mediatoris Deus & homo sunt vnius personæ, sed non vnius substantiæ. *Nec interest*, ait S. Leo *ex qua Christus substantia nominetur: cum inseparabiliter manente vnitate personæ idem sit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter vnam cum Patre substantiam.* Dicit ergo magister Petrus. *Non concedimus, quod Christus hæc persona, hoc est, Deus & homo, tertia sit persona in Trinitate* Nos verò dicimus secundum præmissas sententias Patrũ, quia Christus Deus & homo hæc persona, secundũ quod Deus est, tertia est in Trinitate persona. Dicet. Ergo non secundum quod homo est. Vtique, sed est ibi etiam homo, propter inseparabilem vnitatẽ, qua vna est persona cum Deo. Absit autem, vt per hoc recens aliquid asseramus in Deo: cum, sicut Leo papa sentit, & Augustinus consentit, hominem ab æterno ad hoc prædestinatum, & in tempore beneplaciti Dei in hoc glorificatum, simul dicimus cœpisse esse, & Deum esse, cum non sit nisi vnus Deus. Sed permanente diuinitate filij Dei in sua natura, sicut dicit B. Augustinus, incommutabiliter, sine omni composito humani phantasmatis, cum quo subsistat; mirabili & incomparabili susceptione in vnitatem personæ homo ei est appositus, siue aptatus; non priùs creatus & postmodum assumptus: sed simul in ipsa assumptione creatus. Et sicut dictũ est, simul cœpit esse, & Deus esse: sed gratiâ nõ naturâ: nomine vel persona, non essentiali substantia. Vnde dicit Apostolus. *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et B. Augustinus in libro contra sermonem Arrianorum. *Hanc vnitatem personæ Christi Iesu Domini nostri sic ex natura vtraque constantem, vt qualibet earum vocabulum etiam suum impertiat alteri, & diuinæ humana, & humana diuinæ, beatus ostendit Apostolus: hoc inquiens sentite in vobis, quod & in Christo Iesu; qui cum in forma Dei esset, humiliauit semetipsum*, & cętera. Cum ergo Christi nomen sit ex eo quòd vnxit eum Deus præ participibus suis oleo exultationis; hoc est, quòd homo factus humiliauit semetipsum: de ipso tamen eodemque Christo dictum est, quia in forma Dei esset, antequam ab illo forma serui esset accepta. Nondum quippe erat filius hominis, sed filius Dei; cui patris æqualitas non erat rapina, sed natura. Verùm, si quæramus, quis est ille, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: respondetur nobis voce apostolica, Christus Iesus. Ergo & illa diuinitas huius humanitatis nomen accepit. Item si quæramus, quisnam sit factus obediens vsque ad mortem: rectissimè respondetur. Ille, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Ergo & ista humanitas illius diuinitatis nomen accepit. Apparet tamen idem ipse Christus geminæ gigas substantiæ, secundum quid obediens, secundum quid æqualis Deo, secundum quid filius hominis, secundum quid filius Dei: secundum quid dicit, *Pater major me est*: secundum quid, *Ego & pater vnum sumus.* Propter hæc omnia dicimus Mariam theotocon, hoc est matrem Dei, Christum genuisse Deum & hominem vnam personam; hominem, inquantum ex ea esse cœpit: Deum, inquantũ de ea Deus & homo esse cœpit. Sicque ipsam Christi personam tertiam in Trinitate fatemur personam: Deum filium Dei, inquantum vna ipse substantia cum Patre & Spiritu sancto est: hominem filium hominis, inquantum ipse cum Deo Dei filio vna persona est: illum qui ab æterno natura Deus est; istum, qui ex quo cœpit esse, non solum homo, sed etiã ex coessentiæ diuinæ beatitudine gratia Deus est; salvâ tamen Christianæ pietatis cautelâ, propter vitandam recentis Dei suspicionem, quã suprà beatum Augustinum meminimus dixisse, permanere semper Verbum in sua incommutabilitate, in qua nihil esse compositi cum quo

Marginal notes: 1. retract. cap. 19. — Luc. 3. — Act. 2. — Leo Ep. 11. — Christus simul homo creatus est, & simul Deus extitit. — Philip. 2. — Ioann. 14. — Ioann. 5. — Christi Dei & hominis persona, tertia in Trinitate persona.

subsistat, vlla phantasiâ humani animi suspicandum est.

CAPVT IX.

Sententia Abalardi de accidentibus Eucharistiæ.

IAm ad alia transeamus. Dicit etiam magister Petrus de Sacramento altaris, substantiâ panis & vini mutatâ in substantiam corporis & sanguinis Domini, ad peragendũ sacramenti mysterium, accidentia prioris substantiæ remanere in aëre. Obsecro, vt quid in aëre? Quid ibi factura sunt? Nobis verò videtur, si vobis etiã videtur, quod accidentia illa, siue prioris forma substantiæ, quæ, vt puto, non nisi consonus in vnum accidentium concursus est, si ibi est, in corpore Domini est, non formans illud, sed virtute operantis in ea sapientiæ Dei aptans illud, & modificans, vt secundum ritum mysterij & modum sacramenti, habile fiat & tractabile, & gustabile in forma aliena, quod non poterat esse in propria: agens exteriùs vt tractari possit, & sumi corporaliter; agente interiore gratia, vt sumatur incorruptibiliter, & credenti sapiat, & amantem viuificet & nutriat spiritualiter. Hinc etenim dicit B. Augustinus. *Quod videtis in altari, panis est & calix, quod vobis renunciat oculi vestri: quod autem fides postulat instruenda, panis corpus, calix verò sanguis est Christi.* De quibus etiam alibi dicit, *quia & eadem sunt, & in aliud commutantur: & quia quod in eis exteriùs sensibus subjacet, in percipiendo consumitur.* Vnde & dicit in libro contra Faustum. *Quid sunt aliud, quaque corporalia sacramenta: nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, sed tamen mutabilia, & temporalia?* Item alibi. *Si ad ipsas res visibiles quibus sacramenta tractantur, animum conferamus: quis nesciat eas esse corruptibiles? Si autem ad id quod per illas agitur: quis non videat non posse corrumpi?* Hæc ergo sunt, quæ nobis videntur de sacramentis diuinis, diuersis negligentiæ siue ignorantiæ casibus exposita: non corpus Domini, sicut dicit magister Petrus, quod quicquid accidat in hujusmodi, remotissimum esse credendũ est ab omni dignitatis suæ injuria.

Tomo primo supplementi, p. 394.

Contra Faustum lib. 19. cap. 16.

CAPVT X.

Verba Abaelar. de suggestione diaboli.

DEinde aliam movet quæstionem dicens. *De suggestione diaboli solet quæri, quomodo possit suggerere hominibus, cùm nec verbis, nec signis hoc faciat. Ad quod dicimus,* ait, *quia facit hæc per physicam rerum, lapidum, vel herbarum: quia sicut in natura quorundam lapidum est ferrum trahere, vel libidinem extinguere: ita quidam lapides sunt, vel herbæ, quibus libido, ira, & cætera vitia excitantur. Quando ergo diabolus vult suggerere alicui libidinem, vel iram, vel alia vitia, apponit ei lapidem illum, siue herbam, quam scit talem habere virtutem.* Hoc ridiculum est, nec nisi ad risum mouendum, dixisse eum hoc æstimo, vel scripsisse: cum sancti Doctores manifestè dicant, quia agit hoc spiritualis potiùs nequitia spirituali potentiâ hominibus incognitâ. Nec enim Iudæ Sathanas lapidem aliquem siue herbam intulit, cùm immisit in cor ejus, vt traderet Dominum: vel cùm in eum introiuit, hoc est, sicut dicit B. Augustinus, totum eum iuri suo mancipauit. Vbi etiam miror hominem aliquid sapientem, ad astruendum quod affert de aërijs corporibus dæmonum, authoritatem afferre de fabula Salomonis, dæmones intra vitreum vas includentis. Sunt adhuc multa, quæ in Theologia vel Philosophia magistri Petri me mouent: sed plurima prætermisi, quia nisi vos hæc mouerint, nec illa mouerent. Nunc precor reuerentiam vestram per eum, qui in Ecclesia sua speculatores & pastores vos constituit, vt de his interim sic agat prudentia vestra, vt his qui in his scandalizantur, satis fiat; qui læsi sunt in fide curentur: qui in Deo vos diligunt & prædicant, non erubescant in vobis, sed de vobis in Domino glorientur.

CAPVT XI.

Negat originale peccatum.

DIcit etiam, ab Adam originalis peccati trahere nos pœnam, non culpam. Vt quid ergo parvuli baptizantur? Sed in baptismo, sicut dicunt Patres, sicut suprà sufficienter exposuisse diximus beatum Augustinum, culpa dimittitur: pœna ad exercitium vitę huius manet, quæ est mors corporis, & cæteræ tribulationes vitæ huius.

CAPVT XII.

In quo constituat peccatum.

DIcit, nullum esse peccatum, nisi in solo consensu mali, & in contemptu Dei, quem habet homo in consensu peccati. Etenim nullã concupiscentiam, nullam delectationẽ malam, nullam voluntatem malam dicit esse peccatum, sed naturam. Concupiscere, inquit, alienã vxorem, siue concumbere cum alterius vxore, non est peccatum, sed solus in hoc consensus & contemptus Dei peccatum est. Et sicut in concupiscentia & delectatione nullum peccatum cõmitti: sic peccatum consensus nullo actu peccati dicit augmentari.

CAPVT XIII.

Negat peccatum ex ignorantia.

DIcit per ignorantiam nullũ fieri peccatum. Dicit, quoniam si ideo Gentilis siue Iudæus contemnit fidem Christi, quia contrariam eam credit Deo, non peccat. Dicit, quia qui ideo martyres occiderunt, quia arbitrati sunt in hoc obsequium se præstare Deo, non peccauerunt. *Propter quod,* inquit, *Iudæi qui Stephanum lapidauerunt, & Dominum crucifixerunt, non peccauerunt: imò plus peccauissent, si contra conscientiam æstimationis suæ ei pepercissent.* Dicit, concupiscentiam & delectationem carnis non esse in nobis occidendam, sed odiendam: sicut præcipit, inquit, Dominus, patrem & matrem odiendos propter Deum, non occidendos, vt sẽper habeamus contra quod pugnemus. *Quod enim,* ait, *cum labore & certamine bene agitur, hoc est quod coronam & præmium meretur: quod verò cum pace & delectatione, nihil meretur.* Hoc docet, hoc scribit moralis magister; parum sciens vt arbitror, & inexpertus, quid sit libertas spiritus. Qui adhuc alia docet, & scribit quam plurima, tam in spiritualibus, quàm in moralibus, non minus reprehensibilia vel periculosa, quæ prosequi longum esset. Ad reprobandam verò vel destruendam eius doctrinam, cui hæc non sufficiunt, nulla sufficient.

Epistola B. Bernardi Claravallis Abbatis ad Guillelmum.

GVillelmo Carissimo suo frater Bernardus. Motum vestrum & iustum iudico, & necessarium. Sed & otiosum non esse, monstrat libellus tundens & obstruens os loquentium iniqua. Non quòd illum adhuc attentiùs, vt iubetis, percurrerim: sed quia, ex eo quod cursim potui peruidere, placet fateor, & potentem existimo, iniquum dogma obruere. Verùm, quoniã meo iudicio non satis, vt optimè nostis, fidere consueui, præsertim in tam magnis rebus: operę

pretium puto, considerata oportunitate, me atque vos pariter alicubi conuenire, & conferre de omnibus. Idipsum tamen ante pascha fieri posse non arbitror; ne, quod præsens tempus indicit, studium orationis impediatur. Porrò silentio ac patientiæ super his meæ patientiã habete: cùm horum plurima, & penè omnia, huc vsque nescierim. Iam verò ad quod hortamini, potens est & Deus, dare mihi spiritum bonum, vestris orationibus. Valete.

Epistola B. Guillelmi ad S. Bernardum, de erroribus Guillelmi de Conchis.

DOmino Bernardo Abbati Claræuallis, frater Guillelmus claritatem æternæ visionis. Vereor multum molestus esse vobis, & multiplicibus occupationibus vestris; maximè cùm toties vobis sim Propheta malus & importunus, annuncians vastitatem. Ecce enim de radice colubri ascendit regulus, obscuri quidem nominis, & nullius authoritatis: sed tamẽ veneno pestifero ipsum aërem communem corrumpens. Etenim post Theologiam Petri Abaëlardi, Guillelmus de Conchis nouam affert Philosophiam, confirmans & multiplicans quæcũque ille dixit: & impudentiùs addens adhuc de suo plurima, quæ ille non dixit. Cuius nouitatũ vanitates, licet apud omnes qui eum nouerunt, viles faciat & despicabiles in homine illo nota leuitatis: quia tamen non omnibus nota est persona, ad quos per ea quæ scribit, peruenit eius doctrina, adducenda in medium est ipsa doctrina eius. Venit enim nuper ad nos frater quidã fugiens de sæculo, & Deum quærens: inter cæteros libros quos habebat vnum deferens hominis illius, cuius titulus erat, Summa philosophiæ. Vbi magni promissor hiatus promittens se docturum de omnibus quæ sunt, & non videtur, principium faciens à Deo philosophatur de eo sicut legere potestis. *In Trinitate*, ait, *omnia gubernante dixerunt esse philosophi potentiam gubernandi, sapientiam, & voluntatem. Si enim potuit & nesciuit, quomodo tam pulchra fecit? Si etenim nolens fecit; aut ignorans, aut coactus. Sed quid ignoraret, qui scit etiam cogitationes hominum? Et quis cogeret omnipotentem? Est ergo in diuinitate potentia, sapientia, & voluntas. Has tres Sancti personas vocant, vocabula illis à vulgari propter affinitatem quandam transferentes, potentiam appellantes Patrem, sapientiam Filium, voluntatem Spiritum sanctum. Potentia dicitur Pater, quia cuncta creauit, & paterno regit affectu. Sapientia dicitur Filius ante sæcula genitus; quia sicut filius temporaliter est à patre, ita sapientia coæternaliter & consubstantialiter est à potentia. Voluntas verò diuina dicitur Spiritus. Est enim propriè spiritus anhelitus. Sed quia in spiritu vel anhelitu sæpe voluntas hominis deprehenditur; aliter quippe spirat letus, aliter iratus: diuinam voluntatem vocauerunt Spiritum, sed antonomasticè sanctum.* De generatione verò diuina *quod, inquit, Propheta dicit, generationem ejus quis enarrabit: difficultatem ostendit, non impossibilitatem.* Deinde quasi eam enarraturus, *Pater*, inquit, *genuit Filium, hoc est diuina potentia sapientiam: quando prouidit quomodo res crearet, & creatas disponeret. Et quia hoc ante sæcula prouidit, ab æterno sapientiam genuit, & coæterna ei est sua sapientia. Et hoc est, quod ex se & non ex alio potentia sapientiã genuit: quia non alterius doctrina, neque vsus experientia, sed ex propria natura hoc scire habuit. Sanctum verò Spiritum nihil est aliud à Patre Filioque procedere: quàm diuinam voluntatem se ex potentia sapientiaque vsque ad creationem rerum extendere.* Ecce excogitatus Deus, sicut ipsi dicunt, Deum excogitasse animam mundi: ecce fides ficta, quam reprobat Apostolus dicens. *Et fide non ficta.* Vera autẽ reclamat fides de corde in quo est, ad eum, à quo est, & dicit. *Domine vim patior, responde pro me.* Doce me quid respondeam contradictoribus meis his: da mihi intellectum tuum de te, quem per illuminantẽ gratiam format veritas tua, & amor tuus in ratione hominis, quam conformat sibi, vt in ipso intelligam, quàm nullus sit intellectus omnis humanus, quem de te per se humana ratio format sibi. Vt autem cùm de Deo loquimur, formam non solum sanæ fidei, sed & sanorum in fide verborum teneamus, sicut philosophus hic noster loqui amat ex philosophis suis: sic & nos loquamur quicquid loquemur ex Patribus & Doctoribus & ductoribus nostris: ipsis eorum verbis sensus eorum afferentes, vestigijs eorum inhærentes, nil de nobis præsumentes. Periculosum enim nimis est, audere in talibus: nisi vbi vel euidens tuetur authoritas, vel manifesta ducit ratio fidei. Ratio autem fidei est omnem rationem humanam fidei postponere; vel in obsequium fidei captiuatam redigere: terminos fidei ipsius, quos posuerũt Patres nostri, non ignorare, nec in aliquo eos præterire. Hic autem homo, cuius sunt quæ præmissa sunt, & Petrus Abaëlardus, quantum ex scriptis eorum potest aduerti, & modo loquendi & similitudine errandi vnius spiritus sunt, eodem spiritu ambulant, eisdem vestigijs: spiritui gratiæ contumeliam facientes, cùm spiritu huius mundi scrutantur alta Dei. Idem sapiunt, idem dicunt: nisi quòd alter alterum, dum nescit, prodit; cùm aliquando alter dissimulat, alter præcipitat, quod vterque sentit. Videant enim, qui legunt totum contextum fidei hominis istius, & philosophiã de Deo, quam assumpsit per os suum, siquid in ea vel omnino sanum, vel non omnino sit insanũ atque hæreticum. Insuper orat lectores suos, vt si quid ibi inuenitur, quod alibi scriptum non sit, non continuò hæresis iudicetur. Non enim, inquit, quia alibi scriptum non est, ideo hæresis est, sed si contra fidem est. Paulus verò dicit. *Sed licet nos aut Angelus de cœlo euangelizauerit vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Et iterum, vt iteratio esset & confirmatio: sicut, inquit, prædiximus vobis, & nunc dico: siquis euangelizauerit vobis præterquàm quod accepistis, anathema sit. Et quid obsecro magis anathematizandum, quid magis non dicam hæreticum, sed ethnicum, quàm publica professione verbo negare & scripto, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum? Numquid enim hoc non est negare Patrem & Filium, & Spir. S. velle asserere, eos non veritate naturæ esse hoc quod dicuntur, sed nuncupatiuè hoc dici? Hoc in antiquis Orthodoxorum Patrum Concilijs, in tractatibus eorum, in gestis & scriptis eorum, quantâ authoritatis censurâ iam olim damnatũ sit & anathematizatum, neminem potest latere, qui ecclesiasticarum scripturarum notitiam aliquatenus assecutus sit. Vbi omitto interim grauem & Sabellianæ hæresis notã, quam ipse sibi in caput suum contrahit, cùm de Deo dicturus

Verba Guil. de Conchis.

Isai. 53.

1. Tim. 1.

Isai. 38.

Patre & Filio & Spir. sa. Deum pro eis potentē, sapientem, volentemque constituit: quòd Deū qui in semetipso & ex semetipso est, quod est, ad creaturam dicit esse totum, quod est: ad ea quæ proposuit veniamus. Docturus humanū genus, quod hactenus nesciuit, & quasi à fide ad intellectum omnium perducturus, altissimum illud in Deo mysterium Trinitatis; proponit in diuinitate potentiam, sapientiam & voluntatem, ex quibus Trinitatem Deum conficiat. Et hæc quidem tria in diuinitate esse, manifestum est. Sed cùm & alia quamplurima his similia constet esse in Deo, quemadmodum tria hæc: tribus his ad conficiendam, vt dictum est, Trinitatem, quæ Deus est, assumptis; miro præiudicio cætera omnia ejusdem in diuinitate conditionis excluduntur à consortio tantæ dignitatis. Sed agamus seriò de re tam seria. Quæramus quomodo sint in Deo non solùm potentia, sapiētia, & voluntas; sed & virtus Dei, veritas, charitas, bonitas, iustitia, & cætera his similia. Nempe sicut beatus Augustinus dicit. *Quicquid*, inquit, *in Deo est, Deus est.* Et adhuc expressius in libro de Trinitate. *Præcipuè*, inquit, *tenendum est, quia quicquid ad se dicitur præstantissima illa & diuina sublimitas, substantialiter dicitur: quod autem ad aliquid, relatiuè: tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre & Filio & Spiritu sancto, vt quicquid ad seipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter dicatur.* Scilicet Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritussanctus; & tamen non tres dij, sed vnus Deus. Potens siue potentia Pater, potentia Filius, potentia Spiritussanctus: & tamen non tres potentes, siue tres potentiæ, sed vna potentia, & vnus potens. Sic etiam de sapientia, de bonitate, de veritate, de charitate, intelligendum est; & de omnibus, quæ, sicut dictum est, essentialiter de Deo Patre, & Filio, & Spir. sa. & ad se, prædicantur. Essentia ergo in natura diuinitatis, & nomina hæc omnia, quæ, sicut dictum est, de Patre & Filio & Spiritu sancto essentialiter & ad se dicuntur, nonnisi simplicissimam præferunt vnitatem: relatio verò Patris ad Filium, Filij ad Patrem, Spiritussancti ad vtrumque, & vtriusque ad ipsum, ipsaq; nomina relatiua, ipsa sunt quæ multiplicant Trinitatem. Frustra ergo ibi quæritur Trinitas, vbi non est, sed simplex ibi vnitas est. Quapropter nequaquam quasi ad conficiendam Trinitatem in Deo, potentia eius, sapientia &, voluntas, proponenda sunt; quæ secundum præmissam regulam fidei, & rationem, licet pluraliter in tribus personis pronunciari possint, in summa tamen & in illa natura, vbi hoc est posse quod sapere, sapere quod velle, vnum sunt. Quæ autem in diuinitate secundum Catholicā fidem Trinitas prædicāda sit: beatus Hieronymus in hunc modum scribit ad Damasum Papam. *Confundentes*, inquit, *Arrium, vnam eandemque substantiam Trinitatis dicimus. Impietatemque Sabellij declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. Non enim nomina tantum, sed etiam nominum proprietates, id est personas, siue, vt Græci exprimunt, hypostases, hoc est subsistentias, confitemur.* Et beatus Augustinus ipsas personas suis designans nominibus, *Certissimè*, inquit, *& de Scripturis cognoscitur, & piè credendum est, & aspectus mentis in hoc indubitata perceptione perstringitur, & Patrem esse, & Filium esse, & Spiritum sanctum esse: nec eundem esse Filium, qui Pater est; nec Spiritum, qui Pater est, vel Filius: vnius tamen essentiæ, non trium, Patrem, & Filium & Spiritum sanctum.* Et subtiliùs adhuc de essentia & relatione differens, *Nullum*, inquit, *essentiale in Deo nomen est, quod sic vnius personæ sit, vt non conueniat tribus. Nullum sic tribus conuenit, vt non in summa vnum sit.* In eis autem quæ relatiuè de Deo dicuntur, nequaquam sic vna persona singulariter dicitur: vt non ad alteram ipso suo nomine referatur. Relatiuo enim vocabulo sic quælibet persona dicitur in se, vt non dicatur ad se. Relatio ergo sicut dictum est, facit Trinitatē; essentia vnitatem. Quod autem in Scripturis aliquando quædam nominum horum propriè assignantur Patri, quædam Filio, quædam Spiritui sancto, sicut idem Doctor dicit, *sciendum est quid, propter quid.* Sic enim totum quod est ipsa natura, commune tribus inuenitur personis, vt aliquid tamen aliquando sit, quo propriè vnaquæque persona cognoscatur. Vbi quamvis Pater aliquando quasi singulariter dicitur potentia, Filius sapientia siue veritas, Spiritussanctus voluntas siue charitas: ad id tamen semper reditur, vt Pater & Filius & Spiritussanctus vna sit potentia, vna sapientia, vnum quicquid sunt. Deinde subtexit & dicit. *Has tres, id est potentiā, sapientiam, voluntatem, Sancti tres personas vocant, vocabula illis à vulgari propter affinitatem quandam transferentes: potentiam appellantes Patrem, sapientiam Filium, voluntatem Spiritum sanctum. Potentia dicitur Pater, quia creauit, & creata paterno regit affectu. Sapientia dicitur Filius à Patre ante sæcula genitus, & tamen illi coæternus: quia sicut filius aliquis temporaliter est à Patre, ita sapientia coæternaliter & consubstantialiter est à potentia. Voluntas verò diuina dicitur Spiritus. Est enim propriè spiritus anhelitus. Sed quia in spiritu & anhelitu sæpe voluntas hominis perpenditur; aliter quippe spirat lætus, aliter iratus: diuinam voluntatem vocauerunt Spiritum, sed antonomasticè sanctum.* Ecce quomodo Sabelliano spiritu, quantum in ipso est, destruit in S. Trinitate veritatem personarum. Et de nomine quidem personæ constat, quod ab hominibus repertum est. Etenim, sicut dicit beatus Augustinus, cùm opus esset copiosa disputatione aduersus hæreticorū insidias & errores, necessitate loquendi de ineffabili, inuentum est hoc nomen: vt cùm quæritur de Trinitate sancta, quid tres, & congruū eis nomen non inuenitur, necessitate respondendi & vsu loquendi ex multis incongruis hoc proferatur, vt dicatur tres personæ: non vt eo res, sicut est edicatur, sed ne omnino taceatur. Porrò diuinorum ipsorum nominum, Patris scilicet, & Filij, & Spiritussancti, neminem dicimus authorem vel credimus, nisi ipsam diuinā naturam gignentis & geniti, & ab vtroque procedentis. Natura verò ipsa æternitas est, & æternum est, quicquid naturæ illius est. Pater ergo & Filius & Spir. sa. sicut ab æterno hoc sunt, sic ab æterno hoc dicuntur; etsi non verbo hominis, sed verbo Dei, Verbo Deo, quod est apud Deum. Augustinus. *Non possunt per nostras voces, quæ vtique corporales sunt, & corporaliter sonant, Pater & Fil. & Spir. sa. nisi suis proprijs interuallis temporum certa separatione distinctis, quæ sua cujusque vocabuli syllabæ occupant, nominari. In sua verò substantia, vbi tres vnum sunt, nullo temporali motu, super omnem creaturam idipsum sit, sine vllo intervallo temporum vel locorum.* Item.

Vbi

Lib. 5. de Trin. c. 7.

Apud Hieron. tom. 4. & Aug. ser. 191. de Tēp.

Aug. 7. de Trin. c. 5.

Verba Guilelmi de Cōchis.

Persona nomen ad Deū translatum, res autem significata verè in Deo est

Vbi per Verbum, non quod profertur & sonat & transit, sed Verbo quod est apud Deum, & Deus est Verbum, & omnia per ipsum facta sunt, Verbo aquali sibi, semperque incommutabili, semper atque incommutabiliter dicit semetipsum. Etenim nomina qua de Deo dignè dicuntur, aliter dicuntur Verbo Dei, aliter lingua Angelorum, aliter lingua hominum. Verbo enim Dei ea dici, rem nominum est esse, quod est : lingua Angelorum, contemplari eam & intelligere sicuti est : lingua hominis interioris, corde credere ad iustitiam; exterioris autem, ore confiteri ad salutem. Quod autem Filium Dei hoc dici nuncupatiuè astruere nititur; non sicut dicit, hoc dicunt aliqui Sancti; sed contradicunt omnes Sancti. Augustinus. *Credimus Dei Filium ante omne prorsus initium, hoc est sine aliquo sua natiuitatis initio de Patris substantia genitum, Deum de Deo, Dominum de Domino: non ex nihilo, quia de Patre; non nuncupatiuè, quia nomen habet ex veritate natura: non ex aliqua materia, quia non fuit aliquid coaeternum Deo, vnde origo praestaretur Filio. Quid autem prodest Filio, vt nuncupetur vnigeniti nomine: si priuetur vocabuli veritate?* Item Ambrosius contra Arrianos. *Quid te*, inquit, *quaestionum tormenta delectant? Patrem audis, Filium audis. Aut dele nomen: aut confitere naturam.* Item super Lucam. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Vbi sunt Ariani, quibus displicet Filius, in quo complacuit sibi Pater? Hoc non ego dico, non hominum quisquam dicit: neque per hominem Deus, neque per Angelos, neque per Archangelos: sed ab ipso Patre vox missa signauit. Qui ergo Filium non credit; non credit Patri. Testis enim est ille de Filio.* Augustinus de Trinitate. *Ridenda est dialectica Eunomij, qui cùm non potuisset intelligere, nec credere voluisset, Vnigenitum Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, Filium Dei esse naturâ, hoc est de substantia Patris genitum: non natura siue essentia dixit esse Filium, sed voluntatis: scilicet quia Filium charitatis Dei eũ appellat Apostolus.* Deinde nomina ipsa Patris & Filij & Spiritussancti, non in veritate generantis & geniti & ab vtroque procedentis, in Deo esse, sed aequiuocali quadam affinitate translata in Deum esse, astruere nititur dicens. *Potentia dicitur Pater, quia cuncta creauit, & paterno disponit affectu. Sapientia dicitur Filius à Patre ante secula genitus, & tamen illi coaeternus, quia sicut filius temporaliter est à Patre, ita sapientia aeternaliter & consubstantialiter est à potentia.* Hic palam omnibus est, quomodo occurrit fidei, aduersatur veritati: cùm dicit Patrem, hoc quod Pater est, non esse ad Filium, sed ad creaturam, non natura, sed affectu: quin potiùs Patrẽ non esse: potentiam autem patrem dici, propter affectum creandi, & affectum gubernandi. Augustinus. *Quod Pater est, ad Filium: quod Dominus, ad creaturam.* Sapientiam verò filium dicit appellari: eo quod sicut filius quilibet temporaliter gignitur de patre suo, sic illa aeternaliter de potentia. Videte ebrium offendentem, ruentem. Ponit sapientiam ad potentiam tamquam filiũ ad patrem: potentiam verò patrem, non ad sapientiam, sed ad creaturam. Sed & sapientiam de potentia nasci, neque ex authoritate habemus, neque ex ratione colligimus: quin potius ex vsu rationis humanae saepiùs & efficacius generatur potentia de sapientia, quàm sapientia de potentia. De Sancto verò Spiritu quod dicit, scilicet qua affinitate à vulgari nostro in illam naturam nomen ipsum Spiritussancti translatũ sit, nisi quod de Spiritu sancto agimus, tam friuolum ac ridiculum est, vt non nisi ridendo aut irridendo, de Spiritu sancto hoc eum dixisse putauerim. Et credo quia qui habitat in coelis, irridebit eum; & Dominus subsannabit eum. Datus enim in reprobum sensum homo physicus & philosophus, physicè de Deo philosophatur: & sicut suprà Patrem ab affectu, sic Spiritum sanctum ab anhelitu dictum jocatur. Sed super hoc, Petro Abaelardo idem garrienti, sufficienter, vt aestimo, suprà responsum est. De eo verò quod dicit, nihil aliud esse, Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, quàm voluntatem Dei ex potentia & sapientia in opus creaturae procedere; beatus Augustinus dicit. *Si Spiritussanctus non procedit, nisi cum datur; nec procederet vtique, priusquàm esset, cui daretur; & jam non est ipse substantia, si non est, nisi quia datur. Sed procedit semper, vt sit, etiam cùm non datur: sicut Filius non tantum vt sit filius, quod relatiuè dicitur, sed omnino vt sit ipsa substantia, nascendo habet. Sed & quia ab aeterno sic procedit Spiritussanctus vt esset donabile: jam donum erat & antequam daretur.* De generatione verò diuina enarranda, quod dicit Prophetam non impossibilitatem denũciasse, sed difficultatem: cui magis credendum sit, ipsi an Sanctis Doctoribus, facile judicium est. Augustinus. *Generatio Christi ex matre, supra rationem est: qua verò ex Patre, suprà intellectum.* Item. *Sic non est aliud Filio videre Patrem, quam nasci de Patre: sicut non aliud ei est, videre Patrem operantem, & pariter cum eo operari.* Ambrosius. *Vis nosse generationem diuinam? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Item. *Quomodo Filius à Patre sit genitus, impossibile est scire. Mens deficit, vox silet: non hominis tantum, sed & Angelorum. Super Angelos est, super Cherubim, super Seraphim, super omnem sensum. Credere jubemur; discutere non permittimur. Aufer argumenta, vbi fides quaeritur. Licet scire, quod natus sit: quomodo autem natus sit, scire non licet.* Fateatur ergo philosophus noster ignorantiam suam: vbi tanti viri solam profitentur admirationem. Intelligat autem, quoniam si praescientia creaturae generatio Filij Dei, siue sapientiae Dei est: jam id quod est temporale, causa aeternitatis est. Intelligat in simplicitate summę essẽtiae non esse Trinitatis numerositatem, & ideo non substantiae consubstantialitatem, non aeternitatis coaeternitatem. Deinde creationem primi hominis philosophicè, seu magis physicè describens, primò dicit corpus ejus non à Deo factum, sed à natura, & animam ei datam à Deo; postmodum verò ipsum corpus factum à Spiritibus, quos Daemones appellat, & à stellis. Vbi in altero quidem stultorum quorumdam philosophorum videtur sententiam sequi, dicentium nihil prorsus esse praeter corpora & corporea; non aliud esse Deum in mundo quàm concursum elementorum, & temperaturam naturae; & hoc ipsum esse animam in corpore: in altero manifestus Manichaeus est, dicens animam hominis à bono Deo creatam, corpus verò à principe tenebrarum. In creatione verò mulieris palam omnibus legentibus est, quàm stultè, quàm superbè irridet historiam diuinae authoritatis,

Sanctis contradicit de Conchis.

Error de generatione Filij.

Error de S. Spiritus processione.

Error de primi hominis productione

Error de Eua productione.

scilicet excostasse Deum primum hominem, ad faciendam de costa ejus mulierem. Et physico illud sensu interpretans, nimis arroganter veritati historiæ suum præfert inuentum; paruipendens magnum illud sacramentum, de quo Apostolus dicit. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Augustinus. *Adam qui erat forma futuri, rerum imaginem & magnum judicium sacramenti nobis præbuit, imò Deus in illo. Nam & dormiens meruit accipere uxorem, quæ de costa ejus facta est: quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat Ecclesia de latere ejus dormientis: quia de latere in cruce pendentis lancea perfosso sacramenta Ecclesiæ profluxerunt. Magnum sacramentum. Potuit Deus carnem detrahere homini, vnde faceret fœminam: & magis videtur quasi congruere potuisse. Fiebat enim sexus infirmior; & magis de carne infirmitas fieri debuit, quàm de osse. Sed de osse, hoc est de costa viri formata est mulier: & in loco ossis caro adimpleta est. Poterat pro osse os facere: poterat ad faciendam mulierem non costam, sed carnē detrahere. Quid igitur hæc significant? Facta est mulier in costa tamquam fortis: factus est Adam in carne tamquam infirmus, Christus in Ecclesia. Illius enim infirmitas nostra fortitudo fuit.* Hoc si crederet, non irrideret. Sed quid agimus? Qui enim arguit derisorem; ipse sibi injuriam facit. Deinde gloriabundus, quasi cui mysteria à sæculis abscondita reuelata sint, totus tacito nomine in viros religiosos inuehitur: satis tamen subauditur in quem, vel in quos: scilicet qui agentes Pascha, hoc est tractantes de diuinis, cùm ipsi pro paupertate sensus sui ad esum agni non sufficiant, ipsum tamquam vicinum, hoc est in eadem fide cōmanentem ex præcepto legis non dignentur aduocare. Sed sicut audio ab eis qui eum nouerunt, vicinus quidem olim fuit, sed ab eis de quibus dicit, tam longè recessit, vt nisi redeat in domum, de qua præuaricatus est, nec paschalis sacramenti particeps vlteriùs debeat fieri; nec ad esum agni dignus sit, siue aduocari, siue admitti.

Genes. 2. Ephes. 5.



LIBER BEATI GVILLELMI
QVONDAM ABBATIS SANCTI THEODORICI.

De Sacramento Altaris

Falsò, vt in Præfatione ostendimus S. Anselmo à quibusdam ascriptus.

EPISTOLA D. GVILLELMI ABBATIS S. THEODORICI, AD quēdam Monachum, qui de Corpore & Sanguine Domini scripserat.

Hic monachus ad quem scribit, est Rupertus; qui postea Tuitiensis factus est Abbas.

FRATRI in Christo Carissimo, illuminatos oculos cordis. Lego & relego, Carissime, opus vestrum *De Officijs*: multúmque me delectat ejus lectio, tum pro sui vtilitate, tum pro authoris dulcissima mihi charitate. Sed quoniam veritas charitatis, & charitas veritatis adulationis odit fucum, videor mihi videre in facie pulchri operis nævum vnum: qui etsi inter nos interim beneuola quadam dissimulatione tegatur vel coloretur; si opus hoc exierit in manus eorum, qui carpere amant aliorum etiam bene dicta, futurum est in signum, cui à multis contradicetur. Cùm enim in ordine diuini sacrificij illa tria digesturus, materiam, intentionem, finalem causam, de materia ageretis: dixistis post multa. *Sed dicit mihi aduersarius. Viuens & sensibilis in corpore suo, mobilisque est Deus & homo Christus. Corpus autem sacrificij vitam non habet, sensum non habet, mobile non est: corpus ergo* Domini *non est.* Ad hæc vos contra aduersarium. *Obsecro te, quam in corpore Domini vitam requiris? Est enim vita animalis: est & spiritualis. Animalis vita quinque sensibus fungitur; visu, odoratu, auditu, gustu & tactu. Hæc vita animalis est; carnalis est; caro est.* *Dominus autem dicit, quia caro non prodest quicquam.* Et post aliquanta. *Solam ergo spiritualem vitam in sacrificio nobis administrare sapientiam ejus decebat: quæ est sanctificatio, benedictio, misericordia & veritas, justitia & pax. Hæc autem vita spiritualis sic est in corpore sacrificij absque ejus vita animali; quomodo lux solis absque calore ejus in corpore lunæ.* Primùm, quid hic corpus sacrificij appelletis, penitus nō aduerto. Cùm enim ad benedictiones mysticas operante inuisibiliter verbo Dei corpus in corpus, substantia mutata sit in substantiam; sicut in mensa nuptiali aquâ in vinum mutatâ, solum adfuit vinum, in quod aqua mutata erat; sic in mensa altaris solū adest corpus Domini, in quod verè mutata est vera panis substantia: nisi quod de aqua nihil remansit in mutatione illa: de pane verò mutato ad peragendum sacri institutum mysterij sola remanet species visibilis. Vnde B. Ambrosius. *Ne*, inquit, *horror cruoris fieret: ideo in similitudine accipis sacramentum.* Nam panis substantiam post Domini corporis consecrationem in altari superesse, semper abhorruit pietas Christiana: nuperque damnauit in Berengario Turonensi, ejusque sequacibus. Nam si hoc

Ruperti verba liber 2. de Offic.

Ambro. lib. de Sacram.

admitteretur; jam Verbum non incarnatum tantum; sed etiam, si dici posset, diceretur impanatum: si sicut ille dicebat, panis sic in corpus Domini transiret, vt tamen panis esse non desineret. Corpus igitur sacrificij non aliud intelligo, quàm quod mortuum est, & resurrexit: quod non corpus sacrificij, sed sicut verè est, appellamus corpus Domini. Quod idipsum esse, quod in altari sacrificatur, qui non credit: in eorum numero se constituit, qui abierunt retro, dicentes, *Durus est hic sermo.* Sed & vos corpus illud sacrificij aliquando appellatis corpus Domini. Sed pace vestra dictum sit, infertis, quod nescio an corpori sacrificij; sed corpori Domini non conuenit. Nam corpus Domini, imò Dominũ Iesum in corpore suo, ipso inquam corpore, in quo nobis præsto est in altari; quod nõ est aliud, quàm quod sedet ad dexteram Patris, motum & sensum habere, & per omnia nostræ esse naturæ, licet alterius gloriæ, contradicet nullus, nisi insipiens ille, qui dicit in corde suo. *Non est Deus.* Quod si corpus sacrificij visibilem illã speciem appellatis, quæ apparet in altari, videlicet propter similitudinem panis corporalis: stult⁹ & ineptus erit ille aduersari⁹, qui ea requiret in specie panis, quæ propria sunt viuentis corporis, id est vitam, sensum, & motum: & nõ potiùs ea quæ propria sunt illius speciei; vt est rotunditas, albedo, & cætera hujusmodi. Nam similitudo illa panis, quæ in altari carnis oculis se ingerit, per se inspecta, nõ est corpus Domini. Sed cùm esset quiddam priori substantiæ, id est pani inhærens, vel accidens; migrante in Dominicum corpus substantia cui inhærebat, remansit, ad peragendũ sacri institutũ mysterij. Quod quidem contra vsum & rationem est mundanæ sapientiæ, vt sublatã substantiã, substantiæ accidens subsistat. Sed legi naturæ non subjacet Deus; imò ipsius legis lex est creator suus. Potestque accidentia subducto substantiæ fundamento, vel continere, vel in aliam transferre substantiam: qui terram, vel secundum vnum Prophetam *appendit in nihilum*; vel secundum alium, *super maria fundauit, & super flumina præparauit eam.* Qui etiam de hoc ipso corpore suo de quo agimus, hoc mirabiliter operatur, quod etiam de diuina ejus substantia vix capere potest humanæ animæ infirmitas, vt clausis janius illud introducat, & palpabile præbeat: & cùm in sacramento distribuitur fidelibus, faciat de eo, quod scriptum est: *Qui multum, non abundauit; & qui modicum, non minorauit:* vnoque horæ momento & in dextera Patris sedeat in cœlis, & sacrificetur in mensa altaris: itemque vno horæ momento à solis ortu vsque ad occasum, & ab aquilone ad austrum, præsto sit omnibus fidelibus, hoc quod tradidit ipse, in sui memoriam fideliter celebrantibus. Quod de corpore cogitare non potest aliquis, qui sit in corpore. Est igitur in mysterijs vera dominici corporis substantia, sed absque visibili specie sua: & est vera species visibilis panis, sed absque substantia sua. Vnde beatus Augustinus. *Quod,* inquit, *videtis in altari, panis est & calix, quod oculi renunciant vobis: quod autem fides postulat instruenda, panis corpus est Christi; & calix sanguis est Christi.* Et B. Ambrosius. *Vt sint quæ erant, & in aliud commutentur.* Nihil enim falsum putandum est in sacrificio veritatis, vel sicut fit in magorum præstigijs, vbi delusione quadam falluntur oculi, vt videatur illud esse quod non est omnino: sed vera species visibilis panis, quæ fuit in pane, ipsa facta præter substantiã suam, quodãmodo in aliena peregrinatur, continente eam qui fecit eam, & ad suum transferente corpus. Quæ tamen translata ad corpus Domini, non eo modo est ad illud, quomodo accidens ad substantiam: quia corpus Domini, quantum in sua substantia, nec album efficit albedo illa, nec rotundum rotunditas illa; sicque de reliquis. Sed quia, sicut dicit B. Augustinus visibiliter necesse est celebrari, quod tamen necesse est inuisibiliter intelligi: ad quod necessaria est species illa ad mysterij ritum, ad gustus suffragium, necessario & pio consilio quasi perfunctoriè admittitur: quo peracto, in percipiendo sacramento consumitur. Consumptibilis enim erat; & obnoxia corruptioni: quod esse non potest sanctũ illud, de quo Propheta, *Non dabis,* inquit, *sanctum tuum videre corruptionem.* Deinde cùm corpus illud sacrificij viuere negatis vita animali; vellem diceretis apertiùs, quam ibi vitam animalem dicatis. Dicit enim Apostolus. *Vt spiritus vester & anima & corpus conseruetur in diem Domini.* Secundum hanc distinctionem, quam in omni homine possibile est inueniri, duæ vitæ discernuntur, quæ inuicem sibi aduersantur; spiritualis & animalis. Horum enim trium, spiritus videlicet, animæ, & corporis, cùm duo vltima primo seruiunt, vita est spiritualis: cùm duo prima vltimo, vita est animalis. Hanc vitam appellare animalem consuetudo est Scripturarũ. Talis quippe est homo, qui non percipit ea, quæ Dei sunt. Hac autem vita animali, qui viuere dicit corpus Christi, non viuit ipse, peiorque est omni animali. Quod si nomen animalitatis in hoc coarctemus, vt animalem vitam dicamus, qua viuificatur tantùm corpus & sensificatur; quicumque corpori Christi post resurrectionẽ ex mortuis derogat vitam, & sensus nostræ naturæ, licet alterius gloriæ; videat vnde adstruat, quod dicit: maximè cùm membris auferat resurrectionis spem, quam in capite videtur perimere. Ecce hoc est, quod in opere vestro me offendit, & nonnullos fratrum nostrorum. In quem sensum etiam illud concurrere videtur, quod paulò superiùs dixeratis. Sic enim ibi legitur. *Quapropter qui visibilem panem sacrificij comedit, & inuisibilem à corde suo non credendo repellit: Christum occidit, qui vitam à viuificato sejungit, & dentibus suis mortuum laniat corpus sacrificij; ac per hoc reus est corporis & sanguinis Domini.* Et in hunc sensum consonare videtur, quicquid propositum vel assumptum est in sententia illa de materia sacrificij sancti. Quod vtrũ correctione indigeat, vestro legentiumque judicio derelinquo. Nunc vnum est, quod precor charitatem vestram, per ipsum qui est charitas: ne me quasi de integritate fidei vestræ dubitantem, quod longè sit à corde meo & conscientia mea, æstimetis in opus studij vestri quasi censoriam tulisse sententiam jactabundã quadam temeritate: sed fraterna charitate & sollicitudine amica, teste Deo, loquor pro vobis solicitus, sic vellem & hoc & omne opus studij vestri & laboris exquisitum esse & circumspectum, priusquam exiret in manus eorum, qui foris sunt: vt qui rodere illud vellet, non inueniret, vbi dentem posset infigere; & vt sincerũ vas nullus posset incrustare. Valete.

Corpus sacrificij est corpus Christi.

Ioan. 6.

Psal. 13.

Species quæ videtur non est corpus Domini.

Iob 26.

Psalm. 23.

Ioan. 20.

2. Cor. 8.

Christus eodem momento in cœlo & in altari.

Accidentia panis & vini non inhæret corp. Christi

Psal. 15.

1. Thessal. 5.

Vita animalis, aut spiritualis, quæ.

Verba Ruperti.

In vtroque codice manuscripto, qui pre manibus est, hac verba predictam Epistolam sequuntur. FINIT Epistola Domni GVILLELMI, quondam ABBATIS S. THEODORICI: sed præ nimio desiderio perfectionis, & exoptatæ paupertatis, ad vltimum MONACHI SIGNIACENSIS.

Sic habet codex manuscriptus vterque.

Incipit Prologus D. GVILLELMI ad Abbatem Claræuallis S. Bernardum.

CARISSIMO *suo electo ex millibus, suus ille seipsum. Cùm nuper re ipsa exigente, cuidam fratri breuiter de sacramentis scripsissem: sumpto inde cogitandi exordio, rationes quasdam ex Patrum sententijs sumptas cœpi inuicem conferre; & quædam quæ in libris eorum, & maximè B. Augustini, super hac re nonnullos turbare solent, in vnum colligens, tentare cœpi, vtrum aliquid inde possem conficere. Cumque ex conflatione illa opusculum hoc nescio quomodo exisset: vobis præ omnibus putaui destinandum, mihi & vobis solummodo habendum: vt cùm in eo correxeritis quæ corrigenda sunt, & meum opus, & vestrum sit; cùm ego fecerim vos correxeritis: nisi quod magis erit vestrum quàm meum: si non bene factum à me, bene fuerit à vobis correctum. Post finem verò opusculi per se sententias ipsas Patrum congessi, pro quibus explanandis, & sibi inuicem conciliandis, opus ipsum aggressus sum: licet per ipsum opusculum passim eas disperserim: & vbi oportunum fuerat, ipsa verba eorum ponere maluerim, quàm mea.* Explicit Prologus.



Codex manuscriptus. vterque.

INCIPIT LIBER D. GVILLELMI, de Corpore & Sanguine DOMINI.

CVM Christianæ fidei veritas hoc quasi speciali præemineat jure, vt non ipsa per intellectum, sed per eã ejus quærendus sit intellectus: omnem à se compescit superbum vel curiosum inquisitorem, vel eum, qui multis & varijs quæstionibus in fide non quærit nisi gloriam suam: vel eum, qui quasi ratiocinando & retractando dubijs quibusdam deliberationibus explorat, vtrum credendum sit, quod credendum indicit diuina authoritas. Beati pauperes spiritu, qui paruulos se cognoscentes & lacte nutriendos, donec apti sint ad solidum cibum, accedunt simpliciter ad fidem: quos suscipit & exercet; & eorum est, quæ non omnium est, fides. Aliud enim est fides, aliud scientia. Scientia ratione & intellectu colligitur: fides verò sola authoritate indicitur. Qui ergo nil credere vult, nisi ratione vel intellectu præcedente; hic rem confundit. Et scire omnia volens, nil credere: fidẽ quantum in ipso est, videtur annulare. Sed *credere oportet accedentem ad Deum, quia est.* Et *justus ex fide viuit.* (*Hebr. 11.*) Vnde & ego de sacramentis Sancti Sanctorum corporis Domini nostri Iesu Christi, quod dederit ipse scripturus, non abs re puto de hoc & de hujusmodi cogitantes vel loquentes mecum pariter commonere, non nimis inniti sensui suo, sed prudentiæ suæ ponere modum: intendere verò aciem mentis in rem de qua agitur: & secundum Boëtij viri prudentissimi sententiam, sicut res est, sic de ea fidem capere tentare. Non enim est hominis rationem habentis, cùm tractat diuina, pensare ea ex his rebus quæ infra Deum sunt, & omnipotentiæ immensitatem intra terminos nostræ possibilitatis angustare: eandemque naturam quodammodo disputando velle informare ad exemplũ naturæ mutabilis: in qua stant æternaliter omnes causales formæ rerum labentium temporaliter. In hujusmodi enim de sursum, non de deorsum, trahenda sunt rationum exempla, vel probationum argumenta. Alioqui, qui hoc nõ facit, similis ei æstimandus est, qui fontem riuo, & non fonti riuum attribuit.

Diuina nõ sunt ex creatis æstimanda.



CAPVT PRIMVM.

Quomodo æstimandum sit de corpore Domini: & quod in diuersis locis sit vno eodemque tempore, non tamen vbique.

HAc igitur cõsideratione in mysterijs Christi carnem sapere non debemus secundùm carnem. Nam etsi Christum secundum carnem nouimus: sed nunc jam non nouimus. (*2. Cor. 5.*) Rursumque carnis veritatem non sic debemus quasi spiritualiter rimando attenuare, vt naturam ejus Verbo Dei vnitam, non tamen in Verbum mutatam, quasi ratiocinando videamur destruere. Nam *Iesus Christus heri & hodie, ipse est & in secula.* (*Hebr. 13.*) Qui naturam illam, in qua carni communicauit & sanguini, vt fratribus per omnia assimilaretur misericors Pontifex, sic glorificauit, vt non destrueret: sic prouexit, vt non exinaniret. Sic enim est cogitandum corpus Domini, sicut est: nostræ scilicet naturæ, sed alterius gloriæ. Si enim nostræ humilitatis corpus resurrectione glorificatum spirituale erit, inquantum spirituali potentia & incorruptione & gloria præminebit: quantomagis illud in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ejus qui resurrexit à mortuis primitiæ Christus? Si in nobis fiet tunc, vt quicquid mortale fuerit absorbeatur à vita, quicquid hominis est, in m eli⁹ suum commutabitur; vt quod nunc est spiritus, anima, & corpus, tunc fit totum spirituale vel spiritus: quantomagis qui ex vnitis naturis in idipsum naturæ vtriusque res est, neutro carens, in vtroque Deus & homo Christus, cùm in virtute resurrectionis suæ ea quæ erat passibilis & mortalis hominis, finem fecit habere, formam illam quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento, eò in semetipso prouexit; vt sicut dicit Apostolus, exaltaret illam, & donaret *illi nomen, quod est super omne nomen?* (*Philip. 2.*) Et si natura carnis, ex quo illi naturæ summæ vnita est, in tanta vnitate ei ab ipso conceptu Virginis est conserta, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo agerentur humana, & per hanc vnitatem etiam in diebus carnis suæ homo Christus potuit diuina: quantomagis cum exaltatione qua illum exaltauit Deus, humilitas ejus mutata est in gloriam, infirmitas in virtutem, mors in vitã? (*Quant. vnitas verbi & naturæ humanæ.*) Nam quod de humanitate ejus per resurrectionem glorificatã secularis philosophiæ ratiocinationibus videtur insusceptibile, vt clausis ad discipulos januis palpabilis intraret, & passibilis & mortalis exercuit; dum de thalamo suo vteri virginalis ad currendam viam dispensationis humanæ clausis naturæ januis processit. (*Ioan. 2.*)

Corpus Christi clausa penetrauit.

Quòd si corpus illud intrare & exire per clausa potuisse virtus authoris & pietas fidei fecit esse credibile: alia etiam quæ præter naturam corporum sunt, posse corpus illud vel potuisse, non video quid facere possit incredibile. Nam & spiritus noster, in quo ad imaginem Dei conditi sumus, cùm secundum imaginem ejus qui creauit eum in regno machinæ corporalis, cui præest, sic quodammodo se habeat, quomodo creator in regno creaturæ suæ, vt sicut ille vbique locorum est, & totus est, sic iste in toto corpore suo sit, & vbique totus sit; licet ratio humana non comprehendat modum quo id fiat: cur difficile videbitur naturam carnis illi summæ naturæ sic vnitam, vt ejus facta sint omnia, quæ illius sunt, maximè post resurrectionis glorificationem in diuina potentia posse, vt in diuersis locis sit, non diuerso tempore? Nam, vt ait Apostolus, *etsi crucifixus est ex infirmitate: viuit tamen ex virtute Dei.* Licet enim dignioris & subtilioris naturæ spiritum rationalem constet esse, quam quodlibet corpus: illud tamen corpus quod super omnes cœlos in eo, qui supra omnia est, meruit exaltari, dignius, & ad omnia quæ voluerit, subtilius & efficacius puto esse, quàm sint aliqui, non solùm inferiores spiritus, sed etiam omnes illi, qui cœlorum nomine meruerunt appellari. Nam quamvis etiā corporalis ejus eleuatio, qua super cœlos eleuata est illa natura, proculdubio sit credenda: tamen exaltatio, qua exaltata creditur super cœlos cœlorum sic verissimè intelligenda est, vt dignitate, & gloria, & potestate, super omnia cœlestia credatur glorificata. Consedit enim, vt Apostolus ait, *ad dexteram majestatis in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit.* Quæ profectò dextera non aliud intelligenda est, quàm ea, quæ illa majestas habet potiora. Nec tamen naturam illam corporis Dñici vbiq; esse dico: quia nec opus est, nisi vbi vult, & vbi certo fidei sacramento hoc operatur, ad quod assumpta est & glorificata, mysterium scilicet saluationis humanæ. Ambrosius. *Non enim secundum naturam diuinitatis interpretandum est, quod præter naturam illam est. Nam & si credamus à Christo carnem susceptam, non tamen discernamus naturam Verbi & carnis, nobis dicitur. Si rectè offeras, & non rectè diuidas: peccasti.* Deus enim solus necessariò vbique est: quia cùm omnia in ipso constent, nihil posset esse, vbi illum contingeret deesse: ideoque substantiæ ejus & potentiæ præsentiam vbique adesse, ineuitabile exigit necessarium. Sic ergo cōstat in diuersis locis vno horæ momento esse posse corpus Christi: sed lege creatricis naturæ, non creatæ. Cum autem naturæ creatæ natura sit, creatricis naturæ legibus in omnibus obedire: si hæc aliquādo pacta sua resoluenda illi permittit, qui eam instituit, & ordinat, non debet videri errare vel deuiare ab ordine suo, maximè in illa natura, quæ in virtute personæ conjuncta est illi Verbo, per quod facta est omnis facta natura: & præter quod non posset aliquo modo esse; nisi, sicut dicit Euāgelista, in ipso vita esset. Si tamen cogitemus illam personæ vnitatem, qua *licet Deus sit & homo; non duo tamen, sed vnus est Christus*: secūdum quam ipse Dominus, *Nemo*, inquit, *ascendit in cælum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo:* & de qua Apostolus, *Si*, inquit, *cognouissent, numquā Dominum gloriæ crucifixissent:* cùm homo Christus, quantum in suæ proprietate naturæ Dominum gloriæ crucifigi possibile fuerit: si inquam hanc personæ cogitemus vnitatem secūdum participationem humanæ cum Deo naturæ: & in cœlo & in terra & vbique, etiam ante conceptum Virginis & fuisse & esse credendus est homo Christus; quemadmodum secundum participationem diuinæ cum homine naturæ, proculdubio Deus credendus est & crucifixus. Secundum hanc enim vnitatem vno momento Christus Dominus cùm in sepulchro quieuit, & in cœlo & in terra, & vbique fuit, sed secundū diuinitatem solam: eodem temporis momento in sepulchro quieuit, sed in carne sola: eodem tempore erat in inferno suos liberans, sed in anima sola: eodem tempore in cœlo ad dexterā Patris sedebat, sed in deitate sola: & si de quolibet horum requiramus, Christus Dominus planè respondendus est fecisse; sed secundum proprietatem cujusque substantiæ. Sed de hac corporis ejus præsentia non modò agitur, Secūdum verò illam, de qua agere cœperamus, adest vno tempore in diuersis locis Dominus in corpore suo, incōprehensibili & inenarrabili modo; certa tamen fide, vbicumque exigit res salutis humanæ. Qui tamen in manifestatione illa corporis sui, in qua post resurrectionem suā ascendit in cœlum in jubilatione Apostolicæ congratulationis, & voce tubæ Angelicæ testificationis, vno aliquo loco continetur, quicūque ille locus sit: quem nemo velit inuestigando quærere, qui non vult errare: futurus ibi vsque ad tempora restitutionis omnium: & tunc demum venturus, quemadmodum visus est ascendere in cœlum.

2. Cori. 13. — *Hebr. 1.* — *Dextera Dei quid.* — *Ambr. lib. 1. Incarn. cap. 4.* — *Creatura Creatoris legibus obedit.* — *Ioann. 1.* — *Athanas. in Symbol.* — *Ioann. 3.* — *1. Cor. 2.* — *Corp. Christi in multis simul locis est.*

CAPVT II.

Quomodo necessaria nobis sit modò corporis Domini præsentia.

Sicvt enim exigit necessitas salutis humanæ, vt adsit vbi opus est: sic etiam exigit, vt sic adsit corpus ejus, sicut opus est. Iam enim nō est necessaria nobis illa ejus manifesta præsentia, qua cum hominibus conversatus est Christ⁹, cùm natura nostra ejus morte redimenda fuit, in qua solus innocentem se inuenit: & cùm aliter crucifigi non potuit, nisi ex infirmitate: & nisi in manifestatione carnis & distinctione mēbrorum exhiberet se talem, qui crucifigi posset. Necessaria tamen nobis est præsentia ej⁹, eo modo quo eam necessariam ipsa veritas testata est dicens. *Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum: non habebitis vitam in vobis* manentem. Oportet igitur nos carnem Christi manducare: si vitam in nobis manentē volumus habere. Nam caro ejus verè est cibus: sanguis ejus verè est potus. Quod enim cibo & potu appetitur, in hoc solo cibo præstatur; scilicet, vt vltrà non esuriatur. Et sicut communi cibo id appetitur, vt viuatur: sic ad eam vitam qua verè viuitur, solummodo per hunc cibum peruenitur. Cibus enim hic ad vitam æternam animæ conferendam collatus est: non ad ruinas sustentandas hujus miseræ vitæ, quæ vapor est ad modicum parens. Hic ergo modus est, quo necessaria nobis est ad salutem & vitam præsentia corporis ejus: videlicet vt manducetur à nobis factus panis noster quotidianus. Oportebat autem, vt sicut cùm necessaria nobis fuit visibilis eius præsentia, inuisibile in suis, visibile factū

Præsentia Christi in sua visibili specie non est nunc nobis necessaria. — *Ioann. 6.* — *Iac. 4.*

est in nostris Verbum caro factum: sic cùm res exigit salutis nostræ, vt manducetur caro ejus, quod non est ipsa caro in natura sua, fiat in aliena, manducabilis scilicet. Quod in nullis rebus aptiùs fieri potuit, quàm in eis, quæ inter omnia humani corporis victualia quodámodo tenent principatum: quæ sunt panis & vinum. Nam etiam ad literam præ cunctis cibis panis cor hominis confirmat: & vinum lætificat. Qua igitur dignatione & pietate dignatus est in humeros suos levare ouem perditam; id est in vnitatem personæ suæ assumere corruptam naturam nostram: eadem nunc terrenam substantiam panis suscipiens, in virtute diuinæ potentiæ, cui in omnibus, & per omnia subest cùm voluerit posse, transmutat in veritatem carnis suæ.

Caro Christi in sua specie non est manducabilis, sed in aliena.

Capvt III.

De Visibili specie in Sacramento Corporis Christi.

CVM verò mutat naturam in naturam, substantiam in substantiam, corpus in corpus; hoc solum de eo quod mutatum est facit superesse, quod res exigebat: scilicet vt cùm panis substantia in illam transierit substantiam, quæ sedet in dextera Patris, de qualitate prioris substantiæ hoc sibi vindicet, vt secundum mysterij ritum tractabile fiat & gustabile ex illa natura, quod non erat ex sua. Sed contra omnem sæcularis philosophiæ rationem & intellectum mutatâ panis substantiâ in aliam substantiam, ad quoddam mysterij obsequium quædam accidentia quæ illi inherebant, sic transtulit non mutata; vt corpus Domini, licet adsit albedo, nõ fiat album; nec rotunditas rotundum: sed hujusmodi omnia sic reseruauit, vt licet vero humanitatis ejus corpori adsint, non tamen insint: non tamen illud inficiant vel afficiant, sicut accidentia substantiam cui accidunt: sed exteriùs seruientia ad corpus Domini quodã modo obtegendũ, quod in forma & natura sua verè persistit, vnum quiddam quod pani inerat naturaliter, & non inerat corpori Domini, & inesse illi exigebat res sacramenti, tegminis sui obsequio in illud faciant transire: vt verè fiat secundum ritum mysterij tractabile & gustabile, quod nõ erat in qualitate naturæ suæ. Et hæc mihi videtur illa species panis visibilis in sacramento altaris. Nec magis hoc est mirandum, quod præter substantiã facit Deus subsistere accidentia; quàm hoc quod ipse est substantia, nulla recipiens accidentia; quicquid est, substantialiter existens: sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine loco vbique præsens, nihilque patiens, & sic de reliquis.

Accidentia panis & vini sine horũ substantia manent in Euchar.

Capvt IV.

Quid in sacrificio secundum naturam, quid supra naturam sit.

SED libet de communi & naturali, & secundum naturam possibili, naturarum vel formatum transmutatione, subtilius aliquid indagare: vt videamus & intelligamus, quid in sacrificio sancto secundum naturam, quid supra naturã faciat naturarum omnium creator Deus. Boëtius. *Sola quippe mutari transformarique in se possunt, quæ habent vnius materiæ commune subjectum.* Nec hæc omnia: sed ea quæ in se & facere & pati possunt. Id verò probatur hoc modo. Neque enim potest æs in lapidem permutari; nec verò idem in herbam: nec quodlibet aliud corpus in quodlibet aliud trãsfigurari potest: nisi & eadem sit materia rerum in se transeuntium; & à se facere & pati possint: vt cùm vinum & aqua miscentur, vtraque sunt talia, quæ actum passionemque sibi communicent. Potest enim aquæ qualitas à vini qualitate aliquid pati: potest item vini ab aquæ qualitate aliquid pati. Atque idcirco si multum fuerit aquæ, vini verò paululum, non dicuntur immixta: sed alterum alterius qualitate corrumpitur. Si quis enim vinum fundat in mare, non mixtum est mari vinum, sed in mare corruptum: idcirco quoniam qualitas aquæ multitudine sui corporis nihil passa est à qualitate vini: sed potiùs in se ipsam vini qualitatem propria multitudine commutauit. Si verò sint mediocres, sibique æquales, vel paulò inæquales naturæ, quæ à se facere aliquid aut pati possunt: illæ miscentur, & mediocribus inter se qualitatibus temperantur. Atque hæc quidem in corporibus: neque his omnibus; sed tantùm quæ à se, vt dictum est, & facere & pati possunt, communi atque eãdẽ materiâ subjectâ. Omne enim corpus, quod in generatione & corruptione subsistit, communem videtur habere materiam: sed non omne ab omni vel in omni, vel facere aliquid vel pati potest. Corpora verò in incorporea nulla ratione poterunt permutari: quoniam nullâ communi materiâ subjectâ participant, quæ susceptis qualitatibus in alterutram permutetur. Corpus autem Domini cum pane vnius habet commune materiæ subjectum. Inquantum enim corpus Domini & generari potuit & mori; communẽ cum pane isto terreno videtur sortiri materiam. Inquantum verò panis cum corpore Christi cõmunem habet materiam, possibile habet in illud transmutari: nec cùm hoc fit, à naturâ vsquequaque receditur. Si enim multitudini maris modicam vini guttam in suam transmutare naturam, intantum vt de ea nihil penitus videatur residuum, est possibile: multitudini vel magnitudini virtutis Christi, qua cũ Deo Patre vnum est homo Christus Iesus, omnipotenti creatoris actione, & obedientissima creaturæ passione panem in suum transmutare corpus erit impossibile? Et cui creare de nihilo & formatum & formam fuit facile: mutare formatum, & cõseruare formam, quomodo erit difficile? Sic itaque, vt dictum est, ad mysterij ritum, ad gustus suffragium, quibusdã mutatis, quibusdam minime: à pio Redemptore nostro possibile factũ est nobis, piè & sanctè & verè corpus ejus mãducare, quoties nobis benedicit panem istum, hoc est transmutat in corpus suum.

Quæ ad inuicem possint transmutari.

Corpora nõ possunt in incorporea trãsmutari.

Vt mare aqua guttam in se transmutat, sic Christus panem in corpus suum.

Capvt V.

De Spirituali manducatione Corporis Christi.

SED cùm homini animali, qui non percipit ea quæ Dei sunt, absurdum & plenum horroris videatur, vt seruus manducet Dominum suum: omni diligentia considerandum nobis est, quomodo ad veram vitam talis cibus sic nobis necessarius sit: vt sine hoc ad illam peruenire impossibile sit. Modus etiam manducandi subtiliùs discutiendus videtur: ne omnis qui corporaliter videtur manducare, confidat se vitam in semetipso manentem habere. Sed jam dictũ est, quæ sit ipsa vita: ad quam nos viuificet iste cibus. Quod enim per hunc vita potiùs animæ quæratur quàm corporis, nulli est dubium. Liquet etiam omnibus, quòd sicut vita corporis

Vita animæ per hũc cibum quæritur.

est anima: ita animæ Deus. *Deus autem est charitas.* Vita ergo animæ rationalis est charitas Dei. Vt igitur ille ametur, qui est ipse amor suus, & qui habetur vbi amatur; ad hoc enutrire nos debet cibus iste. Quicquid enim Redemptor noster in carne fecit; ob hoc vtique fecit, vt amaretur à nobis: non quòd egeret ipse nostro amore, qui bonorum nostrorum non indiget, per omnia sufficiens ipse sibi: sed quia quos beatos ipse facere susceperat, nisi eum amando non poterant esse beati. Ideoque non solummodo amore, quo nos prior dilexit, sed omnimodis amoris obsequijs, vt amaretur à nobis quodammodo elaborabat mereri: infirma nostra curando, mortua suscitando, ignobilia mundi eligendo, fortia ejus confundendo; terrenorum odium, cœlestium amorem commendando. Ideo quippe descéderat ad nos, vt amorem nostrum in terrenis dispersum & putrefactum beneficia pietatis exhibendo in se recolligeret, & in nouitatem vitæ reformaret: & abstractum & emundatum à fæce earum rerum, quæ cum ipso pariter amari non possunt, secum leuaret sursum. Augustinus in libro Confessionum. *Sic enim illa summa majestas superioribus creatura sua partibus supereminens, subditos erexit ad seipsam. In inferioribus enim ædificauit sibi humilem domum de limo nostro: per quam subdendos deprimeret à seipsis, & ad se trayceret, finiens timorem, & nutriens amorem: ne fiducia sui progrederentur longiùs; sed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmatam diuinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, & lassi prosternerentur in ea; illa autem surgens leuaret eos. Quid enim faceret miser homo: quis eum liberaret de corpore mortis hujus, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum? In quo cùm princeps mundi hujus non inueniret quidquam morte dignum, occidit eum: & sic euacuatum est chirographum, quod erat contrarium nobis. Ille verò libens pro omnibus gustauit mortem: & liberauit eos, qui per totam vitam timore mortis obnoxij erant seruituti. Sicque in mortis consortio filius Dei nobis fieri dignatus est amicus: vt Deum agnosceremus similem quodammodo nobis factum: ejusque fiducia relinqueremus hostem nostrum; & fugeremus ad Redemptorem nostrum.* Qui intantum descendit ad subleuandum nos: vt neque hoc abhorreret à nobis pro nobis suscipere, in quo majorem & digniorem nostrâ naturâ inimicus se gloriabatur existere. Cedendo enim illi in passionibus, & moriendo, paulominùs minorari visus ab ipsis apostaticis Angelis, quia mori potuit: illi qui mori non poterat impotens apparuit, & non formidabilis. Sic enim, vt ait Propheta Osee, attrahendi eramus in vinculis charitatis. Sic curandi erant, qui se amabant vsque ad contemptum Dei: vt discerent Deum amare vsque ad contemptum sui. Hoc enim non propter se, sed propter nos prouocabat in nobis, quod propter ipsos nos in seipso exhibebat nobis: videlicet vt disceremus eum amare vsque ad contemptum nostri: qui nos prior amauit vsque ad contemptum quodammodo sui. Salvo enim alio redemptionis nostræ sacramento, hujus rei gratiâ carnem suscepit, susceptamque necessitatibus naturę injurijsque & passionibus exposuit: fecitque vel dixit, quidquid per carnem vel in carne fecit vel dixit. Cùm ergo de carne sua amandi se tantam ingerit materiam: magnã & mirificam animabus nostris vitæ alimoniam ministrat. Quam tunc auidis faucibus sumimus: cùm dulciter recolligimus, & in ventre memoriæ recondimus, quæcumque pro nobis fecit vel passus est Christus. Et hoc est conuiuium de carne Iesu & sanguine: cui qui communicat, habet vitam in se manentem. Tunc autem cómunicamus: cùm fide ardente quæ per dilectionem operatur, reponimus in mensa Domini qualia inde sumpsimus: videlicet vt sicut ille se prębuit pro salute nostra, nulla sua necessitate: sic nos totos fidei ejus & charitati exhibeamus necessitate salutis nostræ. In hoc enim conuiuio quicumque saginatur, nescit panem suum otiosus comedere: sed solicitè cum muliere forti de nocte hujus sæculi consurgit ad lucernam verbi Dei, vt labores manuum suarum manducet; vt beatus sit, & bene ei sit. Sicque in Christo manet bonus conuiua Christi per piæ dilectionis affectum: habetque Christum in se manentem per sanctæ operationis effectum. Quod cùm vtrũq; donum Dei sit: totum accrescit magis ac magis ad cumulum amoris amplioris in illum, quem perfectè amare hoc est perfectè beatum esse. Hunc autem cibum plus manducat, qui plus amat: & plus amando rursum plus & plus manducat, & plus & plus amat: licet hujus amoris in hac vita non nisi pignus quoddam accipiamus, plenitudinem ejus in præmium ejus in futuro sæculo expectantes. Ecce, hoc est manducare illam carnem, de qua dicit Iesus. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo.*

Omnia Christus egit, vt amaretur à nobis

Osea 11.

Causa vna Incarnationis.

Communio spiritualis per fidem & charitatem.

Ioan. 6.

CAPVT VI.

De duplici corpore Christi.

HIeronymus in epistolam ad Ephesios. *Sed dupliciter intelligitur caro Christi: vel spiritualis illa atque diuina, de qua ipse dicit, Caro mea verè est cibus: vel caro illa quæ crucifixa est & sepulta.* De carne enim illa priori, quæ crucifixa est, hæc altera procedit. Et secundum Psalmistã educit Deus panem de terra: cùm à terreni corporis agro quem à nobis assumpsit, mysterium profert cœlestis panis ac poculi salutaris, quo reficitur Ecclesia. Et sicut corpus Domini quod mortuũ est, in Euangelio granum frumenti vocatur cadens in terram: sic in Psalmo adeps frumenti vocatur illa mystica caro, ad quam Dominus hortans discipulos dicebat. *Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem: non habebitis vitam in vobis manentem.* Et in sacramentis corpus Domini facit sanctæ Ecclesiæ fides, cujus generaliter est ipsum sacrificium, cujuscumque sit meriti per quem fit: spiritualem verò illam carnem per gratiam Dei vitæ meritum efficit & affectus mentium in cordibus ministrantium vel percipientiũ. Vnde illud. *Vt nobis fiat corpus & sanguis filij tui.* Nobis, inquit, fiat. Fit enim proculdubio corpus Domini in mensa altaris semper, cùm solemne illud celebratur mysterium ritu quo debet: sed non semper eis fit, per quos fit.

Hieronim.

Ioann. 6.

In Canone Missæ.

CAPVT VII.

Quod vnum corpus Domini sumatur sæpe sine altero.

CVmque hac ratione dupliciter hæc caro intelligatur: sicut altera intelligi potest sine altera, sic etiam manducatur altera sine altera. Vnde illud item in Canone. *Vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus: omni benedictione cæ-*

lesti, & gratia repleamur. Non enim omnes qui corporaliter manducant, spiritualiter illâ benedictione cœlesti, & gratia replentur. Vnde est illud. *Vt quod temporaliter gerimus, æternis gaudijs consequamur.* Item. *Vt quæ visibilibus mysterijs sumenda percepimus, inuisibili consequamur effectu.* Et multa in hunc modum. Nam secundũ Isaïam, omnes voluptatum amatores magis quàm Dei, sanctificantur in hostijs & liminibus; quia mysteria veritatis non valent introire: & comedũt cibos impietatis, dum non sunt sancti corpore & spiritu: nec comedunt carnem Iesu, neque bibunt sanguinem, de quo ipse loquitur. *Qui manducat carnem meam*, & reliqua. Sanctificantur quippe in liminibus, qui in sacramento hoc solùm attendunt, quod corporaliter accipiunt; & vt sanctum quoquomodo venerantur, sicque comedunt cibos pietatis: sed pietatem ipsam repellentes à corde, sanctificationem gratiæ cœlestis intra domus suæ limina nolunt recipere. Non enim efficiuntur corpus Christi, sumendo corpus Christi. Ideoque carnem illam Iesu, de qua suprà diximus, non manducant, neque sanguinem bibunt: quod autem manducãt & bibunt, ad judiciũ sibi manducant & bibunt. Nam sicut sol vno radij sui calore hinc ceram soluit, inde lutum stringit, & non diuersus in se diuersè operatur in rebus, rerum vtens materijs sicut eas inuenit: sic Christi gratia quantum in ipso est, vno modo se in omnes infundit: sed diuersos inueniens animos diuersè in eis operatur, hunc in amorem sui misericorditer emolliens, illum justè non miserando indurans. Nam *cui vult miseretur: & quem vult obdurat.* Augustinus. *Talis fuit Iudas in conuiuio Saluatoris, cui fuit venenum buccella dominica, quam de manu ejus suscepit: quam cùm accepit, inimicus in eum intrauit: non quia malum, sed quia bonum malè malus accepit.* De vno pane & Iudas accepit & Petrus: sed tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam: Iudas ad mortẽ. Itaque secundum diuersum intellectum, & diuersum effectum, cùm vnus sit panis Christi, alter tamen quodammodo quem sumpsit Petrus, alter ille quem sumpsit Iudas: alterque potest sumi sine altero.

In oratione Missæ.

Ioann. 6.

Quinam in liminibus sanctificẽtur

Roman. 9.

CAPVT VIII.

De Corporali manducatione Corporis Domini.

SED jam de spirituali manducatione spiritualis carnis Christi satis, vt puto, dictum est: quæ vt multa breuiter concludã, non est aliud, quàm ponere corda in virtute ejus, & rem ducere in opus & effectum: jamque ipse rei ordo videtur exigere, vt etiam de corporali aliqua disseramus. Corporalis autem manducatio est corpus Dñi corporaliter percipere, siue dignè, siue indigne; siue ad vitã, siue ad mortem. Licet enim illa sufficiat, si sic ineuitabile cogat necessarium: tamen & hæc non est omittenda. Sufficit enim illa per se: quia nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate mẽbrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam comedat panem illum, & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur: quando ipse, hoc quod illud sacramentum significat, inuenitur. Non est tamen negligenda sacramenti perceptio: quia vterque domus nostræ postis, id est corpus & anima, signandus est agni sanguine, ne ab exterminatore vastetur: & ne flagellum appropinquet tabernaculo nostro. Sed & natura nostræ carnis quæ in primo parente suo cibo vitiata illicito, originali propagine, peccato & pœna peccati tota erat infecta, & morti æternæ & corruptioni cõtradita; alterius cibi curãda erat antidoto, sicut pulcherrimè Christianus Poëta dicit Sedulius.

In necessitate sufficit baptismus sine hoc sacram.

Eucharistia antidotum est cibi vetiti

Qui pereuntem hominem vetiti dulcedine pomi
Instauras meliore cibo, potuque sacrati
Sanguinis infusum depellis ab angue venenum.

Sumpta ore carnis nostræ caro Christi nequaquam æstimanda est lege communium ciborũ. Hic enim cibus non est ventris, sed mentis. Dissimilis omnino ab illis cibis, de quibus dicitur. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Hic est cibus, qui non vadit in corpus: quia nequaquam, sicut alij cibi, in naturam vertitur corporis; sed corpus nostrum in suam vertit naturam: & futuræ resurrectioni & perpetuæ incorruptioni illud præparans & coaptans, & in nobis est, & vbi erat, scilicet in dextera Patris. Sic enim naturalis per sacramẽtum proprietas perfectæ Sacramentum fit vnitatis: cùm hęc accepta atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Est ergo in nobis ipse per carnẽm: & sumus in eo, secundum hoc quod nos sumus, in Deo est. Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quòd in nobis carnalibus per carnem Christum manentem habemus: victuris nobis per eum ea conditione, qua viuit ille per Patrem.

Matt. 15.

CAPVT IX.

De diuersis Corporis Domini Sacramentis, & ipso nomine Sacramenti.

SCiendum autem, quod carnis illius vel corporis spiritualis, de quo jam suprà multa diximus, sacramentum est caro vel corpus Christi, quod in ara crucis & in altari sacrificatur, & corporaliter manducatur. Nemo autem nouitatis me arguat præsumptorem: quòd corpus Christi sacramentum appellem corporis Christi. Nam & Paulus ad Timotheum *magnum* dicit esse *pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Sed & beatus Ambrosius in libro ad Gratianum dicit, apparuisse hominibus vnigenitum *Patris per sacramentum assumpti hominis.* Cæterique Ecclesiæ Doctores sacramentotenus eos dicunt corpus Christi manducare, qui manducant indignè. Quos tamen manducare corpus Christi, jam suprà pręstructum est: licet non manducent carnem illam, quę viuificat per Spiritum viuificantem. Permittuntur siquidem sicut Iudas ad judicium suum in carnem illam, vt ita dicam, incurrere, de qua dicit Apostolus; *& reconciliauit nos in corpore carnis suæ per mortem;* quæ illius alterius carnis est sacramentum. Permittuntur mira Dei patientia Christi corpus indignè manducando, ipsum Christum rursum sibimet, vt ait Apostolus, crucifigere, & ostentui habere: & quasi inuitum indignis & pollutis manibus quodammodo sibi alligare: dum sacramentotenus manducant corpus ejus, quod ipse parauerat in cibum vitæ æternæ. Qui nisi pollutum ducerent sanguinem testamenti, considerarent horrendum esse incidere in manus Dei viuentis: in quem cruentas manus ipsi injiciunt, dum

1. Tim. 3.

Etiam corpus Christi à malis sumitur.

Coloss. 1.

dum manducant, non dijudicantes corpus Domini. Mitis tamen Iesus, dum tempus patientię est, qua pietate Iudęos tolerauit irridentes, conspuentes, crucifigentes: eadem & istos tolerat, quales illi fuerunt, tales propriè circa eum existentes. Sicut igitur dicere cœperamus, altera Christi caro alterius est sacramentum. Sacramentum enim est sacræ rei signum. Signum autem est, quod præter speciem quam ingerit, facit aliquid in mentem venire. Caro autem illa, quæ ideo dicitur esse cibus, quia veram efficit vitam, sacramētum habet item carnem Christi, quæ crucifixa est, & resurrexit: quia consideratio hujus, cur fuerit assumpta, cur sic dispensata, illam facit in mentem venire: & fideliter sumpta ore corporis facit illam venire in refectionem mentis. Rursumque caro quæ crucifixa est, in panis visibilis forma suum habet sacramentum: quia cùm in mysterijs consideratur fractio, depositio, & eleuatio ejus, & cætera, quæ licet visibiliter ibi celebrentur, inuisibiliter tamen intelliguntur: facit venire in mentem fidelium mortem vel sepulturam, vel ad cœlos ascensionem, totumque ordinem rei, cujus est sacramentum. Licet etiam in eo quod panis inter omnes cibos tenet principatum, visibilis illa species ejus carnis possit esse sacramentum: quæ ideo dicitur verè cibus, quia nutrit ad veram vitam. Sed materialis caro Christi, cùm sit sacramentū illius spiritualis carnis, tamen verè est caro Christi: illa verò species panis non est caro vel corpus Christi per se considerata: nisi quod hoc nuncupatur ea cōsuetudine Scripturarum, qua plerumque sacramenta sortiuntur nomina earū rerum, quarum similitudinem aliquam gerunt: ideoque earum sacramenta sunt. *Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent: omnino sacramenta non essent.* Propter quam similitudinem sicut petra dictus est Christus, *Petra*, inquit, *erat Christus*: sic corpus Domini potest nuncupari etiam manna illud, quod Patres incredulorum Iudæorum in sacramentū corporis Domini mā ducauerunt, & mortui sunt: non quia malum erat manna, sed quia malè manducauerunt. Et hac ratione corpus Domini quod de nobis sumpsit, & manna illud, non quidē in eo quod sunt, sed in eo quod significant, comparantur, & paria sunt. Corpus enim Domini cujus rei sacramentum sit, jam suprà satis expositum est. Ejusdem etiam rei manna typum gessit, & similitudinem expressit; non in vna re, sed in multis, quas modo longum est exequi: ideoque ejus sacramentum jure appellatur. Itaque licet non sint vnum, vnum tamen significant manna & corpus Domini: panem scilicet, qui de cœlo descendit. Augustinus. *Hunc panem significauit manna: hunc panem significat altare Dei.* Sacramenta illa fuerunt: sacramenta & ista sunt. In signis diuersa sunt: in re quam significant, paria. Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt: spiritualem vtique eandem, nam corporalem aliam: quia illi manna, nos aliud. Spiritualem verò eādem, quam nos. Et omnes eundem potum spiritualē biberunt; aliud illi, aliud nos; sed specie visibili: quod tamen hoc idem esset virtute spirituali. Quomodo enim eundem potum? *Bibebant*, inquit, *de spirituali consequente eos petra. Petra enim erat Christus.* Idem panis, idem potus. Petra Christus in signo: verus

Quid sit sacramentū, quid signū.

Species panis non est corpus Christi.

Aug. ep. 23.

1. Cor. 10.
Exod. 16.

Num. 11.

1. Cor. 10.

Christus in carne & Verbo. *Hic est ergo panis de cœlo descendens, vt si quis ex hoc manducauerit, non moriatur*: sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. Qui manducat intus non foris: qui manducat corde, non qui premit dente. *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro quod non capit caro: & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Eadem etiam similitudinis ratione idem corpus Christi, quod de terra sumptum est, & sacramētum ejus visibilis illa species, sacramenta sunt alterius corporis Christi, quod est Ecclesia; cujus caput est Christus. Quod enim est in corpore diuersitas membrorum, hoc in Ecclesia diuersitas gratiarum: illamque & istam diuersitatem charitas redigit in vnitatem. Sicut enim diuersa in corpore membra subseruiendo, & subministrando, & cohærendo sibi inuicem, vnitatē corporis efficiunt: sic & Ecclesiæ membra capiti suo & sub ipso inuicem sibi cohærentia, pulcherrimam sui corporis efficiunt vnitatem. Rursumq; considera species illas: in quibus voluit Dominus cōmendare corpus & sanguinem suum. In eis enim rebus, quæ ad vnum aliquid ex multis rediguntur. Namque panis ex multis granis vnū efficitur: vinum autem ex multis acinis in vnum confluit. Quod ejusdem rei est sacramentum. Et cùm hoc similitudinis sacramento in illo sancto mysterio simus, magis tamen per illam reciprocam naturarum communionem: quia factus hoc quod eramus nos, fecit nos quod erat ipse, caput nostrum Christus Iesus. Sic enim per vnitatem naturæ, per amorem spiritus, vbicumque ille est, & nos sumus; & corpus ejus & plenitudo ejus effecti, hoc quod sumus ab eo accipimus, dum corpus ejus manducamus.

Ioann. 6.

Ibidem.

Eucharistia est sacramētū Ecclesię.

Caput x.

Recapitulatio, quomodo cogitandum sit de Sacramentis.

Cum ergo sic se habeat res sacramenti: res sicut sunt debemus æstimare, spiritalia spiritualiter pensare. Et cùm de altari sumimus carnem Iesu, curemus solicitè, ne cogitatione remaneamus in carne, & à spiritu non viuificemur: ne si non viuificamur à spiritu, caro nobis non prosit quidquam. Nam si cogitatione remaneamus in carne Salvatoris, non solùm non viuificamur à spiritu: sed nec intelligere possumus, quomodo caro hominis Christi ab homine possit manducari: nisi sicut intellexerunt illi duri corde, quibus durus visus est sermo Christi, & abierunt retrò. Acceperunt enim illud stultè, carnaliter illud cogitauerunt, quod præcisurus esset particulas de corpore suo, & daturus illis ad manducandum. Debemus ergo illud corpus Domini spiritualiter & diuino quodam modo cogitare, humiliterque dijudicare, id est ab alijs omnibus cibis diuersum cogitare: & spiritualē carnem Iesu spiritualiter manducare, in sacramento veræ ejus carnis, quæ in mensa altaris percipitur. Rursumque credere debemus, ipsam carnem crucifixam & sepultam sub suo item sacramento non occidi à nobis, non discerpi, non deuorari more communis carnis: sed sub specie panis incorruptibiliter tractari, incorruptibiliter frangi & immolari, & numquam consumi. Non enim à nobis impiè occiditur, sed piè sacrificatur: & hoc modo mortem Domini annū-

Ioann. 6.
Error & sensus Capharnaitarum.

ciamus donec veniat. Hoc enim hic per eum humiliter agimus in terris, quod pro nobis ipse potenter, sicut Filius pro sua reuerentia exaudiendus, agit in cœlis: vbi apud Patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Cui est pro nobis interuenire: carnem quam pro nobis & de nobis sumpsit, Deo Patri quodammodo pro nobis ingerere. Sacrificamus ergo corpus Christi, dum certa fidei pietate sanctum illud credimus & sanctificans: & hanc fidem offerimus ad honorem ejus, ex quo *qui sanctificat & qui sanctificantur, ex vno omnes.* Mortem enim Christi non opus est iterari: quia semel facta potens est ad salutem sempiternā. Christus enim semel mortuus est, & factus est oblatio pro peccatis nostris. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus vtique, sed ad recordationem mortis ejus: & vna est hostia, non multæ. Quomodo vna, & non multæ? Quia semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum illius est. Idipsum semper, idipsum proinde hoc est sacrificium. Alioqui quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam, sed vnus vbique Christus: & hic plenus existens, & illic plenus. Sicut enim quod vbique offertur, vnum corpus est, & non multa corpora: ita & vnum sacrificium. Pontifex autem ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus etiam nunc: quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Quod nos facimus, in commemorationem fit ejus quod factum est. ***Hoc facite,*** inquit, ***in meam commemorationem.*** Non aliud sacrificium: sed ipsum semper offerimus. Magis autem sacrificij recordationē operamur: eique dona ejus in nobis, nosque ipsos vouemus & reddimus: & beneficiorum ejus solemnibus festis & diebus statutis dicamus sacramusque memoriam: ne volumine temporum ingrata surrepat obliuio.

Hoc fit in terris, quod Christus agit in cœlis.

Hebr. 2.

1. Cor. 11.

CAPVT XI.

Cur tam obscura sententia inueniantur in libris Patrum de Sacramentis.

IAM postquam ex confragosis locis vtcumq; euasimus; considerare libet attentiùs, cur super hac re in Sanctorum Patrum tractatibus reperiuntur tam dubiæ sententiæ, & tam scrupulosæ, & quæ etiam sibi inuicem nonnumquam contrariæ videantur: vt non solùm qui contendendi intentione illas congregant, materiam in eis inueniant errandi: sed & qui eis astruere velint fidem Catholicam, non facile se queant expedire. *Oportet,* inquit Apostolus, *hæreses esse, vt probati manifesti fiant.* Quod in hoc euidentissimè comprobatur. Iam enim obscurissimam de Trinitate sententiam claram omnibus effecerunt Arianorum contentiones, & disputationes subtilissimæ: jam de Incarnatione Domini graues & perplexas quæstiones, Apollinaris, Nestorij, & Euticheris, multorumq; aliorū hæreticorū errores claras & euidentes fecerunt in Ecclesia Dei: quod nisi coegisset necessitas de re de qua quærebatur, viros sanctos & eruditos altius aliquid sentire & proferre: semper timidæ hominū mentes habuissent obscurum. Vnde quia ab initio sanctæ Ecclesiæ vsque ad nostra pene tempora hæc ab omnibus quæstio intacta relicta est, sancti Patres quod non impugnabatur non defendebant: nisi quod aliquando in tractatibus suis hoc inde proferebant, quod res postulabat, quæ in manibus habebatur. Quod quia quæstionib⁹ non respondebat, quæ nondū erant: parum modò sufficere videtur ad eas cùm exurgunt compescēdas. Contra quas quia tunc non vigilabat intentio eorum; plurima de sacramentis sanctis in scriptis suis reliquerūt; quæ suo loco, suo sensu bene dicta, ab eis qui contendere vel errare amant, eruta de locis suis aliud per se videntur sonare, quàm ibi sonent, vnde sumpta sunt: & quàm senserit, qui scripsit. Sed & multa de eadem re ab eis relicta sunt: quæ bene dicta, sed obscuriùs, vtpote ab eis, qui vt homines venturas omnes errorum calumnias non poterant prævidere: malè intellecta materiam errandi vel contendendi perditis videntur præstare. Quod Beato Augustino in multis accidisse non ignorat, qui librorum ejus lectionē familiarem habet. Antequam enim Pelagiana hæresis exurgeret, in libris quos jam ediderat non pauca posuerat, quæ exurgens illa hæresis sic sumpsit ad patrocinium sui erroris, vt etiam secū paria sentire jactaret virum per omnia Catholicum. Vnde illi necessitas importata est, plures postea libros contra pestem illam edere: & confiteri crebrò, bene dicta sua, ad deuitandū tamen pravum legentium intellectum, aliter quàm dixerat, se dixisse debuisse. Quod scire potest, qui libros Retractationum ejus legerit: aliosque, quos ille scripserit. Quinetiam super hac re, de sacramentis scilicet, prædicto viro simile quid videtur accidisse. Sed qui errare vult, vel errorem docere; nihil est tam bene dictum, quod non possit malo intellectu deprauare. Nā vt alia nunc omittā: quis credere possit, virū eruditissimum edidisse in scriptis suis, quod ignau⁹ quilibet si scripsisset, prima se facie respuendū & conspuendum non dubitaret? Quid enim magis ignauum; quàm vno in loco contraria sibi edere? Nam cùm psalmum tractaret nonagesimum octavum; ***De carne,*** inquit, ***Maria carnem accepit, & in ipsa carne hic ambulauit: & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit.*** Statimq; post pauca. ***Non,*** inquit, ***hoc corpus, quod videtis manducaturi estis: nec bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent.*** Quid magis contrarium? Sed prudens lector, & qui eā beneuolentiā ecclesiastica legit, quā à sæcularibus sæcularia leguntur: inter quos plurimùm laudatur ille, qui quemlibet authorem docere potuerit, meliùs dixisse; non ambigens, quòd ipse potiùs errare dicetur, si persuadere voluerit, illum in aliquo errare: qui sic inquam legit ecclesiastici Doctoris librum; si quid in eo quasi dubium & scrupulosum inuenit, non statim illud execrando inuadit: sed inspicit & discutit & retractat ex lectionis circumstantia, & ex alijs scriptis ejusdem authoris: & ad vltimum priùs eligit confiteri se ignorare, vel non intelligere, quàm illi notam erroris impingere. Sic autem illud B. Augustini intelligendum est: quia & ipsum est corpus, & non ipsum. Ipsum quidē est materiali essentia: non ipsum autem visibili forma. Quod autem B. Augustino accidisse diximus: hoc etiam sancto Hieronymo de Origenistis & eisdem Pelagianis; & alijs Doctoribus de alijs accidisse hæresibus, non potest ignorare, quicumque Ecclesiasticę bibliothecæ laribus familiariùs fuerit obuersatus. Porrò sicuti jam dictum est, inter omnes hæresum diuersitates, quæ singulæ suo tempore impugnauerunt petram super petram ædificatam, & quæ in soliditate

Cur Patrū de Euchar. verba non sint tam aperta.

1. Cor. 11.

Ob hæreses discussæ sunt difficiles quæstiones.

Qui errare amant peruertunt rectè dicta & scripta.

Qua beneuolentia legendi libri Ecclesiasticorum.

sua permanente petrâ, collisæ in illam, vt lutea vasa sunt contractæ, hujus quæstionis nec mentio facta est: nisi in Nestoriana hæresi sola. In qua assertores ejus in persona Christi diuina ab humanis penitus separantes, Mariã Θεοτόκον, idest Dei genitricem penitus negantes, sed solius hominis matrem esse affirmantes, cùm requirerētur corpus quod de mensa Christi sumimus, cujus esse profiterētur; hæretica temeritate ad suũ errorem detorquebant verba Domini dicentis, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, & reliqua. Ex his verbis astruere conabantur, quod ibi sumimus, carnem esse tantùm filij hominis: scilicet ne si illud Domini corpus confiterentur esse, contra se loquerentur, consentientes in Christo Deo & homine vnitatem esse personæ. Dicebant ergo carnem illam esse viri sanctificati, & Verbo conjuncti secundum dignitatis vnitatem: aut sicut diuinam possidentis habitationem. Contra quos Celestino Papa & Cyrillo Alexandrino annitentibus celebrata est Ephesina Synodus, vna de quatuor, quas B. Gregorius in summo culmine authoritatis instituit. In qua contra pestiferum errorem delirantium Episcopi inibi congregati, Nestorio hujus mali repertori sic inueniuntur scribere. *Ad benedictiones mysticas accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis effecti: non vt communem carnem percipientes, quod absit; nec vt viri sanctificati & Verbo conjuncti secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem: sed verè viuificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus existens, qui propriæ carni vnitus est; viuificatricem eam professus est esse. Et ideo quamvis dicat ad nos, Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem: non tamen eam carnem hominis vnius ex nobis æstimare debemus. Quomodo enim hominis caro juxta naturam suam viuificatrix esse poterit? Sed vt verè propriam ejus factam, qui propter nos filius hominis & factus est & vocatus.* Et circa finem Concilij. *Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem esse, & propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed veluti alterius per ipsum conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi diuinam habentis habitationem, & non potiùs viuificatricem esse, quia facta est propria Verbi viuificare valentis, anathema sit.*

Nestorius Christum negabat esse Deum.

Ioann. 6.

Conc. Ephesin. epistol. ad Nestor.

Capvt XII.

De Trino corpore Domini.

Qvisqvis ergo in sanctorum Patrum tractatibus se exercens, in his & similibus inoffenso vult pede incedere; primas sibi intellectus lineas de hujusmodi, fidei ponat simplicitatem: quam cùm Catholicos Patres modo obscuriùs, modo apertiùs in omnibus constet prædicare: cùm in fidei conuenientiam eorum viderit concurrere sententias, gaudeat de inventione veritatis: cùm minimè id ei claruerit, illorum veneretur sensum, suum verò accuset tarditatis. Porrò opinionum suarum rationē, qualemcumque speciem prima fronte præferant, si exitus earum præscriptas fidei lineas inueniuntur vel non implere, vel excedere, plenas esse nō dubitet erroris, quas veritati constat non conuenire. Cùm enim per Apostolos & Apostolicos viros omnem veritatem jam olim nos docuerit Spiritus veritatis, non jam ad examen rationum fides, sed ad examen fidei corrigendæ rationes sunt, & secundum Apostolicũ præceptum destruenda est omnis altitudo extollens se aduersus scientiam Dei; & in captiuitatem redigendus omnis intellectus in obsequiũ Christi.

Patrum auctoritas quāta.

Vbicumque ergo prudens lector in libris aliquid inuenerit de carne vel corpore Dei Iesu, recurrat ad illã triplicem definitionē carnis vel corporis ejus, quam suprà, non præsumptione mea adinueni, nec meo sensu formaui, sed protuli ex Patrum sententijs: vt videat & discernat, scilicet quemadmodum illic agatur de corpore seu de carne Iesu: sicque ad scriptoris sensum suũ formet intellectum. Aliter enim cogitanda est caro illa, vel corpus, quod pependit in ligno, & sacrificatur in altari: aliter caro ejus, vel corpus, quod qui manducauerit, habet in se vitam manentem, aliter caro vel corpus ejus, quod est Ecclesia. Nam & Ecclesia caro Christi dicitur, vt ibi, *Hoc nunc os ex ossibus meis: & caro de carne mea. Sacramentum hoc*, inquit Apostolus, *magnum est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Non quòd tricorpor à nobis Christus describatur, sicut de Geryone illo ferunt fabulæ, cùm vnum esse corpus Christi testetur Apostolus: sed quodam fidei respectu intellectus vel affectus facit diuersitatem hanc. Res verò ipsa simplicitatis suæ puram obtinet veritatem. Hæc enim trinitas corporis Domini non est aliud intelligenda, quàm ipsum Domini corpus, cogitandũ secundùm essentiam, secundùm vnitatem, secũdùm effectum. Nam corpus Christi, quantum in se est, omnibus se præbet cibum vitæ æternæ, & fideliter se sumentes vnum viuere secum efficit: & amore spiritus, & ipsius consortio naturę, caput existens corporis Ecclesiæ. Præterea cùm in Scripturis, sicut suprà ex verbis B. Augustini diximus, sæpe sacramentum earum rerum nomina sortiatur, quarum sacramentum est: visibile istud, quod oculis præsto est, in sacramento corporis Domini, nonnumquam in Scripturis appellatur corpus Christi; & in alijs hujusmodi, hoc prudens lector, & qui rudis non erit in lectione diuina horum librorum, prudenter discernat, quem singula requirant intellectum: in quo quid agendum putauerit, indifferenter videat, quomodo se expediat de sententijs Patrũ quas subjecimus: multisque alijs, quæ in hunc modum passim per omnes earum tractatus inueniuntur.

Genes. 2.

Ephes. 5.

Idem corpus Christi tripliciter spectatur.

Species sacramentales aliquando dicuntur corpus Christi.

Diuersæ Sententiæ Sanctorum Patrum de Corpore Domini.

Avgvstinvs. *Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen & hic nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim Domini in quo resurrexit, in vno loco esse oportebat, veritas autem ejus vbique est diffusa.* Ambrosius in epistolã ad Hebræos. *Vnus vbique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus: sicut enim quod vbique offertur vnum corpus est, & non multa corpora; ita & vnum sacrificium.* Augusti. de Doctrina Christiana. *Nisi mãducaueritis carnē filij hominis*, &c. *Figura est, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa sit & sepulta:* Item de Ciuitate Dei. *Non sunt dicendi manducare corpus Christi, qui non in membris computantur Christi. Denique ipse dicit. Qui mãducat carnem meam*, &c. *Tamquam diceret. Qui non in me manet, non se dicat aut existimet man-*

ducare corpus meum. Hieronymus in epistol. ad Ephesios. *Dupliciter intelligitur caro Christi; vel spiritualis illa atque diuina, de qua ipse dixit, Caro mea verè est cibus: vel caro illa, quæ crucifixa est & sepulta.* Item super Isaïam. *Secundum tropologiam possumus dicere, omnes amatores voluptatum magis quàm Dei, sanctificari in hortis & in liminibus; quia mysteria veritatis non valent introire, & comedere cibos pietatis, dum non sunt sancti corpore & spiritu: nec comedunt carnem Iesu, nec bibunt sanguinem, de quo ipse loquitur. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem,* &c. Item in Aggæum. *Sanctum quidem est, quod offertur in altari: sed non tam sanctificaris ex hostijs, quàm ex eo quod in conuallibus habitas, & interes mortuis operibus, pollueris.* Item in Psal. 103. *Vt educas panẽ de terra, & vinum lætificet cor hominis. A terreni corporis agro, quem à nobis assumpsit, proferens mysterium cœlestis panis ac poculi Saluatoris, quo reficitur, Ecclesia.* Item in Isaïam. *Cibauit ex adipe frumenti: qui adipes non aliud intelligendi sunt, quàm mystica caro, ad quam Dominus inuitat discipulos suos dicens; nisi manducaueritis carnem meam,* &c. *Vnde & in valle Gethsemani traditus est, quod significat vallem aromatum adipeam.* Augustinus super Ioanné. *Spiritualis virtus sacramenti ita est vt lux, & ab illuminandis pura excipitur: & si per immundos transeat, non inquinatur. Etiam qui fuerit superbus minister cum zabulo cõputatur, sed non contaminatur.* Hieronym. in Sophon. *Sacerdotes quoque qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populis ejus diuidunt, impiè agunt in legem Christi, putantes Eucharistiã imprecantis facere verba, non vitam: & necessariã esse tantum solemnem orationem, & non sacerdotum meritum.* Augustinus super Ioannem. *Iudas cum sanctis discipulis suis intrabat & exibat, ad ipsam cœnam Dominicam pariter accessit: de vno pane & Iudas accepit & Petrus; sed Petrus ad vitã, & Iudas ad mortem.* Item de Pœnitentia. *Buccella Dominica fuit Iudæ venenum; quam cùm accepit, inimicus in eum intrauit. Non quia malum, sed quia malè bonum malus accepit.* Item. *Viuent corda eorum in seculum seculi. Nam cibus ille cordis est, non ventris.* Ambrosius. *Non est ista esca corporalis.* Item. *Non est iste panis, qui in corpus vadit.* Augustinus de Ciuitate Dei. *Qui mãducat carnem meam,* &c. *Ostendit quid sit, non sacramentotenus, sed reuera corpus Christi manducare. Hoc enim in Christo manere est; vt in illo maneat & Christus.* Item contra Faustum. *Quid sunt aliud corporalia sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia sacrificij, sed tamen mutabilia & temporalia?* Item de vno baptismo. *Si ad ipsas res visibiliter, quibus sacramenta tractantur, animum cõferamus, quis nesciat, eas esse corruptibiles? Si autem ad id quod per illas agitur, quis non judicat, non posse corrumpi?* Item de fide ad Petrũ. *Sacrificium panis & vini in fide & charitate sancta Ecclesia per vniuersum orbem terræ offerre non cessat.* Item in sermo. de Sacram. *Commendauit nobis in isto sacramento corpus & sanguinem suum, quod etiam fecit & nos ipsos. Nam & nos corpus ejus sumus, & per misericordiam ejus, quod accipimus nos ipsi sumus. Recordamini, & vos non fuistis, & creati estis: ad aream Dominicam comparati estis: laboribus boum, id est, annuntiantium Euangelium, triturati estis, quando Cathecumeni differebamini, in horrea seruabamini: munera vestra dedistis, cepistis majora, & ex porticiniis postea ad aquam conuenistis, & cum spiritu ejus estis, & panis Dominicus facti estis. Ecce quod accepistis. Quomodo ergo vnum videtis esse, quod factum sit, vnum estote vos diligendo, & tenendo vnam fidem, vnam spem, indiuiduam charitatem: sicut vnum in multis racemis fuit, & modo vinum est. Vnus est in suauitate calix post pressuram torcularis. Et vos post illa jejunia in vase Christi tamquam ad calicem venistis; & ibi vos estis, & nos vobiscum: simul enim nos sumus, hoc simul bibimus, quia simul nos viuimus.* Item ad Bonifacium. *Sæpe ita loquimur, vt Pascha appropinquante, dicamus crastinam vel perendinam esse Domini passionem, cùm ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel passio illa facta sit. Nempe ipso die Dominico dicimus, hodie Dominus resurrexit, cùm ex quo resurrexit, tot anni transierint: tamen nemo tam ineptus est, vt nos ita loquentes arguat esse mẽtitos: videlicet quia istos dies, secundum illorum quibus hæc gesta sunt similitudinem nuncupamus: vt dicatur ipse est dies, qui non est ipse; sed reuolutione temporis similis est ejus: & dicantur illo die fieri, propter sacramenti celebrationem, quæ non illo die, sed jam olim facta sunt. Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes Pascha dies, sed omni die populis immolatur? nec vtique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari. Si enim sacramenta quandam similitudinem rerum earum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiuntur. Sicut ergo secundum quendã modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est; sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita & sacramentum fidei, fides est.* Item super Ioannem. *Caro vas fuit. Quod habebat, attende; non quod erat. Accedat spiritus ad carnem, sicut charitas ad scientiam, & prodest plurimum.* Hieronymus in epist. ad Ephes. *Quomodo enim caput in animalibus habet membra sibi subjecta, ex quibus nonnulla vitiosa & debilia: ita & Dominus noster Iesus Christus cùm sit Ecclesiæ caput, habet membra subjecta eos omnes qui in Ecclesia congregantur, tam sanctos videlicet, quàm peccatores: sed sanctos voluntate, peccatores verò sibi necessitate subjectos. Atque ita fit, vt inimici etiam subjecti sint pedibus ejus.* Item in Osee. *Super tritico & vino falsis mysterijs corporis & sanguinis Christi hæretici conciduntur, & diuersa sibi constituunt tabernacula, & euersi sunt in nihilum: si enim veritas Deus est, quidquid est contrarium veritati, mendacium est, & nihil nominatur.* Item in Psal. 145. *Dat escam esurientibus. Putat quis, quòd panem cœlestem de mysterijs dicat. Et de hoc quidem accipimus; quia verè caro Christi est. Cæterum dicamus aliter, panis Christus, caro ejus sermo diuinus est, & doctrina cœlestis, quæ animam nostram reficit.*

EXPLICIT LIBER DOMNI GVILLELMI de Corpore & Sanguine Domini.

Codices manuscripti.





BEATI GVILLELMI

QVONDAM ABBATIS SANCTI THEODORICI.

Expositio super Cantica Canticorum.

PRÆFATIO AVCTORIS.

DOMINE Deus noster, qui ad imaginem & similitudinem tuam creasti nos, scilicet ad te contemplandum, teque fruendum: quem nemo vsque ad fruendum contemplatur, nisi inquantum similis tibi efficitur: summi boni species, quæ rapis omnem animam rationalẽ desiderio tui, tantò ad te ardentiorem, quantò in se mundiorem; tantò autem mundiorem, quãtò à corporalibus ad spiritualia liberiorem: libera à seruitute corruptionis, id quod tibi soli deseruire debet in nobis, amorem nostrũ. Amor enim est, qui cùm liber est, similes nos tibi efficit, intantum, inquantum nos tibi afficit: sensus vitæ, quo te sentit, quicumque viuit de spiritu vitæ: qui sicut dicit Apostolus, *reuelata facie* speculans gloriam tuã, *in eandem imaginem* transformatur *à claritate in claritatem, sicut à Domini spiritu.* Cùm enim amamus quamcumque creaturam, non ad vtendum ad te, sed ad fruendum in se; fit amor jam non amor, sed cupiditas vel libido, siue aliquid hujusmodi, cũ damno libertatis perdens etiam gratiam nominis: & comparatur miser homo jumentis insipientib⁹, & similis eis efficitur. Hoc autem est omne peccatum ejus, male frui, & male vti: cùm amat vel rem quamcumque, vel proximum, vel seipsum, non ad vtendum, vt dictũ est, ad te, sed ad fruendum in se. Quamvis & proximo & seipso fruendum sit, sed non nisi in te: te verò, ô vita vitarum, & bonum omnium bonorum, & in te, & in se. Et hic est viuens & luminosus amor, liber & liberans à corruptione, quantò purior, tantò dulcior: quantò fortior in affectu, tantò constantior in effectu: dum per pietatem dulcescit in conscientia, per justitiam verò viget in operis materia. Libera eum Domine in nobis; vt castè amet sponsa tua, anima Christiana, donata sanguine tuo, pignerata spiritu tuo: vt inter vitæ huj⁹ ærumnosas pressuras in tædio peregrinationis suæ à te, & prolongati incolatus in terra aliena, cantet tibi amatoria sua: & respiret, & leuior ei fiat dolor suus: afficiatur tibi, & interim obliuiscatur vbi est: accipiat aliquid, per quod intelligat, quod ei deest. Iam tempus miserendi, jam venit tempus, cùm lactasti eam, & eduxisti in solitudinẽ, vt ibi loquereris ad cor ejus. Loquere ergo, & dic ad eam, & ad cor ejus, *salus tua ego sum:* dic vt audiat, inspira vt sentiat, da vt habeat: vt benedicant tibi omnia interiora ejus; & dicant tibi omnia ossa ejus, *Domine quis similis tibi:* ô adjutor ejus & susceptor: & in alloquio tui solius confusione confundantur multi, qui dicunt ei, *non est salus illi in Deo ejus.* Colloquio tuo amor, si non est, fiat; si est, crescat, & inualescat: donec captiua ancilla tua jure belli & sorte victoriæ conquisita, inveniens gratiam in oculis tuis per fructus dignos pænitentiæ, secundùm legem, amputatis à te omnibus ejus superfluis, perpetua caritate & insolubili conjunctione transeat in amplexum victoris. Ob hoc epithalamium canticũ nuptiale, canticum sponsi & sponsæ aggredientes reuoluendum & inspiciendum, opus tuum, sancte Spiritus, te inuocamus; vt amore tuo repleamur, ô amor, ad intelligendum canticum amoris: vt & nos colloquij sponsi & sponsæ aliquatenus efficiamur participes: vt agatur in nobis, quod legitur à nobis. Vbi enim de affectibus agitur: non facile nisi à similiter affectis, capitur quod dicitur. Affice ergo nos tibi, sancte Spiritus, sancte Paraclite, sancte consolator, cõsolare paupertatem solitudinis nostræ, nullum extra te solatium requirentis: illumina & viuifica desiderium tendentis, vt efficiatur amor fruentis. Adesto, vt verè amemus: vt de fonte amoris tui prodeat, quicquid sentiemus vel dicemus. Cãticum amoris tui sic à nobis legatur, vt amorem ipsum in nobis accẽdat: ipse verò amor Canticum suum per se nobis aperiat. Non autem profundiora illa mysteria, quæ in eo cõtinentur, attentamus de Christo & Ecclesia: sed cohibentes nos intra nos, & in nobismetipsis nosmetipsos metientes, de sponso ac sponsa, de Christo & de Christiana anima, sensum tantummodò moralem aliquem, in quo omnibus audere licet, pro sensus nostri paupertate perstringimus: laboris nostri non alium requirentes fructum, quàm similem materiæ, idest amorem ipsius.

2. Cor. 3. | *Omne peccatum est malè frui, & malè vti.* | *Psalm. 34.* | *Ibidem.* | *Psalm. 3.* | *Inuocatio S. Spiritus.* | *Sensum moralẽ auctor inuestigaturus est.*

EXPOSITIO.

LIBER ergo hic Salomonis Canticum Canticorum inscribitur: vel quia sensuũ dignitate & materiæ prærogatiuâ super omnia antiqua Patriarcharum seu Prophetarum cantica excellere videtur, agens de sponso ac sponsa, Christo & rationali anima: vel quia Sanctorum potiùs affectuum conuenientiâ jubilatur à beato populo, qui scit jubilationẽ, in lumine vultus Dei ambulans; quàm diuersorum sonorum vocali concordia decantetur. Agit enim de amore Dei, vel quo Deus amatur, vel quo ipse Deus amor dicitur: qui vtrum amor dicatur, an charitas, an dilectio, non refert: nisi quod in amoris nomine tener quidam amantis indicari videtur affectus, tendentis vel ambientis: in nomine verò charitatis spiritualis quædam affectio, vel gaudium fruentis: in dilectione autem rei delectantis appetitus naturalis: quæ tamen omnia in amore sponsi & sponsæ vnus atque idem Spiritus operatur. Amori verò sponsi & sponsæ ad cantandum Canticum nouum sic seruiunt omnium sanctarum virtutum affectus, vt si bene & suo

Cur liber hic Cantica Canticorũ dictus. | *Subjectum ejus.*

ordine processerint earum profectus, omnes transeant & terminentur in ejus effectus. Cætera quidem euacuantur: charitas numquam excidit. Vel Canticum Canticorum dicitur: quia quatuor in se videtur cantica continere. Quatuor siquidem diuisionibus distinguitur, quæ singulæ suo accubitu, id est sponsi ac sponsæ cõjunctione, terminantur. Quam conjunctionem, ob reuerentiam sacramenti magni in Christo & Ecclesia, placuit Spiritui sancto honestiore nomine honorare, & accubitum potius appellare, quàm concubitum: dicente sponsa. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suũ.* Vnusquisque verò accubitus præmissum habet epithalamium suum, id est Canticum nuptiale: quo sponsus & sponsa quasi deducuntur ad thalamum; & in hoc concluditur, vt sponsæ in amplexu sponsi quiescenti, agente ipso sponso, pax ordinetur, & quietis securitas: adjurante eo ac dicente. *Adjuro vos filiæ Ierusalem: vt non suscitetis, neque euigilare faciatis amicam, donec ipsa velit.* Quartus tamen, qui & vltimus, altiore mysterio aliter videtur concludi: quia cùm alij de conjunctione sponsi & sponsæ, quasi festivum videantur gaudium præcinere: ille sic terminatur, vt magnopere fuga sponso indicatur à spõsa precante ac dicente. *Fuge dilecte mi; & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum.* Quod quale sit; si sponsus ipse dignabitur reuelare, suo loco dicetur. Scribitur autem Canticum hoc in modũ dramatis & stilo comico, tamquam per personas & actus recitandum: vt sicut in comœdijs recitandis personæ diuersæ, & diuersi actus; sic & in hoc Cantico cõcurrere sibi videantur personæ & affectus, ad peragendum susceptum negotium amoris, & mysticum contractum diuinæ & humanæ conjunctionis. Personæ verò quatuor sunt; sponsus, & sodales ejus, sponsa, & adolescentularũ chorus. Sodales sponsi Angeli sunt, bonis nostris congaudentes: & congruis in hoc ministerijs deseruire amãtes. Porrò adolescentulæ sunt teneræ ac nouellæ animæ, quæ in disciplinam ac professionem spiritualis amoris datis nominibus, humilitatis obsequijs & imitationis studio, sponsæ, id est perfectioribus, gaudent adhærere. Sic tamen amantibus tota amoris actio relinquitur; vt silentibus coamantibus, & stantibus, & audientibus, & gaudio gaudentibus ad vocem sponsi & sponsæ, in toto hoc Cantico vix audiatur vox, vel locutio interseratur, nisi sponsi ac sponsæ.

Hoc Canticum cõtinet 4. Cantica.

Cantic. 1.

Cantic. 2.

Cantic. 3.

Personæ hic quatuor.

Propositi verò dramatis historialis, fabulæ, seu parabolæ, hoc potest esse argumentum. Rex Salomon filiam Pharaonis Ægyptij duxit vxorem. Cui primò sponsalis & amoris & osculi aliquãtam gratiam indulsit: deinde verò post ostensas ei ex parte diuitias & partẽ gloriæ suæ, & à mutua conjunctione, & ab osculi gratia eam amouit: donec Ægyptia nigredine deposita, barbaræ nationis exuta cõsuetudine, digna fieret quæ ad thalamum regium admitteretur. Sensus autem spiritualis hic est. Conuersa ad Deum anima, & verbo Dei maritanda, primo prævenientis gratię diuitias intelligere perdocetur: & permittitur gustare, quoniam suauis est Dominus: postmodum verò in domũ conscientiæ suæ remittitur erudienda, castificanda in obedientia charitatis, & perfectè mundanda à vitijs, & perornanda virtutibus: vt ad spiritualem gratiam pietatis admitti, & affectum virtutũ, qui sponsi thalamus est, digna habeatur.

Argumentũ parabolicũ.

Sensus spiritualis totius Cantici.

Hæc in principio præmitti oportuit, vt deinceps itinere expedito curramus in odorẽ sponsi: præfixâ tamen conditione, vt si alicubi interdũ pulchritudo viæ paulò curiosiores nos habuerit inspectores, non offendat conuiantem. Sed & priusquam propositũ aggrediamur iter, cùm omnes cantici hujus partes non nisi diuersi sint status orantium, vel formæ, vel causæ, vel materiæ orationum; de varijs orationum modis aliqua differenda esse videntur: vt studiosus ac pius lector cantici ipsius lectionem percurrens, semper recurrat ad semetipsum; & cum inuenerit eos in cantico sancto, recognoscat eos in corde suo. Tres ergo status esse orantium vel orationum, manifestum est: animalem, rationalem, spiritualem. Vnusquisque secundum modum suum format sibi, vel proponit Dominum Deũ suum: quia qualis est ipse qui orat, talis ei apparet Deus, quem orat. Etenim qui fideliter orat, sicut solidum quid dignumque Deo afferre sẽper nititur in oratione, quod offerat: sic anxiũ habet cor ac suspectum; donec aliquatenus videat, coram quo illud deponat, vel cui committat. Homo verò animalis orans Deum, sed nesciens orare, queadmodum oportet, petens aliquid à Deo, præter ipsum, vel ad ipsum: & vt multum proficiat in ordine suo, & prudentior inueniatur in generatione sua, non vt mundâ sit conscientiâ à malis operibus, & corde à prauis cogitationibus, talem se Deo offert, qualis est: aliud quid scilicet per ipsum desiderantem ac petentem: nec alterius formæ requirit Deum, quàm cujus ipse est, id est, præter semetipsum, alia quæ petitur, præstantem. Quod & si aliquando intendere videtur in eum quem orat: sufficit ei, quasi oculis cordis proponere sibi vel cogitare incogitabilem, inuisibilem, incomprehensibilem: nec cogitare, nec suspicere sufficit Deum, in eo quod est; sed in eo solo, quod potẽs est postulata præstare. Homo hic aliquãdo orat spiritu, non mente: & spiritus ejus, id est volũtas, orat; mens autem ejus sine fructu est. Numquam enim sine mentis fructu in Deum intenditur, cùm intenditur: etiam cùm aliud quid, quàm quod ipse est, rationabiliter postulatur. Homo hic oratione sua verba multiplicans, aliquando etiam sine sensu, cogitationes sine intellectu, sensum vel affectum ad Deum non requirit: quem, etiamsi quasi vltro ei ingeritur, in aliud conuertit: & ideo sicut carnali olim Israël semper ei Deus in caligine est, quem orat. Hunc autem orationis modum Canticum amoris non recipit: in quo non nisi vnum petit, vnum orat, quæ vnum desiderat, vnum amat. Est etiam animalis quædam sanctorum oratio, quæ etsi aliquando est etiam in beneplacitis hominũ operantium iniquitatem; sicut pro temporali pace, pro fertilitate terræ, pro sanitate corporum: nõ tamen in hoc communicant cum electis eorum: quia etsi petunt aliud, non tamen propter aliud vel ad aliud, quàm ad vnum. Petunt autem piè, sanctè, committentes totum, ac dimittentes voluntati ejus quem orant, vtrum dandum sit, vel non dandum, quod postulant. Et aliquando quidem qui sic est, proponit mentis suæ oculis Dominum Salvatorem secundum formam humanam, & sicut homo ad hominem humanam quandam & quasi corpoream induit orationis affectionem, constituens sibi eum quem orat,

Tres status orantium.

Animalis Deum oris vt se habeat

Quædam sanctorum oratio est animalis.

rem quasi in medio, pro qua orat: & secundum formam constitutionis suæ format etiam modũ orationis suæ. Modus tamen hic orandi plus solet esse simplicitatis religiosæ, non percipientis adhuc quæ Dei sunt, quam vel animalitatis ignauæ, vel prudentiæ humanæ: quæ cùm corã Iesu pio judice fideliter hoc quod habet exponit, & ad pedes ejus se componit, lacrymis pedes ejus lauans, & vngens vnguento piæ deuotionis spiritualiter: hoc ipsum tamen plus ipsa sibi imaginans corporaliter, ex dulcedine ipsius animalis imaginationis sæpe illuminari meretur, & incalescere in affectum spiritualis orationis vel contemplationis; modo quodam sibimet incognito, de imaginationibus ipsis corporeis quædam sibi concipiens sacraméta pietatis: plus hoc agente in corde simplici præstantis gratiâ, quàm studio precantis. Diligit enim multum, & ideo præstatur vel dimittitur ei multum: & in eis etiam quæ foris sunt, sæpe meretur impetrare multum. Nempe pium est, etiam sic ad Deum accedere: & sicut dicit Iob, etiam sic visitans homo speciem suam in Deo, hoc est, similitudinem suam cogitans, non peccat: & adorãdus & colendus est Dominus Deus omnium ex multarum personis facierum. Sed tamen vsque hodie dicit Iesus discipulis suis, ***Expedit vobis vt ego vadam***, hoc est, subtraham aspectibus vestris humanitatis meæ personam: ***nisi enim abiero, paraclitus non veniet ad vos:*** quia quamdiu ab orante, in eo quem orat corporeum quid cogitatur, piè quidem, sed non omnino spiritualiter oratur. Deus enim *spiritus est*, & necesse est, qui eum adorat, *in spiritu & veritate adorare.* Modus autem hic orandi formari solet ex forma fidei, vel symbolo; cum de Christianæ fidei pietate quod fideliter creditur, veraciter ac simpliciter amatur: & transit in affectum imaginatio corporearum in Domino Iesu Christo dispensationum. Ideo qui rationalis est, & ratione agitur, hoc ipsum ratione suggerente in laboribus laborans sibi agit satagitque, donec victor sui hæc omnia supergrediatur, & in ea quæ spiritus sunt euadat: voluntas bona transeat in mentem bonam; desiderium tendentis in intellectum videntis, vel amorem fruentis. Cumque adjuuante Spiritu sancto infirmitatem hominis, imagini Dei sua incipit species renouari, superueniens gratia rationẽ, mentem, vitam, mores, ipsum etiam corporis temperamentum, efficit & conformat in vnum affectum pietatis, in vnã effigiem charitatis, in vnam faciem Deum exquirentis: cùm affectat homo cognoscere Deũ, inquantum fas est, & cognosci ab eo: reuelari sibi faciem ejus gratiæ, ipsum verò conscientiæ suæ; vt cognoscens eum, & cognitus ab eo, oret eum, & adoret, sicut oportet, in spiritu & veritate. Et ipse est Sponsus, & ipsa est Sponsa: & ipsum est mutuum eorum colloquium. Cùm enim juxta promissum Domini ad diligentem se venire incipit, & mansionem facere dignatio diuinitatis, aliquatenus innotescit ei; & quoniã non potest homo faciem ejus videre & viuere, hoc est plenam ejus cognitionem in hac vita apprehendere, collocat in sensu amantis & commendat aliquam cognitionis suæ effigiem, non præsumpti phantasmatis, sed piæ cujusdam affectionis: quam viuens adhuc in carne capere possit homo vel sustinere. Ipsæ sunt primitiæ spiritus, arrha, siue dos sponsalis thalami: tantò dignior & largior, quantò thalamo Sponsi fit Sponsa aptior, siue propinquior. Hanc vir desideriorum acceptam à Deo commendat, non tam arbitrio suo in memoria, quàm gratiæ Dei in conscientia sua: vnde rediturus ad orationem eam repetat, & authori suo rem suam, & gratiæ suæ pignus ingerens, fiducialius coram eo appareat. Quæ quò sæpius redditur principio suo, & deuotiùs ac fideliùs reconsignatur: eò dignior Deo fit, & efficacior ac dulcior possessori suo; nam & vulgaris solet esse ista rerum quarumlibet cognitio, imaginem cognitæ rei, menti seu memoriæ impressam habere: & tantò habere rem cognitam notiorem, quantò penes se imaginem ejus habet expressiorem. Quod cùm de Deo fit in homine, licet menti vtcumque cognitæ diuinitatis magna quędam nonnũquam informetur similitudo, hoc in ea absque omni phantastica imaginatione agente puritate simplicis affectus, & illuminati sensus amoris, quod circa communem rerum cognitionem agere videtur imaginatio earum in memoria cognoscentis: magnã tamen in hoc facit dissimilitudinem naturæ illius celsitudo: quia fit similitudo illa tantò inferior, quantò in inferiore natura: tantò dissimilior, quantò in dissimiliore materia, creatoris scilicet in creatura, Dei in anima. Sed rursum diuinæ gratia illa cognitionis, quæ, sicut dictũ est, non fit nisi in sensu vel intellectu illuminati amoris, super omnes cogitationes rerum ditat de se & beatificat cognitorem suum, condescẽdens ei ac subleuans eum ad se, tantoque dulci ei celsitudinis suæ majestates in familiares quasdam & amicas conuertens affectiones & experientias diuinæ cujusdam suauitatis & bonitatis, quantò beatus pauper spiritu & humilis & quietus, & tremens sermones Domini, & simplex animus, cum quo solet esse sermocinatio Spiritussancti, ante cognitionis vel intellectus ipsius reuerentiam, paupertatis & humilitatis & simplicitatis suæ veriùs & deuotiùs recognouerit infirmitates: & sensus ad hoc attulerit, tantò subtiliores quantò simpliciores; non tam in litteratura, quam in potentijs Domini, & in justitia ejus solius. Hic est calculus candidus de Apocalypsi, ***habens nomen*** in se scriptum, ***quod nemo scit, nisi qui accipit.*** Hæc est suauitas, de qua scriptũ est in laude sapientiæ: quia ***non inuenitur in terra suauiter viuentium.*** Habet ergo orator iste rationalis vel spiritualis, (quamdiu quippe ratione agente nititur ad hoc rationalis est: postquam verò fuerit adeptus, in quantum fuerit adeptus, jam spiritualis est,) habet inquam similitudinem & imaginem Dei in mente sua ex gratia creante, tantò similiorem, & cognitioni Dei propinquiorem, quantò æternorum capaciorem: tantoque capaciorem æternorum, quantò à transitorijs mũdi hujus mundiorẽ ex gratia illuminante. Quãdiu enim non videtur Deus nisi per speculum & in ænigmate: tamdiu ad contemplandum Deũ non nisi in imagine pertransit homo. Siue illud speculum sit, siue ænigma, id est manifestior vel obscurior imago: omnino quamdiu hic viuitur, illuc non nisi in imagine pertransit homo. Quãtò tamen mens in se ipsa imaginis Dei fideliùs obtinuerit dignitatem & veritatẽ, tantò fidelioribus & veritati propinquioribus imaginibus nititur ad Deum: non phantastica, non superstitiosa præsumptione fingens in Deo, vel de

Modus quidam orandi simplicitatis religiosæ.

Iob 5.

Ioann. 16.

Spiritualis oratio quomodo fiat.

Ioann. 14.

Effigies Dei in sensu amantis.

Vulgaris cognitio fit per imaginem menti impressam.

Humilitas orantis quid mereatur.

Apocal. 3.

Deo, in se ipsa quod non est: sed qua potest, qua ei datur, eâ affectionis formâ accedens ad eum qui est. Visionis enim vel cognitionis Dei perfectionem promittere vel sperare in hac vita, vanissimæ præsumptionis est. Hujusmodi hominem Deum orare sicut Deum, monet ratio, docet profectus, format affectus: qui se conformans Deo, non Deum sibi, nihil petit ab eo, nisi ipsum, & ad ipsum: nullo frui acquiescens nisi ipso, vel in ipso: nullo saltem vti, nisi ad ipsum. Hic, vt dictum est, quamdiu purgatur, rationalis est: purgatus autem jam spiritualis est. Sed sicut expedit rationalem statum semper in spiritualem proficere: sic necesse est, spiritualem nônumquam in rationalem redire. Semper quidê spiritualem spiritualiter agi, non hujus vitæ est: semper tamen debet esse homo Dei vel rationalis in appetitu, vel spiritualis in affectu. Hic aliquando in oratione non sine labore ac certamine obluctando omnem incursantis imaginationis caliginem superare sibi videtur, & transcendere: nonnumquam verò sola operante gratia pium bonæ voluntatis conatum nec imaginatio impedit, nec caligo inuoluit: sed repente vbi non separabat, inuenit se orantis affectus: & si occurrunt imaginationes, seruiunt & adjuuant potiùs quàm impediant. Non enim infirmioribus oculis semper inutilis est vel noxius omnis intercurrentium imaginationum vsus. Quarum quasi corporali vehiculo, ipso vsu videndi & cogitandi corpora & corporalia assuefactus spiritus orantis vel contemplantis, defertur vbi est veritas: & licet in imagine, tamen per ipsum cogitatæ imaginis pertrãsit homo in idipsum afficientis veritatis. Ideo Spiritussanctus Canticum amoris spiritualis traditurus hominibus, totum spirituale vel diuinum ejus interius negotium exteriùs vestiuit carnalis amoris imaginibus: vt cùm non nisi amor plenè capiat quæ sunt diuina, adducendus & migraturus amor carnis in amorem spiritus citò apprehenderet sibi similia: & cùm impossibile esset verum amorem cupidũ veritatis diu hęrere vel quiescere in imaginibus, citiùs pertransiret viâ sibi notâ in id quod imaginaretur: & quamvis spiritualis homo, tamen carnalis amoris naturales suas pro participatione carnis delicias captiuatas à Sancto Spiritu in obsequium spiritualis amoris amplecteretur. Vnde hic quædam quasi ex occulto aliquo inuerecundiùs prosiliens, nec quæ, nec vnde sit, nec quid loquatur, edicens. *Osculetur*, inquit, *me osculo oris sui.* O amor, à quo omnis amor cognominatur, etiam carnalis ac degener, amor sancte & sanctificans, caste & castificans, & vita viuificans, aperi nobis sanctum Canticum tuũ, reuela osculi tui mysterium, venasque susurrij tui: quibus virtutem tuam & suauitatis tuæ delicias incantas cordibus filiorum tuorum. Doce nos occultos nutus tuos, quibus te participibus tuis insinuas; quos, vt tui mereantur esse capaces, primò emundas à sordibus earum rerũ, cum quarum concupiscentia vel delectatione tu habitare non dignaris, nec debes: cùm tu desursum sis, & sursum trahas, illa verò omnia deorsum. Doce nos ingredi in locum illum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis soni epulantis: in eum mentis statum, de quo processit hic sonus epulantis, vel potius epulas vehementiùs esurientis; osculetur me osculo oris sui. Conjicere enim licet ex ordine gestorum sequentium & forma verborum, sicut Ægyptia illa venit aliquando ad Salomonem, sic animam peccatricê conuersam venisse ad Christum: & in sponsam, solemniter exceptam, liberaliter dotatam, & in cellaria introductam, vbi Regiæ diuitiæ continebantur: ibique vberibus sponsi lactatam, & perfusam odore vnguentorũ, reuelatum ei nomen sponsi & mysterium nôminis: deinde sponsum quasi amoris igne in corde sponsæ succenso repente exisse & abisse; & cum eo omnem gratiam & gloriam cellariorum: & sicut dicitur de Iudæis, subtrahendo ei præsentiam gratiæ suæ, vultusque lætitiam, abijsse & abscondisse se ab ea. Non autem prætereundum, regiarum diuitiarum vel deliciarum regis nostri apothecas in cellarijs contineri: quarum vsus solidus est & efficax, & vitalis fruitio. Comeduntur & viuificant, bibuntur & lætificant, nutriunt & confirmant: intra vtentis vel fruentis substantiam omnis earum vsus & fruitio est. Non sunt sicut aurum & argentum, & res hujusmodi: quarum hoc solùm quod videntur, quod habentur, omnis vsus est. Quædam verò earum reponuntur in cellarijs; quarumdam non nisi in cella vinaria locus est. Cellaria verò & cella vinaria plurimo à se disparantur interuallo, non loci, sed meriti, & gratiæ, & dignitatis. Hæc enim sunt de quibus dicit Propheta. *Diuitiæ salutis sapientia & scientia.* In cellarijs scientiæ abundantia designatur: quæ etiam ideo plurali nomine censentur: quia sicut dicit alius Propheta; pertranseunt tempora & multiplex fit scientia. Sapientiæ enim, quæ per cellam vinariam designatur, non nisi vnum necessarium est. Scientia autem hæc Christianæ pietatis est, non inflans, sed in charitate ædificans: in intellectu Scripturarum, & circa fidem moresque ac vitam, docta prudentia. Hæc est in anima humana portio rationalis, fidei ac spei propria officina, nec charitatis omnino expers: quamvis cella vinaria propria ejus habitatio sit. Sicut enim impossibile est, amare Deum, si non creditur: sic omnino non potest non amari, si verè creditur, vel speratur, vel scitur. Cella verò vinaria sapientia est; ipsa est & pietas, qua cultus Dei designatur: & animi erectio ab imis ad superiora, non alta sapiendo, sed piè amando: id est, cùm spiritus hominis in ea, quæ in spiritualibus excelsiora sunt, se erigit, vt æternam Dei incommutabilitatem, inquantum mutabili homini fas est, incommutabiliter sapiat; & incommutabiles ejus rationes ad dijudicanda mutabilia apprehendat: quæ quamvis supra hominem sint, tamen ab humanæ rationis natura non omnio eas esse alienas ex hoc dignoscitur, quia non nisi de illis vera & justa nonnumquam discernunt & judicant, etiã qui prauè viuendo contra eas ire moliuntur. Quicquid enim ratio humana rectè agit vel sentit, non nisi de illis formam vel scientiam ducit, ex quibus constant omnia, & in quibus consistunt: & omnium quæ sunt, ad illas conuersio est. Sicut etiam scientiæ est & fidei, agere vel sentire de Christo, secundùm ea quæ sunt humanæ dispensationis: sic sapientiæ & amoris est sapere & contemplari gloriam in ipso diuinæ majestatis: vel etiam in humanis rebus diuinæ ejus operationis virtutem. Quantum verò ad mores, quod scientiæ vel rationi est in actu: hoc sapientiæ est etiam in affectu. Congregat scientia, sed

Perfectio cognitionis Dei non est hujus vitæ.

Amor spiritualis imaginibus vestitur carnalis.

Cantic. 1. Inuocatio amoris diuini.

Vt excipiatur anima ad Christũ conuersa.

Ioann. 8.

Quid sint cellaria, quid cella vinaria.

Isaia 33.

Daniel. 12.

Deus amatur, si verè creditur.

tia, sed

tia, sed non sibi; mellificat vt apes, sed alij: quia rerum congregatarum quidam exterior ei vsus permittitur; sapor verò earum interior alij & alibi reseruatur. Scientiæ hujus studium socialis vitæ disciplinam desiderat: perfectio verò sapientiæ solitarium secretum, vel cor etiam in multitudine solitarium. In cellaria verò introducta sponsa, multa de sponso, multa didicit de seipsa. Vbi quæcumque ei collata sunt primo accessu ad sponsum, irritamen amoris, & gratia fuit trahentis: lac vberum, fragrantia vnguentorum, nominis sponsi cognitio, & effusio vnguenti ejus. Deinde verò actus eam excipit purgatorius, exercendam, purgandam, non vsquequaque deserendam. Egresso enim & abeunte sponso vulnerata charitate desiderio absentis æstuans, sanctæ nouitatis suauitate affecta, gustu bono innouata, & repente destituta ac derelicta sibi, jam cellaria ipsa quasi inania ac deserta fastidiens, scientiam scilicet absente sponso non nisi dolorem apponentem, sicut enim scriptum est, *qui apponit scientiam apponit dolorem*: comitantibus adolescentulis, quas in gratia cellariorum aliquatenus consortes habuerat, in odorẽ fugiẽtis excurrit. Et ab æstu desiderij sui sancto Cantico principium imponens clamat & dicit.

Perfectio sapientiæ secretũ requirit.

Eccle. 1.

CAPVT PRIMVM.

Cant. 1. 1.

OSCVLETVR *me osculo oris sui.* Vidi, inquit, super me faciem ejus illuminatam: concepi vultus ejus lætitiam: sensi diffusam gratiam in labijs ejus. Nemo interueniat, nihil intercurrat, ipse me osculetur osculo oris sui: quia jam vltra non sustineo, non suscipio spiritum osculi alieni. Cætera mihi omnia prauum quid olent, sponsi vero osculum diuinum quid redolet. Osculum amica quædam & exterior conjunctio corporum est, interioris conjunctionis signum & incentiuum. Quod oris ministerio exhibetur: vt non tantum corporum, sed ex mutuo contactu etiam spirituũ conjunctio fiat. Sponsus vero Christus sponsæ suæ Ecclesiæ, quasi osculum de cœlo porrexit, cùm Verbum caro factum in tantum ei appropinquauit, vt se ei conjungeret: intantum conjunxit, vt vniret, vt Deus homo, homo Deus fieret. Ipsum etiam osculum fideli animæ sponsæ suæ porrigit & imprimit, cùm de memoria communium bonorum priuatum ei & proprium cõmendans gaudium, gratiam ei sui amoris infundit: spiritum ejus sibi attrahens, & suum infundens ei, vt inuicẽ vnus spiritus sint. Hoc osculo abeuntis sponsi sponsa ex parte in cellarijs accepto ad perfectionem ejus & plenã exarserat suauitatem: de qua Dominus ad Patrẽ orans pro discipulis, *volo*, inquit, *pater, vt sicut ego & tu vnum sumus, ita & ipsi in nobis vnum sint:* vt dilectio qua dilexisti me in eis sit, & ego in eis. Quid, nisi quæ de plenitudine ejus acceperat, & gratiam pro gratia, hoc est gratiã amoris pro gratia fidei, ipsam jam plenitudinem desiderabat: plenitudinem Spiritussancti, qui vnitas est & dilectio Patris & Filij, plenumque in eo gaudium, quod nemo tollat ab ea? Dissolui volebat, & esse cum Christo, post summi boni gustum permanere sibi in carne non arbitrans esse necessarium. Discant qui non didicerunt: conuertantur ad videndum, fiant curiosi ad experiendum, quomodo actitentur hæc in conuersatione vel conscientia eorum, qui conuersi

Osculum Christi & Ecclesiæ quid sit.

Ioann. 17.

Philip. 1.

ad Dominum in nouitate vitæ ambulant. Quorum affectum vitamque totam sibi diuidunt dolor ipse, & hoc gaudium; dolor de sponsi absentia, gaudium de præsentia: & perpetuum de visione hujus gaudium vnica eorũ expectatio est. Hoc enim apud eos non semel, vel vno modo: sed sæpe, multisque ac varijs modis fit. Omnisq; hic sancti exercitij labor in corde amantis, vel vitã proficientis, non vnius diei est; sed multi temporis; multiplex, varius, secundum pietatẽ diuersorum affectuũ, & prouentum profectuũ. Quandiu enim dicis ad sponsam, *vado & venio*, nec manes cum ea in æternum, ô castarum sponse animarum: tandiu exulantibus in terra non tua filijs tuis, ô pater orphanorum, prouido cõsilio sapientiæ tuæ sinis eos nonnũquam in desiderij sui dolore, quasi foris exclusos à te affligi, & tabescere amore amoris tui, mundans eos in camino paupertatis suæ, ipsa difficultate suscipiendi fortiùs eos trahens ad te. Nonnumquam verò ex dulcedine gratiæ tuæ sponte aperis pusillis tuis, nec repellis peruenientes vsque ad te; & cubare eos finis, & plorare in sinu tuo: vbi plorantes nolunt consolati, vt non plorent tibi, à quo hoc ipsum pro summo dono habent, vt plorẽt tibi: quia optimum ac dulce habent plorare coram te Domino Deo suo, qui fecisti eos: & vt plorent tibi in hoc ipsum efficis eos. Cumque tu dignaris tergere lacrymas fluentes, ipsæ magis fluunt: & quia manus ipsa tergentis causa eis efficitur suauis cujusdam doloris afficientis, blandientis, & in eo quod vehementiùs dolent, vehementiùs ex bonæ spei conscientia se consolantis. Etenim & fluminis ille impetus lætificans manifestè denunciat adesse præsentiã tuã: & incolatus filiorum tuorum in terra aliena nõ potest obliuisci peregrinationem suam: & dum simul se inueniunt illud gaudium & ille dolor, suaues illas ac dulces lacrymas faciunt effluere. Lacrymas, quia doloris; suaues, quia amoris & amoris tui, ô amor; cui dolere magnum gaudiũ est, cui flere magna consolatio est: in quo gaudere summa beatitudo est. Hanc suauitatem cõsolantis ac dolentis, trahentis & currentis, alloquentis & respondentis, blandientis & amantis, continet tota Cantici hujus tam verborum, quã gestorum prosecutio. Fit autem jugiter in conscientia & corde sponsæ, quæcumque illa est, effundentis coram Domino Deo suo animam suam, & cum gaudio audientis, quid loquatur in ea Dominus Deus. Collocutio autem Sponsi & Sponsæ testimonium est, ac deuotio cõscientię bene affectæ; cùm testificatum sponsæ sponsus in conscientia sua meritum suum, & sponsæ deuotio non ingrata reddit sponso debitum pietatis affectum. Egressa ergo Sponsa à cellarijs Regis, quò fuerat introducta ad contẽplanda Spõsi amabilia, & à bonorum eorum gustu & jocũda experientia, jam non nisi ipsum desiderans amabilem, quem sua commendant amabilia, accepto pignore spiritus deficiens in salutare Dei; tædet, inquit, inanium, absente sponso, cellariorum horum, quotidianarum promissionum harum, Sacramentorum inuolutorum horum, Parabolarum ac Prouerbiorum horum, speculi & ænigmatis. Mysterium regni Dei desidero: palam mihi annuntiari de patre deposco: faciem ad faciem, oculum ad oculũ, osculum ad osculum; *osculetur me osculo oris sui.* Quare autem *osculetur*, tamquam de absente: & non potiùs

Dolor & gaudiũ sanctorum vitã partiuntur.

Sancti exercitij labor multi temporis est. Ioan. 14.

Lacrymæ amoris Dei suaues.

Summa hujus Cantici.

osculare? Videtur in cellarijs multum eam admisam facie ad faciem, & sicuti est, eum videre ac cognoscere, sicut ipsa est cognita ab eo: quod est osculũ perfectionis. Sponsum verò per Prophetarum, siue Apostolorum, cæterorumve Doctorum ministeria, per scientiam scripturarum, varia ei quasi oscula gratiæ suę porrexisse, sicque quasi * satisfacto ei recessisse, & abijsse: illam verò jam quasi de absente conqueri, impatienterque post eum clamare ac dicere, *osculetur me osculo oris sui.* Ac si dicat. Quousque mihi aliena oscula scientiæ apponentis dolorem? Etsi non mereor osculum illud perfectionis: vel aliquod mihi, priusquam à me recedat, indulgeat osculũ oris sui. Bonum quidem est osculum transmissũ: sed gratiæ suæ non plenam retinere videtur virtutem, de vase in vas transfusum. Innotescit, quod infert minister ejus: sed sapit, quod inspirat spiritus oris vel osculi ejus, quod tunc sapiet ad plenum: cùm in ipso erit gaudium plenum. Deinde intuitu quo potest prosequens abeuntẽ, & dulce habens alloqui, etiam jam non exaudientẽ: *quia,* inquit, *meliora sunt vbera tua vino.* Quasi enim interrogata, vnde tam festina præsumptio, tam fidens osculi exactio: ab vberibus, inquit, Domine consolationis tuæ. *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Dulciora ad sugendũ, potentiora ad lætificandum, faciliora ad inebriandum; ijs enutrita sum ad osculum desiderandum: inebriata ad præsumendum. Quamdiu enim hic viuitur, quamdiu hic laboratur: quæcumque charismatum dona, quæcumque consolationum genera filijs gratiæ donãtur, in gratiarum distributione, in profectuum prouentu, vel virtutum successu, in splendoribus diuinæ illuminationis, in affectibus piæ compunctionis, in excessibus diuinæ contemplationis, ô æterna sapiẽtia, vbera tua sunt: nutrientia sanctã paruulorum tuorum infantiam, & testantia, vsq; ad consummationem sæculi tuam eis non deesse præsentiam. Absit autem, vt in tempore suo, in tempore beneplaciti tui, ora eorum indigna reputentur ad osculandum os tuum in plenitudinem perfectæ cognitionis tuæ: quibus in tempore patientiæ ac sustinentiæ suæ per media vbera hæc lactandum præbes pectus tuum in nutrimentum spiritualis scientiæ, & profectũ perfectionis tuæ. Nam & si virulentum aliquid aliquando aliunde suxerunt: necesse est sanari ea ac mundari ad contactum sacrorum vberũ horum, & virtutem & odorem salubrium vnguẽtorum tuorum. Cùm ergo à perenni illa ac beata conjunctione & æternitatis osculo pro infirmitatis humanæ conditione Sponsa deficit, circa hæc se afficit: & ad os illud tuum non pertingens, os suum reflectit ad vbera tua, & in eis requiescit dicens. *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Simul etiam nota, in petitione osculi supremum in oratione humanæ possibilitatis affectum in lumen illud vultus Dei suum direxisse aspectum: sed reuerberante charitatis illius claritate, mox ad ea quæ cõmuniora sunt reflexũ, & in eis semetipsum exercentẽ, cùm dicit. *Quia meliora sunt vbera tua vino: fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum.* Mox, inquit, vt veni ad te, nudasti mihi vbera dulcedinis tuæ, prima nutrimenta gratiæ tuæ: & ex dulcedine suauitatis tuæ & conscientiæ bono, meliora super omne vinum sapientiæ secularis; vel lætitiam carnalis voluptatis: fragrantia vnguentis optimis, donis septiformis Spiritus. Dona enim ipsa, cùm te operante, ordine suo venirent in me, primò timor tuus apprehendit me, seueriùs vrgens ad te. Secundo loco occurrit pietas, suauiter excipiens me in te. Quæ cùm, sicut scriptum est, cultus tuus sit, pietas enim ait Iob, cultus Dei est: cùm doceret me colere te, docuit me dicere in Spiritu sancto, *Dominus Iesus.* Et mox in odorem suauitatis & virtutem sanitatis, effusum est à te, & infusum est in me, oleum ipsius nominis tui emolliens omnia dura mea, leniens aspera, sanans infirma. Cõputruit jugum antiquæ captiuitatis meæ, à facie olei nominis hujus: jugum autem tuum Domine, factũ est mihi suaue, & onus leue. Audito enim nomine tuo, siue Domini, siue Iesu, siue Christi, continuò auditui meo datum est gaudium & lętitia. Quia mox vt nomen sonuerit in auditu, mysteriũ etiam nominis effulget in corde, amor in affectu, suggerens ad Dominum deuotã seruitutem, ad Saluatorem, quod sonat Iesus, pietatem & amorem; ad Christum Regẽ, obedientiam ac timorem. Meritò enim, Domine Iesu, in omni nomine tuo omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: quia nullo nomine nominaris, nisi aliqua ad nos relatione; nec vlla est alicujus nominis tui relatio, quæ nõ sit aliqua alicujus boni tui ad nos delatio: quia Dominus dominaris benefaciendo, Iesus salvas, Christus, id est, vnctus Rex vel Sacerdos, regis vel propitiaris. Nam & illa relatio Filij ad Patrem, qua prædestinatus & factus es filius Dei in virtute, nouerunt qui in Spiritu sancto clamare didicerunt, *abba pater,* quique per hoc ipsum filios Dei fratresque tuos se factos intelligunt, cujus & quanta nobis facta sit olei effusio: qui in hoc ipsum nos redemisti, ô frater bone: qui nisi redimeres, non redimeret homo, nõ Angelus, non creatura aliqua. Veniens quippe filius vnicus noluisti esse vnus: sed multos filios adduxisti in gloriam, quos non cõfunderis fratres vocare dicens. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis.*

Ideo, ait Sponsa, propter vberum tuorũ suauitatem, propter nominis & olei tui sanitatem, mecum etiam *adolescentulæ dilexerunt te,* nouellæ in seruitute tua plantationes, nouellæ animæ, innouatæ spiritu mentis suæ, in nouitate spiritus ambulantes, ascensiones in corde suo disponentes, & de virtute in virtutem euntes: proficientes à claritate in claritatem sicut à Domini spiritu; dicentes singulæ, *trahe me post te:* dicentes pariter, *in odorem vnguẽtorum tuorum curremus.* Odor vnguentorum ad proficientes adolescentulas est fragrans in Sponso virtutum opinio; tractus, charitatis prouocatio. Vnctio vero docens de omnibus Sponsam manet. Et inter illũ odorem, & inter istam vnctionem, magna distãtia est. Exclusa tamen à cellarijs, & deserta à Sponso, jam pene cum adolescentulis paris cõditionis est, cùm non nisi odore Sponsi pascitur. Vnde cum illis & ipsa dicere videtur, *in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Trahitur autẽ currens, quæ prouocatur volens: & dum ei gratia odoris virtutem aspirat vnctionis, nulla in spiritualium cursu profectuum mora vel difficultas est. Prosequiturque fugientem cõfessione & commemoratione beneficiorum suorum, vberum scilicet & vnguentorum, odoris & olei effusi: quia optimum & rationabile est orandi

*ideft, quasi satisfactũ esset ei,

Sponsæ querimonia.

Canti. 1. 1.

Consolationes Dei vbera ejus sunt.

Cantic. 1.

Quo ordine dona Dei in animam veniant.

Iob 28.

Philip. 2.

Omnia Christ nomina sunt ad nos relatiua

Hebr. 2.

Cant. 1. 2.

Odor vnguentorum est virtutis opinio.

Recordatio beneficiorũ optimum orandi genus. genus, gratumque Deo, & efficax ad obtinenda futura beneficia, non ingrata recordatio præteritorum. Deinde, *trahe me post te*, ait Sponsa: *in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Vide jã lassam & deficientem, & egentẽ trahi: nisi quod odor eius, quem jam non videt, adhuc eam trahit, & currere facit. Vnde & dicit. *In odorem vnguentorum tuorum curremus.* Ac si dicat. Etsi interim non mereor gaudium vultus tui, vel osculi oris tui: saltem odorem mihi ne subtrahas vnguentorum tuorum. Sponsi enim præsentia, bene affecta de ipso memoria est, & mens in lumine vultus ejus illuminata, & vnctio Spiritus sancti docens de omnibus: odor vnguentorum cum eo abeuntiũ, sensus quidam est adhuc memoriæ inhærens abeuntis suauitatis: & in reliquijs cogitationis festiua memoria de recordatione habitæ consolationis. In odorem ergo, ait vnguentorum tuorum curremus: quo perseuerante & trahente nos, perseueramus currere: & ipso deficiente, nos etiam deficere necesse est. *Sponsi præsentia est memoria de eo bene effecta.*

Propter quod subjungit, beneficia accepta commemorans, & dicit. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* (*Cantic. 1.*) Primò delectat Regem appellare, à quo regi desiderat: sicut dicit in Spiritu Sancto, *Dominus Iesus*, (*1. Cor. 12.*) quem seruire delectat, qui mentem & voluntatem suam sono vocis enuntiat. Deinde ex hoc ipso spem concipiẽs largiorem, & ex spe ipsa in amorem abeuntis conualescens majorẽ, & quasi post abeuntem rursus oculos conuertens: *exultabimus*, inquit, *& lætabimur in te, memores vberum tuorum*, quorum lacte nutrita sum, delinita vnguentis, odore cõfortata. Vide conantem, vide anxiantem; modo illi, modo de illo loquitur. Non sufficit amãti vna via ad id quod amat: vnde propensiùs adhuc in contemplationem jã absentis suspirans, *Recti*, inquit, *diligunt te*, Omnia animalia naturaliter in ventrem, & in terram curuantur. Solus homo rectitudine corporis in cœlum erigitur, monstrante in hoc natura, aliquid eum cõmune habere cum cœlestibus, *Recti*, ergo inquit, *diligunt te*, idest homines: quia qui diligendo te rectus non est, non homo, sed pecus est. Pensanda sunt tria hæc, & suis distinctionibus digerenda, prolata de cellarijs Regis, nec digna celari, memoria acceptorum bonorum, spes futurorum, & pro vtroque in gratiarum actionẽ rectitudo dilectionis. *Exultabimus*, inquit, *& lætabimur in te.* Hoc de futuro. De præterito verò, *memores*, ait, *vberum tuorum.* Tertium est, *recti diligunt te.* Memoriã præteritorum adheremus Domino Deo nostro: spes de futuro continet nos, ne ab eo recidere velimus: recta dilectio confirmat, ne possimus. Quod autem abeunte Sponso recordatur cellariorum: admonet filios Sponsi subtractâ sibi gratiâ spiritualis consolationis refugiendum esse ad consolationem Scripturarum. Sicut enim quæ Sponsa est, cùm mente excedit Deo; agnumq; sequẽs quocumque ierit, totam se exhibet in affectu; sic cum sobria fit sibi, totam se colligere debet in intellectu, & spiritualis scientiæ fructu mentem pascere feriatam: & redeundum ei est ad memoriam cellariorum & vberum: hoc est, sicut dictum est, refugiendũm ad consolationem scripturarũ: vbi duo testamenta duo ei sunt Sponsi vbera, ex quibus lac sugitur omnium sacramentorũ pro salute nostra æterna temporaliter gestorum, vt perueniatur ad cibum quod est verbum Dei, Deus apud Deũ. Humilis enim Christus lac nostrum est: equalis Deo Deus cibus noster est. Lac nutrit, cibus pascit. Suguntur autem vbera hæc in cellarijs; quia intelliguntur mysteria ista in scripturis. Vbera suxit Sponsa, cùm primò intellexit: fit memor vberum, cùm meditatur de intellectis. Vbi sua corpori exultatio, sua menti lætitia comparatur: cùm corpori incorruptio de incorruptione, menti verò visio Dei promittitur, & in dilectione Dei sua rectitudo ordinatur. Sed sicut sole abeunte noctem subsequi necesse est: sic abeunte ac moram faciente Sponso, incipit Sponsa pristinum amittere decorem, & in se ipsa denigrari, priuarique gratia sua omnia opera ejus; vt jam nec pristinus calor sit in corde, nec color in opere. Sicut enim lux ista exterior regina quædam est colorum omnium, sine qua nihil decoris, nihil habent virtutis: sic gratia illuminans virtus est omniũ virtutum, & lux bonorum operũ: sine qua nec virtutes suos effectus, nec opera bona suos possunt habere prouentus. Vel si vtcumque videntur habere: non vigent, non lætificant, non habent oleum lætitiæ, non vnctionem docentem, non gustum diuinæ suauitatis, non odorẽ æternitatis, non efficacem spiritualium sensuum experientiam. Vnde erubescens sibi, metuens autem eis, quibus imitationi esse solebat & admirationi, *Nigra sum*, inquit, *sed formosa, filiæ Ierusalem; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis:* (*Cantic. 1.*) quæ plus videtur habere vtilitatis, quàm decoris. Ac si dicat. Forma quidem mihi integra est, quamvis color immutatus: quia Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: stabilis fides, sed obscuratus intellectus: eadem voluntas, sed debilitatus affectus. Confitetur se nigram ob caliginem turbatæ conscientiæ; licet formosam non diffiteatur per fidei rectitudinẽ: sciens sicut in cellarijs regis enutrita, non humilitatis esse, sed impietatis, fidem negare. Non solum enim fidem, sed etiam spem, & bonam voluntatem, sicut non habere, mortiferum est; sic habitam negare, criminosum. Formosam quippe secundum rectam fidei formam, & puritatem intentionis, & deuotionem voluntatis, Sponsa semper se inuenit, quamdiu Sponsa esse non desinit, nec vmquam diffitetur; licet nonnumquam ex conscientia peccatorũ præteritorum vel impugnatione vitiorum, vel humanæ ignorantiæ cæcitate, nigredinem suam humiliter confiteatur.

Christus lac & cibus est.

Gratia ad bona est sicut lux ad colores.

Quid sit Sponsa nigredo.

Tria de cellarijs Regis proferuntur.

Duo testamenta sunt duo Sponsi vbera.

Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Per Cedar, quod tenebræ interpretatur, vult intelligi tenebras conscientiæ, vel rationis caligantis: per tabernacula verò vel pelles tabernaculorum, quæ circumferuntur, instabilitatem mentis: quæ quantum interno lumini contemplando officiunt, manifestum est. Quæ tamen tunc Salomonis, id est veri pacifici sunt: cum fraternæ militiæ, vel Ecclesiasticæ paci deseruiunt. Semper tamen cauere studet pia charitas, ne quemquam lædat incauta ejus humilitas: ne confessio reatus vel infirmitatis suæ fiat exemplum, vel occasio fraternæ ruinæ. Ideo subjungit & dicit. *Nolite considerare me, quoniam fusca sum: quia decolorauit me sol.* Non sic sum fusca, vt sim cæca, tamquam non habeam oculos rationis: sed sol justitiæ subtraxit mihi lumen gratiæ suæ, sine quo omnis oculus frustra patet, nullus color viget, omnis calor friget. Carbo

Cauta esse debet infirmitatis confessio.

Necessitas gratia.

inquit, fui desolatorius: nunc autem desolatus. Candui quamdiu in igne fui, calefaciens & illuminans: recedente igne denigrata sum. Tamen integram semper ad imitandum propono vobis formam meam, licet decoloratam: quia etsi amoris à me decor recessit, sed substantia remãsit. Vnde ne miremini: quia in absentia Sponsi etiã publica præda facta sum. Nam & *filij matris meæ pugnauerunt contra me*. Quomodo? *Posuerunt me custodem in vineis: vineam meã non custodiui*. Vsitatũ in Scripturis est, gaudiũ per vinũ intelligi: quod cor hominis lætificat. Sicut enim vini mater vinea est: sic pax sæculi, sæcularis gaudij: pax vero spiritualis, spiritualis gaudij mater est. Siue ergo filij matris meæ, naturæ videlicet humanæ originales concupiscentiæ, pugnantes contra me, egerunt in me, vt vellem hominibus præesse: siue filij matris meæ Ecclesiæ, tulerunt me mihi, & posuerunt præesse sibi, & pro nutriendis gaudijs carnis suæ custodẽ me posuerunt exterioris pacis suæ: cui cùm attentiùs inuigilo, negligens facta sum interiorum gaudiorũ meorum in neglectu interioris pacis meæ. Sic decolorauit me sol: dum sollicitudo mihi fraternæ charitatis occupationũ suarum caligine obscurauit interioris speciem puritatis. Intelligendũ est, Sponsam, dum circumducitur & docetur, & varijs tentationibus eruditur, necessitatem etiã incurrisse prælationis: in qua cum diuiditur ad multa, non sufficit ad singula: & cum circa alienos profectus sollicitiùs inuigilat, deficit in suis: & circa priuata damna sua turbatur in consciẽtia sua. Vide sibi derelictã, nutantem, fluctuantẽ. Vult orare, nec sufficit, meditari secũ, & deficit: loquitur ad præsentem quasi ad absentẽ: ad absentẽ, quasi ad præsentẽ. Et tamen sicut regiorũ cellariorum alumna, non negligit Apostoli cõsilium dicentis, *Confitemini alterutrum peccata vestra:* in tribulationibus tentationum suarum non erubescens virtutem confessionis, dum sodalibus reuelare non hæsitat conscientiæ damna latentia, cùm dicit. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem*. Vnde & post confessionem ardẽtior redijt ad orationem dicens.

Custos in vinea est pastor in Ecclesia.

Iac. 5.

Indica mihi, ô quem diligit anima mea: vbi pascis; vbi cubas in meridie. Et vide euidentissimam gratiam. Cùm post confessionem venit ad orationẽ, repente Sponsum, quem quærit, meretur inuenire: quem toto charitatis amplexu attrahens in cor suum, & quasi os ad osculum ei porrigens, ô, inquit, *quem diligit anima mea*. Nam juxta sensum historicum, amanti & quærenti se obtulit Sponsus: sed adhuc quasi auertens & excutiens se ab ea, & probans eam in abscondito tempestatis, in osculo contradictionis. Quem illa ardenti amore aggrediens, ô, inquit, *quem diligit anima mea*. In quo primò manifestum est, Spiritum sanctum jam infirmitatem orantis adjuuare: quia Spiritussanctus ipsa dilectio est, de qua dicit Sponsa, ô quem diligit anima mea. *Quem*, inquit, *diligit anima mea*. Totus quippe pene homo anima est: minima ejus portio corpus est. Ideo cum diligit te, Domine Iesu, anima Sponsæ tuæ, neglecto & quasi jam abjecto corpore, tota sequitur te; desiderans propter te mortificari tota die, & amans perdere semetipsã in hoc mundo, vt in vita æterna possideat se in te. Et certè nequaquam dubitandum est, ipsam pulchritudinis tuę faciem aliquando ei illuxisse, quæ sic diligit te: spiritu oris tui aliquatenus afflatam, quæ sic suspirat ad te: expertam suauitatem amplexuum tuorum, quæ tam familiariter resoluitur in te. Diligit enim te, non nisi de te, qui es ipsa dilectio, qua diligit te: & intantum diligit te in se, vt se ipsam in nullo diligat nisi in te. Si enim pulchrum diligitur, tu pulchritudo es omnis pulchri: si bonum, tu es bonum omnis boni, si vtile, te vtitur omnis homo, etiam qui odit: fruitur verò omnis qui diligit. *Indica* ergo, ait, *mihi, ô quem diligit anima mea: vbi pascis, vbi cubas in meridie*. Notandum, quò Sponsam prouehat virtus & humilitas confessionis, quò, cùm superiùs osculum peteret, & osculo Sponsi se compararet, nec aspirare potuit sublimitas contemplationis: ad cubandum scilicet in sinu Iesu, sicut aliquando cubabat dilectus ille discipulus, concipiens inde summum Principium, & in Principio Verbum, & Verbum apud Deum. *Indica, ait mihi*. Intus, ait, in corde, dic mihi, vt sentiam in memetipsa per sensum certissimæ experientiæ: inspira mihi, vt sciam per experimentum fruentis conscientiæ: quo viuendi genere, quo statu animæ, quo mentis habitu, quo dono gratiæ, in affectu ejus, quem dignum facis, tu qui misereris, cujus misereris: (neque enim hoc volentis est, vel currentis, sed tui miserentis,) pascis amantis intellectum de cognitione veritatis tuæ, de multitudine dulcedinis tuæ; ejusq; tibi [illegible] memoriã, in qua cubes jugiter ac delectabiliter: ipse ei existens amoris ardentis & cauma meridianum, & refrigerium; splendor luminis meridiani, & vmbraculum. Vel notum sibi postulat fieri finem suum in tribulatione exercitij sui, vt sciat quid desit sibi. Et in consolationem mutabilitatis suæ reuelari sibi orat diẽ æternitatis: non qui incipit à mane & desinit in vesperam, sed semper manet in meridiano caloris & luminis, sapientiæ & intellectus, amoris & beatæ fruitionis: vbi sabbatismus datur populo Dei, vt cubet & requiescat ab operibus suis, sicut à suis Deus: vbi in æterna beatitudine pascit de se ipso tam Angelorum quam sanctorum hominum societatem, semper plenam ob perfectionem beatitudinis: semperque in eum respicere desiderantem, ob pietatem & dulcedinẽ amoris. Vel, ô quem diligit anima mea, dic diligenti te animæ meæ per inspirantem gratiam & inspiratam experientiam, quis ille sit status mentis, quę suauitas sentientis, quod gaudium fruentis, cùm diligenti te fidei, quantum potest diligere fides, insinuatur ipsa, quanta in hac vita mortali insinuari potest, species; & fit in diligente, quod de ipso aliquando dixisti. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*. Cùm enim aliquando sic diligendo collegerit sibi meritũ dignioris aliquantũ gratiæ, incipit diligens etiam diligi. Hinc dilectionis diligentis se Sponsi amicas suauitates per illuminati sensum amoris largiùs ac dulciùs Spõsa incipit experiri, & fit in ea quod Apostolus dicit. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis*. Iam enim incipit cognoscere, sicut prior cognita est; & inquantũ cognoscit diligere, sicut prior dilecta est. Prior enim Sponsi ad Sponsã cognitio diuinæ fuit sapiẽtiæ donatio: prior dilectio Sancti Spirit' gratuita infusio: cognitio verò Sponsæ ad Sponsũ & amor idem est: quoniam in hac re amor ipse intellectus est. Hoc cùm abundãtiore gratia in corde Sponsæ agitur ad horam, ad tempus, ipse

Cant. 1.6.

Oratio sequens Confessionem sponsum inuenit.

Virtus humilis confessionis quò pertingat.

Ioann. 14.

Rom. 5.

est, quem in hac vita tantopere anxia requirit Sponsa, Sponsi meridianus accubitus meridiani luminis in cognitione, meridiani fervoris in amore: in quo cùm amor vnde venit, eò regreditur, Sponsus & pascit & pascitur. Vtrumque enim sonat hoc verbum pascit. Vel si, inquit, indignam me reputas osculo seu verbo tuo, seu Spiritu oris tui; ostende mihi saltem aliquem hominem tuum, in quo inueniam, non matutinum ac nouitium, non respertinum ac remissum; sed meridianum ac stabilem, & luminosum fervorem amoris tui: in cujus corde cubes & requiescas; de quo pascas me, cùm docebit me, quod à te didicerit. Vel desiderat affici Sponso Sponsa, & deficit; vult exhilarare cor in lumen vultus ejus, & in semetipsa tenebrescit. Et cùm non præualet interiùs se ipsam componere ad desideratam affectionem, non habens pacem in semetipsa, gestit exire à semetipsa in aliquam affectionis ipsius exteriorem actionem: in qua bona conscientia amantis Sponsum inueniat vel pascentem eam, vel cum ea accubantem. Horum ergo aliquid, siue hæc omnia scire desiderabat, qui dicebat. *Indica mihi, ô quem diligit anima mea, vbi cubas, vbi pascis in meridie.*

Sponsus pascit & pascitur.

Ne vagari incipiam post gregem sodalium tuorum. Nondum vagatur, sed vagari timet. Nullum adhuc amat, præter Sponsum: si enim alium amaret, Sponsa non esset. Quantum enim ad animũ, amore mouemur quocumq; mouemur: ideo qui vnum amat, non mouetur non vagatur. Sed & qui vna & recta via graditur quò peruenire desiderat, non vagatur, non errat: sed aliquando peruenit ad finem: exeunti verò de via campus erroris patet, qui non habet finem. Error autẽ est falsa pro veris approbare. Agitatur quidem adhuc in cogitationibus suis, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, quæ circumferri solent: & impugnatur à concupiscentijs suis, sicut dicit; *Filij matris meæ pugnauerũt contra me:* Sed stans adhuc in loco suo judicium amoris non movetur, sed illuminari deposcit, & confortari desiderat. Amo, inquit, vel potiùs desidero: quia turbato oculo mentis ex instantia concupiscentiæ, de variarum phantasmate cogitationum, non video quem amo: ratione sopita non intelligo, quod desidero. Et ideo etiam nuto, & instabilis fio in amore meo, non eum deserendo, sed ipso ad finem suum per diuersa abiendo; sicque etiam in hoc instabilis efficior, nõ nolendo & volendo: sed ad id quod stabiliter & singulariter volo, viam compendiosionem & aptiorẽ mihi quærendo. Ejusdẽ enim semper sum voluntatis; sed donec bona voluntas, bona mens fiat, semper desidero: non autem semper amare mihi videor, inquantum, sicut dictum est, in affectu non semper mihi præsto est, quod desidero. Nam alius est amor desiderantis, alius fruentis. Amor quippe desiderij etiam in tenebris ardet, sed non lucet: amor vero fruentis totus in luce est, quia fruitio ipsa lux amantis est. Quid multa? Sponsa, quæ ad videndum Deum anhelat, mundum cor, mundã conscientiam desiderat; mundũ sensum, mundũ intellectũ, mũdа omnia. Virtutẽ quippe amoris perturbare non potest ignis aut gladius, aut vllũ periculum: sed deliciarum ejus fruitio pacẽ cordis desiderat, & serenum mentis. *Ne,* inquit, *vagari incipiã post greges sodalium tuorum.* Sciũt qui non errant, quantos sibi greges in mundo error fecerit, mortem sibi pro vita eligentium, miseriam pro beatitudine amplectentium, Deũ negligentium, se ipsos amantiũ, tritas hujus sæculi vias gradientium, & gregatim euntium in infernum, & sua post se vestigia relinquentium multorum hominum, multorum populorum. Trahit enim eos post se princeps spiritualis nequitiæ, qui operatur in filijs diffidentiæ: qui sodalem se faciens Sponso dixit, *Ero similis altissimo.* Ipse est princeps mundi hujus, & qui mundum vel sæculum quasi ex æquo cum Sponso partiri videtur: sed multò plures ac densiores sibi errantium greges facere inuenitur. Sed & in corde etiam ejus, quæ Sponsa jam esse meruit, nonnumquam intuitum mentis ab vnius veritatis inquisitione deficiente, statim excipit cogitationum multiplex diuersitas: in quam diuisus animus, euagari incipiens per tot errorum vias, à se ipso abducitur, per quot cogitationum phãtasmata ab intentione boni rectitudine dissipatur. Ipsæ nempe cogitationes variæ magnos & varios de se greges faciẽtes, quasi Sponsi se sodales faciunt: cùm Sponsæ mentem cum eo sibi diuidentes, suis vicibus, suis temporibus, sibi eam deservire compellunt.

Cantic. 1. 5.

Alius amor desiderij alius fruitionis

Quanti greges errantiũ & pereuntium.

Isaiæ 14.

Sequitur. *Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres: egredere & abi; post vestigia gregum.* Ac si dicat, Quæ indicari tibi petis à me, non ignoras, sed te ignoras: idcirco enim videris tibi ignorare me: quia ignoras te. Ideo ignoras te, quia egressa es à te. Sed primò notanda sunt vtrimque amatoria blandimenta. *O,* ait Sponsa, *quem diligit anima mea;* Sponsus vero. *O pulchra inter mulieres: ô amica mea.* Cuicumque intentionis fervore, in veritate conscientiæ suæ sonare videntur reciproca hæc nomina amoris & laudis, non sunt signa deserti, vel deserentis. Beata cõscientia, quæ quicquid incurrerit, quidquid ingruerit, semper eodem spiritu dicit, *Dominus Iesus;* eadem pietate profitetur: *O quem diligit anima mea;* & cujus fides, quicquid accidat, sub testimonio veritatis nullum patitur damnum pulchritudinis suæ vel laudis. *Pulchra,* inquit, *inter mulieres:* fortis inter molles: à mollitie quippe mulier dicitur: virgo inter prægnantes, quibus à Domino væ denuntiatur, cum dicit. *Væ pregnantibus, & nutrientibus in die illa.*

Cant. 1. 7.

Ignorantia sui causa est ignorantia Dei.

Marc. 13. Luc. 21.

Pulchra, ait, quia formosa; formosa verò, in quantum gratiâ te in hoc formante, diligit me anima tua: quamvis subnigra: inquantum destituta ab illuminante gratia. *Si,* inquit, *ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere.* Potest etiam videri pulchritudinis ista commemoratio, neglectæ pulchritudinis exprobratio: sicut cum dicit, *egredere,* non est consilium amici, sed quasi permissio irati. *Si,* inquit, *ignoras te, egredere,* hoc est ideo à temetipsa egrederis, quia ignoras te. Sed cognosce te, quia imago mea es: & sic poteris noscе me, cujus imago es, & penes te inuenies me. In mente tua, si fueris mecum, ibi cubabo tecum, & inde pascam te. Quære ergo Deum in simplicitate: senti de eo in bonitate: satage eum jugiter habere in memoria: & amãdo intelligere, & intelligendo amare: & in sensu bonitatis ejus percipies sensum æternitatis ejus, vitæ modum, statum mentis bonæ. *Si ignoras te, egredere.* Quò egrediar Domine? Egressam vel ejectam à facie tua sicut Cain quicumq; prior inuenerit me, occidet me. *Egredere & abi.* Ac si dicat. Abi à me, à similitudine mea, in lo-

Egredere, non consiliũ, sed permissio.

cum dissimilitudinis; à te verò in deuia concupiscentiæ vel curiositatis. Abi ergo, ait, & *pasce hœdos tuos*, qui ad sinistram deputatur, lasciuos scilicet motus tuos, in eis quæ sunt extra te. Abi, post vestigia gregum pereuntis multitudinis: in pascuis semetipsos pascentium, semetipsos amātium; circa tabernacula eorum, quorum tabernacula in progenie & progenie: qui *vocauerunt nomina sua*, sicut dicit Psalmista, *in terris suis*, nec habent ea scripta in cœlis. Sed non sic, ô Sponsa Christi: quin potiùs cognosce temetipsam: præsto tibi esto ad discernendam temetipsam. Si vis, vt concupiscat Rex Dominus Deus tuus decorem tuum, accedens ad eum obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: corpora quibus per sensus corporis assuefacta es, & delectationes eorum quibus per amorem adhæsisti: imagines eorum, quas fruendi cupiditate memoriæ altiùs impressisti. Per hæc enim à temetipsa egrediens abijsti à te, per affectum in vestigia intentionum tuarum; sic ea impressa habens memoriæ, vt etiam cùm absunt corpora, non absint eorum imagines: cùm cessant actus, non cessent eorum affectus: cùm voces silent, perstrepant earum significationes. Munda te, exerce temetipsam ad pietatem, & intra te inuenies Regnum Dei. O imago Dei recognosce dignitatem tuam; refulgeat in te authoris effigies. Tu tibi vilis es, sed pretiosa res es. Quantum ab eo defecisti, cujus imago es: tantum alienis imaginibus infecta es. Sed cùm in id quod creata es, respirare cœperis: si fortiter apprehenderis disciplinam, superductos adulterarum imaginum fucos, nec satis inhærentes, citò excuties, citò effugies. Adesto ergo tota tibi, & tota te vtere ad cognoscendum te, & cujus imago sis, ad discernēdum & intelligendum quid sis, quid possis in eo, cujus imago es. Sta in gradu tuo, ne succumbas, ne degeneres. Virtus autem est stationis tuæ cognitio gratiæ: si ingrata non es, quòd præscita es, quòd prædestinata, quòd præelecta, quòd cognita. Præscientia enim Dei de te, ejus circa te bonitas est: prædestinatio jam operans bonitas: electio opus ipsum: cognitio signaculum gratiæ, de quo Apostolus dicit. *Fundamentum Dei stat: habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sunt ejus.* Si cognoscis, scito, quia præcognita es: si eligis, citò quia electa es; si credis, in hoc es creata; si amas, in hoc es formata. Cumque in hoc te Sponsus efficit, cubat in te: cùm in hoc te afficit, accumbis cum eo, & ipse pascit te. Ibique te docet experientia luminis & fervoris meridiani, cùm in lumine Dei videtur lumen; cùm de magnitudine ac puritate amoris testimonium perhibet conscientiæ hominis Spiritussanctus, quòd sit filius Dei. *Nemo enim nouit Patrem, nisi Filius, & cui ipse voluerit reuelare.* Solum etenim lumen vultus Dei docet hoc; sensus vitæ, de spiritu vitæ indicat hoc; gratia pro gratia: magna fruitio summi boni, pro præmio magni desiderij. Nec vnquā anima se cognoscit, quid sit, quid possit, nisi cùm in his se inuenit: nec libet eam aliquò egredi à se, quamdiu in his datur frui se. Beatus vir & jucundus homo, qui gloriam hanc & diuitias hujus gratiæ habet in domo cordis sui: in thesauro conscientiæ suæ. Confirmatū est cor ejus; non commouebitur, hoc est non egredietur ad aliena, concupiscendo, seu curiosa agendo, domi diues, & pacem habens, & pietatem cum sufficientia in conscientia bona. Diuitiæ istæ pauperum spiritu sunt, in simplicitate cordis Deum quærentium, constanter agentium quod præcipitur, forti fide expectantium quod promittitur; certitudine spei jam prælibantiū quod expectatur, & ideo sentientium de eo in bonitate; non alta sapientium, sed humilibus consentientium, jugum Domini non recusantium, nec contra stimulum disciplinæ ejus calcitrantium. Procul hinc spiritus hujus mundi, & nugigerula ejus sapientia, sensus magnus Assyriorum, phalerata eloquentia.

Psal. 48.

Monetur anima nosse suam excellentiam.

Præscientia, prædestinatio, & electio

2. Timo. 2.

Matth. 11.

Diuitiæ gratiæ sunt pauperis spiritu.

Ipsi sunt equitatus tuus, ô qui regis Israël, nō equis superbiæ & curribus vanitatis, sed in nomine Domini velocitate currentis Spirit⁹ & fortitudine amoris tui. Scientes enim ereptos se per te ab exterminatore, quod sonat nomē Pharaonis, à regione tenebrarum, quod est Ægyptus, in effusione sanguinis & sacramento agni paschalis, Hebræi, idest transeuntes, phase, quod est transitus Domini, peragunt festinantes: transeuntes ad virtutes à vitijs, à temporalibus ad æterna, à terra ad cœlum, à semetipsis ad Deum, in aquis rubentibus de sanguine agni; submersis persequentib⁹ peccatis ac vitijs; in aduersis quasi in timore nocturno lumen habentes, ignem & fortitudinem Spiritus sancti quasi columnam ignis: in prosperis verò tamquam in luce diei, obumbrantem eos quasi nubem virtutem altissimi. Ideo sequitur ac dicit. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, o amica mea.* Nec prætereundum, quod primò pulchram vocat inter mulieres, postmodum verò amicam suam: in hoc videlicet omnia concludens, vt intelligatur secundum pulchritudinis quantitatem futurum esse amicitiæ modum. In eo etiam quod dicit, *equitatui meo assimilaui te, o amica mea*, addit adhuc pia Sponsi sapientia egredientem à se Sponsam ad se reuocare: & in quo plurimùm sapere sibi videtur, amplioris eam redarguit, insipientiæ: periculum ei vitæ denuntians, & amoris detrimentum; cujus diuitias solummodo requirit, & refugit exercitium. Solet quippe hęc mentis incuria teneros & incautos incipientium animos inuoluere, & à fine perfectionis prępedire; quia cùm vel leuiter degustare cœperint nouas contemplationis suauitates, & dulciores experientias, continuò decertandi cum vitijs carnis & animæ omnes se existimant euasisse necessitates. Cumque virtutum naturaliter per se ipsas delectantium sola somniant oblectamenta, firmam & certam negligunt earum possessionem, dum refugiunt necessaria earum exercitia; & fiduciā degustatæ dulcedinis, quæ miserentis potius Dei est, quàm volentis & currentis, negligunt pericula grauia, militantia in se ipsos de se ipsis. Ideo post manifestatā puritatis viam, post apertam januam contemplatiuæ libertatis, subjungit & dicit. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, o amica mea.* Etsi sis amica, & quantumvis amica, tamen scias adhuc, & equitandum tibi & currendum esse: laborandumque ac pugnandum; ideo tamen non minùs amica. Cauendum quidem tibi est vitiū curiositatis, & semper comitantis eam concupiscentiæ sæcularis vel carnalis; non tamen seu pro temetipsa, seu pro fratribus est recusandus actus necessitatis, vel necessitas charitatis. Sequitur. *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis.* Genæ Sponsæ, & ad Sponsum semper nuda facies,

Cantic. 1.

Incipientiū quorundam deceptio.

Sponsæ genæ conscientia.

sancta conscientia est: verecundia in facie, affectuosa pœnitentia est, & pia reuerentia ad arguentem. Fidelis quippe anima, quamdiu vel in tentationibus laborat, quid in se ipsa agatur, ignorat: sæpe & cùm nescit, proficit; & approbatur, cùm se reprobari æstimat. Afflicta etenim humiliatur, humiliata purgatur; & dum infra semetipsam deponit eam assumpta humilitas, in multiplicitate dolorum, non ab ipsa, sed tamen in ipsa formatur sancta illa simplicitas, de

Sapient. 1. qua scriptum est. *In simplicitate cordis quærite illum.* Et cùm semetipsam dignam habet, quæ argui meruerit & affligi, ad arguentem se induit pia conscientia sanctam quandam & beneplacentem faciem verecundiæ, per quam veteris fiduciæ procacitate emendatâ audire meretur.

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Et vide, quo-

In tentatione adest cõsolatio. modo in ipsa quasi critica accessione tentationis, repente adest remedium diuinæ consolationis; & secundum multitudinẽ dolorum in corde ejus, adsunt consolationes Domini lætificãtes animam ipsius. Sicut enim in tempore auersionis mens affecta carni, caro peccato, faciem in ea formauerunt vulturis; sic in hora visitantis gratiæ mens affecta Deo, caro menti, faciem in ea formauerunt turturis præferentem humilitatem, castitatem, & sanctæ gratiam simplicitatis.

Facies solet esse testis cõscientiæ. Nam quemadmodum conscientia ipsa sibi verissima interpres est afficientis gratiæ; sic facies exterior testis esse solet ad homines bene affectæ conscientiæ; quin etiam pudor in facie apparẽs, indiciũ esse solet boni alicujus latentis in corde. Nam cùm, quod videre cogitur anima, vel indignum reputat vt videat, vel indignam se, quæ videat, sicut aiunt Physici, refugit intro, obducto sibi naturali velamine sanguinis, qui in ipsa hora verecundiæ in facie rubere videtur, contestans interiorem pudicitiam suam, vel odium habere oblati dedecoris, vel humilitatem seu reuerentiam oblati honoris. Et aptè satis Sponsa turturi comparatur, quæ à dolore amissi comparis alium non requirens, solo se gemitu consolatur. Iamque probata & digna reperta illuminante gratia, laudibus Sponsi propensius attollitur; hoc est, Sponsi laude, dignis muneribus accumulatur. Vnde subjungit & dicit.

Cantic. 1. Collum Spõsæ sancta intentio est. *Collum tuum sicut monilia.* Collum Sponsæ sancta intentio est, qua capiti suo, quod est Christus, totum operis corpus conjungitur; de quo idem caput nostrum dicit.

Matth. 6. *Si oculus tuus*, id est operis intentio, *simplex fuerit; totum corpus tuum lucidum erit.* Sicut verò monilia ornamenta collis sunt; sic bonæ intentionis sanctarum insignia virtutum. Collum verò Sponsæ sicut monilia est: quoniam cùm monilium sit collum ornare, econtrario collum Sponsæ omnes ornat virtu-

Virtutes nõ sunt, vbi nõ est recta intentio. tes suas; quæ nisi ex recta intentione dependeãt, nec decus suum, nec decorem, sed neque ipsum comprobantur habere nomen virtutum. Vel colli Sponsæ ornamentũ, amor Sponsi est, absq; quo omnis intentio fœda ac peruersa est. Cùm verò intentio transit in affectum, efficitur collũ Sponsæ sicut monile suum.

Deinde quasi sua ei imponens ornamenta;

Cant. 1. 10. *Murenulas*, inquit, *aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* In auro sapientia intelligitur:

1. Cor. 1. quia sicut Apostolus dicit, *Christus factus est nobis sapientia*, vel eo tempore, quo in similitudi-

Quid sint murenulæ aureæ. nem hominũ factus, habitu inuentus est vt homo, & infirmum ejus fortius, & stultum ejus sapientius apparuit omnibus hominibus: vel ex quo ei hærere incepimus, vt in illo sapiamus. Ipse ergo collo Sponsæ aurea ornamenta imponit, dum sanctæ intentioni suæ gratiam sapientiæ adjicit: vt tendat non solum ardenter, sed & sapienter. Quæ vermiculatæ sunt argento; cùm ad prædicandam gloriam Sponsi acceptâ gratiâ luculentę & sonoræ prædicationis, disponit sermones suos in judicio. Murenulæ autem, sicut per argentum, vt dictum est, nitorem eloquentiæ, sic in opere bono perseuerantiæ longanimitatem designãt: perfectionem verò in rotunditate. Sed quare vermiculatæ? Vt per figuram vermium admonita eloquentia, caueat vitium jactantiæ. Sicut enim vel lignorum vel fructuũ quælibet materia proprium vnaquæque habet vermem, quasi naturalem inimicum sospitatis suæ, sic omnis virtus, seu bona mentis composi- *Virtutum vermes.*
tio, proprium habet aliquem in vitijs inimicum. Vnde scriptum est. *Vermis diuitiarum superbia.* Sicut autem proprius diuitiarũ vermis superbia est; sic eloquentiæ jactantia, à quo nisi caueatur, quidquid virtutis vel vtilitatis habere videtur, corrumpi necesse est. Siue autem lõgitudo, siue rotunditas, omnia in auri substantia fundantur: quia nulla boni perseuerãtia, nulla perfectio, nulla pulchritudo vel vtilitas, nisi in sapientia, id est in amore Dei & spirituali sensu solidatur. Sed *faciemus*, inquit. Quis, vel qui? Vtique qui dixit de dilectore suo; *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus;* Dominus *Ioann. 14.*
scilicet Iesus Christus, & Deus Pater, & Spiritus sanctus. Vel ego inquit faciam: Angelico mihi in hoc ministerio deseruiente. Congaudet etenim angelica pietas bonis hominum, & in salutis eorum ministerijs deseruire amant: quorum sanctis in religione studijs semper præsto sunt, licet non semper appareant. Vnde etiam cùm repente ab aliquibus aliquando videntur, apparere dicuntur, quod propriè dicitur de re præsente, sed latente, & repente semetipsam visibilem exhibente. Habet enim facultatẽ quandam naturalem, sicut sibi inuicem, sic etiam spiritibus hominum quælibet suggerendi vel insinuandi, Angelorum spiritualis potentia, de quo per Prophetam dicitur. *Egressus est Angelus, qui* *Zachar. 2.*
loquebatur in me. Et, *Dixit vnus Angelus ad alterum Angelum. Curre & annuncia puero huic.* Quorum occultos nutus, quibus suggerenda insinuant, siue boni Angeli in bonum, Deo volente; siue mali Angeli in malum, Deo permittente: Apostolus linguas Angelorum appellare videtur, vbi dicit. *Si loquar linguis Angelorum,* *1. Cor. 13.*
charitatem autem non habeam, nihil sum. Sanctis ergo proficientium studijs & cohortando & cooperando semper adsunt Angeli Dei: tantò de- *Angeli congaudent bonis nostris.*
uotiùs congaudentes spiritualibus Sponsæ ornamentis, quantò veriùs in eis recognoscunt opera digitorũ Dei, & artificium Spiritus sancti. Non solum autem, sed & Doctores sancti in Ecclesia Dei in sponsalibus ornamentis Sponso intelligendi sunt cooperari. Sequitur.

Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit *Cant. 1. 11.*
odorem suum. Aiunt, qui sagittandi habent peritiam, sensum quemdã inesse manui sagittantis: per quem sæpe non latet etiam non videntem, cùm non in vanum abijt sagitta de manu mittentis. Eodem modo quemdam pietatis sensum nonnumquam constat inesse fideli fideliter orãti, per quem non eum latet, cùm sua ad Deum

peruenit oratio: & ex responso illuminantis gratiæ, & sensu bonæ conscientiæ, nulla remanet dubitatio exauditionis. Hunc ergo Sponsa disciplinæ corripientis magisterio erudita, ac sapientiæ dote glorificata, induens affectum: incipit jam perfectiùs semetipsam cognoscere, & intelligere, ac discernere; quid intra semetipsam agatur. Iamque indicante Sponso, hoc est illuminãte gratia, incipiens penes se inuenire, quod quasi alibi quærebat cùm dicebat. *Indica mihi, ô quem diligit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie,* scilicet regnum Dei intra se, locum Domino, tabernaculum Deo Iacob: incipit contẽplari, non eo contemplationis modo, quem primò vel nouitij feruoris præsumptione inuaserat, vel acceptum ab gratuita gratia ardenter potiùs quam sapienter expenderat: sed ea contemplandi pietate, quæ animæ tentationibus probatæ, & corripiente disciplinâ eruditæ, & purioris conscientiæ merito illuminatæ, vltro se incipit aperire. Vnde subjungit & dicit. *Cantic. 1. 6.*

DVM ESSET *Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Duobus modis accumbitur, vel ad consortium carnalis voluptatis; vel ad perceptionem cibi. Vtrumque, sed spiritualiter requirebat: quæ suprà interrogando dixerat. Indica mihi, vbi pascis, vbi cubas in meridie. Locus verò cubitus vel accubitus Sponsi ac Sponsæ; memoria est, intellectus, & amor. In his autem accumbunt Sponsus & Sponsa: ille gratiam infundendo, illa piè memorando, humiliter intelligendo, ardenter amando. Hunc locum Deo anxia pietate quærebat, qui dicebat. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Cujus cor, inquantum in hoc sancto desiderio æstuabat, intantum jam profectò locus Dei erat: sed stare ad fruendum, seu stabiliter frui desiderabat. Memoriam jam implebat, & plenissimè possidebat crucians voluntas, vel desiderium, hoc est vehemens voluntas. Sed quia intellectui deerat lumen suũ; amor in fruendo nequaquam poterat inuenire gaudiũ suum, de quo postmodum dicit. *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes ejus.* Qui enim Deum quẽ orat, præsentem non sentit, sicut sentiendus est, anxiè orat: qui verò præsentem tenet, præsente fruitur, gratanter adorat. Ideo Sponsa cùm Sponsi reminisceretur, vel cùm cogitaret ad intelligendum, absentem arbitrabatur, quamdiu non intelligebat ad amandum. Sed bona voluntas jam initium amoris est. Vehemens autẽ voluntas, vel quasi ad absentẽ, desiderium est: vel affecta circa præsentem, amor est: cùm amãti id quod amat in intellectu præsto est. Amor quippe Dei ipse intellectus ejus est: qui non nisi amatus intelligitur, nec nisi intellectus amatur; & vtique tantùm intelligitur, quantùm amatur: tantumque amatur, quantùm intelligitur. Accũbit ergo Sponsus Sponsæ, cùm primò in ea gratuita gratiâ liberi arbitrij sibi sanctificat assensũ: non autem ei accumbere sibi videtur Sponsa, quamdiu intellectus ejus in amore, amorque fruendi in affectu non inuenit gaudium suum: quamdiu psallit spiritu, sed non psallit mente: & spiritus ejus psallit vel orat, mens verò psallentis vel orantis sine fructu est. Et jam potenter in ea operatur occulta gratia: sed illa donec facienti perfectè afficiatur, cubanti nequaquam sibi accubare videtur. Ideo dicit. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* In accubitu, inquit, *suo*, non nostro, hoc est in quo Sponsa à Sponso efficitur, sed nondum sicut vult, ei afficitur: sicut postmodum de lecto dicit, lectus noster floridus. *Nardus mea dedit odorem suum.* Nardus humilis herba est; comas vel spicas habens vberes: per quam significatur humilitas fœcunda virtutibus. Calida est, æstum sancti desiderij designans. Apta est vnguentis: quia sine humilitatis virtute nulla est apud Deũ cujuslibet affectio deuotionis. Odorem habet præcipuum: per quem signatur in humilitate confessio peccatorum. Hinc est enim, de quò suprà dicebat. *Nigra sum, sed formosa.* Inde est alabastrũ vnguenti nardi pistici vel spicati pretiosi, quod misit in corpus Iesu humilis deuotio mulieris, præueniens illud vngere in sepulturã. Vnde & de odore humilis nardi, hoc est piæ cõfessionis, illic subditur. *Et domus repleta est ex odore vnguenti.* Quærebam ego, ait Sponsa, extra me, quasi absentem, quem intra me jam habebam accubantem ac pascentem: cujus accubitum in corde meo manifestabat pietas bonæ voluntatis: pastum verò interiùs operantis gratiæ eructatio placitæ Deo confessionis. Sed vbi pasceret, vbi cubaret, nesciebam; quia licet hæc omnia in me agerentur bono assensu voluntatis, ac judicio rationis: sensum tamen spiritualis affectus, quo præsentiæ ejus suauitas sentitur, non habebam.

Cant. 1. 11.

Quis accubitus Sponsi & Sponsæ.

Psal. 131.

Ibidem.

1. Cor. 4.

Sine humilitate nulla est deuotio.

Matt. 26.
Marc. 14.

Ioan. 12.

DEINDE spiritualis accubitus gratiam subtiliùs describens, primoque adjiciens in gratiarũ actione delicias suas accumulare memorię, FASCICVLVS, inquit, *myrrha dilectus meus mihi; in medio vberum meorũ commorabitur.* Oculumq; spiritualis intellectus lumini gratiæ aperiens, *Botrus* ait, *Cypri, dilectus meus mihi.* Et sensui amoris suam contrahens suauitatem: *In vineis,* inquit, *Engaddi.* Beneficijs etenim Dei non ingrata memoria citò spiritualis intellectus gaudium meretur: qui etiam continuò in suaues quasdam amoris experientias delectabiliter potiùs quàm sciẽter resoluitur. Intellectus etenim spiritualis, cùm illuminari cœperit abundantiore gratia Spiritussancti, tantò differentiùs operatur in anima humana ab intellectu humano, quantò sublimiùs à natura ipsius animæ differt natura luminis incircumscripti. Quod enim naturali intellectu intelligit anima, capit: illo autem intellectu non tam capit, quàm capitur. Quod enim naturaliter intelligendo capit, rationabiliter discernit: quod verò non sufficit percernere, non præualet discernere. Sanctus etenim Spiritus sicut vbi vult spirat, sic quando vult, & quomodo vult, & inquantũ vult: homo verò vocem ejus audit, hoc est gratiam sentit operantis: sed nescit vnde veniat aut quo vadat, cujus potestati vel arbitrio non subjacet, seu principium, seu finis, seu modus ipsius operationis. Nescit vnde veniat, aut quò vadat: cui sensibile quiddam fit diuini cujusdam gaudij, & illuminantis ac beatificantis gratiæ, quod solus amor illuminatus sentire permittitur: suauitas quædam, quam meretur amor, & ipse eam operatur; quam nescit vsitatus intellectus, sed sentit affectus: substantia solidissima rerum sperandarum, argumentũ non apparentium: fidei Christianæ testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis. Sapit enim gustanti gustata Dei suauitas, intantũ, vt quæcũque sunt animæ,

Cant. 1. 12.

Memoria beneficiorũ quid mereatur.

Ioann. 3.

quæ

quæ carnis, quæ sæculi, vel creaturæ omnis, cuncta ei desipiant: vt libeat immori, dum liceat immorari. Cumque sentit quod nescit, orat quod ignorat: quia Spiritus est qui pro eo postulat secundùm Deum, non secundùm hominem: qui sentire eum ac postulare & desiderare facit, idipsum quod sentiendo nescit, ac nesciẽdo sentit. Solus enim qui scrutatur cor, scit quid desiderat Spiritus, hoc est quod desiderare facit desiderantem. Agitur autem hoc cum ea, vel in ea anima, quæ Sponsa esse meruit: cùm ex eis, de quibus Dominus dixit, *Et quidem ea quæ de me sunt, finem habent*, scilicet de dispensatione Dominicæ humanitatis: & ex multiplicibus bebeneficijs, quæ exinde nobis profluxerunt, symbolum fidei quasi quendam colligens fasciculũ myrrhæ, locum ei præbet in medio vberum suorum, in corde, in [illegible] certa memoriæ, & teneritudine bene affectæ conscientiæ: quò nec facile accessum habeat inimica tentatio, nec læsionem vel minimam fidei pati possit ipsa amoris teneritudo. Myrrhâ quippe mortuorum corpora condiuntur, & amari saporis est, secundũ amaritudinem passionis quam passus est Dominus propter nos; & odoris est boni secundum suauitatem, amoris quo dilexit nos. Et vide spiritualis amoris jucundas delicias. Post monilia & murenulas, post donum sapientiæ, post gratiam eloquentiæ, additur quasi olfactoriolum pectori affigendum, ad afficiendam jugis suauitate odoris deuotam Sponsæ memoriam, passionum Domini ac mortis jugiter spirans charitatem. Nam etiam secundum physicam myrrhæ virtutem, gustus ejus vim memoriæ confortare dicitur. Fasciculus autem, non fascis, quia totũ Dominicæ passionis fascem nulla posset humana virtus sufferre. Fasciculus quippe, deliciarũ est: nec deprimit, sed subleuat portantem, piè commemorari & recogitare dulciter bonitatem & causam patientis, & amoris ejus suauitatem; sacramentum redemptionis, exemplum humilitatis, prouocationẽ charitatis, ac resurrectionis virtutem. Si verò sicut dicit Apostolus, *tantam neglexerimus salutem*, & in judicio crucifixi, crucis, & passionis, & conculcati ejus sanguinis, exigimur rationem, Domine, Domine, quis sustinebit? *Terribilis illa est expectatio judicij, quæ consumptura est aduersarios.* Sed & qui geminæ in Christo naturæ altissimum mysterium per vim naturalis ingenij penetrare se confidens altiora se requisierit, vel promiserit; grauem super se tulit fascem, & cui eum succumbere necesse sit. Magnum etenim illud in Christo pietatis sacramentum, sicut Apostolus dicit, etsi manifestatũ est in carne, non justificatur nisi in spiritu; hoc est, justitiæ, quæ per fidem est, nulla homini seu per hominẽ ratio reddi potest dignitati rei sufficiens; nisi cui Spiritussanctus dignatus fuerit reuelare. Sponsa verò sub fasciculo suo non laborat, quia amat. Nam qui amat, non laborat. Sed & ideo in medio vberum Sponsæ memoria Sponsi collocari & commorari dicitur: vt à filijs Sponsi lac inde sacrorum nutrimentorum sugatur. Duo enim hæc vbera Sponsæ, sapientia & scientia sunt, de quibus Apostolus dicit. *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ.* Ex his etenim trahunt filij Sponsi veræ vitæ subsidium; hoc est amorem Dei. Conditi sanè ad imaginem & similitudinem creatoris cecideramus à Deo in nos per peccatum, & à nobis infra nos: in tantum profundum dissimilitudinis, vt nulla esset spes. Sed venit filius Dei æterna sapientia, & inclinauit cœlos suos & descendit; & fecit de semetipso quiddam in nobis, quod simile esset nobis, quod apprehenderemus: & simile sibi, per quod leuaremur; cujus mysterij continua memoria continua esset medicina. Et fasciculus myrrhæ est quod apprehendimus: botrus verò Cypri per quod leuamur. De quo subdit & dicit.

Luc. 22. — *Symbolum fidei in memoria est fasciculus myrrhæ in sinu.* — *Deliciæ spiritualis amoris.* — *Myrrha memoriam confortat.* — *Hebr. 7.* — *Hebr. 10.* — *1. Timo. 3.* — *Non est labor, vbi est amor.* — *1. Cor. 12.*

BOTRVS CYPRI *dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Quos enĩ amaritudo myrrhæ cõtristat; vinũ lætificat. In myrrha enim intelligitur amaritudo passionis; in vino botri lætitia resurrectionis. In fasciculo myrrhæ per fidelem memoriam, quæcumque fuerunt in Christo humanæ passibilitatis & mortalitatis; in vino botri per spem & intellectum gaudium de virtute resurrectionis: in vineis Engaddi & balsamo per amorem Spiritus vnctio à sancto, & gaudium in Spiritu sancto. Cyprus autem insula maris, & Engaddi locus Iudeæ, longè ab inuicem disparantur, tam locorum diuersitate, quam generosæ fertilitatis dissimilitudine. Cyprũ etenim insignem reddit fertilitas vinearũ: Engaddi verò balsami nobilitas. Sed conjunguntur in vnũ pietatis sacramentum: vt amaritudinem myrrhæ de dolore passionis temperet botrus cypri, & vinum lætificans, ob virtutem & lætitiam resurrectionis: balsamumque ei conjungitur Engaddi, ad omnis consummationis perfectionisque finem per infusionem Spiritus sancti. Fasciculus ergo myrrhæ & botrus cypri in medio vberum Sponsæ commoratur, cùm de Sponso affecta memoria, de altero, hoc est de myrrha humiliatur; de altero, hoc est de botro subleuatur: neutrum tamen nisi in balsamo Engaddi, hoc est, nisi visitante Spiritus sancti gratia & memoria afficiatur, & intellectus illuminetur, & amor accendatur. Botrus etiam in memoria Sponsi ob multitudinem acinorum multiplicẽ, cyprus verò insignem designat materiam gaudiorum; balsamum autem Engaddi majus aliquid digniusque omni vino, hoc est omni vitæ hujus gaudio, oleum scilicet lætitiæ, & vnctionem Spiritus sancti, quo ipsum etiam Sponsum Deum vnxit Pater Deus præ participibus suis. Quæ enim ex fide & spe, ex memoria & intellectu sunt; aliquem amoris & gaudij videntur habere affectum: gaudium verò in Spiritu sancto, in plenitudine amoris, in supereminentẽ omni gaudio quẽdam beatitudinis proficit effectum: qui in eo perficitur, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, in ciuitate illa Dei, de qua in Psalmo legitur. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Sicut lętantium, ait, quia non solum lætantiũ, sed & plusquàm lætantium. Non habet nomen illa lætitia; nisi sicut lætitia, vel plusquam lætitia. Ad quod etiam hoc adstipulari videtur, quòd vineæ Cypri & vineæ Engaddi nonnullam videntur habere similitudinem: sed longè eas disparat, vt dictum est, fertilitatis dispar nobilitas. Arbusta quippe balsami similia esse videntur arbustis vinearum, in eo quod ad vinearum quidem similitudinem se aliquando in altitudinem duorum cubitorum extollere videntur: sed sine alienis adminiculis, quod vineæ non possunt. Sed & semen eorum gustu vel sapore vinum imitari videtur. Perpetuâ verò comæ gloriâ vineas su-

Cant. 1. 13. — *Amaritudo passionis & lætitia resurrectionis designantur.* — *Psal. 86.* — *Arbusta balsami qualia & quanta.*

perant, præferentia vel designantia gaudium æternæ beatitudinis: quod etiam subsistendi nullo egeret auxilio, quia nullam sui habet materiam, nisi ex semetipso. Adhuc etiam Engaddi fons hœdi interpretatur, id est fons gratiæ, in quo hœdus à sinistra transiens ad dexterã agnus efficitur. A dextris quippe agni; à sinistris verò hœdi constituuntur. Pungitur autem virgultũ, & profert balsamum: significans de punctione lateris Domini profluens sacramentum; vel de compunctione cordis procedentem remissionẽ peccatorũ: vel illud quod Salomon dicit. *Punge oculum, & profert lacrymam: punge cor, & profert sensum.*

Matt. 25.

Eccli 22.

Cant. 1. 14.

Sequitur. ECCE TV PVLCHRA *es, amica mea; ecce tu pulchra.* Ecce, hoc est, in hoc affectu pietatis, in hac forma confessionis: in hac specie perfectionis, in imagine Dei. In hoc etenim homo ad imaginem Dei conditus est, vt piè Dei reminiscens, hoc est ad intelligendum; humiliter intelligens, hoc est ad amandum; ardenter ac sapienter amans, vsque ad fruendi affectum, animal rationale existeret. Hoc est enim Deum timere, & mandata ejus obseruare: quod *est omnis homo.* Et hæc est imago & similitudo Dei in homine; talis vel tanta, qualis vel quanta esse potest in tam dissimili materia. Similitudo quippe ista ratio est, qua distat homo à pecore. Dei enim non reminisci, pecoris est: reminisci, non ad intelligendũ, plus aliquid pecore, sed minus homine est: reminisci ad intelligendum, hominis est: intelligere vsque ad amandum, vel amãdo fruẽdum, jam hominis perfectæ rationis est. Siquidem pia memoria citò clarescit in quendã intellectum de Deo, vel rationalem cogitationẽ: purus intellectus, seu cogitatio rationabilis, statim calescit in amorem: amor verò per affectum boni continuò summi boni induit imaginem, talem vel tantam, qualis vel quantus ipse est. Hæc bonæ memoriæ per assensum præsto est: puro intellectui per cogitationem, affecto amori per fruitionem: amori, hoc est Sponsæ amanti, per habitum mentis; alijs verò per appetitum bonæ voluntatis. Sponsæ namque memoria de Sponso est in simplicitate cordis Sponsum quærere: intellectus, sentire de eo in bonitate; amor, ipsi affici, ipso frui, esse sicut ipse est. In hoc ergo statu seu habitu mentis Sponsus Sponsam inueniens; *Ecce*, inquit, *tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra.* Recoloratum namque erat in pulchritudine Sponsæ à sole justitiæ quicquid fuerat decoloratum: recoloratum ejus præsentia, quod decoloratum fuerat in ejus absentia. Etenim substantia Sponsæ, de qua dicit Apostolus, *Est* enim *fides sperandarum substantia rerum,* suos habet colores egregios, sanctas videlicet virtutes: quæ, sicut jam suprà dictum est, decolorantur in ea, siue recolorantur, cùm ab illuminante gratia destituuntur, siue illuminantur. Recoloratam ergo Sponsæ faciem Sponsus suspiciens, in laudem ejus attollitur, ac dicit. *Ecce tu pulchra es, amica mea: ecce tu pulchra.* Iteratio confirmationem significat: seu proficientis pulchritudinis argumentum. Vel pulchra es, inquit, in opere; pulchra in affectione. Pulchra, quia formosa: pulchra, quia colorata. Ecce ergo, ait, dũ mundas mihi memoriam, humilias intellectũ, afficis amorem; tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra; intantum amica mea, inquantum pulchra. In quibus quoniam cõtemplatiua perfectio consistit, subjungit de ea, & dicit. *Oculi tui columbarum.* Duo sunt oculi contemplationis; ratio, & amor. Et secundũ quod dicit Propheta, *Diuitiæ salutis sapientia & scientia:* alter secundùm scientiam, quæ sunt humana; alter verò diuina scrutatur, secundùm sapientiã. Cùm verò illustrantur à gratia, multum se adjuuant adinuicem: quia & amor viuificat rationem, & ratio clarificat amorem: fitque columbinus intuitus, simplex ad contemplandum, prudens ad cauendum: fiuntque sæpe duo isti oculi vnus oculus, cùm fideliter sibi cooperantur: cùm in contemplatione Dei, in qua maximè amor operatur, ratio transit in amorem, & in quendam spiritualem vel diuinum formatur intellectum; qui omnem superat & absorbet rationem. Ipse est, de quo in posterioribus dicit Sponsa ad Spõsum. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Deinde Sponsa acceptâ à Sponso pulchritudinis laude; paré reddit gratiam dicens.

Eccle. 12.

Imago & similitudo Dei in homine.

Hebr. 11.

Virtutes sũt colores sponsæ.

Duo oculi contemplationis.

Isaia. 33.

Cant. 4.

ECCE TV *pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Par quidem pari redditur, cum Sponsa pulchra, & pulchra & amica; Sponsus verò pulcher, & decorus, & dilectus appellatur. Ex quo enim erudita tentationibus, mundata per pœnitentiam, diuinitus illuminata, semetipsam cœpit cognoscere, & in semetipsa quem quærebat inuenire: jam Sponsus & Sponsa amico consortio, familiari colloquio, inuicem se sibi insinuantes, inuicem placentes, inuicem laudantes: prælibant gaudium mutuæ conjunctionis. Sicque dum negotium amoris agitur, dum ad mensuram donandæ à Deo perfectionis passim vel gradatim proficitur, Sponsus & Sponsa adinuicem loquũtur; Sponsa deuotionis affectu, Sponsus verò gratiæ operantis effectu. Vel Sponsi alloquium, opus est afficientis gratiæ: Sponsæ responsum, ipsum gaudium bene affectæ conscientiæ. Siue Sponsam Sponsum alloqui, est ipsam, qualis est, in oculis ejus apparere: Sponsum verò ipsam alloqui, est ipsam, vel de ipsa in ipsius intellectu ordinare vel disponere. Quicquid etiam hic Sponsus dicit in laudem Sponsæ, sanctæ conscientiæ testimonium est: quod verò Sponsa in Sponsum, deuotionis affectus, seu contemplationis pietas est. Nullus etenim est sic in semetipso peruersus, vel à Deo auersus, qui rationis aliquatenus capax sit: in quo aliquando non loquatur Deus. Quantomagis in Sponsa; quæ sicut mulier cum viro vna caro, sic ipsa cum Deo vnus spiritus est. Pulchra ergo, & pulchra amica appellata, reciproca laude, non ingrata pietate, pulchrum ac decorum, dilectumque Sponsum appellat: hoc est intelligit ac certum tenet, quicquid habet laude dignum, ab eo se habere, qui omnis boni bonum, omnis pulchri pulchritudo est: cui laudare, est laudanda tribuere. Hanc autem reciprocam ad alterutrum gratiam, ipsa de qua agimus, facit mutua pulchritudinis similitudo: mutua adinuicem Sponsi sponsæque fruitio. Non solum etenim nos fruimur Deo, sed & Deus fruitur bono nostro: inquantum delectatur, & gratum illud habere dignatur. Et pro mensura profectus seu similitudinis, fit mensura fruitionis; quia nec similitudo esse potest nisi in fruitione eam afficiente; nec fruitio nisi in similitudine eam afficiente. Quæcumque enim anima ad vtilitatem suam aliquam donante Deo accipit gratiam, cum dono ipso donantis etiam

Cant. 1. 15.

Quid sit Sponsum & Sponsam se mutuo alloqui.

Nullus est, cui non loquatur Deus.

Deus fruitur bono nostro.

accipit intelligentiam: vt non sit homo Deo ingratus, sed ad donantē semper sit conuersio ejus. Cui cùm ardentiùs intendit humilis amor, ipsi cui intendit, conformatur: quia intendendo in hoc ipsum ab ipso efficitur. Cumque efficitur ad similitudinem facientis, fit homo Deo affectus, hoc est cùm Deo vnus spiritus; pulcher in pulchro, bonus in bono: idque suo modo secundū virtutem fidei, & lumen intellectus, & mensuram amoris, existens in Deo per gratiam, quod ille est per naturam. Nam & cùm nonnumquam superabundat gratia vsque ad certam de Deo, & manifestam experientiam rei; fit repente sensui illuminati amoris modo quodam nouo sensibile, quod nulli sensui corporis sperabile, nulli rationi cogitabile, nulli intellectui extra intellectum illuminati amoris fit capabile. Vbi homini illi Dei non est aliud de Deo sentire, quàm per bonæ experientiæ affectum similitudinem ejus contrahere, secundum qualitatem & sensæ speciei, & sentientis amoris. Sicut enim in rebus per corpus sensibilibus, sensus est sentiendo per quandam mentis phantasiam in ipsam mentem contracta quædam sensæ rei similitudo, secundum qualitatem sensus sentientis, & rei sensibilis: vt verbi gratia, si ad sensum pertinet videndi quod sentitur, videri omnino non possit à vidēte, si non priùs visibile ejus per similitudinem cujusdam phantasmatis formetur in anima videntis, per quam transformetur sentiens in id quod sentitur: sic & multomagis idem operatur visio Dei in sensu amoris, quo videtur Deus. Siquidem & in illo corporearum sensu rerum, nisi cum sensu pariter etiam amor operetur, sensus ipse vix ad aliquem peruenit effectum: quia refugit continuò sentiens, si non aliquo amoris appetitu adhæreat rei quæ sentitur. In visione verò Dei, vbi solus amor operatur, nullo alio sensu cooperante, incomparabiliter dignius ac subtiliùs omni sensuum imaginatione, idem agit puritas amoris, ac diuinus affectus; suauiùs afficiens, fortiusque attrahens, & dulciùs continēs sentientem, totumque & mente & actu in Deū transfundens fideliter amantem, & confortans & conformans, & viuificans ad fruendum. Idcirco de fruitione statim subjungit, ac dicit.

Similitudo Dei in anima explicatur.

Cant. 1. 15. LECTVLVS *noster floridus.* Lectulus floridus est amœna conscientia, & gaudium in ea Spiritussancti: & in ipso fonte suo jugis fruitio veritatis. Hic est, de quo idem Sponsus dicit. *Super quem requiescet spiritus meus; nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Libet ad lecti floridi consistere decorem, & ad jucundas ejus ambire delicias, castitatis atque charitatis decore vernantes, spiritualium gratiâ sensuum, seu intellectuum fragrantes; odoremque diuinitatis, & æternitatis virtutem spirantes. In hoc siquidē fit conjunctio illa mirabilis, & mutua fruitio suauitatis, gaudijque incomprehensibilis, incogitabilis illis etiam in quibus fit: hominis ad Deum, creati spiritus ad increatū: qui Sponsa dicuntur ac Sponsus: dum verba quæruntur, quibus linguâ hominis vtcumque exprimi possit dulcedo & suauitas conjunctionis illius: quæ non est alia quàm vnitas Patris & Filij Dei, ipsum eorum osculum, ipse amplexus, ipse amor, ipsa bonitas, & quicquid in vnitate illa simplicissima commune est amborum: quod totum est Spiritussanctus, Deus, charitas, idē donans, idem & donum. Ibi etenim comparat se sibi ille amplexus, & illud osculū, quo cognoscere incipit Sponsa, sicut & cognita est: & sicut solet in amantium osculis, suaui quodam contactu mutuò sibi spiritus suos transfundentium, creatus spiritus in hoc ipsum creanti eum spiritui totum se effundit; ipsi verò creator spiritus se infundit prout vult: & vnus spiritus homo cum Deo efficitur. Hic filiorum Sponsi à persecutionibus & pressuris vnicum est refugium in ærumnis vitæ hujus, requies vnica laborum, & consolatio dolorum, speculum vitæ, robur fidei, pignus spei, amoris seu charitatis in Deum proficientis dulce nutrimentum. Vnde & vas electionis, cùm, sicut ipse dicit, exhibuerat aliquando semetipsum sicut Dei ministrum *in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus & in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in jejunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate*: quasi post tantorum defatigationem laborum, ad lectum floridum, & quietem ejus refugiebat, in eo quod subjungens addit; *in suauitate, in Spiritu sancto.* Beata conscientia, quæ faciem Domini quærens semper, post laborum corporalium pressuras, post spiritualium exercitiorum tribulationes, paratum semper penes semetipsam habet domiciliū quietis, lectulum inquam floridum, proprij scilicet testimonij priuatum gaudium: de quo idē ipse doctor gentium, ait. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Beata nihilominus conscientia, quæ à gaudio interioris hujus suauitatis, quòcumque ad opus necessitatis, ad imperium charitatis fecerit egressum; paratū semper illuc habet regressum. Quod non semper illi in prōptu est; qui totus egreditur, quoties egrediendum est. Cùm enim egrediendum est aliquando lecti floridi delicato alumno in aliena, nequaquam vnquam totus inde alienandus est: sed aliquid semper sui intus relinquendum est, quod sibi suum locum fideliter custodiat: cui id quod exire compellitur, forti semper vinculo amoris cohæreat, ne longiùs recedat. Maneat semper intus charitas veritatis, etiam cum exire cogitur in aliena necessitas charitatis: nec tantum aliquando præualeat vis exterioris necessitatis, vt totam obrumpat Sponsæ mentem, à virtute interioris suauitatis. Cùm autem cum figura mundi hujus pertransierit omnis iniquitas; tunc etiam pertransierit omnis ista necessitas: & tunc conjunctio Sponsi ac Sponsæ plena & perpetua fiet in plenitudine similitudinis, cùm non solum videbitur Sponsus sicuti est, sed & quæcumque Sponsa esse meruerit, erit sicut & ipse est: fietque osculum plenum; cum oculo ad oculum, amplexu ad amplexum plena fiet & perpetua fruitio. Tunc jam vltra nemo Sponsam suscitabit, vel euigilare faciet, donec ipsa velit; ipsa verò nequaquam volet vltra. Interim in pressuris hujus vitæ in adjutorium laboris, ad solatium dilationis, bonæ menti sua paradysus, & bonæ conscientiæ lectulus ordinatur floridus; & in eo non osculum illud æternum, & per fecta conjunctio, sed osculi ipsius & perfectionis affectata imitatio, & conjunctionis ac similitudinis illius aliqua similitudo. Nam per Spiritum sanctum spiritui hominis, & sensui amoris illuminati raptim aliquando illuc attingenti, dulcescit illud quicquid est, & rapit amantem, amatum potiùs quàm cogitatum, gustatū quàm intellectum: sicque ad tempus, ad horam affi-

Isai. 66.

Amœna cōscientia & gaudium in Spiritu sancto.

2. Cor. 6.

Bona conscientia gaudium.

2. Cor. 1.

Anima Deo vnita non debet se totam effundere extrà.

Lectulus bonæ conscientiæ est paradisus.

cit amantem, figit tendentem; vt jam non in ſpe, ſed quaſi in re, ipſam ſperandarum ſubſtantiam rerum de verbo vitæ quodam experientis fidei argumento, & videre oculis, & tenere ac contrectare manibus ſibi videatur. Hæc etenim eſt conſolatio tua, ô Pater ad filios tuos: quibus promiſiſti dicens. *Non vos relinquam orphanos; vado & venio ad vos.* Vinctis etenim ſpei filijs tuis in exilij hujus carcere inclinans cœlos tuos condeſcendis, & inhabitas & inambulas in eis: & fidei eorum, quam tu prior dediſti in corda ipſorum, informas paulatim gratiam tuam, gratiam pro gratia; qua operante ipſi eidem conformant mentem vitamque ſuam; & fit illa ſimilitudo, quam ſtatim comitatur illa fruitio. Bonus enim Pater, bonuſque Dominus, bonuſque quicquid es, bonum te ſicut es, in eorum affect⁹ exhibes, & manifeſtas: & cum ſemper virtus de te exeat ad ſanandos languores noſtros, quaſi ex contactu vel ſenſu boni tui eos afficis, & de temetipſo bonos eos efficis, & ſic bonus à bonis amaris, & tu ipſe es amor tuus in eis: ipſe de te miſericorditer ac ſuauiter eos afficiens, & rectiſſimè ac juſtiſſimè ac ſapientiſſimè amans te de eis. Non enim alienum eſt à te, quod te ſapit; nec longinquum, quod te capit: ſi tamen capit, quem nullus locus ſiue ſenſibilis, ſiue intelligibilis; nullus ſenſus, ſiue per inſtrumentum corporis, ſiue per intellectum rationis, capit. Sed amoris dilatatus ſinus ſecundum magnitudinẽ tuam ſe extendens, dum amat te, vel amare affectat quantus es; incapabilem capit, incomprehenſibilem comprehendit. Quid verò dicimus, capit? Quinpotius amor ipſe hoc eſt, quod tu es; Spirituſſanctus tuus, ô Pater, qui à te procedit & Filio: cum quo tu & Filius vnum es. Cui cùm meretur affici ſpiritus hominis, ſpiritus ſpiritui, amor amori, amor humanus diuinus quodammodo efficitur: & jam in amando Deũ homo quidem eſt in opere, ſed Deus eſt qui operatur. Non enim Paulus, *ſed gratia Dei* ſecum. *Lectulus*, ergo, ait, *noſter floridus*. Offert Spõſo, quod ab ipſo accipere deſiderat. Oblatio iſta oratio deuota eſt. Recrudeſcit enim amor in id quod ſingulariter amatum commemorat: & deſiderium magnum commemorantis, pia oratio eſt. Nihilque eſt aliud cõmemoratio iſta, quàm inuitans intra ſemetipſam conſcium ſuum ſancta conſcientia; habens jam flores lectuli floridi, hoc eſt ſanctarum gratiam virtutum, donante Sponſo in aſſenſu bonæ voluntatis: ſed earum affectu frui non valens, niſi præſens ſit Sponſus ſibi, & ipſa in ipſo ſibi. Lectulum ergo ingerit, ad lectulum inuitat: accubitum implorans, in pace inidipſum quietem deſiderat. Ex continuæ ejus præſentiæ illuminante gratia fixam in Deũ, & ſtabiliter affectam vult habere memoriam; illuminatum de ipſo intellectum, ſupereminentem in eum ſcientiæ charitatem: & in effectu virtutum continuam afficientis gratiæ ſuauitatem. *Lectulus noſter floridus.* Sicut flos matureſcere geſtit in fructum, ſic voluntas bona in affectum. Eò Sponſa ambit, illuc parturit, illuc anxiatur. Amare vult, frui deſiderat, non in accubitu voluntatis, ſed in habitu mentis: cùm lectulum floridum exoptat. Non enim in ſenſu animæ Deum quærentis poteſt eſſe non præſumptibilis Dei fruitio, in quo præceſſerit ejus ſimilitudo. Ideo dicit. *Lectulus noſter.* Cùm, inquit, noſter erit, mihi tibique communis, ſanctas ſpirabit delicias, & calebit amore mutuo; qui quandiu meus eſt, in quo per noctem quæro quem diligo, & non inuenio, nihil habet florum, nihil odorũ; parum gratiæ, minimũ lætitiæ; lectulus eſt noctis, non diei; totus friget, & væ ſoli quieſcenti in eo, quia non eſt qui calefaciat eum. Non ergo lectulus meus; ſed *lectulus noſter floridus.* Experta aliquando aliquem de Sponſo affectum, ſuſpirat ad lectum: deguſtato ad horam quod ex parte eſt, accubitum ſeu requiem deſiderat in eo quod perfectum eſt. In contemplatione namque ſummi boni ex naturali boni ipſius gratia, præſumptibile ſtatim fieri ſolet credenti, quicquid amantem delectat: & in lumine vultus Dei, ſicut non poteſt eſſe aliquando amor ſine re; ſic neque intellectus ſine ſpe. Sequitur.

Ioann. 14. — *1. Cor. 15.* — *Cantic. 1.* — *Oblatio Sponſæ eſt oratio.*

Tigna *domorum noſtrarum cedrina.* Non ſolum, ait, lectulus; ſed & domus noſtræ oderunt ſolitudinem. Sicut enim in lectulo, ſic & væ ſoli habitanti in domo. Non autem vnam tantum, ſed quot virtutes habet Sponſa, tot habet domos ad habitandum, ſeu Sponſo cohabitandũ. Domus Sponſæ ſanctæ virtutes ſunt; de quibus in Pſalmo legitur. *Deus in domibus ejus*, Sponſæ videlicet, *cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam*, ipſe Sponſus. Sponſus quippe in domibus Sponſæ cognoſcitur: cùm ſuſceptæ vel acceptæ & placitæ in oculis ejus præſentiæ ipſius gratia illuſtrantur. Alia ſiquidem eſt caſtitas, quam facit charitas: alia quam facit ſola continentia. Omneſque ac ſingulæ virtutes aliæ ſunt in ſolo appetitu voluntatis ex judicio rationis: aliæ in affectu gratiæ viuificantis. Quamdiu etenim communes ſunt Sponſo ac Sponſæ domus ſuæ, domus virtutum, munimen habent ſuum egregiũ, tigna cedrina, & decorem interiorem, laquearia cypreſſina. Tigna cedrina & imputribilia ſunt in domibus virtutum fides & ſpes æternitatis: ſub tecto protectionis Dei cœli erectæ in cœlum virtute rectæ intentionis. Laquearia verò cypreſſina, & decore operis ordinati, & odoris virtute, interiorem ſignificant decorem: qui eſt in ſolicitudine ſeruandi vnitatem ſpiritus. Ipſa eſt in charitate Dei mutua in inuicem charitas filiorum Sponſi, inuicem diligentium, inuicem ſuſcipientium; ſicut in laquearibus ligna lignis illaqueantur ad perficiendum interiorem decorem, interiuſq; munimen: ne quid irrepat, ne quid ſe ingerat, quod contriſtet inhabitantes: cùm vna charitas in inuicem & capabiles facit & capaces. Virtutes quippe animi habere videntur etiam aliqui infideles; ſed nullæ eſſe comprobantur, quæ per fidem & ſpem in Deum nõ eriguntur: & quæ intra Eccleſiaſticæ pietatis domeſticam vnitatem non continentur. Omnes namque homines inuitare ad ſe vel trahere videtur ipſa virtutum honeſtas naturalis: ſed niſi in Deo raros ſuſcipit earum charitas, nullum veritas. Ideo, ſicut dictum eſt, etiam qui foris ſunt, virtutes aliquas aliquando videntur habere vſque ad actum, ad voluntatem, etiam vſq; ad amorem: intantum vt inueniatur aliquis eorum, ſolos eos homines bonos pronunciare, qui oderunt peccare virtutis amore. Sed quibus Chriſtus ſapientia eſt; ipſis ipſe omnis virtus eſt. Etenim in ſapientia omnis virtutum plenitudo continetur. Nec aliqua virtus virtus eſt: quæ non ſapit habenti in eo, qui omnium virtutum ſapientia eſt. In quo ſicut vera & ſolida virtus eſt, non ſolum ſtudium laboris, vel ambitus vo-

Cant. 1. 16. — *Domus Sponſa virtutes ſunt.* — *Pſalm. 47.* — *Mutua charitas filior. Sponſi.* — *Virtutes nullæ ſine fide & ſpe.* — *Horatius.*

luntatis, sed affectus animi, habitusque bonæ mentis: sic ad ipsum verus ac viuens amor est; cùm qui amatur, amanti per intellectum seu sẽsum amoris ipsius præsto est: & tunc lectulus & noster, & floridus est. Sic ergo quæcumque hic de lectulo florido & domibus contignatis ac laqueatis ad Sponsum dicuntur ab Sponsa, non sunt aliud, quàm in cor suum conscium Deum inuitans pia conscientia. Vel sub tignis fidei & spei, hoc est in communi fidelium vita, requirit Sponsa lectum floridum; & sub laquearibus vitæ socialis, fixæ stationis certam mansionem: cui mutuæ cum Sponso fruitionis & amoris secretius negotium committatur. Sed aptiorem hæc locum desiderant, & jucundiorem ad accumbendum; secretiorem ad fruendum, securiorem ad manendum. Ipsa est charitas, *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*: & seu in solitudine, seu in turba, cor in Deo solitarium. *1. Timot. 1.*

Cant. 2. 1. Sequitur. Ego flos *campi, & lilium conuallium*. Solet spiritus sapientiæ ditandum suum priùs in suo spiritu pauperare, sublimandum humiliare: vt veræ altitudinem perfectionis cõsolidet in fundamento veræ humilitatis. Cellæ verò vinariæ altitudo, ad quam Sponsus Sponsam parat introducere, alienas non recipit altitudines, nisi eam, de qua dicitur. *Quantò major es, humilia te in omnibus*. Etenim sicut omnis virtus in infirmitate: sic omnis justitia in humilitate perficitur. Vnde baptizandus Dominus in Iordane dicebat ad Ioannẽ. *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam*. Adimpletionem ergo justitiæ Sponsus in Sponsa non tam probans, quàm approbans humilitatis virtute: *Ego*, inquit, *flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias*. Ac si dicat. Si tendis ad plenitudinem fruitionis; age, satage, vt habeas similitudinis meæ plenitudinem, hoc est, in omni perfectione virtutem perfectæ humilitatis: cujus exemplar tibi sum, flos campi & lilium conualium. Inter florem campi & lilium conuallium, non minima distantia est. Est quippe humilitas quædam, quasi campestris ac plana, à qua nemo Christiani nominis particeps facere se potest excusatum, cõmunis omnibus hominibus etiam naturali judicio rationis: scilicet majori subesse, & pari se nõ præferre. Est & alia sublimior perfectionis præmium expectans; scilicet in Deo minori se subdere, & parem sibi præferre: non tantum judicio rationis, sed etiam ipso affectu conscientiæ. Hæc est lilium conuallium altorum cordium, sanctarum mentium, hominum perfectorũ honore se inuicem præuenientium: superiores sibi inuicem arbitrantium. Vicinos etenim montes conuallis diuidit altitudo, vnit profundum. Ipsi quippe sunt, de quibus Apostolus dicit. *Diuisiones* donationum, siue *gratiarum sunt: idem autẽ spiritus*. Ipsi sunt de quibus Psalmista dicit. *Qui emittis fontes in conuallibus*. Et alibi. *Valles abundabunt frumento*. Hos in altitudine diuersorum meritorum separat diuersæ sanctitatis celsitudo: in inferioribus verò conscientiæ se humiliantis, consociat eos sibi pia æstimatio charitatis. In quibus quantò sublimior est altitudo sanctitatis: tantò profundior inuenitur conuallis humilitatis. Et ibi est lilium sicut lilium; hoc est ad deificæ in Christo humilitatis exemplar conformatum & coaptatum exemplum. Alia siquidem est humilitas simplicis hominis; cum ex conditione & cognitione sui, coram Deo vel proximo ipse vilescit sibi: alia Dei & hominis ad subleuandum hominem in vltima conditionis humanæ semetipsum sponte deponentis. In mediatore etenim Dei & hominis, ex solo bonitatis fonte prodiens Dei ad homines condescẽsio, humiliatio potiùs quàm humilitas est: vnde dicit Apostolus, *Humiliauit semetipsum*: in homine verò cognitio sui humilitas est semper: & est seu in nolente confusio necessitatis, seu in volente affectus virtutis. Flos ergo campi, hoc est cõmunis exemplum humilitatis homo Christus apparuit: de quo scriptum est, quia *subditus erat* parentibus suis. In sorte etiam tributariæ conditionis, & in redditione, & in quantitate tributi, parem Petrum non renuit: cui, tributũ exigentibus terreni imperij ministris, dixit. *Vade ad mare, & mitte hamum, & primum piscem qui occurrerit, aperi os ejus, & inuenies staterem, da eis pro me, & pro te*. Lilium etiam fuit conuallium, vel cùm homo homines sibi præferens, pro impijs vt illi viuerent, volens ipse mortuus est: vel cùm Deus homo ab hominibus peruersis sponte eis subditus, & ab eis injustè iudicatus est. Ergo habet, inquit, in me & communis vitæ planities, & altioris vitæ professio, quod imitetur de virtute humilitatis. Alijs etenim flos campi; alijs lilium, quod cæteris floribus præeminet, in exẽplum perfectionis apparui: qui cùm in forma Dei essem, non rapinam arbitratus æqualem me esse Deo, exinaniui memetipsum; in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Tu verò pulchro intendens, vt pulchra de pulchro fieres, hoc sensisti sensu amoris in te, quod sensu fidei sensisti in me: & complantata lilio facta es sicut lilium; non deflexa à rectitudine imitationis meæ, vel mollitie fœmineâ, quod sonat nomen filiarum: vel pungente aculeo spinarum, hoc est, malitiâ cohabitantium. Inter malos etenim bene viuere, jam perfectionis alicujus culmen est. Sciendum autem, quoniam licet à Christo summum homini semper humilitatis prodeat exemplum: alia tamen humilitas in Christo, alia in Christiano. Siquidem in puro quolibet homine vera est humilitas æstimare de semetipso id quod est: & ex cognitione sui seipsum vilescere sibi. Veritas verò Iesus Christus, quamuis præ cæteris hominibus humilia faciebat, vel docebat: de semetipso non nisi quod erat, æstimare poterat. Licet enim ipse Deus & homo esset; sic tamen Deo dignus erat homo ille: vt non esset in eo aliquid, vnde ipse sibi vilesceret. Non ergo in æstimatione humilitas ei erat, sed in opere: qui in hoc semetipsum humiliabat, quod non solum docebat humilia; sed & præ cunctis hominibus humillima, & majestati ejus indignissima, vel faciebat, vel tolerabat. Sponsus ergo flos campi & lilium conuallium; Sponsa verò, sicut lilium. Sed Sponsa humilitatem amplectens imitationis, & deuotæ similitudinis, sed altitudinem expauescens parilitatis, humilis quidem lilij, sed infœcundi non abnuit similitudinem: Sponsum verò celsæ ac fructiferæ malo, sub cujus vmbra lateret, & de fructu viueret, comparat, dicens.

Humilitatis commendatio.

Eccli. 3.

Matt. 3.

Cant. 2. 2.

1. Cor. 12.

Psal. 103.

Psalm. 64.

In quo sita humilitas nostra.

Philip. 2.

Christus exemplum humilitatis.

Luc. 2.

Matt. 17.

Alia puri hominis, alia Christi humilitas.

Sicut malus *inter ligna siluarum: sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quam desideraueram sedi; & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Nusquam enim hominis ad Deum comparatio, nec in ipsa similitudine humilitatis. Sicut enim *Cant. 2. 3.*

omnipotentis diuinitatis incomparabilis est potestas, inscrutabilis majestas, virtus inæstimabilis, sapientia incogitabilis: sic cùm ad nostra ventum est; infirmum fortius, stultum sapientius, & humile ejus sublimius repertum est omnib⁹ hominibus. Vnde ipse Dominus cùm de Ioanne loqueretur, *Inter natos*, ait, *mulierum non surrexit major Ioanne Baptista*, scilicet in humilitate. *Qui autem minor*, hoc est, humilior *est in regno cœlorum, major est illo*. In quo? In humilitate. Magna quippe in regno cœlorum, hoc est in Ecclesia, effulsit Ioannis humilitas; in qua tamẽ major eo apparuit, qui major omnibus se minimum exhibuit. Qui quantò de altiori ad nostra infima descendit, tantò omnibus humilibus humilior in mundo apparuit. Ideo Sponsa à Sponso edocta, tentationibus erudita, deuota ad imitationem, pauida ad parilitatem, sub figura celsæ mali commemorans Domini discipulorumque ejus accubitum in domo Pharisæi, seipsam verò quasi peccatricem venientem, & Dominum justificantem; totam illam euangelicæ pietatis historiam in semetipsam transfigurat, dicens. *Sicut malus* fructifera *inter* stabilia *ligna siluarum* suo ea decore venustans, lætificãs odore, fructu honorans; *sic dilectus meus inter filios* dulcis affectionis, & masculæ virtutis; Apostolos scilicet, accumbens: quos virtutibus illustrat, confortat exemplis, confirmat operibus, & doctrina lætificat. *Sub vmbra* verò defensionis ejus condemnante Pharisæo, protegi & abscondi desideraui anxia: audiens verò judicium diligentium nomen Domini ex ore ejus, *sedi* secura. Dixit enim. *Dimissa sunt ei peccata multa; quoniam dilexit multum*.

Matt. 11. Christus minor Ioanne dictus ob humilitatem.

Christus inter homines arbor fructifera.

Luc. 7.

Cant. 2. 3. ET FRVCTVS *ejus dulcis gutturi meo*; scilicet sapor amoris ejus replens in bonis desiderium meum: cùm lætificat conscientiam meam plenitudo indulgentiæ ejus, ipso dicente. *Vade in pace, fides tua te saluam fecit*. Desideraui autem, cùm per fidem & spem ambiui: sedi, cùm per amorẽ spiritus in ipsum acquieui: & fructus ej⁹ dulcis gutturi meo, cùm per illuminati virtutem amoris suauitatis ejus experientias degustare cœpi. Sequitur.

Luc. 7.

Cant. 2. 4. INTRODVXIT ME *Rex in cellam vinariã*. Iam enim quæ superiùs in natiua pietate egressa à cellarijs anxiabatur ad contemplandum, in omnibus probata, & ad purũ mundata, congruè humiliata, ingredi incipit in locũ tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, vt accumbat jam ad fruendum: quod suprà tam impatienter desiderabat, cùm dicebat. *Indica mihi, ô quem diligit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie*. Sicut enim jam suprà dictũ est, ipsæ sunt de quibus Propheta loquitur: *Diuitiæ salutis sapientia & scientia*. In scientia, hoc est in cellarijs, pascitur ratio & intellectus: in sapientia, quæ est cella vinaria, amor & affectus. Sciuntur illa, sapiunt ista. Ibi laborat diligentia discernentis: hic non nisi gaudet experientia fruentis. Quæ enim scientiæ sunt, non omnium sunt: sed cum labore à discentibus quasi deforis inferuntur: quæ verò sunt sapientiæ, à simplicibus etiam filijs Dei sentientibus de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis Deum quærentibus, quasi concreta naturæ, intus & absque labore gratis parta inueniuntur. Cella quippe vinaria est secretũ quoddam sapientiæ Dei, status mentis Deo pleniùs affectæ, qui solo mortalitatis hujus interposito velo, sicut Dei templum separatur à cœlestibus, hoc est à sancto sanctorum; certam quamdam ac familiarem communionem cum cœlestibus habens, secundum proficientis mensurã, & donum gratiæ illuminantis. Ibique est lectus floridus, lectus deliciarum: quem paulò antè Spõsa requirebat, non eum acceptura sub tignis fidei vel spei: sed in plenitudine charitatis, quæ est cella vinaria. Charitas etenim, seu perfectionis ejus bona conscientia, cella vinaria est: vinum verò cellæ hujus vinariæ gaudium in Spiritu sancto est. In cella ergo vinaria nihil est, nisi vinum. Quicquid illud ingreditur, quicquid ingeritur, vinum vel est, vel fit: quia ignis amoris Dei totum sibi sumit & absumit, & sicut ignis iste communis, in suam conuertit substantiam: cùm diligenti Deum omnia operantur in bonum. Vbi, à vini copia & vbertate domus Dei, & torrente voluptatis, intantum feruet charitas, & exundat in excessus suos, & in id quò tendit exhilaratur, vt sæpiùs videatur exordinari, nisi à rege reordinetur: vt optet Paulus anathema esse à Christo pro fratribus suis: & Moyses deleri se expostulet de libro vitæ, nisi populo Dei peccatum mortiferum dimittatur. Sed & si conscientia bona secundum Deum in hujusmodi quæ charitatis sunt, aliquando contristatur, si compatitur, si condolet; hoc gaudium ejus non minuit, sed auget. Gaudium etenim Domini in conscientia bona, (in qua suam posuit stationem,) nulla sæculari tristitia incurrẽte interscinditur, vel vana lætitia obscuratur: sed fideliter ac firmiter in continuum tenorem suum contexitur, semper & vbique tranquillũ: nec mutatur, licet ad multa se mutuet. Nihil ibi agunt conturbationes hominum, seu contradictiones linguarum. Procul hinc vana lætitia, omnis tristitia: vbi mortificato penitus homine veteri, sol⁹ viuit de gustu summi boni sensus suauitatis & affectus pietatis. Procul, quæ deforis ingerere se solent, vanæ ac nugatoriæ hilaritates, frontem depingentes, pectus non implentes: cutem perfundentes, interiora non penetrantes. Hæc etenim sunt gaudia sæculi vastatoria, vanas oblectamentorum imaginationes afferentia: quicquid vigoris vel virtutis erat in animo auferentia, abeuntia, & transeuntia: & pernitiosiora omni tristitia. Gaudium verò Domini res seuera est, opus ejus omne serium est, gaudentium & exultantium, non solùm cùm audiunt nomina sua scripta esse in cœlis, & mercedem copiosam: sed & cùm, qui ejusmodi sunt, incidunt in tentationes varias: & cùm propter Deum quem amant, mundus eos odit, & ejiciũt eos homines, & exprobrant nomen eorum tanquam malum. Gaudium quippe deforis veniẽs facile reexit: sancta verò conscientia quæ non de alieno gaudet, semper gaudet: quia intus habet, vnde gaudet. Domestica enim possessio & certa fœlicitas est bonæ conscientiæ; de qua Propheta dicit, beatum virum prædicans, qui timet Dominum. *Gloria & diuitiæ in domo ejus*. Et Apostolus. *Gloria nostra hæc est, testimonium cõscientiæ nostræ*. Quæ autem est conscientia bona: nisi in amore Dei placens sibi, & in amoris ipsius fideli seruitute bene respondens sibi? Gaudium hoc non est in risu oris, sed in jubilo cordis: cùm qui sic gaudet, quicquid ingruat, quicquid irruat, ex bono conscientiæ semper est alacer & securus: & semper omne quod occurrit

Cap. 1.

Isai. 33.

Cella vinaria quid sit.

Vinum cellæ vinariæ est gaudium in Spiritu san.

Rom. 9.

Exod. 32.

Gaudium bonæ conscientiæ non mutatur.

Psal. 111.

2. Cor. 1.

Consciẽtia bona quæ sit

in Deum erectus. Gaudium quippe est bona amatæ rei fruitio. Quapropter secundum modum siue qualitatem amoris, modus etiam vel qualitas gaudij comitatur: solidius gaudium efficere solet solidior amoris materia. Ideo amor Dei proprium habet gaudium suum, gaudium in Spiritu sancto: quod nemo tollet ab amante, quia suum est: quia illius conscientiæ certa illa possessio est. Et hoc est vinum cellæ vinariæ. Hoc inebriatus erat, qui dicebat. *Quis nos separabit à charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua, poterit nos separare à charitate Dei: quæ est in Christo Iesu domino nostro.* Et Psalmista. *Calix meus inebrians, quàm præclarus est.* Hoc nempe vinum est, noui illius jam spirans virtutem, quod bibit Iesus cũ discipulis suis in regno Patris sui: vinum, sicut dicit Propheta, *creans virgines*; vinum, sicut dicit Psalmista, *compunctionis*; siue *lætificans cor hominis*. Et quidem contraria quodammodo sibi videntur compunctio desiderantis, & lætitia fruentis: sed vtrumque tamen cellæ vinariæ & bonæ conscientiæ res est, prodiens de vno fonte amoris. Inducitur ergo Sponsa in domũ vini, in gaudium domini & Sponsi sui: sed ad primas boni illius experientias modi vel rationis impatiens à vini copia exordinatur vsque ad ebrietatem nimij feruoris, vsque ad languorem infirmitatis humanæ deficientis in salutare Dei. Amans nempe & multum amans, nisi in ipso amore inordinata esset: si prudenter, si temperanter, si fortiter, si justè amaret; non langueret. Quid enim etiam in corporibus languorem facit, nisi inordinati humores? Naturalis siquidẽ est ordo sancti amoris per prudentiam intelligere seu sapere, sed ad sobrietatem, id est ad tẽperantiam; per fortitudinem agere intellecta, sed secundum justitiam. Cùm verò prudentia sapit non ad sobrietatem; fortitudo verò nititur vltra justitiam; omnia exordinantur, & languor fit. Amor quippe exordinatus exordinat omnia: & dum inordinatè sequitur, non assequitur: sed deficit & languet. Nititur etenim aliquando vehementiùs justo, & inquantum suæ sibi conscius est puritatis, ipse sibi lex, ipse sibi ordo esse præsumit, impatiens ordinantis. Ordinante tamen & regente Rege sic lãguor ipse in languente ordinatur; vt quomodocumque agitetur aut cribretur qui languet, tota languoris ipsius & exercitij salutaris pia disciplina plus gaudij sit quàm mœroris. Multum namque se amant, & quasi concordissimis quibusdam sibi respondẽt antithetis, gaudium illud & iste dolor: fruentis pius affectus, & desiderantis anxius appetitus. Ideo qui languet, non vult curari; qui dolet, non consolari. Gaudet quippe se in amore deficere; cùm amorem ipsum in ipso defectu suo sentit proficere. Gustatoque ad aliquid quoniam suauis est Dominus, incipiens sentire de Domino in bonitate, sentire aliquatenus summum bonum, intueri vel contemplari summum pulchrum, intelligere intellectu jam ex parte fruentis beatitudinem & gaudium incorruptibilitatis & immutabilitatis; & totus eò nitens homo corruptibilis & mutabilis euadere, cùm non potest, fit ei graui tædio corruptio mortalitatis suæ: & cũ ei dicitur, *non videbit me homo & viuet*, vitam suam, quæcumque illa est, quæ tardat vel impedit vitam videndi Deum, vehementer incipit odisse. Mori ergo libet, sed non licet: mori pro Christo, nec ei datur; mori in Christo, sed differtur. Ordinat in Christo viuere, & caligat intellectus: vacare Deo, nec permittit eum suus æstus: operari, nec locus est operi ejus. Vult impendere, nec habet de quo: impendi & superimpendi, nec inuenit in quo. Dicit, clamat, *Domine quid me vis facere*, nec respondetur ei: *quid me vis fieri*, & dimittitur ipse sibi. Vult etenim ex ratione facere justa, & deficit in discernendo: fieri justus ex affectu, nec potest nisi à Deo. Legitur languenti medicina sua, nec attẽdit: amori lex sua, nec capit: exordinato ordo suus, nec aduertit. Iubetur quippe diligere Dominum Deum suum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in tota mente sua, & in omnibus viribus suis: & proximũ suum tãquam seipsum: sed vbique impetu amoris præualente aliquando nescit amare vel seipsum, vel proximum, præ amore Dei: aliquando vel Deum vel proximum præ amore sui: aliquando Deum vel semetipsũ præ amore proximi: cùm si ordine suo & modo suo procedat, verus amor vel sui vel proximi, non sit nisi amor Dei. Hic est languor Sponsæ amore languentis: hæc fortis vt mors dilectio: hæc dura velut infernus æmulatio: hæc ebrietas ab vbertate domus, & torrente voluptatis Dei. Est & alius languor Sponsæ in cogitando de Sponso: cum ex vitio aliquando neglectæ conscientiæ, aliunde sordente memoria, hebet intellectus, & languet amor. Hæc enim tria sunt, memoria, intellectus, & amor, quæ secundum qualitatem suam vel quantitatem formant de Deo cogitationem. Vbi si incidens aliunde, vel aliorsum fuerit spectans de Deo memoria: si remissa, si negligens, seu infidelis: nullus, aut rarus, aut tenuis, & pronus in errorem sequitur intellectus: amor nullus vel corruptus: scilicet cùm cogitatur propter aliud quàm vt ametur: vel amatur propter aliud, quàm propter semetipsum Deus. Si verò in cogitatione fidei feruet memoria ad intelligendum, nequaquam ibi finem constituens, sed nitens ad amorem per intellectum: amanti, tendenti, beatâ quadam experientiâ sæpe præsto fit quod quæritur: cùm transit intellectus in amorem, seu amor in intellectum secundum gratiam donantis, & studium seu pietatem accipientis. Vbi cùm videt, aliquid sed non peruidet intellectus: sicut appositâ sciẽtiâ apponit dolorem, sic apposita sapientia apponit amorem: gaudens ad videndum, languẽs ad peruidendum: non satis requiescens in eo quod accepit, quod ex parte est: dum anxiè anhelat ad id quod nondum accepit, quod perfectum est. Quod enim amandum est, intelligendum est. Quod intelligendum est, cogitandum est. Quod enim amandum est, nisi præsto fiat amanti per memoriam, innotescat per intellectum, amor ipse obsolescit & languet: maximeque in eis rebus, in quibus amori per memoriã solummodo & intellectum sua paratur fruitio: sicut in rationabilibus, magis autem in spiritualibus, præcipuè verò in diuinis. Mens ergo, cui amor patriæ patrisque Dei insedit: odit vehementer peregrinantẽ in alienis memoriam suã, & intentum occupationibus alienis intellectũ,

Rom. 8. *Psalm. 22.* *Zachar. 9.* *Psalm. 59. & 103.* *Ebrietas spiritualis languoris sponsæ causa.* *Exod. 33.* *Actor. 9.* *Alius languor sponsæ.* *Mens Deũ & cælum amans non occupatur alijs.*

Amor languet, non valens ab alienis se excutere.

A quibus cùm perfectè se excutere amor non prævalet; voluntate quadam carnis non voluntariâ irretitus languet in semetipso: patiturque, quod dicitur per Prophetam. *Viuit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus in Ierusalem.* Ignis etenim naturaliter semper sursum impetum habens, camino inclusus eò magis æstuat in semetipso, quò fortiùs alienis obicibus detinetur. Deinde torrens detentus vehementiùs exundat; ignis inclusus fortiùs æstuat: amor Sponsæ cohibitus non se capit: legisque impatiens, cùm carnis vinculo detinente totus euadere non potest, quò totus fertur, proxima quęque quasi ignis corripit: totumque se spiritus amantis refundit in proximum; si fortè vel hac via compendiosiùs mereatur ascendere purior ad Deum. Propter quod conuersa Sponsa ad adolescentulas, ad filias Ierusalẽ, filias supernæ pacis, compares desiderij, sociasque amoris sui.

Isai. 31.

Cant. 2. 5.

Fulcite me, inquit, *floribus; stipate me malis: quia amore langueo.* Non enim potest in alijs non amare, vnde ipsa in seipsa singulariter consolatur dolorem suum: animusque verè Deum amans, amorem ejus vbicumque inuenit, amat & amplectitur. Cujus formam cùm attendit in proximo, sæpe plus placet, quàm in semetipso: quia conscientiam non videns nisi suam, in se videt, & quod patet hominibus, & quod latet; in proximo, non nisi quod patet; fructus scilicet aliquos spiritus vel amoris quos videt, per quos interiorem in eo conjicit & amat amorem, quẽ non videt. In seipso videt & quid desit, & quid adsit sibi: in proximo verò non nisi de eo quod videt, potest iudicare. Insuper quæ sua sunt, districtâ justitiâ insequitur: quæ verò proximi, beneuola charitate omnia in bonũ interpretatur. Ideo plus ei sæpe placet modicum quid boni in proximo, cujus non videt interiorem mixturã, quàm multum in semetipso, cujus mixturæ solus ipse patitur fixuram: plus placet alter cùm incipit, quàm ipse sibi, qui proficit; plus alterius profectus, quàm sua sibi perfectio. Fruitur ergo ex fraternæ charitatis beneuolentia in proximo, quo frui non potest in semetipso, etiã cùm adest, & plusquam in proximo: quia, sicut dictum est, in illo latente cõscientiâ sola patet facies boni, quod sicut in semetipso amplectitur in congratulatione fraternæ charitatis: in seipso verò intantum conscientiæ incumbit quod offendit, vt etsi in ea fortè fuerit, quod placere possit, nec apparere audeat ante faciem semetipsum districtiùs judicantis. Ordinante ergo in hoc ipsum charitatem Sponsæ authore ipso charitatis, pertæsa suorum defectuum tota egreditur & resoluitur in congratulationẽ aliorum profectuum; approbans, vt dictum est, magis alterius principium, quàm suum finem: plus alterius profectum, quàm suam perfectionẽ. In floribus quippe, in quibus spes fructus est, bona spes designatur incipientium; in malis verò, fructus perfectorum. In illis fulcitur ad delicias, in istis ad virtutem stipatur. Et suauiùs ei in incipientibus redolent flores nouæ in Christo creaturæ, quàm in seipsa fructus perfectionis suæ: fructus alienę justitiæ, quàm conscientia cujuslibet sanctitatis suæ. In illis ergo virtutis accipit incitamentum: in istis firmamentum. Sed & secundum exteriora, habet sanctæ juuentutis indoles in disciplina pietatis quandam gratiæ prærogatiuam: & sancta canities ob certioris fiduciæ robur, reuerentiam suam. Tenera quippe ætas hilarem habet & aptam ad cuncta materiam; & instar ceræ mollis facile recipit quicquid ei imprimitur, & decentiùs retinet: maxime cùm, quod naturale, hoc est quod virtutis est, committitur. Et sicut ætati virtus addit decorem: sic virtuti flos ipse ætatis gratiam apponit potiorem. Ætas etiam in bonum prouecta ad omnem se conscientiam commendat, in qua boni aliquis amor est: quã & de præterito anteacta vita facit laudabilem: & de futuro ab omni mutabilitatis suspicione reddit immunem probata virtus: & ipso jure naturæ reuerentiam consciscit sibi emerita senectus. Et sicut in juuẽtute virtus apparet gratior: sic tutior in senectute, & quasi in sede propria formosior. Iuniorum ergo floribus Sponsa fulcitur, seniorum autem malis stipatur; cùm illis delectatur, in istis confirmatur; & de singulorũ profectibus defectus suos consolatur. Et cùm meliorem æstimat homo Dei proximum quàm seipsum: non solum diligit eum sicut seipsum, sed & obseruat eum plusquam semetipsum. Hic enim est ordo charitatis; & languentis legitimus terminus amoris. Primum siquidem diligitur Dominus Deus in toto corde, vt pia jugiter memoria cogitetur: in tota anima, vt in ipso semper, & ad ipsum viuatur: in omnibus viribus humanis, vt in opus seruitutis ejus fideliter expendantur: in omni mente, vt perfectè & intelligibiliter ametur. Deinde cum omni homine secundùm Deum fœdus habendum naturæ & bonæ voluntatis, ad semetipsum verò, & ad proximũ sicut ad seipsum, affectus religiosi amoris: vt proximus sit, quicumque domesticus est fidei; & in proximis plus ille diligatur vt propinquior, qui Deo, in quo proximus est, & diligitur, vitæ merito & pietatis affectu conjunctior inuenitur. Sic autem dilectus Dei ac dilector bene & secundum ordinem diligit seipsum, si suam carni curam fecerit, non in desiderijs, sed propter spiritum: suam spiritui suo in Spiritu sancto habuerit charitatem propter Deum. Nõ enim propter corpus viuimus; sed sine corpore viuere nequimus. Viuimus autem, vt spiritu Deo adhæreamus, & piè & sinceriter eum amãdo, sobriè in nobis, justè ad proximum, & piè ad Deum viuamus: sicque viuẽdo beatè & æternaliter in Deo aliquãdo viuere mereamur. Ergo juxta Apostolum, qui dixit, *nemo vmquam carnem suam odio habuit,* sufficit non odisse corpus, cui tamen cura habenda est, sed citra seruitutẽ: spiritui verò sua habenda est charitas, cultus suus exhibendus, vsque ad omnem corporis seruitutem. Debetur enim corpori cura aliqua spiritus, vt corpus viuat; spiritui verò seruitus omnimoda corporis, vt spiritus vigeat: Deo vtrimq; vt totus homo Deo seruiat. Sic qui ordinatæ charitatis est, diligit Dominum Deum suum, & in ipso seipsum, & proximum suum sicut seipsũ: ipsa qualitate, ipsa quantitate. Nam etsi major forsitan est perfectio charitatis in ipso quàm in proximo; tantam vtique in eo fore desiderat, quantam amplectitur in semetipso. Si verò majorem eam deprehendit, vel æstimat apud proximum, dulciùs eo in Deo fruitur; & plus eum, vt dictum est, obseruat, quàm semetipsum. Hoc est ergo homini diligere Deum, sicut Dominũ Deum suum; & rectè diligere seipsum; & proximum sicut seipsum. Hic est ordo charitatis à lege spiritus vitæ ordinatus, à verbo Dei in Spiritu

Sæpe plus placet amor Dei in alijs, quàm in nobis.

Flores sunt spes incipientium, poma fructus perfectorum.

Ordo charitatis.

Sanctiores plus diligendi.

Titul. 2.

Ephes. 5.

Ordo charitatis à Spiritu sancto est.

ritu sancto editus; digito Dei in corde ordinatè amantis descriptus: & in ipsa hominis ratione naturali quodam schemate à Deo deformatus. Hinc est, quod discernit eum judicium rationis, & approbat sensus bonæ voluntatis: sed non habet, nisi Spiritussancti aspirante gratia, affect⁹ bonæ mentis. Primo ergo in cellam vinariam Sponsa introducitur, deinde charitas in ea ordinatur. Primo siquidem ingressu inordinata adhuc & ebria, nititur facere plusquam potest; & complere aggreditur quasi vno impetu amoris, quæcumque vult Deus: sed deficiens in salutare Dei languet, donec vlteriore progressu, & beato profectu, ordinante in ea Rege charitatem, incipiat etiam velle, quod vult Deus. Et tunc per similitudinē voluntatis vnus cum Deo spiritus fit: ebriusque fit sobrius, languens fit sanus, & vehemens ordinatus: ebrius festinat ad somnum, languens ad lectum floridum, vehemens ad amplexum: sicque Sponsi ac Sponsæ jocundissima conjunctio fit. O charitas Deus, Sancte Spiritus, amor Patris ac Filij, & substantialis voluntas, habita in nobis, & ordina nos: vt fiat voluntas tua in nobis. Voluntas tua fiat voluntas nostra: vt facturi voluntatem Domini Dei nostri, legem ordinemque ejus inueniamus in medio cordis nostri. Da illuminatos oculos cordis, quibus inspiciamus in lumen incommutabilis veritatis tuæ, vt exinde formetur ordo mutabilitatis nostræ, & mutabilis ac mutabūdæ voluntatis nostræ. Sponsa tua anima nostra amans te, in ipso amore tuo intelligat, quid faciendum sibi sit de se. Quinpotius tu habitans in ea Deus, qui es ipse in ea amor tuus, fac in ea, amet te de te; ô amor ejus; & tu ipse in ipsa de ipsa ames te: & de ipsa in ipsa facias & ordines omnia secundùm te. Ideo olim dicebas famulo tuo Moysi. *Vide, vt omnia facias secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* In monte siquidem Moysi exemplar vitæ sanctitatisque mōstratum est: cum in altitudine contemplationis summæ ei incōmutabilitatis ordo reuelatus est: vt de omnibus secundum interiorem visionem exteriorem ordinaret actionem. Sic & Sponsam tuam animam tibi deuotam, quæcūque illa est, cum introducitur in secretum Sponsi, ancilla in gaudium domini sui, sentiendo de te in bonitate, secundum exemplar tuæ bonitatis totam eā ordinat, sibique cōformat gaudium ipsum charitatis tuæ. Non quod ibi aliud præcipiatur, aliud vetetur: sed in affectu amoris illuminati nihil licet, nihil libet, quod ad modicum offendat seu conuenientiam ordinis, seu conscientiā illius gaudij. Beata conscientia, quæ siue prospera, siue aduersa habeat in mundo, exemplar vtendi & vitæ modum trahit è cœlo; & quocumque se vertit, de vultu tuo Deus judicium ejus procedit: vt semper tibi jungatur similitudine idem volendi, à quo non receditur, nisi dissimilitudine volendi. Ideo quæcumque Sponsa est, hoc solum desiderat, hoc affectat; vt facies ejus faciei tuæ jungatur jugiter in osculo charitatis; hoc est, vnus tecum spiritus fiat per vnitatem ejusdem voluntatis: forma vitæ ejus formæ amoris tui imprimatur vehementer vehementia magni amoris: vel etiam, si durior fuerit materia, infringatur virtute disciplinæ ordinantis. Hoc autem cùm consummatū fuerit super Spōsam tuam, amicam tuam, formosam tuam; signatur Domine lumen vultus tui, & lætitia sua in anima pia ordinatur, cum omnia secundum ordinem charitatis rite procedentibus, in pace inidipsum dormiens ac requiescens, gaudet in amplexu Sponsi, & dicit.

Inuocatio Spiritussancti.

Exod. 25.

LÆVA EIVS *sub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me.* Amplexus iste circa hominem agitur; sed supra hominem est. Amplexus etenim hic Spiritussanctus est. Qui enim Patris & Filij Dei communio, qui charitas, qui amicitia, qui amplexus est; ipse in amore Sponsi ac Sponsæ ipsa omnia est. Sed ibi majestas est consubstantialis naturæ, hic autem donum gratiæ; ibi dignitas, hic autem dignatio; idem tamen, idem planè spiritus. Amplexus autē iste hic initiatur, alibi perficiendus. Abyssus hæc alterā abyssum inuocat: extasis ista longè aliud quàm quod videt somniat: secretum hoc aliud secretum suspirat: gaudium hoc aliud gaudium imaginatur: suauitas ista aliam suauitatem præorditur. Et boni quidem hujus & illius eadem materia, sed facies dissimilis: eadem natura, sed alia dignitas: sensus similis, sed diuersa majestas. Hoc siquidē mortalitatis est, illud æternitatis: hoc viæ, illud stationis; hoc sancti profectus, illud consummatæ perfectionis, & pfectæ beatitudinis. Cùm enim plenè reuelabitur facies ad faciem, & perficietur mutua cognitio, & cognoscet Sponsa, sicut & cognita est: tunc erit plenum osculum, plenusque amplexus: cùm non indigebitur læua fulciente, sed totam amplexabuntur Sponsam delectationes dexteræ Sponsi vsque in finē æternitatis infinitæ. Tunc inquam plenum erit osculum, plenusque amplexus: cujus virtus sapientia Dei, suauitas Spiritussanctus, perfectio plena fruitio diuinitatis, & Deus omnia in omnibus. Non ibi palpitabit fides, non spes pauebit; quia plena charitas in plena visione Dei omnes affectus in vnum gaudendi atque fruendi mirificabit effectum: omni eo quod corruptionis vel mortalitatis erat, vel emortuo vel resuscitato in vitam æternam. Interim verò, *læua,* inquit, *ejus sub capite meo: & dextera ejus amplexabitur me.* Post exercitium quippe ordinandæ charitatis, subordinatur fomentum & consolatio necessariæ ac desideratæ suauitatis: omnes exercitij illius molestias suaues quidem, molestias tamen, in quasdam nouæ gratiæ conuertens experientias & primitias, vel gustum futuræ illius beatitudinis. Vt enim in pace in idipsū dormire jam incipiat Sponsa, ac requiescere, suscipitur aliquando, non semel, sed quoties placuerit ordināti gratiæ: sicut dilectus ille discipulus in sinu Iesu supra pectus ejus: & admittitur in occulta filij, vbi sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ Dei. Vbi beata Sponsæ conscientia suauiter quiescens, Sponsi læuâ fulcitur; dextera verò ejus totam eam amplexatur: cùm ordinatur in ea pietas cum sufficientia, vt totam eam obtineat spiritualium gratia consolationum: nec pro aliqua corporalium rerum indigentia, caput ej⁹, quod est principale mentis, Sponsi pietas terræ inhærere patiatur. Nam etsi aliquibus aliquando opus habet: sed nullo indigere permittitur. Necesse quippe est, habitis eum rebus succumbere: quem constiterit non habitis indiguisse. Vnde & Apostolus, *nullius,* inquit, *egentes, multos autem locupletantes.* Indiget, qui desiderat. Qui verò non desiderat, vel non amat: siue habeat siue non habeat, securus cum Apostolo dicit. *Ego enim didici, in qui-*

Cant. 2. 6.

Spiritussanctus Patris & Filij charitas.

Vt læua Sponsi fulciatur Sponsa, & dextera amplexetur.

2. Cor. 6.

Philip. 4.

Philip. 4. *bus sum sufficiens esse. Scio humiliari, scio & abundare. Vbique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire; & abundare, & penuriam pati.* Hoc de sinistra, quam sicut dicit Psalmus, Dominus supponit justo, ne interim collidatur. De dextera verò amplexante, statim subjungit. *Omnia enim possum, in eo qui me confortat.* Amplexus etenim dexteræ, hoc est spiritualis gratiæ, animam confortat, ne exterioribus vel non habitis indigeat, vel habitis succumbat. Quibus sicut succumbit qui eget; sic ea subigit, qui vti nouit: cùm ea si non habet, non curat: si verò habet, non seruat seruiliter, sed liberaliter dispensat. Læuam ergo Sponsa sub capite habet: cum deditæ Deo menti temporalium consolationum sufficientia subministratur, vel rerum non habitarum contemptus. Dextera verò, idest spirituales eam consolationes amplexantur: cũ eis & fouetur in præsenti, & de æternorum certitudine promissorum in futuro confirmatur. Læuaque ac dextera adstringitur ad cor Sponsi: cum & bonus temporalium vsus, & æternorum pia fruitio, & omnia ei cooperantur in amorem Dei: & inter medios hos cleros dormit, cùm moram faciente Sponso patienter agit. Aliter etiam charitas ordinata læuam habet ac sinistrã. Amplexus siquidem hic charitatis est. Habet dexteram laboriosam, læuam verò amicã quietis; hoc est actiuæ exercitium vitę, satagens circa frequens ministerium; studiumque contemplationis, capiti Sponsæ lene præbens fulcimentũ. Sicque quasi duobus brachijs seu duabus manibus, Sponsa dilecta ad cor, vt dictum est, Sponsi adstringitur; id est actionis bonæ, & sanctæ cõtemplationis: rationis & amoris: vel rationabilis scientiæ, & efficacis sapientiæ. Bene etenim per læuam, quæ minùs actuosa est, amor contemplatiuus, seu sapientia designatur: cui vnũ sufficit, & quæ vnum tantummodo habet necessariũ. Vnde dicitur de sapiẽtia in libro nominis ejus. *Qui minorantur actu, apprehendent illam.* Bene etiam per dexteram sagacitas exprimitur rationis, vel scientiæ rationalis: de qua item legitur. *Pertransibunt tempora: & multiplex erit scientia.* Ratio ergo attrahit, & amor amplectitur; dum quod rationabiliter eligitur, amatur. Caput verò Sponsæ, hoc est principale cordis, in læua fouetur; cùm mens bene affecta, eo quod amat, per intellectum amoris ipsius fruitur. Sicque alterum alteri cooperatur in bonum: dum amor rationem confortat ad attrahendum, ratio amorem ad amplectendum: amor ratione munitur, ratio verò ab amore illuminatur. Quin potiùs præueniente gratia prædestinantis & eligentis & vocantis ratio afficit amorem, amor autem afficit rationẽ: vt spiritualis effectus animus dijudicet omnia, ipse verò à nemine judicetur. Dextera etiam laborat contra tribulationes, angustias, persecutiones, famem, nuditatẽ, periculum ac gladios: & exercetur in labore & ærumna, & vigilijs multis: læua verò patiens est, benigna est; non quærit quæ sua sunt; non irritatur; non cogitat malum; non gaudet super iniquitate; congaudet autẽ veritati: omnia suffert; omnia credit; omnia sustinet. Quę dexteræ sunt, non sine multis ac grauibus exercitiorum laboribus tam mentis quàm corporis actitãtur: quæ autem læuæ sunt, in quiete & silentio obseruari possunt: nec magnum requirunt corporis exercitium. Vtrâque tamen, vt jam sæpe dictum est; tam læuâ quàm dexterâ, Sponsa Sponso adstringitur: quia & dexteræ patientia, & læuæ bona conscientia ad amorem ejus eruditur: pacemq; ac jugem bene affectæ mentis tranquillitatem, dextera facit ac tuetur; læua fruitur. Siue ergo hoc, siue illo modo, siue & hoc & illo, Sponsa in amplexu Sponsi soparata absconditur nonnumquam in abscondito faciei ejus à contradictione hominũ: protegitur in tabernaculo ejus à contradictione linguarum: & mente modo excedens Deo, modo sobria proximo, semper parata est & latere & prodire, ad arbitrium abscondentis & protegentis. Denique audi abscõdentem & protegentem.

Psalm. 36. *Philip. 4.*

Læua ad tẽporalia, dextera ad spiritualia refertur.

Aliter læua & dextera exponuntur

Eccli. 38.

Daniel. 12.

Laborat dextera, sustinet læua.

ADIVRO *vos, filiæ Ierusalem, per capreas hinnulosque ceruorum: vt non suscitetis, neque euigilare faciatis amicam, donec ipsa velit.* Adjuratio hæc necessitatis est indictio; hoc est virtutis Dei efficax operatio. Adjurantur autem filiæ Ierusalẽ, recentiores ac teneriores in religione animæ, singulæ per virtutes quas acceperunt: cum inspiratur eis timor perdendæ gratiæ, qua in exercendis virtutibus vtuntur: si sponsalis secreto thalami negligant exhibere reuerentiam suam, & debitum congratulationis affectũ. Adjurantur autem per capreas, quæ acutioris visus esse perhibentur, & amicæ montiũ; & per hinnulos ceruorum serpentium inimicos, & agiles ad currendum: cùm oculum purioris contemplationis, & cœlestium amorem, odiumque vitiorum, & in virtutum profectibus perdere verentur properum & prosperum, quem habere videntur, successum; si minore necessitate, si majore importunitate, temerare vel inquietare præsumpserint Sponsi & Sponsæ mutuæ conjunctionis & fruitionis gaudium. *Vt non suscitetis, ait, neque euigilare faciatis amicam, donec ipsa velit.* Cogitur Sponsa euigilare, cùm à somno contemplationis inquietatur: suscitatur, cùm vocatur ad laborem. Vult autem à somni sui quiete aliquãdo euigilare, aliquando non vult: quia in somno cõtemplationis sola ei sapit charitas veritatis: vnde suscitari & auocari nõ vult, nisi cùm eam à contemplatione caræ veritatis auocat ipsa veritas charitatis: & tunc nequaquã recusat opus vel officium necessitatis. Deinde in excessu suo seu extasi, in somno quietis, audiens Sponsa vocem adjurantis; hoc est sentiens gratiã inspirantis, & virtutem videns operantis, illasq; sibi deferentes, nec tamen minus proficientes: *Vox, inquit, dilecti mei.* Hæc, inquit, adjuratio, hæc inspiratio, hæc gratia, vox dilecti mei est: qui sic diligens, plurimum diligendus est. Hæc, ait, pax, hæc suauitas, hic somnus quietis, à Domino est; vox Domini est, præparantis ceruorũ hinnulos in profectibus filiarum: mihi verò dilectæ suæ in extasi mentis, reuelantis condensa mysteriorum & sacramentorum suorum. *Vox, dilecti mei,* Pauca verba, sed opulenta gratia. In hoc siquidem statu mentis nequaquam verbis res agitur; sed spiritualis virtute intellectus & affectuum pietate vnum ibi verbum fit: Verbũ quod est apud Deum, Deus Verbum quod fit in Sponsa, in eo quod operatur in ea. Vox tamen potiùs dicitur quàm verbum; quia non distinguitur syllabis, non lingua formatur, sed puro fit affectu in illuminato intellectu, sopito vel feriato omni sensu corporis vel rationis; & totũ rei negotium Sancto Spiritu operante in sensu amoris. Vox verbi hujus virtus est efficax diui-

Cant. 3. 5.

Filiæ Ierus. sunt animæ recens conuersæ.

Quid sit ipsam euigilare, seu suscitari.

Cant. 2. 8.

Vox verbi est virtus diuinitatis.

nitatis cōfringens cedros Libani, fastus humanæ sapientiæ, & altitudinis mundanæ. Vox ista non nisi in silentij secreto auditur, non nisi in mūdo corde operatur. Vbi verò sonat vel operatur, non aliter quàm sicut ipsa est operatur. Verbum nostrum quasi in literis creatum, in syllabis distinctum, in verbum formatum cùm profertur à loquente, simile quid & similiter operatur in audiente; easdem literas, easdem syllabas, idem verbum. Sic & Verbum Dei in forma Dei natū de Deo inseparabiliter, fit in Sponsa, in eo quod facit in Sponsa: & fit indissimiliter, quia quæcumq; facit Deus pater, hæc & Filius facit similiter. Et ideo cùm Sponsæ vel in Sponsa loquitur, non aliud vel aliter, quàm quod ipsū est, & sicut ipsum est, loquitur vel operatur: nō loquens vel operans seipsum vt sit; sed de seipso operans in ea, vt ipsa in ipso sit. Cumq; loquitur ei, seipsum ei loquitur; sicque in seipso quicquid vult vt sciat, innotescere facit ei cui loquitur: factus ei sapientia, quodcumque vult facit in ea, vel per eam, ipse virtus ejus, ipse justitia justificans ei existens, & sanctificatio sanctificans. Loquiturque ei, quæ Sponsa est, Verbum Dei, seipsum & Patrem suum, in Spiritu oris ejus; intantum vt de plenitudine gratiæ illustrantis tota affecta amantis conscientia, flammam cordis sui vix in pauca hæc verba evaporet, cum dicit, *Vox dilecti mei.* Fitque vox ipsa & Sponsi ad Sponsam, & Sponsæ ad Sponsum, in gaudio mutuæ conjunctionis & fruitionis; in quo jugiter sibi loquuntur & respondent, & bonitas dantis, & amor accipientis. Sicque in cella vinaria, in feruore & gaudio consummatæ charitatis, in lecto conscientiæ florentis, cōponitur Sponsi & Spōsæ, & coaptatur beatus ille accubitus: de quo idem Sponsus promittit dicens. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum: & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Amor amorum cui seruit Canticum Canticorum, quod assumere per os suum quicumque vtcumque potest nō amans: nemo tamen potest cantare nisi amans & verè amans: tu scis quo ambiat cor meū, tractando canticum tuum. Numquid ô Spiritus scrutans omnia, & scientiam habens omnis vocis, aliud in hoc quærit cor serui tui, aliud pauperis tui parturit intentio, quàm vt videndo claritatem tuam, sentiendo charitatem tuam, illuminetur in te conscientia mea; castificetur de te anima mea, tractādo quæ propriè tua sunt, dulciùs te sapiunt, suauiùs redolent; sapiat mihi gustus tuus, spiret odor, & tota in te & de te formetur vita mea? Veni veni in abundantia benedictionum tuarum in me seruum tuum, in cor meum, locum tuum: quem nisi tu prior inueneris mihi, non possum invenire tibi, locū Domino, tabernaculum Deo Iacob. Quem donec inueniam tibi, non ascendam in lectum strati mei: nō dabo somnum oculis meis, & palpebris dormitationē. Gratias tibi, quoniā per primitias Spiritus tui amores mei antiqui odibiles, qui alieni à te alienabant me à te, jā non sunt: cùm teste scientia tua in conscientia mea, vnum vnicè te amē, semper certè libero judicio rationis: & quando liber & compos sui esse potest animus meus integro affectu mentis. Sed scaturiunt adhuc in memoria mea antiquorum amorum reliquiæ quædam, quasi vmbra sine corpore, forma sine substantia: sensus quidam in cogitatione inanis & vacuæ delectationis absque nutu voluntatis: quibus conscientia infecta vix aliquando in te ad purum meretur esse affecta: à quibus donec ex integro conuerteris captiuitatem meam, nequaquam plenè respirare possum in libertatem tuam, siue puritatem, siue stabilitatem. Sed cùm veneris in diuitijs plenitudinis tuæ, & delicijs bonitatis tuæ in pauperem tuū, & ostēdere cœperis ei certā experiētiā in cōscientia sua, quàm verè Deus charitas es, quamq; sit vnū Deus & amor suus, gaudium in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus; suauitas amandi & initium fruendi; amor ipse & intellectus ejus: tunc à charitate orante & interpellante pro nobis de nobis gemitibus inenarrabilibus, & illuminatis affectibus, non tam ratione cogente ad desiderium, quàm te, ô amor contemplante ad fruendum: à puero tuo in cantico tuo sacrificium laudis honorificabit te; & illic iter, quo ostendas ei salutare Dei. Interim egenus & pauper amor meus nitendo & palpando sequatur quà ducitur; suspiret quò vocatur, per figuras amatorias, & imperfectum suum, ad perfectum tuum: & quamdiu per fidem ambulat & non per speciem, piè & sapienter suis vtatur rudimentis, donec exterior hæc parabola dramatis, fiat in eo historia veritatis. Tunc parebit in lumine tuo, quantum in intellectu tuo præcedit pietas simplicissimi amantis prudentiam eruditissimi ratiocinantis: cum retroacta ratione amor pius ipse efficietur intellectus suus. Iam ergo in gaudio festi nuptialis primo accubitu vtcumque digesto, & suo ei cantico prout potuimus assignato, qui nouitij feruoris rudimentis videtur deservire, secundi auviliante Deo aggrediamur exordium: in quo prudentiore patientia & doctiore prudentia ad secundos se reparet Sponsi Spōsa amplexus. Sed primo sequētis cantici sensus historicus succinctè prælibandus est: & spiritualis ei comparandus. Sicut habemus ex libro Paralipomenon, Rex Salomon Rex pacis, pacem habens in regno suo, subactis circumquaque inimicis, & ædificata in Ierusalem domo Domini, & domo regia, non, inquit, habitabit vxor mea in domo David patris mei regis Israël, eoquod sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini. Idcirco vxori suæ Ægyptiæ filiæ Pharaonis extructa domo in Libano, extra Ierusalē, & procul à domo regia eam habitare præcepit, donec ad plenum deposuisset barbaram naturam, & totam Ægyptiam conspersionem: vbi tamen aliquādo visitaretur à Rege; aliquando etiā ipsa vocaretur in ciuitatem & domum regiam, & regis thalamum, non ad habitandum, sed quasi visura gloriam regis, & thalami regij gratia aliquatenus fruitura: & sic reuersura in locum suū. Sic etiam Rex pacis æternæ Christus, Sponsus Ecclesiæ ex Gentibus congregatæ, Sponsus animæ fidelis de tenebris peccatorum, quod interpretatur Ægyptus, liberatæ, post resurrectionē carnis suæ absorpta morte in victoria, accepto sibi regno in Ierusalem superna, Sponsam suam quandiu in carne viuit, à supercœlestis cohabitationis suæ gloria pro conditione mortalitatis sequestratam, in prouiso ei loco quiescere præcepit: cùm ascendēs in cœlum dixit ad discipulos suos. *Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Quod tunc dicebat discipulis suis, propter promissum eis aduentum Spiritus sancti: & omnibus filijs Sponsi vsque hodie di-

Ioann. 5. *Cant. 2.* *Ioan. 14.* *Intentio auctoris in hoc Tractatu.* *Psalm. 131.* *Reliquiæ veterum amorum mentē inficientes.* *Sed sine consensu voluntatis.* *Sensus parabolicus hujus secundi Cantici.* *Luc. 24.*

cit, propter perpetuæ cohabitationis cum eis promissionem vsque in finem sæculi, & gratiam præsentioris aliquando, & manifestioris visitationis. Ciuitas hæc Ecclesia est, in peregrinatione huj' vitæ: ædificata in Libano, hoc est in edito & amœno loco gratiæ candidantis. Libanus enim candidatio interpretatur. Ibi habitans Sponsa Christi Ægyptia, fidelis anima per gratiam Dei in fide Ecclesiæ in purum candidanda, anxia pietate assiduè eò cor dirigit suum, quò præmisit thesaurum suum: expectans & accipiẽs quotidie induentem eam ex alto quotidianam virtutis diuinæ visitationem: donec soluta aliquando à vinculo carnis, recipi mereatur ad æternam Sponsi cohabitationẽ. Ibi ergo in Ecclesia, in vnitate fidei, quæ Sponsa est, sæpe per internæ visitationis gratiam illustratur: sæpe per contemplationis virtutem vsque ad visionẽ supernæ pacis, & regij thalami dignitatem, Sponsum Sponsa pio amore prosequitur. Sed terrena conuersatione aggrauante nequaquam diu ibi commorari permittitur: acceptoq; pignore spiritus Sponsi, & relicto apud eum pignore spiritus sui, citiùs remittitur in domum paupertatis suæ à contemplatione diuitiarum Sponsi, sciens aliquatenus quid desit sibi. Hinc ergo deinceps vsque in finem totum hoc sanctum amoris canticum contexitur; hoc totum opus ejus atque negotium est: hinc discernuntur ejus partes, & partium sibi conciliantur diuisiones: spe festinante, cruciante desiderio, sapientia ordinante, amore currente, gratia occurrente; quoadvsque in fine Cantici ipsius dolor desiderantis à tædio dilationis, mutua tandem conjunctione vertatur in gaudium fruentis. Reddita ergo sibi Spõsa post primum primi accubitus excessum, quo mente excesserat Deo, & sobria facta sibi, & gustatæ suauitatis memoriã ruminans, post sacrorum affectuum digestionem secretum appetens, fugitans publicum, in abdito cellæ, in solitudine cordis, in recessu conscientiæ sedere amat ad studium cordis mundandi: in speculo & ænigmate sollicita emundare faciem, ad videndum facie ad faciem. Ibi enim quæ Sponsa est, quæ sicut Apostolus dicit, vni adhærens, *diuisa non est, sed sollicita est eorum tantum quæ Domini sunt, quomodo placeat Domino, cui se probauit,* studet fieri sancta corpore & spiritu: sine macula criminis, sine duplicitate simulationis; studet ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat Dominum obsecrandi. Suspensaque ad reditum Sponsi, ad vocem ejus, ad faciem ejus, repente quasi à longè venientis & colloquentis cum sodalibus tenue quoddã murmur exaudiens: *vox,* inquit, *dilecti mei.* Quod enim dicit, vox dilecti mei, & superiùs & inferiùs aptari potest: & finis primi accubitus, & secundi potest esse principium. Quod etiam rei quæ agitur, aptè cõgruere videtur; quoniam sicut ex vespertino præteritæ diei sequentis lucis matutinum suum constat principium ordiri: sic interioris diei cõsummatio principium sæpe & causa alterius diei inuenitur. *Vox,* ergo inquit, *dilecti mei.* Et exiliẽs in occursum venientis: *ecce,* inquit, *iste.* Vox Sponsi ad Sponsam est repentina gratia bene afficiens memoriam amantis: verbum ejus, in intellectum suum formatus affectus. Ad vocem ergo Sponsi venientis dicit Sponsa, *ecce;* ad verbum jam præsentis & colloquentis, quasi digito præsentem ostendens, *iste,* inquit. Exit autem Sponsa in occursum Verbi Dei: cùm pia affectio gestit ad intellectum. Videtque venientem, cum in semetipsa misericorditer sentit operantem. Quid enim est misericordia ejus super nos, quã bonitas ejus in omnibus præueniens nos? Propiore autẽ & propriore amoris intellectu Spõsa sponsi ad se aduentum contemplatur: cùm ejus omnem ad se veniendi modum in semetipsa tam effectualiter quàm affectaliter experitur. Contemplatur enim, quomodo Deus montium venit in colles: & quod in illis contemplatur, hoc sicut dictum est, in semetipsa experitur. Videt autem veniẽtẽ ad montes, in montibus saliendo; ad colles, transiliendo eos. Mons est terra super terram exaltata: scilicet cùm intellecto quolibet, per amorẽ cœlestiũ in contẽplatione diuinitatis, quod hominis est, supergreditur humana natura. Hoc autem inter fideles qui potentiùs agit, mons est; qui verò remissiùs, collis est. Mons etiam est, de humilitate cordis in altitudinem spei exurgens conscientia justitiæ: collis & ipse pro modo suo in eadem spei gratia cõstitutus, ex gratia Dei & conscientia fructuosæ pœnitentiæ. Ille quippe in altitudine justitiæ excreuit, sed in humilitate fundatur: hunc autem cùm sua etiam justitia exaltet apud Deum, ex timore tamen humilis conscientiæ ipse intra semetipsum à semetipso cohibetur ac deprimitur. Saltus verò Sponsi sunt, de quibus Propheta dicit. *Exultauit vt gigas ad currendam viam. A summo cœlo egressio ejus; & occursus ejus vsque ad summum ejus.* Cùm ergo contemplatur Spõsa à summo cœlo egressum Sponsi, & occursum ejus vsque ad summum ejus: inter hæc autem à cœlo eum venientem in vterũ, ab vtero in præsepe, à præsepi ad crucem, à cruce in sepulchrũ, à sepulchro in cœlum: quid nisi quosdam saltus ejus mirabiles per tantorum altitudines operũ, quasi per summorum juga montium miretur? Cùm autem magnorum aliquorum hominum intellectibus per aspirationem sui amoris saltuũ horum fidem infundit, quid nisi in montibus salit? Saliens autem in montibus, transilit colles: cùm plures fideles, quos fides continet, præterit iste intellectus. Veniens ergo Sponsus ad Sponsam, in montibus salit & colles transilit: cùm alios per contemplationis gratiam in altiora sustollens, alios circa inferiora necessariæ actionis ordinatos disponit. Saltus autem isti siue transsaltus sunt, quibus in cœlestia se subrigunt homines terreni: cùm ex consideratione operum Dei, & magnæ circa nos bonitatis ejus, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datur nobis. Et de imis quidem in alta per amorem spiritus se vibrant humanorum conatuum saltus: sed de sursum à Patre luminum virtutem effectus sui accipiũt. Ex quo cùm fiunt in salientibus sanctæ quædã exultationes, ipsæ sunt humani sensus extra humanum vsum & modum quasi saltationes, tantò alacriores & altiores, quantò salientem trahunt experientiæ suauiores. Sed saltus isti montium sunt, in quibus salit Sponsus, non collium quos transilit: qui licet stent in fide radicati & fundati; non tamen sentiunt pedes transilientis, hoc est non habent sensum gratiæ afficientis. Sed sicut saliens de terra citiùs in terram relabitur: sic aduentus Sponsi ad Sponsam quamdiu adhuc procul est. Amodo verò propior factus saltus istos mutabit in illuminatos accessus, de

Marginalia: *Matt. 28.* — *Ecclesia ciuitas est in Libano extructa.* — *Sponsa publicum fugiens vacat mundando cordi.* — *1. Cor. 7.* — *Cant. 2. 8.* — *Vox & verbum sponsi ad sponsam quid sit.* — *Quid sit mons, quid collis.* — *Psalm. 18.* — *Saltus sponsi è cœlo in vterum Virginis, in præsepe, &c.* — *Rom. 5.*

Psalm. 33. quibus dicitur, *Accedite ad eum, & illuminamini:* in dispositos ascensus, de quibus idem Propheta

Psal. 83. dicit. *Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde disponit in valle lachrymarum, in locum quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Interim autem venit, sicut dictum est, Sponsus, saliendo scilicet & transiliendo. Quamvis & aliter possint intelligi saltus

Aliter item saltus sponsi intelligi possunt. isti & transsaltus, in montibus scilicet, hoc est in sanctis, saltus liberi sine obstaculo peccati; in collibus verò, hoc est minus perfectis, transsaltus, non sine offendiculo: vbi tamen non offendat saliens, sed transiliat, omnia peccata dimittendo, & impendendo gratiã. Sed & qui justus & perfectus est, in via Dei salit, hoc est liberè incedit: qui verò adhuc minùs perfectus est, habet quidem in quo offendat, sed tamen fortiter transilit, quicquid ei siue de suo, siue de alieno contradicit. Sequitur.

Cant. 2. 9. Similis est *dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum.* Iam Sponsus veniens Sponsæ propior efficitur: jam etsi nondum facie ad faciem, propioribus tamen figuris ei insinuatur. Et aliquãdo quidem se ei exhibet per affectus quosdam participes diuinæ virtutis & bonitatis: aliquando per effectus humanæ suæ dispensationis. De⁹ ergo hoc nomen, quod quasi propriè proprium summæ illius naturæ, à græco sumptum esse, nemo est qui ambigat. Est autem siue à verbo

Nomen Deus vnde sumptum. quod est θεωρῶ, siue ab eo quod est θέω; seu magis ab vtroque: θεωρῶ, quippe video interpretatur. θέω curro. Quid enim velociùs currit stabili illo motu, qui stabilis in seipso manens mouet omnia: quid tam velociter cuncta percurrit, quàm qui dixit, & facta sunt omnia? Facile etiam omnia & simul videt, in quo sunt omnia, & in semetipso videt omnia. Diuina ergo natura in Sponso per capream designatur: tum propter velocitatem cursus, tum propter acumen visus.

Christus homo hinnulus ceruorũ. Per hinnulum quoque ceruorum, aptè satis humana natura in Sponso exprimitur. Apparuit nempe in mundo homo Christus, quasi hinnulus ceruorum: hoc est filius Iudæorũ. Ipse quippe filius dilectus vnicornium: ipse etiam filius ceruorum multicornium. Ceruus enim in vno cornu plura videtur cornua habere. Sunt autẽ Iudæi vnicornes, hoc est de singulari legis justitia præsumentes: sunt etiam multicornes in mãdatis & cæremonijs, & multiplicibus obseruationibus legis gloriantes. Apparuit ergo in mũdo Christus filius Iudæorum, tamquam hinnulus ceruorum: qui novus homo sine peccato venit in mundum, & sine peccato vixit in mundo.

Prouer. 5. Et sicut legitur, *cerua gratissima, & gratissimus hinnulus,* de gratissima matre virgine gratissimus apparuit filius: vnctus oleo lætitiæ præ participibus suis. Ipse etiam quotidie venit ad Sponsã suam fidelem animam, sicut caprea visus acuti, & velocis cursus: cùm efficit & mundat in ea oculum contemplationis, & veloces perficit effectus in ministerio bonæ actionis. Mirabili enim

Sapientia Dei mentẽ hominis sibi subjungit. condescensione gratiæ sapientia Dei adueniens, intellectum hominis sibi subjungit & cõformat: sicque ex illuminante gratia & illuminata intelligentia modo quodam ineffabili fit quasi quædam composita sapientia complectens omnes virtutes; vt & feratur in Deum homo Dei per illuminatũ intellectum, nec tamen animus virtutum in exteriora & inferiora sanctitatis suæ deneget effectus. Ibi ergo videt, hic currit: cùm nequaquam posset impleri in vno homine vniformitas tam diuersa, nisi fieret ex Verbi Dei & intelligentiæ humanæ, ex gratiæ Dei & humanę pietatis, amica quadam & efficaci conformitate. Venit etiam ad eam quasi hinnulus ceruorum; hoc est sicut filius hominis: cùm sicut aliquando Sponsæ Ecclesiæ, veniens in mundum, sacramẽtum susceptę humanitatis attulit in pignus amoris: sic ejusdem gratiæ fidelem memoriam fideli animæ efficaciùs inspirat in prouocatione charitatis. Sic ergo Sponsus apud Sponsam similis habetur capreæ hinnuloque cervorum: cùm de hujusmodi quibusdam theorijs siue theophaniis esurientem pascit, reficit afflictam; quæ non nisi cum vultu ejus lætitia adimpletur. Et veniens non semper salit aut transilit, sed aliquando etiã appropinquat & stat: cum plusculo quodã gaudio semetipsum ei indulgens, tædium desiderãtis, & lassitudinem tendentis, & amantis pietatem, abundantiore gratia consolatur. Vnde & subditur. *En ipse stat post parietem nostrum.* Vbi Cant. 2. 9. notandum, quòd cùm videret venientem, *ecce,* inquit, *iste,* & cum videt appropinquantem, *en,* inquit, *ipse*; hoc est iste ipse est; quia est qui est, non in Propheta, non in Angelo, non in Apostolo, sed supra speculum & ænigma se mihi exhibens aliquatenus in semetipso. Quem enim dicit istum ipsum, appropinquasse sibi fatetur, non solùm sensu gratiæ, sed & suauitate experientiæ: intantum vt in hora illa, seu in tempore illo diuinæ visitationis, à pleno osculo mutuæ conjunctionis, à pleno amplexu mutuæ fruitionis, Sponsum & Sponsam solus diuidat paries hujus mortalitatis. Et iste ipse est, cui dicebat Moyses, *ostende mihi teipsum*; & item Dominus ad Moysen. *Non enim videbit me homo & viuet.* Exod. 33. Inuisibilem ergo post parietem videre, est tantum eum videre, quantum eum videre in vita ista possibile est. *En,* inquit, *ipse stat post parietem nostrum. En,* sensum sonat præsentię; *ipse,* gaudiũ experiẽtiæ; statio suauitatẽ fruitionis. Vel paries est dirimens Sponsum & Sponsam: de quo Propheta dicit. *Et in Deo meo transgrediar murum.* Psalm. 17. Quod quid aliud est, quàm mens & memoria & conscientia per concupiscentiam carnis & oculorum & ambitionem vitæ exterioribus infecta: quæ quamdiu sic est, non potest esse Deo affecta? Hinc est quod Propheta de hujusmodi dicit. *Vsquequo aggrauant contra se densum lutũ?* Abac. 2. Et alibi. *Peccata vestra separant inter vos & Deũ.* Sed cum per densum hunc parietem luti nulla Sponsæ ad Sponsum pateat via cõtemplationis: tu tamen ô desiderium animæ ejus, tu tibi facis in eo fenestras rectas, per quas in directum eam aspicias; & cancellos obliquos, per quos quasi ex obliquo ei prospicias. Fenestræ autem rectæ ipsæ sunt justitiæ tuæ rectæ, recta corda lætificantes: cancelli obliqui, adinuentiones bonitatis & misericordiæ tuæ, ex immerito & insperato quasi ex obliquo venientes. Per fenestras bona Sponsæ approbando aspicis; per cancellos ei, in quibus misericordia indiget, miserando prospicis. Sicque tu prior videns eam facis videntẽ te: & stans illi stabilem facis tibi: donec miserãtis & amãtis mutua appropinquatio soluat omnino inimicitias peccati, medium maceriæ diuidentis: & fiat mutua visio, mutuus amplexus, mutuum gaudium, vnus spiritus. Interim etiam aliquando non in se, sed in te Domino Deo suo

Per fenestras & cancellos prospicere quid sit.

transgrediens murum, admittitur ad lucidius aliquid intelligendum, ad perfectiùs cognoscédum, ad dulciùs amandum: non solum vt experiatur apud te fontem vitæ, & in lumine tuo lumen: sed vt etiam permittatur aliquantisper stare ad fruendum, tam efficaci sensu, tam valido affectu, tam manifesto intellectu, vt, sicut jam suprà dictum est, à perfectione plenæ visionis, solo sibi distare videatur interstitio humanæ mortalitatis. Hoc est, quod dicit. *En ipse stat post parietem nostrum.* Ipse, inquit, ipse est: cui Moyses dicebat. *Ostende mihi teipsum.* Et Psalmista. *Tu autem idem ipse es.* Primò nempe visus est ei, non ipse, sed iste saliens in montibus, transiliens colles: nunc autem ipse stans. Magna distantia inter istum & ipsum. Iste exteriùs quasi digito demonstratur: ipso in semetipsa Sponsa gloriatur ac fruitur. Iste, in saltuum siue transsaltuum nutu: ipse in bonæ mẽtis statu. *En* etiam conjũctio propinquius aliquid designat, quàm, *ecce*. Ecce enim demonstrat quicquid sensibus præsto est, quantumvis longè sit: *en* verò, quod præ manibus, siue in manibus habetur. *Post parietem nostrum.* Meus, ait Sponsa, fuerat paries iste mortalitatis, communis conditione peccati, & corruptione & passione naturæ: sed appropinquans mihi Sponsus suum etiam eum effecit, dignatione gratiæ, & compassione bonitatis suæ. Nostrum ergo, ait, parietem, in quo misericordia & veritas obuiauerunt sibi: cùm post primi hominis peccatum veritas & veritatis seueritas parietem ipsum cõmunis mortalitatis contexuerit mihi: tempore autem miserendi misericordia ipsum contexuerit sibi. In quo, sicut suprà dictum est, fenestræ sunt & cancelli: fenestræ directæ justi Domini & justitias diligentis; cancelli obliqui peccatori multum diligenti multum dimittentis. Appropinquans etiam Sponsus Sponsæ per fenestras respicit, & prospicit per cancellos: cum prope factus inuocanti se in veritate, & in eis quæ diuinitatis suæ sunt, & in eis quæ humanitatis, eã sibi afficit: cùm in semetipso suo singula modo contemplanda ei exhibens, de vtroque solemniter pascit affectum amantis. Sed & animæ Deum quærenti fenestra est, qua Deum contempletur oculus rationis, per quem illuminante gratiâ spiritualia siue diuina speculatur: ad hoc principaliter factus in homine, vt per eum Deus videatur ab homine. Et sicut illuminante lumine solis hujus oculus corporis vbi liberum habet ab omni obstaculo intuitum, & puri transitum aëris, quocumque intendit, tandiu videndo procedit, donec ipse in semetipso visus ex propria infirmitate deficiat: sic agente & illuminante gratia in directum diuinæ contemplationis tendens ratio, nisi aliunde contrahat tenebras erroris, in simplicitate & puritate diuinę substantiæ nil aliquando patitur contradictionis: donec oppressa à seipsa in semetipsa lassescat & succumbat. Fenestræ autem sunt, per quas Sponsa Sponsum speculatur, pietas, charitas, sapientia, quæ cultus Dei dicuntur: per quas cùm contemplando de gaudio Sponsi, spirituale siue diuinum aliquid concipit, tunc eam videt Sponsus, hoc est videntem facit. In temporali verò dispensatione Mediatoris cancellus est, quo Sponsa contemplatur, fides temporalium, qua in æterna erigitur: in qua obliquari necesse est intuitũ Deum contemplantis, cum in vna Christi persona & sacramentum indubitanter miratur geminæ naturæ: & vtramque in Mediatore adorat in vnitate personæ. In quo in partem quidem assumptæ humilitatis ad Deum tendens plurimum sibi videtur obliquari ratio humana, donec fidem illuminante gratiâ, incipit non tantum credi, sed & intelligi Deus, qui homo est; & homo, qui Deus; & tunc in vno jucundissimè pasci incipit mens contemplatiua. Tunc intelligenti spiritus loquitur mysteria, & verbum Dei loquitur semetipsum, & velociter sermo ejus currit in affectum: cùm in eo cui loquitur, fiunt efficaciter, quæ intelligibiliter audiuntur. Surgitur enim & properatur: & fit quicquid sermo sequens, vt fiat, siue præcipere, siue docere videtur. Sequitur enim.

Exod. 33. Psalm. 101. Paries Christo & Sponsæ communis. Fenestra animæ Deum quærentis. Fenestræ per quas Sponsa Sponsum intuetur, quæ.

EN DILECTVS *meus loquitur mihi? Surge propera amica mea: columba mea formosa mea & veni.* Vocat amicam, cùm amicam eam sibi facit: omnia ei nota faciens quæcumque audiuit à Patre suo. Columbam dicit, cùm suam eam efficit, hoc est capacem Spiritus sancti, qualis apparuit in baptismo super Dominum: quam hortatur assumere sibi pennas spiritualium intellectuum, & fugere in solitudinem cordis, & simplicis cõscientiæ secretum. Formosam suam denominat: quam secundum antiquæ conditionis dignitatem imagini & similitudini suæ reconformat. Iubet eam non solùm surgere & venire, sed & properare: hoc est, non solùm amare, sed & vehementer amare. Iubet eam surgere à terrenis, cùm terrenorum ei omnium fastidium inspirat: jubet venire, quam trahit; properare, quam cõpellit. Sic ergo, inquit Sponsa, *dilectus meus loquitur mihi*, hoc est verbum Dei fit in corde audientis & amantis: cùm, sicut dictum est, auditus omnipotentis verbi jã affectus est in id quod auditur. Auditur autem per sensus corporis, sicut ex intuitu lectionis, & auditu doctrinæ: aliquando per gratiam aspirationis internæ, euocans audientem à carne ad spiritum, à sensibus ad interiorem intellectum, vt non sit in carne, sed in spiritu. Hoc agit, cùm dicit, *surge*: excutit torporem, cùm dicit, *propera*: allicit amorem, cùm dicit, *amica mea*: ponit gratiam, cùm dicit, *columba mea*: componit vitã & mores, cùm dicit, *formosa mea*. Deinde, *hiems*, inquit, *transijt, imber abijt & recessit*: cùm pertransire facit hiemem perturbationum, & vitiorum dissipat procellas, in hoc ipsum nos efficiens Deus. Primò siquidem hortatur vt surgat; deinde obedienti, ne deficiat metu tentationum, abijsse dicit hiemem & pluuias; cùm mitigato turbine vitiorum, quasi sponte se offert sanctarum virtutum grata temperies. Et cui latenti & pauidæ hactenus in hieme tentationum & procellis vitiorũ, sufficiebat tutam ipsam in semetipsa cõmorari, nulla ei cura, nulla ei solicitudo, nisi in semetipsa; nullus extra se processus, nulli in diuinis literis flores, nusquam spiritualium gratia gaudiorum, siue fructus spiritus, quod significatur in odore & floribus vinearum, & grossis ficuũ: recessus nullus in profundiora secretioris sapiẽtiæ, quod significatur in turture, quæ in remotis à multitudine locis, hoc est inter perfectos loquitur mysteria; jam audit.

Cant. 2. 10. Quot modis audiatur dilectus, seu Verbum Dei.

SVRGE *propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hiems transijt, imber abijt & recessit: flores apparuerunt, in terra nostra, tempus putationis adest: vox turturis audita est in*

Cant. 2. 11. 12. 13.

terra nostra; ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt. Deinde iteratis familiaris gratiæ nominibus, iteratò surgere jubetur, & properare, & venire: cum primò præueniente gratia, deinde etiam rationis & liberi arbitrij subsequente judicio suscitatur, & testimonium perhibente sibi cõscientia, quod sumus filij Dei, dulciùs ac familiariùs se cõmendat bonitas suscitantis. Hoc est quod sequitur.

Sponsa per gratiã, subsequente libero arbitrio, suscitatur.

Cant. 2. 13. 14.

SVRGE PROPERA *amica mea, speciosa mea, & veni; columba mea, in foraminibus petræ; in cauernis maceriæ.* Fitque quod dicitur: exequitur Sponsa, quod Sponsus hortatur. Recedente hieme datur tranquillitas, apparente Spõso exultat Sponsa. Libet progredi, & lætiora promittentis quocumque ierit sequi vestigia: extra domum, extra ciuitatem, hoc est extra naturam humanæ conditionis, extra communis consuetudinem conuersationis: in occultis filij, quæ sunt foramina petræ; in secretis legis, quæ sunt cauernæ maceriæ. Non enim vndiq; clausa est petra Christus, sed habet foramina quibus reuelatur Deus: & maceria legis, qua duo à se populi disparantur, penetrabiles habet cauernas in verbo Dei, quod penetrabilius est omni gladio ancipiti, quibus diuersa sibi & aduersa conciliantur. Vbi etiam tempus putationis est; quia nascentibus ijs quæ vtilia sunt, solent plerumque internasci inutilia & noxia, nisi cautiùs præcidantur. Sequitur. OSTENDE *mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Solet in foraminibus petræ nidificare columba, & in cauernis maceriæ; & inde ostendere faciem suam; & auditam facere vocem suam: faciem gratam & vocẽ gemebundam. Quidnam hoc est, nisi solidata in Christo & in fide ejus, fructus spiritus faciens conscientia, gratam ad Deum habens vocẽ confessionis, & in spe futurorum gemitum dilationis? Hanc faciem Sponsa ostendit Sponso desideranti; cùm in lumine vultus ejus sancta conscientia amat apparere suo creatori. Hæc vox Sponsæ in auribus Sponsi dulcis est: cùm sic ad eum peruenit, quomodo ab ea proficiscitur, videlicet sicut eam amor exprimit.

Ibid. v. 14.

Quid significet vox turturis.

REDEAMVS paululum ad superiora; & seriem rei secundùm ordinem gestorum, & rationem verborum recenseamus. *Sedebat Sponsa* penes semetipsam, expectans reditum Sponsi, pignus habens spiritus maturè eum rediturum, orans, plorans, desiderans vt rediret. Et subitò videtur sibi primò audire, quod non videt, & sentire sensu interiore, quod non intelligit, præsentiam diuinitatis, & dicit. *Vox dilecti mei.* Hilarescunt sensus omnes animæ fidelis, & gestit in occursum: cùm paululum progressa videt eum veniẽtem ad se saliendo, idest properando; transiliẽtem autem eos, qui modicæ fidei sunt, nec sufficiunt suscipere aduentum properantis, vel supersalientem omnem intellectum, & transilientem omnem rationem. Et videns eum veniente ad se, ad suscipiendum eum recolligit semetipsam in se: sentiens appropinquantem & stantem post parietem. Vidensque eum aspicientem per fenestras, prospicientem per cancellos, & semetipsum offerentem desideranti, incipit ipsâ experientiâ intelligere mysteria diuini amoris, scilicet idcirco sæpiùs eum à se recedere, vt ardentiùs quæratur; idcirco reddere se aliquando amanti, ne vehementiore tristitia absorbeatur. Cumque ad vocem vocantis & hortantis surgit ad videndum, properat ad tenendum, repente disparet qui apparuit: & cum eo omnis illa spiritualis ac diuina amœnitas vinearum & florũ. Recedentem quippe authorem suauitatis sequitur omnis suauitas sua, omnesque deliciæ suæ; lætitia florum, odor vinearum, opulentia fructuum. Recedit ab amicâ fiducia amicitiæ, à columba decor faciei, & dulcedo vocis: à formosa gratia conformitatis diuinæ. Relinquitur amicæ solitudo sua, columbæ gemitus suus; formosæ habitus priuatus; clauduntur foramina petræ, & obstruuntur cauernæ maceriæ, non recipientes columbam non habentẽ cor. Insuper irruũt in vineas florentes vulpes parvulæ; hoc est, lædunt mentes bene affectas suggestiunculæ inimici subtiliores: siue parvulas demoliuntur vineas fraudulentę scandalorũ immissiones. Vtrũque enim habet quod sequitur: vel, CAPITE *nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas:* vel, *capite nobis vulpes, parvas quæ demoliũtur vineas.* Parvas quippe vineas vulpes demoliuntur; quas vineæ prouectiores non timent. Non enim scãdalizantur nisi pusilli, de quibus Dominus dicit. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis. Capite,* inquit, *nobis vulpes.* Vulpes has sibi capit, quicumque discretionem spirituum habens, peccati subrepentis fraudulentiam citò deprehendit, & subjicit sibi appetitum ejus. Sapiens tamen spõsa rogat eas capi sibi, hoc est ad vtilitatem suam à Doctoribus sanctis, siue à sanctis Angelis custodibus suis: nequaquam à proprio sensu, siue à propria virtute, semetipsam satis in hoc credens sibi, vt sufficiat eas capere sibi. In hoc enim qui tentantur manifesti fiunt, quis ad probandum, quis ad reprobandum tentetur: quod alter eorum in tentationibus suis semetipsum nulli minùs credit, quàm sibi: alter verò nulli credit semetipsum, nisi sibi. Ipsi autem Sponsæ vulpes capiuntur: quia ipsius maximè proficit saluti, quod intemerata Sponso vinea sua conseruatur. Nam, inquit, *vinea nostra floruit.* Non penitus deserta est, cujus adhuc vinea in flore, hoc est mens in spe est. Non enim eovsque quæ Sponsa est, aliquandò deseritur à Sponso, vt deserat deserentem: præsente fruens humiliter, & absentem sustinens patienter. Ipsa enim est vinea Domini sabaoth: de qua dicit Dominus ad Prophetam. *Fodi eam mihi, & dixi ei. Dies multos expectabis me; non fornicaberis, & non eris viro; sed & ego expectabò te.* Propter quod ipsa sponsa, quæ & vinea, sequitur & dicit.

Vulpes sunt subtiliores suggestiones diaboli.

Cant. 2. 15.

Matth. 18.

Ose. 3.

DILECTVS *meus mihi, & ego illi: qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbra.* Felix mens, & beata conscientia, & verè sponsa sponsi, cujus desertæ vox hæc est, cujus delictũ inferiorum est justitia: cujus defectus filiarum sponsi perfectio est. *Beatus*, enim, *cujus Dominus Deus ejus* est, & ipse totus ejus, in quo gratia Dei, quomodocumque aliquando afficiat conscientiam; jam instaurauit naturam. Aliud namque est bonæ mentis status: aliud affectus. Aliud est, operante gratia stabiliter innouatæ in Deo naturæ bona compositio: aliud, eadem gratia afficiente bonæ ipsius cõpositionis ad tempus, ad horam, in Deum assumptio. Illud est sponsæ factæ; hoc autem est perfectæ. *Dilectus meus,* ait, *mihi, & ego illi.* Alij, inquit, alijs; dilectus meus mihi. Aliæ alijs; ego soli. Non est prostitutæ alienis amoribus conscientiæ vox hæc: nõ

Cant. 2. 16.

Psal. 143.

Bona mentis status & affectus.

est fidei trepidantis, & dubij amoris ista professio; turbatæ conscientiæ, intentionis hesitantis. Semper inquam felix mens, & beata cõscientia, cui in expectatione tardantis Sponsi, & prolõgatione incolatus vitæ hujus, hæc cõsolatio est: in æstu malitiæ sæcularis, hujus conscientia spei est, vmbra refugij, solamen doloris, leuamen laboris, incentivum amoris, dilatatio cordis in pressuris vitæ hujus: & de futuro certitudo fidei & expectationis. Ipse est qui dicit. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur: sed non derelinquimur. Deijcimur, sed non perimus*, & cætera. Status iste bonæ mentis pietas est, quæ secundum Iob *cultus Dei* est: secundum Apostolum, *vtilis ad omnia, & promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*: forma fidei & virtutis, spiritualium capax gratiarum: idonea sacris affectionibus, proxima semper diuinis intellectibus. In hoc statu constitutis dicit Apostolus. *Sic state in Domino, Carissimi.* Et iterum. *Verumtamen ad quod peruenimus, vt in eo permaneamus.* Hîc tamen flores adhuc sunt vineæ florentis; spes fructus, non fructus ipse. Sed hîc jam ascendentibus à conualle lacrymarum, à regione cœlestis beatitudinis, spirare incipit aura veritatis, & odor suauior vnguentorum Sponsi, proficienti animæ, Sponsæ amanti, de diuini mysterio amoris primitias spiritus afferens largiores, dulciores affectus, experientias certiores: quæ quò crebriores fiunt & dulciores, eò purioris vitæ mirificant charitatem ipsa jam præmia puritatis. Compositæ siquidem vitę habitus & status bonæ mentis sic inest animæ, sicut sano corpori sanitas sua: hæc autem omnia sic sunt bonæ menti, sicut sano corpori actus sanitatis ad vsum necessitatis, siue ad libitum volũtatis. Sicut enim sanitas corporis quodammodo semetipsam nescit, nec magni sibi est ante necessitatis vsum seu voluntatis: sic sanitas illa animæ semetipsam nescit; nec magni sibi est in flore spei, ante fructus spiritus. Habitatio ergo parata requirit habitatorem: lectus vacuus comparem amoris, fides sustinens gaudium fruentis. Hoc est quod dicit. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ipse, ait, mihi, in hoc ipsum me efficiens Deus; ego illi, in hoc ipsum effecta. Ipse mihi, gratiã prærogando: ego largitori, non ingrata. Ipse mihi fidem dando: ego illi seruando. Et Sponsus quidem in Sponsa etiam nesciente, eo pascitur, quo illa cruciatur: cùm illa citra amplexum & osculum, citra mutuæ conjunctionis suauitatem, non recipiat consolationem. Vnde sequitur & dicit. *Qui pascit inter lilia.* Lilium flos est inter flores pulcherrimus, sed sterilis. Recto autem ac virente calamo à terra in altiora se subrigens, candidi exteriùs, interiùs verò ignei coloris est: gratum admodum ad visum, suaue ad odoratum, naturalem habens virtutẽ dura emolliendi. Videas autem lilium ante solis ortum à facie frigoris nocturni & tenebrarum noctis, quasi refugiens & delitescens intra semetipsum, teneras delicias suas clausas penes se continere: mox autem vt solis orientis serenior ei facies illuxerit, quasi arridendo totum ei semetipsum aperire, & omnem gloriam suam suo reconsignare authori. Ipse est bonæ mentis status ex gratia creante sterilis adhuc ab intelligẽtiæ & sapientiæ fructibus: quos expectat ex gratia illuminante. Ipsa est directæ in Deum volũtatis & intentionis conscientia, apud homines castitatis & exteriorum fidei operum præferens candorem, ad Deum jugis desiderij interiorem fragrantiam, Christi bonum odorem circumferens in omni loco, in tribulationibus & pressuris, virtutem habens patientiæ ad emolliendam omnem duritiam humanæ malitiæ, cuncta bona sua habens in occulto gratiæ creantis & donantis; donec educatur quasi lumen justitia ejus, & judicium ejus tamquam meridies in manifestatione gratiæ illuminantis. In verbo autem quod est, *pascit*, duo intelliguntur: & qui pascit alterum, & ipse qui pascitur. Inter hujusmodi ergo lilia pascit, hoc est pascitur Sponsus, cùm in mœsta sterilis lilij conscientia solemniter eum delectat Sponsæ voluntas fœcunda; pascit etiam Sponsam ignorantem, cùm in ea dilatione ipsa sui suum nutrit amorem. Quamvis scit quidem Sponsa, quid in ea agatur, quid in ea agat Spõsus, quamdiu inuicem sunt sibi: sed non sentit, quamdiu inuicem non adsunt sibi. Sunt enim sibi fide, adsunt amore; vel amore sibi sunt, affectu adsunt. Et bene quidem se res habet, quãdiu sunt sibi: optimè verò, cum adsunt sibi. Hoc est, quod sequitur. *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Cùm enim aspirabit dies, & inclinabuntur vmbræ, tunc jam Sponsus & Sponsa nõ tam erunt sibi mutuo ad consentiendum, quàm aderunt ad fruendum: nec in sterili amœnitate liliorum pascet Sponsus, sed in plena vbertate fructuum spiritus. Cùm enim per aspirationem sancti Spiritus etiam in hac vita nox nostra sicut dies illuminabitur ad horam, ad tempus; & sæcularium vmbræ vanitatum inclinabuntur, cedentes lumini veritatis: seu magis in occasu vitæ hujus, quæ nox est, & non lux, & susceptione matutina alterius vitæ, seu potissimum in matutino æternitatis, in die generalis resurrectionis: tunc Sponsus & Sponsa incipient sibi non esse per fidem, sed adesse per speciem, facie ad faciẽ: nec pascet Sponsus Sponsam instar sterilium liliorum in flore spei, sed in fructu rei. Et tunc omnes omnino vmbræ vanitatis sæculi hujus inclinabuntur: hoc est ab æstimationis suæ statu dejicientur. Tunc, sicut olim noua gratiæ sacramenta finem imposuerũt veteribus sacramẽtis: res ipsa sacramentorum omnium finem imponet omnibus omnino sacramentis. In sacramentis quippe noui testamenti cœpit aspirare nouæ gratiæ dies: in illo verò omnis consumptionis fine erit meridies; vbi non erit speculum & ænigma, & ex parte, sed visio faciei ad faciẽ, & summi boni plenitudo: cùm quò solebat ambire ratio, figetur intellectus: quò amor ęstuare, fruetur affectus; non intellectus rationis, sed illuminati amoris; non affectus ab affecto vtcumque confectus, sed diuino modo à Deo effectus, sicut Apostolus dicit. *Qui nos efficit in hoc ipsum Deus.* Hominis enim conglorificati Deo omnes animæ vires, virtutes, voluntates, intentiones, affectiones, per virtutem resurrectionis liberatæ à seruitute corruptionis, & subjectione vanitatis, incommutabiliter stabilientur ad plenè vidẽdum quod sensim credebatur; ad certissimè habendum quod trepidè sperabatur: ad solidè fruendum, quod fide amabatur. Hæc enim dies vitæ hujus aspirans mutabilis est, nec continuum habet gaudium luminis sui: sed horas habet suas, vicissitudines gratiæ illucescentis accedendi ad Deum, ad illuminandum.

Dies

1. Cor. 4.
Status bonæ mentis pietas est.
Iob 28.
1. Tim. 4.
Philip. 4.
Ibid. c. 3.
Flores sunt spes fructus.
Cantic. 2.
Sponsus in Sponsa etiã nesciente pascitur.
Cantic. 2.
Lilij descriptio spiritualiter adaptata.
Pascit & pascitur Spõsus.
Post hanc vitam pascitur sponsa, non in flore spei, sed in fructu rei
2. Cor. 5.

Dies cœli qualis.

Dies autem cœli, dies æternitatis, dies super dies, ab omnibus omnino vmbris sæculi hujus feriatus: totus vacat lumini suo, gaudio suo, sine desiderio plus volendi, sine metu perdendi, sine dolore perditi. Interim verò expectatio

Rom. 8.

creaturæ reuelationem filiorum Dei expectans, ingemiscit & parturit vsque adhuc: & ipsi primitias spiritus habentes intra semetipsos gemũt, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis sui. Conserua eas habentibus, largire non habentibus, ô Sponse charitatis & castitatis: vt Sponsa tua, quæcumque illa est, fidelis anima languens post te, & deficiens in se, deficiens in salutare tuũ, sed non à salutari tuo, prælibet hic interim horas aliquas diei tuæ: donec accipiat diem plenum, quæ in hoc sæculo exultat sicut fidelis Abraham, vt videat diem

Ioann. 8.

tuum: videat & gaudeat, & gaudium ejus nemo tollat ab ea. De profundis noctis caliginis vitæ hujus sperantibus in te, suspirantibus & aspirãtibus ad te, aspirá, ô dies dierum, dies virtutis, dies super dies, dies qui es, & non deficis; & mutans intra te omnia, non mutaris. Iam ab aliquanto lumine tuo quod aspirasti nobis, ô sol justitiæ, radijs tuis manifestissimæ veritatis tuæ, aliquatenus vmbræ istæ mortis, vmbræ vanitatis sæculi hujus inclinantur nobis, & manifesta fit nobis vanitas vanitatum, & vanitatem esse omnia, manifestum & luce clarius fit nobis: & vtinam in semetipsa sic eluceret nobis tua veritas, sicut in lumine ejus apparet nobis ista vanitas. Prudenter enim aduertentibus, & de lumine veritatis tuæ ista æstimantibus, ipsa ex inseparabili indigentia sua, & insita miseria, & indeficiente defectu, vana se produnt esse & contemptibilia. Propter quòd gratias tibi agunt

Filij lucis Deo gratias agunt.

omnes filij lucis tuæ, & quicumque non sunt rebelles luminis tui, quibus jam eatenus illuxisti, vt in te jam hæc omnia eis innotescant, nec decipiant, licet illiciant eos aliquando adhuc & impediant: cum jam non ex affectu amentur, licet aliquando ex necessitate curentur. Nam & si memoria sæculi nonnũquam subrepit in mentem, seu venit in cogitationem cum aliqua delectatione, statim obuiat voluntas, euigilante in memoria ratione, & adjuuante sancto Spiritu humanam infirmitatem, continuò aspirante lumine tuo inclinantur vmbræ illæ: ex contemplatione illius vanitatis, & conceptione tuæ veritatis voluntate conuersa in amorem tuum, intantum, vt jam extra te non recipiat aliquam delectationem. Statimque lux tua, ô dies dierũ, memoriæ sæculi incutit horrorem sui: & pro sæ-

Lux Dei Sæculi generat amaritudinem.

cularis delectationis vana dulcedine, veram & amarissimam aspergit amaritudinem. Ex quo, ô charitas castæ generationis, & sanctarum sponsæ animarum, Sponsa tua ad te semper deuotam habens voluntatem, aliquando quidem in desiderio cruciante, aliquando verò in amore fruẽte, jugis gaudij stabilitatem in te de te obtinere non potest in tempore vicissitudinis hujus, quã etsi ex responso bonæ conscientiæ desiderij tui jugiter habet in bonæ voluntatis statu, non tamen in affectu. Cùm enim secundum sapientiæ tuæ rationem, & libitum beneplaciti tui, & judicium justitiæ tuæ, vadis & venis: nonnumquã sicut cerua gratissima & gratissimus hinnulus permittis te fide apprehendi; sæpe etiam dignaris meditatione teneri: aliquando etiam amore demulceri. Sed cùm vehementiùs teneris, & delectabiliùs haberis, repente elaberis: & currentis post te amoris anxia lassitudine & fatigatione delectaris, dum plorat & clamat post te, dicens.

REVERTERE, *similis esto capreæ hinnuloq; ceruorum super montes Bethel.* Quasi dicat. Si quãdiu tempus & tempus est, non mihi concedis, vt habeam te jugiter ad fruendum, saltem esto velocior ad redeundum: sicut velox es ad abeundum & me deserendum. Sit vicissitudo frequẽtior, fuga tardior, celerior reditus, præsentia familiarior ac diuturnior. Magni mihi est vel momentanea præsentia, vel modica copia tui, in visu tui, intellectus mei quantulacũque licentia; susurrium aliquod vocis tuæ, gustus vel modicus suauitatis tuæ, odor vnguentorum tuorum, aliqua dignatio osculi tui, & amplexuum tuorũ. Hæc enim mihi sunt pignus spirit[us], arrha beatitudinis æternæ, firmamentum fidei, spei robur, incentivum amoris. *Reuertere* ergo, inquit, reuertere. Reuertere, quamvis statim reiturus: illapsus lætifica, elapsus mœstifica. Bonum mihi est, quicquid abs te mihi est, quoniam bonus bene omnia facis: & siue abeas, siue redeas, jugiter me consolatur iste affectus, quoscumque à te patiar defectus. Etenim, sicut jam suprà diximus, vt ex vsu carnalis amoris circa spiritualẽ amorem, & affectum Sponsi & Sponsæ, aliquẽ sentiamus experientiæ sensum, videtur sæpe Sponsus Sponsæ quasi lasciuiente amore illudere, & crebrò subducere se vehementer amanti, rursumque reddere desideranti; egredi aliquando & abire tamquam non rediturus, vt ardentiùs requiratur: regredi aliquando & intrare ad illam quasi perpetuò mansurus, quo dulciùs ad oscula inuitetur: aliquando stare post parietem, & aspicere per fenestras, vt ad excitandum desiderium amantis videatur blandiens, sed non totus: audiatur vocans seu inuitans, sed remotus. Deinde verò quasi igne succenso in corde amãtis, abit prorsus ac recedit: vt nec videatur, nec audiatur, nec sentiatur. Sponsa verò cùm tenere non potest abeuntem: saltem aliquando eum redire postulat ac dicit. *Reuertere dilecte mi, similis esto capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bethel.* Beata Sponsæ conscientia hoc nomine crebriùs Sponsum inuocantis, *Dilecte mi.* Hoc enim est, quod ille dicebat. *Tu scis Domine, quia amo te.* Cùm enim dilecti nomine vocat dilecta dilectum, nomen dilecti amorem vocãtis & ostendit & excitat, commendatque vocãtem, & attrahit, quem vocat conscientia, & pietas diligentis. Fœlix & bene auspicata oratio ad Deum, quæ in Spiritu sancto hoc nomine inuocat quem orat: beata anima cujus orationem fiducia conscientiæ hujus cõmendat. Quid enim non speret, qui sic orat? Orat reuerti, quẽ habet: quæ, quem amat, habet. Hinc scriptũ est. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate.* Veritas enim inuocandi in affectu amantis: certum fit argumentum in conscientia inuocantis, præsentissimæ præsentiæ ejus qui dixit. *Ego sum veritas.* Reuertere ergo, ait, *dilecte mi.* Siquidẽ abeunte te, omnia turbantur: auertente te faciẽ tuam, sanctæ affectiones ruunt in defectus: fit amaritudo in conscientia, & irrationabilis tristitia; in conuersatione fratrum plena omnia scandalis; in solitudine tumultus mentis: fugit lux interior; inuoluunt tenebræ conculcantes: languet fides, spes palpitat, charitas lassescit; fit

Cant. ...

Bonum est sponsæ, quid quid à sponso est.

Ioann. 21.

Psal. 144.

Ioann. 14.

Abeunte sponso omnia turbantur.

animus ebrius, nec compos sui; corpus oneri mẽti, mens corpori; nutat oratio, sordet lectio, squalet meditatio: fit omnimoda sterilitas mentis à duritia cordis: & pugnat contra miserum & insensatum orbis terrarum. Reuertente autẽ te, seu conuertente te faciem tuam ad me, à lætitia vultus tui, à suauitate sensus tui, serena õmnia fiunt & tranquilla: fit sancta lætitia de sancta conscientia, viget intellectus, feruet studiũ, illuminatur affectus; mens in Deo hilarescit, sæculum vilescit, corpus seruit, accrescunt vires, roborantur virtutes, illuminatur fides, spes confortatur, charitas ordinatur. Fit frequens gaudium in Spiritu sancto; cum fratribus conuersatio dulcis, dulcior cum Deo solitudo; mens stabilis, & sensuum spiritualium fœcunda; alacris oratio, vtilis lectio, rationabilis meditatio: & studium spirituale ad omnia prosperatur. Fit feria actio, otiumque sanctificatur; nusquam scandalum, nusquam contradictio: humilitas in prosperis, fortitudo in aduersis: & quamdiu custodis atrium tuum fortis armatus, in pace sunt omnia quæ possides. *Reuertere* ergo *dilecte mi; similis esto capreæ hinnuloq; ceruorum.* De caprea quid dicemus? Acutioris visus est. Nolo ergo, ait, abscondere me sicut Adam à facie omnia videntis, siue approbantis, siue arguentis: sed vultum tuum Domine requiro; faciem tuam exquirit facies mea. Dabis etiam mihi aciem oculorum interiorum meorum: ad intendendum tibi, & prouidendum mihi. Et sicut velox est caprea: dabis etiam mihi velocitatem spiritus ad intelligendum de te, sicut velociter currit sermo tuus. Quid de hinnulo ceruorum? Vis ei inest paternæ naturæ: vt fugiant eum serpentes, venena non lædant. Sic filium Dei, quocumque se vertit, serpens ille antiquus fugit: & ad virtutẽ ejus omnem perdit vim suam, omne venenum. *Super montes Bethel*, siue *Bether.* Bethel interpretatur domus Dei: Bether domus consurgens, siue domus vigiliarum. Bethel ergo sunt, in quibus Deus familiariùs inhabitat, simplices filij Dei, humiles & quieti, & trementes sermones ejus: super quos Spiritussanctus requiescit. Ipsa est domus consurgens, quæ semper nititur ad altiora: domus vigiliarum, in qua jugiter vigilant, qui pia ac solicita expectatione expectant Sponsum Dominum, quando reuertatur à nuptijs. Orat ergo Sponsa Sponsum, vt sæpiùs cõuersetur super domum Bethel, siue Bether: siue illuminando eam in contemplatione sui; siue subleuando eam in cõtemptu mundi, præ amore Dei: siue peruigiles ad eum mentes ad interiora & silentia bonæ conscientiæ gaudia, introducendo in fruitione sui. Orat eum etiam crebriùs venire super montes, hoc est super altitudinem humanæ perfectionis: scilicet vt fluant montes à facie Domini, cùm nihil se esse æstimauerint quilibet magni homines in comparatione Dei, & sine gratia ipsius. Cùm ergo Sponsa Christi, fidelis anima aliquatenus aliquando admittitur ad contemplandum gaudium suum, sed stare non præualet diutius ad fruendum; sed illud quicquid est, sicut illabitur nonnumquam inopinanti, sic repente elabitur tenenti; fit quod sequitur. *Similis esto capreæ hinnuloque ceruorum.* Vbi quod dicit, *esto*, consensus est voluntatis humanæ bene affectæ cum voluntate Dei, certissimè credentis, quia siue dignatur desiderantem inuisere, siue quasi recedendo videtur deserere; bonum est ipsi, cui hoc fit, quicquid ab optimo Deo fit. Et cùm, quem delectabiliter tenebat illapsum, continuò anxiè requirit elapsũ, fit quod sequitur.

Luc. 11. *Genes. 3.* *Psalm. 26.*

Ceruum serpentes fugiunt, & Christum dæmones.

Precatur sponsa, vt magni viri à facie Dei se annihilẽt.

IN LECTVLO *meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea.* Vbi primò intuendum, quia sicut recedente die nox est; & absente luce frustra oculi corporis in tenebris patent: sic Sponsę ad contemplandũ quod desiderat, sine adjutorio gratiæ illuminantis, frustra nititur intentio per vim rationis. Ideo dicit. *In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea.* Sed primò videndum est, quid in hoc nobis, etiam juxta literam innuatur. Sponsa Sponsum requirẽs, neque diem neque noctem potest habere feriatam. Etenim etiam ad literam, ad spiritualis exercitij studia vigiliæ nocturnæ quantam habeant oportunitatem, quos fructus spiritus afferant vigilantibus ad reditum Sponsi, norũt ipsi vigilantes. Propriũ quippe tempus hoc mentis est; & eorum quæ mentis sunt. Vacant sensus; nec per eos aliquid obstrepit. Fit primò secretũ cubilis, deinde per somnum corporis quies: cùm post diurnos labores & ærumnas vitæ hujus, sicut sanctum Iob, meditantem de Deo consolatur lectus suus: cujus non est lectus sepultura mortui, vel diuersorium ebrietatis, sed spiritualium studiorum officina, & sacrarum locus visionum: vbi libet somniare, quod libuit cogitare: & sæpe reuelatur dormienti, quod non potuit vigilanti. Deinde post ciborum & curarũ & cogitationum hesternarum digestionem, redit sobrietas tam mentis quàm corporis. Tunc sicut jejunus stomachus cibos quos primò suscipit, efficaciùs decoquit, suauiùs digerit, & vtiliùs coaptat naturæ: sic jejuna mens euigilãtis tenaciùs insidet & inhæret ei, quæ primò occurrit, cogitationi; maximè in qua consentit. Propter quod euigilanti ei, quæ Sponsa est, post somnum sobrium, & qui tantummodo sufficiat naturæ, curandum summopere est, vt continuò quasi impolluta adhuc & virgo copuletur Spõso, adhæreat Deo, & tota inquantum præualet afficiatur: vt deinceps tota nocte, tota die sancta & immaculata permanens & corpore & spiritu diuidatur, sed tota sit ei cui se probauit; nec degeneris alicujus alterius affectionis recipiat cõmixtionẽ. Altiori verò sensu Sponsa Sponsum, quem foris amisit, intus quærit: in cubili cordis, in secreto mentis, in conscientia. Foris enim quod ad rem attinet, actitatur; Sponsus præcipit, Sponsa obsequitur; intus autem quæ amoris sunt, secreta colloquia, occulta mysteria, tractantur; sed quamdiu Sponsus adest. Absente enim Sponso perpetua ibi nox est, formidolosa solitudo; tædiosa habitatio, quies nulla. Vbi cùm semper sit indeficiente potentia: secreto tamen consilio sapientiæ suæ non ibi jugiter est præsidente gratia. Etenim sicut Salomon dicit. *Tempus est amplectendi; & tempus longè fieri ab amplexu.* Propter quod subjungit dicens. *Quæsiui illum, & non inueni.* Quem cùm nõ inuenit, tanto eum clamore vocat, quanto ad eum desiderio anhelat: sed non respondet ille vocanti, quamdiu ad votum sui copiam non facit desideranti. Hoc autem agit in nocte, quam non piget in hoc crebriùs pernoctare: quam à studio quęrendi tenebræ vitæ hujus & densa sæculi caligo, nox tentationum siue tribulationum, etsi aliquando præpediũt, non possunt deterrere. Bea-

Cant. 3. 1.

Nox spiritualibus exercitijs apta.

Iob 7.

Euigilans homo mentẽ statim Deo copulet.

Absente Sponso perpetua nox est.

Eccle. 3. Cant. 3.

Iob 9. *Prouer. 28.* atus homo qui veretur *omnia opera* sua, & *semper est pauidus:* non sicut timida semper solet esse nequitia, sed sicut cæcitas & infirmitas humana semper sibi debet esse suspecta. Has enim amoris ærumnas circa Sponsum, tribulationes tardãtis spei, gaudium habiti, timorem perdendi, dolorem perditi, sola nouit quæ amat, & quæ Spõsa est. Optimè autem quærit eum in cubili, quæ semper ad hoc satagit, vt semper eum secum habeat in cubili, cubile cordis ei præparando: vt habeat eũ in conscientia & meditatione; in intellectu & affectu, in obsequio pietatis cũ testimonio deuotæ operationis. *Quæsiui* ergo, inquit, illum *in lectulo meo*, vbi familiariùs & frequentiùs eum inuenire consueui: quæsiui vtrũ ibi esset in veritate quærendi: vt proficiente ordine charitatis ipsa quoque cum illo adessem, in videndi gaudio & fruendi suauitate, qui semper prope esse solet omnibus inuocantibus se in veritate. *Quæsiui illum, & non inueni.* Quare? Forte quia nox erat; & intentione lassata paululum imminuta erat & quærenti lux, & feruor seu calor desideranti. Si enim quæsisset ex affectu, inuenisset eum in intellectu: & optimè illi fuisset in eius amplexu. Videtur autem magis congruere: vt sicut pro consolando tædio Sponsæ Spõsi fit ad eam accessio; sic & comprobando, siue ipsius desiderio etiam accedendo, ejusdem nonnumquam fiat abscessio. Desideria enim non sunt, quæ dilatione deficiunt. Vnde Spõsa quid in Sponsi egerit absentia, subdendo manifestat.

Cubile cordis conscientia & meditatio.

Cant. 3. 1.

Cur Sponsus interdum abscedat.

Cant. 3. 2. SVRGAM *& circuibo ciuitatẽ: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Quænã est ista ciuitas, qui vici, quæ plateæ; in quibus Spõsus quærendus esse videtur, nec inuenitur? Nẽpe ipsa est ciuitas, de qua psalmus dicit; *vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate: die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas; & labor in medio ejus & injustitia: & non defecit de plateis vsura & dolus:* vbi homo vnanimis, qui simul cum ipso Sponso dulces capit cibos, ampliat super eum supplantationem: vbi caro concupiscit aduersus spiritum: siue proximus aduersus proximum. Quæ est hæc ciuitas? Sæculum. Quæ est hæc ciuitas? Vt cum dolore dicam, sæculum sæculare, Ecclesia in sæculo. Plus dicam, & dolens dicam: omnis Ordo, omnis habitus Religionis. Sæculum quidem quod sæculi est, si quæ sæculi sunt agit: vt patientiùs feramus, vt minùs de eo doleamus, vsus ac desperatio facit. Verùm in Ecclesia Dei viui, quæ, sicut Apostolus dicit, *columna est & firmamentum veritatis*, maximè in Ordinibus Religionum, quæ arctioris vitæ studia profitentur; quis non defleat vsque ad lacrymas sanguinis & cordis, periculosa illa tempora deuenisse, quæ in nouissimis diebus futura Apostolus præuidit, scilicet, *homines seipsos amantes, habentes quidem formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes?* Hæc ciuitas jam totus mundus est: & sicubi videtur esse Ierusalem, licitè sibi eam, & absque vlla contradictione, & præsidia facit, & in plateas redigit Syria & Damascus. Quis enim hodie profitens paupertatem Christi, non conetur, non satagat, opibus distento sinu, atq; refertis marsupijs, supergredi etiam diuites mundi? Maxima pars mundi possessio Religiosorum est. In eremis palatia extruuntur: in solitudinibus & speluncis aromaticæ cellæ fabricantur. Nemo veniens ad Religionem vlteriùs dignatur proprijs pedibus vel parvissimum iter conficere: & cùm Christianos vel discipulos Christi se gaudeant nuncupari, non in hoc, vt aliquantulum mitiùs dicã, sufficienter imitantur exemplum, vel Christi, vel discipulorum Christi. Discit equitare, qui non nouit: qui nouit, erubescit dediscere. Quis etiã hodie angulus inuenitur, in quo non abundet delictum illud tam signanter notatum ab Apostolo, scilicet quod judicia habemus inter nos? Et vtinam ipsa judicia secundum nomen suum essent: vt videlicet injusta non essent. Esto, non rapimus, non fraudamus: sed nec raptores nec fraudantes pati possumus: non tempus redimere, vt quicquam perdamus; vt nostrum negotiũ agentes, panem nostrum cum silentio manducemus. In concupiscentia sæculi obnoxij sumus hominibus sæculi: peccantibus adulantes, non ipsos, sed quæ ipsorum sunt, quærentes. Nonne istæ sunt latæ plateæ sæculi, quibus itur in mortem? Nonne isti sunt vici sæculi, varij quidem, sed tamen secundùm sæculum modi viuendi? Si sanè saperemus, timeremus illud, quod dicit vnde nihil habentibus, & omnia possidentibus, vas electionis Apostolus Paulus. *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri, incidunt in tentationes & laqueos diaboli, & desideria multa & nociua; quæ mergunt homines in interitum damnationis.* Etenim quacumq; occasione, sub quacumque specie subrepat auaritia; *radix* semper est *omnium malorum:* & quicumque appetunt eam, *inserunt se doloribus multis.* Sed tamen in tanta multitudine diuitum periclitantium & ridentium, inuenitur nonnũquam pauper spiritu homo Dei; cui quasi de tumultuantis perturbatione maris erepto, secumque in portu placidissimæ atque pacatissimæ charitatis seorsum constituto, dicat idem Apostolus. *Certa bonum certamen fidei; apprehende vitam æternam.* Quæcumque enim supràdicta sunt, homo Dei quicumque ille est, fugit & effugit; laborem fortiter exercens, omnẽ verò solicitudinem suam in Deum projiciens: cauens negligentiam, in Deo habens fiduciam, eique placendi firmam semper retinens concupiscentiam: bonam habens voluntatem omnibus concurrendi, sine vitio concupiscendi: cum labore siquid potest parando; siquid parauerit prudenter ac benignè dispensando: vbique affectum diligendi prouocans & appetens, appetitum placendi execrans & fugiens. Religio enim in qua auaritia dominatur, plateæ sunt in Ierusalem Syriæ & Damasci: & vici in quibus Sponsus non inuenitur.

Psalm. 54.

Galat. 5.

Quænam sit ciuitas in qua Sponsus quæritur, nec inuenitur.

1. Timo. 3.

2. Timo. 3.

Aduersus opes & sumptuosa Religiosorum ædificia, &c.

1. Corin. 6.

Improbantur lites & iudicia.

1. Timo. 6.

Ibidem

Ibidem

3. Reg. 20.

PER VICOS *& plateas quæsiui*, (aliàs quæram) *quem diligit anima mea.* Quidnam hoc est? Nũquid Sponsus in publico est? Numquid in plateis & vicis? Sed amor impatiens vbique putat esse quærendum: nusquam cùm inueniri voluerit, non inueniendum. *Quem*, inquit, *diligit anima mea.* Cur non magis spiritus? Quia non priùs quod spirituale, sed quod animale est: deinde quod spirituale. Per animam quæ viuificat, vita intelligitur: eo loquendi genere, quo per efficiens effectum intelligitur. Ejus ergo anima diligit & quærit Sponsum, cui viuere Christus est: in cujus vita Christus glorificatur; cui seruit quicquid in ipso est ac viuit: cui adhoc tantum viuere libet, vt ipsi seruiat totum quod viuit. *Quæsiui*, (aliàs quærã) ergo, ait, *quẽ diligit anima mea.* Elapsum dolens quem tenebat, circuit omnia; omnẽ locum, omne studiũ, omne hominum

Amor vbique quærit dilectum.

genus, omnem viuendi modum. Nauseat ad omne pulchrum visu, saporum gustu, sonorum auditu, fragrans odoratu, blandiens attactu, concupiscibile ad habendũ, delectabile ad fruendum. Facit instabilem amor stabilis, mobilem intentio immobilis, mutabilem affectus immutabilis. Libet quærere vbicumque inueniendus speratur: qui nonnumquam inueniri solet, etiã vbi non speratur. Inuenit autem aliquod Sponsi vestigium, vbicumque & in quocumque inuenit aliquod virtutis indicium, exẽplum pietatis, speculum integritatis, religionis ardorem, & amorem puritatis. *Quem diligit anima mea.* Iterum & iterum, ac jugiter beata anima: cui ad Dominum Deum suum jugiter in conscientia, crebro est in lingua, *quem diligit anima mea.* Quæsiui *illum & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos: inueni quem diligit anima mea.* Paululum ad superiora redeamus; vt historicum sensum, & ordinem dramatis inspiciamus. Iam quidem Sponsus ad Sponsam veniens, saliens in montibus & transiliens colles, aspiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, ipsam in lectuli otioso negotio, siue negotioso otio feriantem, nec nisi quæ lectuli sunt agentem vel cogitantem, excitauerat semel & iterum, ac tertiò, ad surgẽdum, ad properandum, ad veniendum: inuitauerat ad amoris sui occultiora mysteria, ad faciẽ plenioris visionis suæ, ad studium manifestioris cognitionis suæ, ad altiora præmia beatitudinis æternæ: deinde verò abiens, & in secretum se diuinitatis suæ recipiens, abscondensque ab ea desiderabilem illum vultum suum, in quem non solùm Angeli in cœlis, sed & Angelicæ æmuli perfectionis homines in terris prospicere concupiscunt: posuerat tenebras latibulum suum. Delicatiùs quippe habitam, & in delicijs gratiæ enutritam, gratuitæ Sponsi visitationes pigriorem effecerant, & remissam à spiritualibus exercitijs; solis orationibus deditam, & spiritualibus otijs ac meditationibus, nec alia curantem: propter quod nec vocata surrexit, nec properauit, nec venit: sed ipsum ad se crebriùs reuerti deprecatur, dicens. *Reuertere, similis esto capreæ hinnuloque ceruorum.* Et cùm non reuertitur ad votum deprecantis, quasi à delicijs, à calore lectuli pedem tendere non valens, versat se à latere in latus, sine labore spiritualis exercitij cõsueta oscula & consuetos requirens amplexus; sine grauedine exterioris laboris jugiter inuenturam se ibi confidens gratiam consuetæ delectationis. Tardante verò Sponso sensit tandem surgendum sibi esse, commodiùs fore judicans egredi ad imperium Sponsi, quàm solam in lectulo otij sui, non tam absente Sponso pausare, quàm pigritari. Denique otium sine ipso, magis sepulturam viuentis arbitratur, quàm requiem. *Surgam* ergo, inquit, *& circuibo ciuitatem: per vicos & per plateas quæram, quem dilexit anima mea.* Quod est dicere. Quæram oportunitatem exteriùs bonæ actionis, in auxilium internæ cõtemplationis. *Quæram*, inquit, *quem dilexit anima mea.* Veriora enim sic habent exẽplaria. *Quem*, inquit, *dilexit.* Videtur enim sibi Sponsa jam quasi non diligere Sponsum: quamdiu diuinæ ejus bonitatis flamma ipsius non inflammat affectum: quamdiu memoriæ abundantię suauitatis illius nec sua afficitur memoria, nec conformatur intellectus. Abeunte quippe ipso, repente disparent & fugiunt omnes consolationes Sponsæ: mens sterilis à pristinis fructibus redditur; amor sine affectu efficitur; cogitatio sine intellectu, & sine deuotionis est fructu. *Surgam* ergo, inquit, *& ibo*, quocumque me amoris, vel potiùs desiderij mei æstus rapuerit: sequar quocumque traxerit. Et cùm interim indigna sim, quam solita gratia visitet Sponsus, quæram aliquos, quos in hoc ipsum efficit Deus: vt fruendo in Deo illis, vel sic fruar Deo in illis. Ipsi enim aliquando inueniuntur in plateis, cùm proh dolor non inueniuntur in cœnobijs: inueniuntur in vicis, cùm non inueniũtur in eremis. Non quod non sint in cœnobijs frequentiùs, & familiariùs in eremis; sed cùm quæritur Deus, sicut nusquam inuenitur, nisi prior ipse inueniat se quærentem: sic nusquam non inuenitur, cùm præuenerit quærentem.

Vbinam vestigium Spõsi reperiatur

Cant. 3. 3. 4.

Historicus sensus, & ordo dramatis præsentis.

Cant. 3. 2.

Quid sit Spõsum quærere per vicos & plateas.

INVENERVNT *me vigiles, qui custodiunt ciuitatẽ.* Vigiles intelliguntur siue administratorij spiritus missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis: siue Doctores sancti & prædicatores ad ciuitatem Ecclesiæ custodiendã ordinati singuli in custodijs suis. Sunt enim Angeli pauperum & pusillorum Dei, semper faciem Domini videntes; & ex judicio vultus illius eam quæ Sponsa est adjuuantes & protegentes: & secretis quibusdam suggerendi modis monita ei vtilia, & consilia salubria subministrantes. Hos ergo Sponso Sponsa se dicit interrogasse, sed non respondisse eos dicit: quoniam non semper ad omnia interrogata nostra præsto sunt responsa diuina; siue per occultas inspirationes, siue per Angelicam subministrationem, siue per hominem docentem: & maximè in tempore tentationis. Sunt enim etiam sancti Doctores Ecclesiæ, pastores vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum: per quos, siue per verba hic viuentium, siue per scripta jam cum Deo regnantium, sæpe de occultis nostris, de necessitatibus nostris, in tẽpore prosperitatis & gratiæ illuminantis semper præsto nobis est responsum diuinum. Porro in tempore tribulationis, in diebus abductionis, fit cœlum æneum, & terra ferrea; non est Propheta vel Prophetia: nõ est visio à Domino: perijt sermo à Doctore, & consilium à sapiente. Isti siue verbo, siue scripto, siue exemplo, Sponsam quærentem inueniunt, sed non subueniunt: & sicut miseris accidere solet, & consiliatores ei fiunt multi, adjutor nullus: quia auertente Deo faciem suam omnia turbantur: verba non nisi verba, scripturæ non nisi literæ sunt. Nullus est, qui loquatur ad cor dolentis, cùm multi ad aures strepant: nullus respondet interroganti, nullus manum dat erranti. *Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem.* Inuenerunt quærentem; quam gratia fecerat amantem. Sed neque hic eã inuenire potuissent: nisi à gratia præuenta fuisset. Sicut enim nullus potest sensus insinuari nisi sentienti, vt puta visus ei qui numquam vidit, auditus ei qui non audiuit, sicque de reliquis: sic etiam, imò multominus sensus interior gratiæ nisi ab ipsa gratia potest vel dari non habitus, vel restitui amissus. Prædicari potest ab habentibus non habẽtibus gaudium Domini, & commendari; consilium dari in quærendo; modus aliquis insinuari in recuperando: & etiam nonnumquam, si gratia comes fuerit, moueri voluntas, incuti deside-

Cant. 3. 3.

Vigiles sunt Angeli, Doctores & Pastores.

Sensus gratia ab ipsa sola gratia datur.

rium: illud verò gaudium nullius est, nisi cui ipsum se infundit: ad sublime illud nemo ascendit, nisi cui ipsum condescendit: bonum illud nemo sentit, nisi quem ipsum sibi conformat: vitâ illâ nemo viuit, nisi quem ipsa viuificat. Pertranseuntur ergo vigiles: qui sicut non potuerunt facere quærentem, sic nec perficere potuerunt inuenientem. Denique *charitas* diffunditur *in cordibus nostris*; non per hominem docentem, sed *per Spiritum sanctum, qui datur nobis*. Et nullus est sermonis effectus vndecumque venientis: vbi non operatur virtus gratiæ præuenientis. Ideo dicit eis. *Num quem dilexit anima mea vidistis?* Aliter, inquit, mihi sonat, aliter loquitur interioris son' dulcedinis animæ meæ: aliter exterior sermo prædicationis vestræ. Habet ejus quem quæro sensum quemdam dilectio mea, quem tametsi vos quoq; habetis, non tamen exprimunt vel vestra, vel cujuslibet alterius verba. Quamvis longè meliùs & digniùs me sentitis: per verba tamen vestra neq; nos quod quærimus inuenimus: neque vos quod desideratis attingitis. Denique multa nobis dicitis, & non perducitis: quia rem, sicut est, non innotescitis.


Rom 5.


Canti. 3.

Dulcedinē amoris non exprimunt hominum verba.

Multum quidem conferunt ex studijs ministratæ nobis lectionum consolationes, spiritualisque meditationum occasiones: & etiam ex imitatione sancti desiderij vestri assiduæ orationes, cæteraque exercitia, siue spiritualia, siue corporalia: sed tamen pertranseundi estis in omnibus his, perueniendùmque, vbi non legitur nisi in libro veritatis; vbi æterna sapientia datur pro meditatione, visio pro consolatione, facies ad faciem pro speculo & ænigmate. Sed hoc longè vltra vos est: quoniam futuræ vitæ & æternæ beatitudinis status iste est, omnem excedens & transcendens infirmitatem. Paululum verò vltra vos est status quidem pietatis, in quo ad hæc degustanda Sponsus nonnumquam adjuuat Sponsæ suæ, quæcumque illa est, infirmitatem: vt, sicut aër vltra lunam, infra cœlum, dicitur non habere pluuias, grandines, & cæterarum spiritus procellarum, sed serenum ibi perpetuum est: sic ex profectu bonæ voluntatis effectus status bonæ mentis, & ab inferioribus tenebris liberetur; & à superiori lumine viciniùs illustretur.

Huc vsque suam in Cantica expositionem perduxit B. Guillelmus, & imperfectā dimisit, vt Petro Abaëlardo de fide malè sentienti & scribenti bellum indiceret, vt ipsemet in Epistola ad PP. Carthusienses, libro De vita solitaria, *præfixa, monet: hanc autem postea non resumpsit, sed vitam S. Bernardi adhuc viuentis scribere adorsus, nec eam quidem potuit absoluere, morte præuentus. Scripsit & in Cantica alterum opus, quod ex operibus B. Ambrosij contexuit, vt idem ipse in prædicta ad PP. Carthusienses Epistola asserit. Illud autem inter opera B. Ambrosij nouissimæ editionis Antonio Demochari perperam ascriptum reperitur.*





EXPOSITIO
DOMNI GVILLELMI,
OLIM SANCTI THEODORICI ABBATIS, postmodum Monachi Signiacensis.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

PRÆFATIO.

EPISTOLAM Pauli ad Romanos multis & varijs & difficillimis quæstionibus inuolutam suscepimus, non vt exponamus, quod supra nos est: sed vt aliqua Sanctorum Patrum, & maximè B. Augustini, sensa in eam, vel scripta ex libris eorum & opusculis hinc inde collecta in vnum hoc opusculū compingentes, suppressis, quæ in ea sunt quæstionum molestijs, vnam continuam, non nostram, sed ipsorum texamus explanationē: quæ tantò debebit gratior esse lectoribus, quantò eā non nouitatis, seu vanitatis præsumptio adinuenit; sed magnorum Doctorum magna commendat authoritas: præcipuè, sicut dictum est, Beati Augustini, deinde verò Ambrosij, Origenis, & nonnullorum aliorum Doctorum: aliquorum etiam magistrorum nostri temporis, de quibus certum habemus, non præterijsse eos in aliquo terminos, quos posuerunt Patres nostri. Nemo ergo furti nos arguat, ipsi nos prodimus. Secundum Poëticam fabulam, auiculam nostrā diuersarum plumis auium, & coloribus solemniter vestiuimus: quæ si venerint, & abstulerint singulæ, quæ recognouerint sua; nuda vel nulla remanebit nostra cornicula. Me autem ad hoc compulit contemplandæ gratiæ Dei jucunditas, & gloria ejus omnibus prædicanda: quam in tota Epistola hac constantissimus propugnator ejus Apostolus Apostolica authoritate & prudentia defendit contra Iudæos: Sancti Patres vbique contra hęreticos: nos autem ad plenæ humilitatis affectum, & puræ deuotionis effectum, nostrorum cordibus desideramus inscribi. Qui cùm totos cultui se diuino deuouerint, scire debent, quia sicut Scriptura dicit, *pietas cultus Dei est*; pietas autem nulla est sine gratiarum actione; gratiarum actio nulla est sine gratiæ agnitione. Hoc enim crebrò meditantes, efficiuntur, *beati pauperes spiritu*, quorum est regnum Dei: quorum cum Deo totus spiritus creditus est. Gratia enim priusquàm essemus, cùm nihil essemus, nos prædestinauit, auersos vocauit, conuersos justificauit; justificatos, si ingrati non fuerimus, glorificabit. Ipsa bonum operatur in nobis, vt velimus; cooperatur cùm volumus: sine qua nihil boni vel velle vel perficere valemus. Sicut enim ex nullis subsistentibus à Deo creati sumus, vt aliquid simus in ejus creaturis: sic à gratia ex nullis meritis creati sumus in operibus bonis. Et exinde si quid meremur gratia est: quod autem meremur, gratia pro gratia est. Acceptæ quippe gratiæ reddere fructus, gratiæ augmentatio est; sicut accepisse primùm gratiam, gratia est. Gratia præuenit nos vt oremus; adjuuat cùm oramus: exaudit quod oramus. Hac, virgo vt mater Dei fieret, plena facta est: hac de virgine natus plenus inuentus est. Hanc Noë, Abraham, Moyses, cæterique Patres Sancti, apud Deum perhibentur inuenisse: hæc ipsi Paulo Apostolo, alia quærenti jubetur sufficere. Nam & cùm speciosus forma præ filijs hominum venisti, Domine Iesu, speciali prærogatiua diffusa est gratia in labijs tuis: quia hoc ipsum fuit oleum lætitiæ quo vnctus apparuisti præ participibus tuis: propter quod adolescentulæ dilexerunt te, currentes in odorem vnguētorum tuorum. Hanc enim in hoc ipsum ab ipsa præuenti viderunt in facie tua thelonearius publicanus, & relicto theloneo abijt post te: Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, & relictis retibus & patre secuti sunt te. Hæc vsque hodie quiddam sonans in verbis tuis ad aures eorum quos præuenit, quod ad aures aliorum non peruenit, vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt: & humilibus facit consentire, quia fratres sunt: & amputare opprobriū, quod de te suspicati sunt, humiliūexhilarans corda, & facies gratificans: quia sic sunt, sicut creati sunt; & sic in aliena abducti sunt. In hac gratis præstas, quicquid præstas nobis, nihil quod non dederis tu accipiens à nobis: in qua etiam cùm gratis à nobis vis amari, hoc nobis pro gratuito computas, quod amamus te, propter te: cùm majus quid dare nobis non possis, ô omnipotens, pro merito amoris tui, quàm ipsum amare te. Insuper ex vsuris & iniquitate flagitiorum & facinorum nostrorum redimens animas nostras, honorabile facis coram te nomen nostrum, vt filij gratiæ tuæ nominemur & simus, tamquam gratis te amantes; quibus, vt dignos nos facias ipso amore tuo, primùm prærogas remissionem tot ac tantorum peccatorum. Sed tua est, & à te nobis est gratia: ideo Domine Deus noster tibi soli sit gloria. Si quis autem gloriatur, non nisi in te glorietur. Neque enim vel ipsa fides in nobis esse potest, si non à te sit: sine qua in homine nullum opus bonum fit: quia quicquid non est ex fide, peccatum est.

Expositio hæc ex scriptis Augustini & aliorum Patrū contexta.

Causa hujus expositionis.

Iob 28.

Matt. 5.

Gratiæ commendatio.

Luc. 1.

2. Cor. 12.

Gratia Christi hominis.

Psalm. 44.

Matth. 9.

Filij gratiæ sumus & dicimur.

Rom. 14.

INCIPIT EXPOSITIO BEATI GVILLELMI, super Epistola ad Romanos.

LIBER PRIMVS.

Vers. 1. AVLVS *seruus Christi Iesu.* Magnus es Domine, & excelsus, & humilia respicis: & alta à longè cognoscis. Tu cognouisti Saulum à superbo Rege & persecutore formam trahentem, tam persecutionis quàm nominis, sed non à longè cognouisti eum. Tu enim humiliasti eũ sicut vulneratum superbum: & in brachio virtutis tuæ, & spiritu gratiæ tuæ de Saulo fecisti Paulum: Acto. 9. Benjamin adolescentulũ in mentis excessu cœlos penetrantem; & in paradiso Dei audientem verba arcana, quæ non licet homini loqui: lupum olim rapacem, sed ad vesperum prædam diuidentem. Retulit tamen inde nobis aliqua, quæ licuit quidem homini loqui: sed nulli ad purum licet intelligere, qui nõ aliquid plus homine habuerit. Hebraïcè dicebatur Saül, latinè Saulus, quasi Saülus; sicut Iacob Iacobus, Ioseph Iosephus, & his similia. Assumptus autem à te in vas electionis ad prædicandam gentibus gratiam tuam, de Saulo maluit vocari Paulus, quasi Paululus, humilis ac quietus, super quem Spiritussanctus requiescit: vt ipso nomine superbiam eorum confunderet, qui gratiam tuam suis applicare meritis præsumebant. Hoc ad humilitatem suam. Ad gloriam verò tuam cùm Paulum proconsulem Asiæ sub leve jugum tuũ misisset, regni tui prouincialem effectum, ipse quoque ex Saulo Paulus vocari maluit, ob insigne tam magnæ victoriæ. Plus enim hostis vincitur in eo, quem plus tenet. Plus autem hostis antiquus tenet superbos nomine nobilitatis: & de his plures nomine authoritatis. *Seruus Christi Iesu.* Seruientis hujus professio & humilitatis est, & gloriæ, & authoritatis eximiæ: cùm se servum ejus quasi gloriabundus profitetur, qui dicit, ***magnum est tibi vocari seruum meum:*** cui sicut ipse dicit, seruiebat in Euangelio filij ejus. *Christi Iesu.* Iesus proprium nomen, Christus verò nomen sacramenti est. Idipsum etenim est quod Messias. In nomine ergo Christi Iesu intelligitur virtus Regis Salvatoris; quia non nisi à Rege Salvatore salus speranda est. *Vocatus Apostolus.* Vocatus per gratiam, quia nemo sumere sibi debet honorem: nisi qui vocatur à Deo tamquam Aaron. *Apostolus.* Apostolus dicitur missus, vel potiùs retro missus: id est, missus ad eos vocandos, qui hactenus retro fuerant, de quibus Propheta dicit. *Pones eos dorsum.* Retro quippe & post dorsum sunt, qui sæculo huic, quod posthabendum est, dediti sunt. *Segregatus in Euangelium Dei.* Notandum, quod segregatum ipso verbo designare maluit, quo segregauit eum, qui dixit. *Segregate mihi Paulum & Barnabã in opus, ad quod assumpsi eos.* Opus autẽ in quod assumptus est, Euangelium est. *Quod antè promiserat per Prophetas suos.* Incepit enim à Prophetis: consummatum est per Apostolos. *In Scripturis sanctis:* hoc est ad fixam & stabilẽ omnium memoriam editis, à Spiritu sancto habitis. *De filio suo;* hoc est ante luciferũ & omne tempus æternaliter de ipso genito. Qui vnus semper existens Deus de Deo genitus, *ei*, hoc est ipso volente ac disponente, & honore ac bonitate ejus hoc exigente, temporaliter est homo factus. Factus est autem homo Dei filius: quia qui factus est, sic à Dei filio, qui non factus, sed natus est, in vnitatem personæ est assumptus, vt idem sit filius Dei, qui filius hominis: natus à Patre Deo secundum diuinitatem, *factus ex semine Dauid secundum carnem.* Ex semine *Dauid.* Scilicet ad quem facta est repromissio: euidentiùs quàm ad Abraham. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* Præclarissimum ad homines lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator apparuit: cùm eadem gratia operante fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia ab initio suo homo ille factus est Christ⁹. Prædestinatus est ergo Iesus, & futurus secundũ carnem filius Dauid: & tamen in virtute filius Dei. Prædestinata est autem in eo naturæ humanæ tam summa & alta subuectio, vt quò attolleretur altiùs non haberet; sicut pro nobis ipsa diuinitas humilius non habuit, quovsque se deponeret. Ex quo enim homo ille cœpit: etiam filius Dei esse cœpit. Vel secundum græcæ translationis veritatem, non prædestinatus, sed destinatus est, qui semper Deus erat: & venit in virtute, hoc est in eo quod erat. Christus enim virtus Dei est, & Dei sapientia. Prædestinatus etiam est Christus seu destinatus in virtutem, id est sine omni obligatione peccati, quod vel origine traheret, vel voluntate perpetraret. Hæc autem ejus prædestinatio, ipsa est ipsius claritas: quam qui in mundo natus est homo, habuit apud Patrem, *priusquam mundus fieret.* Vbi sicut ipse prædestinatus est, vt esset caput nostrum: sic & in ipso prædestinati sumus, vt membra ejus essemus. *Secundum spiritum sanctificationis.* Prędestinatus quippe est nasci secundum spiritum sanctificationis, de cujus matre dictum est ad Ioseph. *Quod enim in ea natũ est: de Spiritu sancto est,* Et ad matrem ipsam. *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi* Licet enim caro de carne verè nasceretur, conceptio tamen carnis ipsius spiritualis omnino fuit: hoc agente in ea amore Dei, & Spiritu sanctificationis, quod in cæteris hominibus agere solet peccati originalis tabe omnes inficiens fomes peccati, & amor carnis. Vbi tamen Christianæ pietati de Christo scandalum fidei cauendum est: ne dicat vel credat filium esse Spiritussancti de Spiritu sancto conceptum. Concepit enim Maria de Spiritu sancto, non quòd de substantia Spiritussancti semen partus acceperit: sed quia per operationem Spiritussancti diuino partui natura substantiam ministrauit. Nam quia in sancta ejus anima amor Spiritussancti singulariter ardebat: ideo in carne ejus virtus ejusdem Spiritus mirabilia faciebat. Sequitur. *Ex resur-*

Marginalia (left column): Acto. 13. *Vnde Paulus dictus qui priùs Saulus.* — Isai. 49. — *Christus grecè Messias hebraïcè* — Psal. 20. — Acto. 13. — Vers. 2. — Vers. 3.

Marginalia (right column): *Homo in vnitatem personæ à Deo assumptus.* — Vers. 4. — *Prædestinatio Christi hominis.* — Ioan. 17. — Matth. 1. — *Quomodo Christus de Spiritu sancto sit conceptus.*

rectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri. Potest intelligi, quòd ex resurrectione mortuorum, quos resuscitauit Christus, vel quos in resurrectione sua resurrectionis ejusdem habere voluit testes & consortes, manifestum fecit & euidens, esse se filium Dei. Sed etsi rursum referatur hoc quod dicit, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri, hoc modo, vt dicatur Paulus vnus ex resurrectione mortuorũ Iesu Christi Domini nostri; scilicet pro quorũ vita Iesus Christus Dominus noster mortuus est, vt eos à morte animæ suscitaret, non debet videri absurdum: quia nec in Scripturis est insolitum. Sic enim & illud est. *Daniel ex filijs captiuitatis Iudæ* Sed cum paulò superiùs præmiserit, *Paulus seruus Christi Iesu*, vt quid hic iterum, *Iesu Christi Domini nostri?* Vsitatus inuenitur modus hic locutionis in Scripturis, maximè veteribus: sicut ibi. *Et fecit Moyses, sicut præceperat Dominus Moysi.* Vel quod credibile magis videtur, dulce quiddam Paulo nomen ejus sapiebat in ore, cujus ei amor ardebat in corde: & suaue ei erat dicta seu scripta sua, quæ de illo erant, crebra nominis ipsius commemoratione respergere. Sed & pronominibus nominis ipsius, sicut est, *in quo, per quem, in ipso, per ipsum,* tam crebrò vbique & importunè vti videtur; vt nonnumquam tædium legenti facere videatur, si nõ cogitetur scribentis affectus. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum.* Per quem, sicut reconciliatorem pro peccatis nostris, accepimus gratiam, id est ipsorum remissionem peccatorũ: per quem, sicut per sapientiam in contemptum præsentium, sapit nobis gratia futurorum. *Per quem*, inquit, *accepimus gratiam & Apostolatum:* gratiam ad laborum patientiam, Apostolatum ad prædicationis authoritatem: gratiam in persuadendo ea quæ persuadenda sunt, Apostolatũ in coërcendo eos qui coërcendi sunt. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Tantam etenim gratiam in hujusmodi Apostoli adepti sunt: vt gentes quæ erant alienæ à testamento Dei & conuersatione Israël, non solum in suscipiendo fidem prædicatoribus crederent: sed etiam nouum vitæ modum & religiosæ conuersationis ordinem pro nominis Christi reuerentia suscipere obedirent. *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Nõ primùm vocatis sanctis, & postmodum quasi pro sanctitate dilectis; sed primùm gratuitò dilectis, & postmodum vocatis sanctis, id est vocatis, vt sancti sint, vt gratia sit gratia. *Vocatis*, inquit, *sanctis.* Vsu communis locutionis fabri discipulus quantumvis recens, jam faber dicitur, similiterque in cæteris artium disciplinis. Sic quicumque vocatus jam nomen dedit in professione sanctitatis: jure jam sanctus vocari potest. Vnde & Propheta confidenter; *quoniam*, inquit, *sanctus sum.* Scribit autem Paulus vocatus Apostolus discipulis vocatis sanctis: quoniam sicut vocatus est per gratiam Paulus, vt esset Christi Apostolus; sic quilibet eorum vocatus est per eandem gratiam, vt esset Christianus, & dilectus sanctus. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Gratia Dei est, qua nobis peccata dimittũtur, vt reconciliemur Deo; pax, qua reconciliamur; sicut dictum est, *lex & Prophetæ,* cum cõstet, quia in lege & Prophetæ contineantur. Vtrumque enim & remissio & pax, ad generalem Dei gratiam spectat. Benedictio autem hæc Apostolica gratiæ & pacis, in omnem Ecclesiam data intelligenda est: nec minoris æstimanda virtutis à benedictionibus illis Abraham, Isaac, & Iacob, super liberos suos: cùm confidenter de semetipso idem Apostolus prædicet dicens. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Et iterum, *puto*, ait, *quod & ego spiritum Dei habeam.* Ex Apostolica hac benedictione vsque hodie credendæ sunt florere Ecclesię. In quibus autem inuenitur pax Dei; proculdubio est & gratia. Sin autem, longè fit à peccatoribus salus gratiæ, ad prædicantem verò reuertitur pax sua: sicut Dominus in Euangelio dicit ad discipulos. *In quacumque*, inquit, *domum intraueritis; dicite. Pax huic domui. Et si fuerit in ea filius pacis, requiescet super eum pax vestra. Sin autem ad vos reuertetur.* Primũ quidem *gratias ago Deo meo.* Optimum gratiæ prædicator à gratia sumpsit exordium: vt sicut primò Deus adorãdus, postmodum verò orandus; vnde Psalmista, *Laudans*, inquit, *inuocabo Dominum:* sic à prædicatore gratiæ, primò gratiæ ei agantur, à quo gratia omnis speratur & accipitur: deinde verò suo ordine gratia ipsa prædicetur. Placet enim summo & bono Deo in bonum nostrum in donis suis sensus accipientis non ingratus: & humilis ac pius intellectus diuinæ bonitatis: placet ei multùm de profectu fraterno ad Deum in affectu congratulantis fraternæ sacrificium charitatis. Et sicut apud eum nullum peccatum majus deputatur, quam gratiæ ejus esse ingratum: sic animo fideli, & diuinarum fideliter assueto gratiarum, nil dulcius, nil jucundius est, in profectu sui, siue proximi, ipsarum actione gratiarũ. Agimus autem gratias pro nobis, cùm gratiam ipsam quam accipimus, quàm gratis accipiamus à Deo fideliter cogitamus: & cogitando in amorem largientis deuotiùs nos & humiliùs excitamus: siue cùm boni operis facultatẽ, quam gratis accipimus in affectu, gratanter Deo reddimus in effectu, ipsa gratia etiam hoc operante in nobis. Pro proximo verò gratias agimus; cùm in eo quem in Deo diligimus, gratiam nos accipere gratulamur. Qui ergo gratus semper in his coram Domino studet apparere, & in semetipso semper potiora dona accipere meretur, & dignus est & aptus etiam pro alijs interuenire. *Primum*, ergo ait, *gratias ago Deo meo.* Magna hominis fiducia, magnus affectus pietatis: suum dicere, Dominum Deum omnium. Sic tamen est. Qui enim dulci & pio affectu, & secura & præfidenti charitate dicit, *Deus meus*, securus dicit, quia suum sibi fecit eum cujus ipse est: & securè coram eo cui offert, deponit quicquid offert, cui tam præsenti semper sibi præsentissimus sẽper & ipse est. Non potest hoc dicere, cujus Deus venter est, siue aliud quid, quod pro Deo amat, vel cum Deo; non autem propter Deum. Solus quippe amandus est Deus: nec aliquatenus coinquinari patitur amoribus alienis amor ejus: qui solus sufficit amanti. Dominus etiam Deus omnium, hominis illius propriè Deus est cui placet in semetipso, & propter semetipsum Deus: & in omnibus judicijs suis fixa in hoc statione voluntatis perseuerat animus ejus. Placitũ etenim animi, quieta voluntas est. Quod propriè singulariter in amando Deo intelligendum est: citra quem, & vltra quem, & extra quem, nihil quod propter eum & in ipso non ametur, amandum est. Qui enim labi cum labente non vult:

Marginalia: *Daniel 5.* — *Rom. 1.* — *Exod. 40.* — *Paulo dulcissimè sapiebat nomen Iesu.* — *Rom. 1. 5.* — *Rom. 1. 7.* — *...r Christiani vocentur sancti.* — *Psalm. 85.* — *2. Cor. ...* — *Luc. 10.* — *Vers. 8.* — *Psalm. 17.* — *Gratitudo Deo grata, ingratitudo odiosa.* — *Rom. 1. 8.* — *Quis securè possit dicere* Deus meus.

vult: in stabili figat gressum necesse est. Sed & beatus homo, cujus est Dominus Deus ejus, fit vicissim homo Dei, cùm, sicut Apostolus seruiebat Deo in euangelio filij ejus in spiritu suo, sic quilibet in spiritu suo, de Spiritu sancto seruit in rebus Dei. Hoc est quod in Cantico Canticorum dicit Sponsa de Sponso. *Dilectus meus mihi, & ego illi: in medio vberum meorum commorabitur.* *Cant. 1. & 2.* *Gratias* ergo, ait, *ago Deo meo per Iesum Christum, pro omnibus vobis.* Sic enim Apostolus summus prædicator gratiæ, ad Dominum Deum cordis sui redeundum semper esse sentiebat de omnibus, cum gratiarum actione: nec nisi per Pontificem Iesum, & Mediatorem Dei & hominum; vt per quem à Deo deferuntur nobis gratiarum donationes, per ipsum ei semper referantur ipsarum gratiarum actiones. Vbi etiã obseruandum, quia ad diuersos scribens Apostolus: in alijs gratias agit pro omnibus; in alijs gratias agit, sed non pro omnibus; in alijs nec gratias agit. *Pro quibus gratias agat Paulus.* Vbi pro omnibus gratias agit, culpas in eis nullas vel probra exaggerat: vbi gratias agit, sed non pro omnibus, sicut ad Corinthios & Collocenses, innuit in eis aliquid esse reprehendendum: vbi verò omnino supersedet gratias agere, graue aliquid in eis esse denotat, quod gratiarum actioni judicet esse contrariũ. *Quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Ipsa est, inquit, vestra fides, quæ omnium in vniuerso mundo Catholica est fides: quia forma & exemplum vestræ fidei institutio est vniuersi mundi. Forsitan jam præuidebat Apostolus in spiritu, Romæ, vbi sedes erat terreni imperij, futuram fore primam sedem Christiani sacerdotij, vnde velut à fonte deriuaretur, quod in toto mũdo salubriter prædicaretur & crederetur. *Roma sedes sacerdotij Christiani præuisa.* Vnde nõ solũ gratias agit: sed & de futuro orat, sicut dicit.
Vers. 9. *Testis enim mihi est Deus, cui seruio in Spiritu meo in euangelio filij ejus: quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Nec malum faciebat, qui juratione bene vtebatur: quæ etsi bona non est, dicente Domino, *sit sermo vester est est, non non; quod autem amplius est à malo est:* *Matth. 5.* necessaria tamen est, vt alteri suadeatur, quod vtiliter suadetur: licet sit à malo ejus, cui juratur. Fit enim ab infirmitate ejus, quæ vtique mala est: cui aliter persuaderi vel non potest, vel non speratur. Nullum autem majus hoc juramentum esse, æstimandũ est: quàm ad ea quæ dicuntur, testem inuocare Deum. In quo summopere cauendum est omni juranti: ne contra præceptum legis assumat aliquando in vanum nomen Dei sui. *Exod. 20.* *Testis* ergo, ait, *mihi est Deus: cui seruio in spiritu meo.* Seruitus hæc libera est: quia amoris & pietatis est. Seruio, inquit, in spiritu meo, quoniam volens id ago; non impulsu timoris, non spe mercedis: sed conscientia justitiæ, & amore veritatis. *In euangelio* enim ait, *filij ejus.* Et quid poterat esse gratius, quid seruo fideli assumpto in hoc vasi electionis delectabilius ac jucundius: quàm seruire Deo in euangelio filij ejus? Sequitur.
Vers. 10. *Quod sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis.* Memoriam, inquit, vestri facio in orationibus meis semper & sine intermissione: hoc est, in orationibus meis, quas facio semper, & sine intermissione. Certum enim est, ipsum impleuisse, quod discipulis præcipiebat dicens. *Sine intermissione orate.* *1. Thessal. 5.* *Obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.* Considerandum, quod ad opus euangelij proficiscens, opus sanctum: expectat donec obsecrationibus imploret, non solum prosperum iter sibi fieri; sed & in voluntate Dei prosperum: quia semper iter itinerantis in voluntate Dei prosperatur. Tunc autem in voluntate Dei itineris prosperitas est: cùm similis est causa causæ, quam subdit dicens. *V. 11. & 12.*
Desidero enim videre vos; vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos: id est simul consolari in vobis, per eam quæ inuicem est, fidem vestram atque meam. Primò siquidem omnium scire debemus, opus esse Apostolicum, fratres desiderare, siue visitare: sed non ob aliud, nisi vt aliquid gratiæ spiritualis vel eis impertiamur: vel ab eis accipiamus. *Visitare fratres, quandonam sit opus Apostolicum.* Aliàs autem, probabile non est, circuire fratres. Gratia autem, alia spiritualis, alia non. Verbi gratia spiritualis, virginitas, non spiritualis, nuptiæ: cùm tamen vtrumque donum Dei sit. Maximè autem spiritualis gratia sunt, siue in moralibus, siue in mysticis, spiritualis intelligentiæ charismata: quæ spiritualiter spiritualibus cõparanda sunt. Quos ergo Apostolus ad perfectionis robur incitat: eis quæ spirit⁹ sunt, impertiri præoptat. Quod cùm fit, & ipse accipit consolationem, opus suum in discipulorum profectu, firmum videns & stabile: & illi consolantur, qui participes fiunt apostolicæ gratiæ. Nec enim deesse potest mutua ad alterutrum fidei ædificatio: cùm & discipuli vident in magistro, quod imitentur: & magister ex discipulorum profectu ad majores pro euangelio labores animatur. Nec suam circa fratres solicitudinem vult eos ignorare: vt in cordibus eorum rebus docendis locum præparet cognita beneuolentia doctoris. *Et prohibitus sum vsque adhuc.* *Vers. 13.* A quo prohibitus? Si dicimus à Deo, non est certè indignum Deo, disponere actus seruorum suorum, qui nouit super quam ciuitatẽ pluere debeat pluuiam verbi Dei, & super quam non. *A quo sit prohibitus Apostolus.* Vnde est & in Actibus Apostolorum. *Voluimus ire in Bithiniam: sed prohibuit nos Spiritus Iesu.* *Actor. 16.* Si autem, sicut alibi dicit manifestiùs, prohibitum eum dicimus à Satana; *1. Tessal. 2.* patitur & hoc nonnumquam Deus, ad probationem perseuerantiæ seruorum suorum. Verumtamen sciendum est, quia intentionem sanctam, & quod in proposito cordis sanctum molitur consilium, nullo modo scire, siue interturbare potest Satanas: nisi signis illud exterioribus aliquibus deprehendat. Quod verò per exteriorem exhibetur actionem, impedire potest: si tamen permiserit Deus. *Vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cœteris gentibus.* Vbique Apostolus talenta Domini dispensabat: vndique ei lucra cõtrahebat. Vbique seminabat, vndique metebat. Vt aliquem, inquit, fructum habeam in vobis. Non enim prætereundum est, quòd bonorum aliquem fructum singulariter sæpius pronunciare videtur: opera verò carnis quæ exprobrat, pluraliter. Hinc enim alibi dicit. *Galat. 5.* *Fructus enim spiritus est, charitas, gaudium, pax,* &c. De fructibus verò carnis, *manifesta,* inquit, *sunt; quæ sunt fornicatio, immunditia,* &c. *Ibidem* Hoc ideo, quoniam sicut etiam Gentium philosophis placet, virtutes omnes vna virtus sunt: quarum aliquam qui perfectè habet, omnes habet: vitia verò etiam compugnantia sibi adinuicem sunt. *Virtutes inter se connexæ.* Sequitur.
Vers. 14. *Grecis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Nescit cogi charitas, nescit coarctari.

Omnibus se debet, omnibus exhibet. Non refugit græcam sapientiam: non barbarorum insipientiam. Neminem æstimat deserendum: dũ alijs tamquam sapientibus sapientiam loquitur: *1. Corin. 2.* alijs tamquam insipientibus nihil se scire protestatur, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum: alios ex lege docet & Prophetis, alios verò signis suadet & virtutibus. Hinc est, quod ad Timotheum ægrotantem non virtute curationis, sed consilio vtitur medicinæ: Trophimum etiã reliquit infirmum Mileti: patrem verò Publij dissenteria & febribus laborantem solo verbo & oratione curauit: & lapsum de cœnaculo Eutychium vitæ & sanitati restituit. Signa quippe non fidelibus, sed infidelibus; non sapientibus, sed insipientibus debentur. Gratissimè verò subdit. *Ita, quod in me promptum est, & vobis qui Romæ estis euangelizare.* Hoc est, vobis, qui Romæ estis, debitor sum evangelizare, quod in me promptum est: siue quod, id est, quantum in me est. Acsi dicat. Vos qui Romæ estis, de insipientibus non estis. Promptum enim erat sapienti sapientibus loqui: cùm & de insipientibus hoc sentiendum sit, quod alibi dicit. *Si enim,* inquit, *inuitus hoc egero, dispensatio mihi credita est; & væ mihi, si non evangelizauero.* Omnibus enim sapientibus & insipientibus loqui, necesse est euangelizanti: sed illis euangelizare promptus est, de quibus scriptum est. Beatus qui loquitur in aure audientis. Iam ergo vt breuiter quæ dicta sunt recapitulentur, postquam Apostolus non in humanæ sapientiæ doctis & persuasibilibus verbis, sed in simplicitate, sicut ex Deo susceptum ad Romanos euangelij negotium satis commendauit, ex persona euangelizantis, ex authoritate mittentis, ex causa ipsa: postquam quasi ingrediens per epistolam vrbem Romam in abundantia benedictionis Christi, sicut ipse Dominus instituit, in pace eam salutauit, & piæ solicitudinis affectu & orationum officio auditorum sibi beneuolentiam præparauit; ipsum eis euangelium predicare aggreditur: vidensque quasi ad adjutorium suum tam ex Iudæis quam ex Gentibus Romanis mundanam confluere sapientiam, & requieuisse super eos pacem suam, in qua eos salutauerat: exorsus est dicens. *Non enim erubesco euangelium Dei.* Prima siquidem fronte objiciendum sibi sciebat improperiũ crucifixi: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsi verò nec confusio potuerat esse in conscientia jam sanata: nec verecundia in fronte tam libera. *Virtus enim Dei est,* inquit, *in salutem omni credenti.* Vnde & ad Corinthios dicit. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Non ergo erubescebat, quasi improperiũ crucis Christi non sustinens; non quasi aliter docens, & aliter viuens: aut quasi in virtute miraculorum deficiens. *Virtus* autem *Dei est,* inquit, *in salutem omni credenti*: vt intelligatur virtus etiam esse Dei in perditionem non credendi. Est enim virtus Dei etiam in perditionem: dequa scriptum est. *Disperde illos in virtute tua.* Nam & propter has virtutum differentias, dextra & sinistra in Deo nominantur. *Iudæo, primùm & Græco.* Primum Iudæo, deinde Græco, hoc est Gentili; quia salus ex Iudæis est. Græci etiam primum omne hominum genus duabus appellationibus censuerunt, omnem hominem dicentes esse Græcum vel barbarum: barbarus esset, quicumque Græcus non esset. Sed multò veriore distinctione vtitur Paulus, Iudæos primùm ponens, deinde Græcos: & postmodum barbaros. Cùm enim Græci ideo se cæteris præferrent, quia legibus vtebantur: meritò ab Apostolo ipsis etiam Græcis Iudæi prælati sunt: qui ante omnes leges à Deo perceperunt. Nunc de ea primum virtute, quæ in salutem est, exequitur, dicens. *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est. Iustus enim ex fide viuit.* Iustitia hæc quæ credentes justificat, fides est: quæ in veteri testamento velata, in evangelio est reuelata. Quæ ideo justitia dicitur; quia quos continet, justos efficit. Ideo autem Dei, quia & ipsa fides ex gratia est. Proficit verò vel tendit fides hæc, justitia hæc, ex fide annuntiantium, in fidem obedientium: ex fide veteris testamenti, in fidem noui: ex fide in qua ministratur Deo, in fidem qua fruatur Deo: ex fide hic imaginis, in fidem præsentissimæ illic veritatis: ex fide verborum quibus hic credidimus, in fidem rei, quam in æternum obtinebimus. Reuelatur autem in euangelio justitia Dei: quia non jam barbarus, non Scytha, nec omnino aliquis excluditur à regno Dei: sed omnib⁹ æquè patet porta gratiæ. *Sicut scriptum est,* ait, *Iustus ex fide viuit.* Bene hoc in Propheta Habacuc scriptũ est, *Iustus ex fide viuit*: quia credendo intelligere nos facit fides ipsa, quia non ex nobis, sed ex Deo nobis est; non solùm quod bene credimus, sed etiã quod bene viuimus. Neque enim ipsum rectè viuere nobis ex nobis est: nisi credentes adjuuet & orantes, qui & ipsam fidẽ dedit, qua nos ab ipso adjuuandos esse credamus. Erubescat hic hæretica superbia, quæ boni sibi operis primas partes vindicat; dum bonæ sibi voluntatis initium homo vsurpat, quasi à seipso sibi sit. *Reuelatur enim ira Dei de cœlo.* Commẽdatã in reuelatione euangelij pietate fidei, qua justificati Deo grati esse debemus; commendatã etiam virtute Dei in salutem omni credenti, ex hoc articulo ad contrarium conuersus, hoc est ad virtutem ejus in condemnationem non credentium, videtur dicere. Non solùm in euangelio reuelatur credentium justitia & glorificatio: sed & non credentium injustitia & ira, quæ est iusta in eos damnatio. Ira enim in homine motus animi ad vindictam: in Deo verò justa vindictæ executio est. *Quis* autem *nouit præ timore* Dei *iram* ejus *dinumerare?* Ira siquidẽ Dei, vana est & seductoria felicitas impiorum; tribulationis corporalis afflictio, interior obcœcatio mentis, in peccato aculeus conscientiæ, & censura vltionis æternæ: & interdum in eis qui abutuntur, sicut philosophi Gentium & sapientes hujus mundi, ipsa illuminatio mentis. De quibus subdit. *Super omnem impiet. & injust. ho. qui ver. Dei in iniust. det.* Hujusmodi enim hominibus multò melius erat, veritatẽ Dei ignorasse, quàm in injustitia eã detinuisse. *Super omnem* autẽ, ait, *impietatem, & injustitiã,* scilicet tã Iudæi quàm Græci, legem habentis & non habentis. Qui enim peccat in cultum Dei, impius est; quia sicut in Iob legitur, *pietas cultus Dei est.* Ex impietate verò injustitia procedit; cũ defertur creaturæ, quod debetur Deo. Ipsi etiam sunt injusti: qui peccant in fidem, qua justus viuit. Quos etiam vigilanter Apostolus homines appellat:

Marginalia (left column): *1. Corin. 2.* — *1. Timo. 5.* — *Act. 28 & 20* — *Vers. 15.* — *1. Cor. 9.* — *Dictorum summa.* — *Vers. 16.* — *1. Corin. 1.* — *Psalm. 58.* — *Vers. 16.*

Marginalia (right column): *Cur Græci cæteris se præferrent.* — *Vers. 17.* — *Omnibus patet porta gratiæ.* — *Habac. 2.* — *Error semipelagianorũ arguitur.* — *Vers. 18.* — *Psalm. 89.* — *Ira Dei est seductoria felicitas &c.* — *Vers. 18.* — *Iob 28.*

sicut alijs quibusdã, alibi quasi approbando lo-
1. Cor. 3. quitur, dicens. *Nonne homines estis?* Sed vnde no-
titia veritatis eis, quibus Deus legem non dedit?
Vers. 19. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis.*
Non solum illis, sed & in illis manifestum est: hoc est per naturalem intelligentiam quę in illis est, manifestum est illis. Hoc est quod sequitur. *Deus enim illis manifestauit.* Quomodo verò ma-
Vers. 20. nifestauit? *Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; virtus ejus & diuinitas.* Quare manifestauit? *Vt sint inexcusabiles.* Vnde ergo cul-
Vers. 22. pabiles? *Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Sed quid? *Euanuerunt in cogitationibus suis.* Nec impunè. *Obscuratum enim est insipiens cor eorum:* & superbiâ perdiderunt, quod curiositate perceperunt. Hæc verò cordis obcœcatio vel obscuritas, & peccatum est, & pœna peccati præcedentis, & causa subsequentis. Cujus? Super-
Vers. 23. biæ. Superbi enim facti sunt: *dicentes se esse sapientes.* Familiare quippe solet esse superbis, proximos esse stultitiæ. Licet enim non omnis stultus superbus sit: omnis superbus stultus esse cõuincitur. Superbia verò rursum & pœna est pręcedentis peccati, & causa subsequentis. Cujus? Stultitiæ. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et stultitia pœna est præcedentis peccati, & causa subsequentis. Cujus? Idolatriæ.
Vers. 23. Vnde sequitur. *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis,* primùm *hominis*, deinde *volucrum*, postea *quadrupedum*, nouissimè etiam *serpentium*. Rursum idolatria facta est causa sequentis immunditiæ.
Vers. 24. *Propter quod*, sicut sequitur, & dicit: *tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Sicut ergo in euangelio profectus justitiæ Dei multiplici gratia reuelatur ex fide in fidem; sic impietatis & injustitiæ defectus in damnationẽ & mortem. *Tradidit autem*, ait, *eos Deus in de-*
Psalm. 80. *sideria cordis eorum.* Quomodo tradidit? *Dimisit eos*, sicut Psalmus dicit, *secundum desideria cordis eorum*, vt irent *in adinuentionibus suis.* Tradere quippe dimittere est; hoc est cæcos non illuminare; errantes non corripere: infirmos nõ adjuuare. *Tradidit eos in desideria cordis eorum.* Hoc Apostolus, hoc Psalmista. Cor eorum erat cor sibi derelictum, per se obcœcatum, à gratia non illuminatum: in quo ad vltimum di-
Psalm. 13. cit insipiens, *Non est Deus.* Adinuentiones autem eorum factæ sunt secundum desideria cordis eorum: quæ nollent vincere, sed adimplere. Ideo traditi dicti sunt in desideria cordis eorũ. Quæ autẽ fuerunt desideria cordis eorum? Immunditia affectu excedendi humanum modum, actu humanum vsum: intantum vt corpora sua ipsâ inconuenientiâ naturali repugnantia contumelijs naturæ afficerent in semetipsis, & quadam vi applicarent: vt vitio facerent aptiora. Sed quia hæc ad declarandam rei seriẽ per transcursum dicta sunt: paulùlum ad superiora re-
Vers. 18. deundum est. *Reuelatur*, inquit, *ira Dei super omnem impietatem & injustitiã hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit.* Agit hic de philosophis hujus mundi, magnis siquidẽ viris, magni studij, præclari ingenij; qui potuerunt æstimare creaturam, & de creatura creatorem: digni vtique laude, si nõ eos justè percuteret sermo ille propheticus.

Tradit deus dimitendo, & non corripiendo, &c.

Omnis superbus stultus.

Superbia & pœna & causa peccati.

De Philosophis loquitur Paulus.

Accinxi te; & non cognouisti me. Potuerunt et- Isai. 45.
enim videre, Deum esse quamdam vitam æternam, immutabilem, intelligibilem, intelligentem, sapientem, & sapientes facientem, veritatem fixam, stantem, indeclinabilem, vbi quod factum est vita est: vbi omnes rationes rerum & creaturarum sunt æternaliter dispositarum, vel euntium temporaliter. Viderunt enim isti philosophi, quos cæteris non immeritò fama prætulit, nullum corpus esse Deum: & ideo cuncta corpora transcenderunt, quærentes Deum. Viderunt, quicquid mutabile est, non esse summũ Deum: & ideo animam omnem, omnesque mutabiles spiritus transcenderunt, quærentes summum Deum. Deinde viderunt omnẽ speciem in re quacumque mutabili, qua est quicquid illud est, quomodocumque, & qualiscumque natura est, nõ esse posse, nisi ab illo qui verè est, quia incommutabiliter est: ac per hoc siue vniuersi mundi corpus à cælo vsque ad terram, & quæcumque in eis corpora sunt, siue omnẽ vitam, non nisi ab illo esse posse, qui simpliciter est: cui id quod est esse, hoc est illi viuere, hoc est illi intelligere, hoc beatum esse. Et propter hanc incommutabilitatem & simplicitatem, intellexerunt eum & omnia hæc mutabilia fecisse; & ipsum à nullo fieri potuisse. Considerauerunt enim quicquid est, vel corp⁹ esse, vel vitam, meliusque aliquid vitam esse quàm corpus, speciẽ corporis esse sensibilem, intelligibilẽ vitæ. Proinde intelligibilem speciem sensibili prætulerũt. Sensibilia dicimus, quæ visu, tactu, seu quolibet corporis sensu sentiri; intelligibilia, quæ conspectu mentis intelligi queunt. Nulla enim est pulchritudo corporalis, siue in statu corporis, sicut est figura; siue in motu, sicut est cantilena; de qua non animus judicet: quod profectò non posset, nisi melior illo esset. Animus autem species est sine tumore molis, sine strepitu vocis: sine spatio loci vel temporis. Sed & ipse quoque nisi mutabilis esset: non alius alio meliùs, nec ipse modo meliùs, modo minùs, de specie sensibili iudicaret. Vnde ingeniosi & docti homines facilè collegere, non esse in eis rebus primam speciẽ, vbi mutabilitas esse conuincitur. Cùm igitur in eorum conspectu & corpus & animus magis minusque speciosa essent, si autem omni specie carere possent, omnino nulla essent; viderunt esse aliquid, vbi esset species prima & incommutabilis, & ideo his nec comparabilis: atque aliud esse rerum principium rectissimè crediderunt, quod factum non esset, & ex quo cun- Vers. 20.
cta quæ facta sunt, essent. Ita *quod notum est Dei* manifestauit eis ipse; cum ab eis *inuisibilia ejus per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus ejus*: quæ regit & continet omnia: *& diuinitas*, quæ implet omnia. Hæc de Deo philosophi gentium & sapientes hujus sæculi viderũt, sed de longinquo viderunt. Quæsierunt viam, sed eam perdiderunt; quia humiles esse noluerunt. Quæsierunt Deum superba curiositate, quem quærere debuerunt humili pietate: inueniendum arbitrantes in regione rationis, & recessu occultioris scientiæ; qui non inuenitur nisi in regno charitatis & lucidissima sede sapientiæ: sapientiæ autem, non in loquacitate ventosa, sed in charitate perfecta, *de* 1. Timo. 1.
corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Quamvis fuerunt inter eos qui vitam ipsam ratione duce aliquatenus inuenerunt; sed præsu-

Quomodo Philosophi nouerunt Deum.

Philosophi à via errauerunt, propter superbiã suam.

mentes de semetipsis, in ea defecerunt. Vnde egregius eorum Plato? *Fugiendum*, inquit, *est ad clarissimam patriam, vbi Deus pater est, & lucida veritas*. Quæ est hæc classis? Quæ fuga? Similitudo. Intantum enim à Deo longè efficimur, inquantum dissimiles. Inquantū ei similes efficimur: intantum propinquamus. Super hos

Sapient. 13. igitur reuelatur ira Dei: quia sicut in Sapientia legitur, non debet ignosci, quia si tantum potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum: quomodo non faciliùs hujus dominum ad glorificandum inuenerunt? *Reuelatur ergo ira Dei de*

Rom. 1. 18. *cœlo super omnem impietatē & injustitiam eorum*, cùm in prædicatione euangelij annunciatur eis judex venturus de cœlo, judex impiorum atque injustorum: qui sicut propheta dicit, gloriam

Ierem. 2. Dei conuerterunt in idolum, similitudinem adorantes hominum, & volucrum; & quadrupedum; & serpentium. Qui hæc saltem viuentia meliùs adorarēt; nisi dicentes se esse sapientes, nimium stulti facti fuissent. *Qui veritatem Dei in injustitia detinent*. Veritas Dei apud homines, vera & naturalis diuinitatis cognitio est: scilicet verè Deum esse, & curare res humanas, regere ac disponere quæcumque creauit, ipsum qui creauit: quod nulli homini dubium esse potest, penes quem ratio humana est: maximeque illis hominibus, quorum professio erat philosophia, quæ rerum humanarum ac diuinarum scientia est. Veritatem autem hanc detinent in injustitia, quicumque eam detinent in idolatria. Idolatria quippe injustitia est, quæ iustitiæ fidei omnino discontraria est. Homines ergo idola colentes veritatē Dei in injustitia detinent, quasi reluctantem & inuitam: ipsâ humanâ naturâ in humanæ rationis conscientia reclamante ac contradicente, ac redarguente religionis falsitatem. *Etenim quod notum est Dei, manifestum*

Naturalis cognitio Dei.

Quid sit philosophia.

Vers. 19. *est in illis. Deus enim illis manifestauit*. Quod notum est Dei, quod de Deo humana potest ratio attingere per naturam, non ad quod peruenire charitati datur per gratiam, Deus illis manifestauit: rationem sublimioris intelligentiæ capacem donando eis ex natura, intelligentiam verò ipsam ex gratia. Etenim per creaturæ visibilis visibilia manifestauit eis inuisibilia sua; per visibilem creaturam inuisibilē Creatoris potentiam; per visibilem ordinem rerum inuisibilem sapientiā: per visibilia beneficia gratiæ bonitatem siue charitatem inuisibilem: siue quod Apostolus dicit, sempiternam virtutem ac diuinitatem. Sempiterna autem Dei virtus & sapientia, ipse est, de quo ipse Apostolus alibi dicit.

1. Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiā: ipsis autem vocatis Iudeis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*. Diuinitas verò est Spiritussanctus, diuinitas Patris & Filij: qui sicut intelligitur charitas eorum, & bonitas eorum; sic etiam diuinitas est communis amborū, & est commune prorsus amborum, quicquid commune est eorum. Hoc est quod sequitur. *Inuisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quo-*

V. 20. & 21 *que virtus ejus ac diuinitas, itaut sint inexcusabiles: quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerūt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*. Est quippe Deus substantia inuisibilis, siue essentia intelligibilis, lux illuminans & perfundens conuersos, feriens & confundens auersos: splendor præsto ei qui se quærit, calor à quo nemo se abscondit: species omnem animam ratione vtentem rapiens ad contemplandum amorem veritatis, socordem & vanum redarguens conscientiâ vanitatis. Cujus cùm legibus æternis & immobilibus motus instabilis rerum mutabilium perturbatus esse non sinitur, frænisq; circumeuntiū sæculorum semper ad similitudinem stabilitatis reuocatur: indicat se à statu immobilis & immutabilis æternitatis, quantum ad conditionem creaturæ, trahere naturale genus originis. Vbi quæ conditione tantum naturæ aguntur, sicut quælibet insensibilia siue irrationabilia, in ordine suo disponuntur potentiâ, sapientia, & bonitate conditoris; rationalis autem homo dimittitur arbitrio propriæ voluntatis, & judicio acceptæ rationis: vt si præueniente gratiâ voluerit, quò rationis virtute perducitur, ibi inhæreat amoris affectu, & profectu pietatis conformetur, & pulchritudine justitiæ, & beatitudinis perennitate, ipsius plenitudine iustitiæ ad plenitudinem perennis beatitudinis suæ, gratus existens gratuito illuminatori, & adjutori suo Deo, & glorificans eū in semetipso. Et ipsi sunt, qui cùm cognouerint Deū, gratias agūt ei, & glorificant eū. Quod quia non fecerunt sapientes hujus sæculi, de quibus ait Apostolus, *sed euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se à se sapientes esse*, à gratia deserti, & à facie cognitionis Dei projecti sunt, & *obscuratum est insipiens cor eorum*: & sicut jam dictum est, perdiderunt id ipsum quod curiositate didicerunt. Intantum quippe stulti facti sunt, & insipientes, vt dicerent in corde suo, in corde fatuo, & penitus à gratia derelicto; *Non est Deus*; & sicut jam suprà dictum est, mutarent gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedū, & serpentium. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*. Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio. *In quo manifestum est, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, siue ad bonum pro sua misericordia, siue ad mala promeritis eorum; judicio suo vtique aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo, eos deserendo*. Quæritur autem, ei qui traditur, quamvis pro peccatis suis tradatur in concupiscētias, vtrum justè sit imputandum, esse eum in concupiscentijs: sicut ei qui pro criminibus suis carceri deputatur, aptè nullus imputare debeat, quod licet iustè, inuitus tamen sit in tenebris. Sed sicut idem dicit Apostolus; homo spiritus & anima & corpus esse dicitur. Inter spiritum verò & carnem familiaris illa rixa nimis omnibus nota est. Quem non trahit gratia, carni sociatur, & efficitur vna caro, & dicitur de homine illo.

Homo arbitrio volūtatis relinquitur, etiā preuentus à gratia.

Psalm. 11.

Capite 21.

Non permanebit spiritus meus in eo, quia caro est. Genes. 6.

Quem verò trahit gratia, sociatur spiritui, & vnus cum eo spiritus efficitur, & dicitur ei. *Vos autem non estis in carne: sed in spiritu*. Rom. 8.

Trahi ego vel non trahi, hoc est tradi vel non tradi. Cur autem trahitur ille, ille non trahitur, hæc occulta filij sunt: nolli velle quærere, si non vis errare. Si non traheris, ora vt traharis: & si jam fideliter oras, jam traheris, nec traderis. In illis qui trahuntur nec traduntur, sola gratia Dei est: in eis verò qui traduntur, nec trahuntur, irreprehensibilis ejus justitia est. Quibus verò tra-

Quibus tradantur impij.

ditur, qui traditur? Immundis dæmonibus immunda desideria suggerentibus, vt in eorum impletione & implentium perditione, sicut in materia sui operis glorientur. Manifestum enim est hujusmodi homines ipso Dei judicio Satanæ penitus contraditos in interitum carnis ac spirit⁹; nisi celeri misericordia Dei præueniantur. Vnde & antiqui Canones computandos censent hujusmodi inter energumenos; & sic pro eis sicut pro dæmoniacis orandum. Totus iste locus vitiorum sordibus scatens, & immunditiæ κακιυφατοι præferens, negligendus potiùs videtur, quàm legendus. Quod tamen Apostolum scribere prudentissimè nec puduit nec piguit, vt superbos humiliaret, & commoneret eos, quos exitus habeat contemptus Dei. Ad quem etiam finem cultores suos perducit auaritia; quæ seruit potiùs creaturæ quàm creatori, dum plus diligit nummum, quàm Deum. Hi ergo quali judicio vsi sunt circa diuinitatis veneratione, fœdas ei præferentes animalium imagines, tali etiã vice erga semetipsos vtuntur, viuentes irrationabilium more bestiarum; & abjecta Dei imagine, eorum imagines adorantes. Et hæc est merces, quam vt oportuit, justo judicio Dei in semetipsis receperunt. Quare? *Quia commutauerunt*

Vers. 25. *veritatem* creaturæ *Dei in mendacium*, Deum appellantes opus manuum suarum. *Et sicut probabiliter monstrauerunt Deum non habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum*: vt qui sensum abjecerant Dei, in suo sensu probarentur reprobi. Ipsi enim credendi sunt Deum habere in notitia, vbique scientes ejus esse præsentiam, qui coram eo vel nolunt, vel non audent peccare. Vnde propheta pœnitẽs deplorat dicens. *Coram te peccaui. Repletos omni iniquitate*, id est omnibus his iniquitatis partibus. *Malitiã.* Malitia fons est & sentina, & quasi matrix quædam malorum omnium. Scriptum est. *Sapientia odit malitiam.* Sapientia quippe contraria est malitiæ, quia sicut bonum huic, sic malum illi sapit in cogitatione. *Nequitiã.* Nequam est, qui tantum facere nequit, quantum malitia cordis ejus suggerit. *Inuidia*, odium est fœlicitatis alienæ, cùm nocere non possit. Prætereunda sunt, quæ sunt manifesta; nisi quod hoc prætereundum non est, quod susurrones conjunxit & detractores; quos pariter pronunciauit Deo esse odibiles. Ad vltimum verò insipientes posuit & incompositos: quia hæc omnia quẽ cœperint, ad quamdam cordis perducent insipientiam, & fatuam incompositionem morum: intantum vt in quemdam naturæ stuporẽ incidentes, nullam ad proximum vllum habeant affectionem, vel ad quemlibet habiti cujuslibet fœderis fidẽ: nullum in necessitate alicujus misericordiam. Quod quam sit legi naturæ contrariũ, ipsi⁹ etiã naturæ euidens documentum est. Tres enim in corpore inueniuntur affectiones, sanitas, stupor, immortalitas. Sanitas ægritudinem non habet, cum tamen molestatur, dolet. Stupor non dolet, amisit sensum doloris, tantò pejor, quantò insensibilior. Rursum immortalitas absumpta omni corruptione non dolet. Nullus ergo dolor in corpore immortali; nullus in stupido; & tamen vicinior est immortalitati sanitas dolentis, quàm stupor non sentientis. Sic non sine affectu existens anima sapientis, dicit

2. Cor. 11. de sensu sanitatis. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror?* Et cætera. Ex fonte ergo superbiæ, in quo dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, omnis malorum horum quæ dinumerata sunt, pestifer fluius emanauit; cujus formidolosus auertendus est excursus & cauendus. Per hunc enim omnes reprobi suauiter in infernum nauigantes, tres voluptatum suarum portus attentant, & in singulis singulas patiuntur traditiones. *Reprobi tres voluptatum portus attẽtant.* Verbum autem hic traditionis quantum ad Deum qui tradit, sententia est iustè judicantis; quantum ad eum qui traditur, deceptio est peccati fallentis. Primò ergo superbiam amplectentes & idolatriam, traduntur in desideria cordis in immunditiam; secundò quasi sapientiores & proficientes in pejus, nec tantum idolis, quantum rerum naturæ sacrificandũ esse judicantes, traditi passionibus ignominiæ grauioribus accumulantur flagitijs; tertiò abjecta jam Dei notitia traditi in reprobum sensum, in puteum omnis nequitiæ, & desperati interitus demerguntur: & iudicio mortis æternæ os suum puteus vrget super eos; judicante Apostolo & dicente, *quia qui talia aguntur digni sunt morte.* *Vers. 32.* Agunt, inquit, non egerunt. Nam qui egerunt, & jam non agunt, sed pœnitentiam agunt, vita digni sunt. Et notandum, primo & secundo loco superbiam plecti talibus pœnis: vt si quid saperent, jam eis vlterius superbiendum non esset. In tertio verò jam plenariè totam induunt insipientiam: vt tantò plus superbire libeat, quantò minor fit superbiendi materia. Sorores quippe sunt individuæ stultitia & superbia: nisi quod tantò tolerabilior est stultitia, quantò nonnumquam sine superbia inuenitur: superbia verò numquam est sine stultitia. *Superbia & stultitia sunt sorores.* *Cùm justitiam Dei cognouissent: non intellexerunt, quia qui talia agunt, digni sunt morte.* Oculus quippe sibi erant, ideo cognoscebant: lumen verò esse sibi ipsi non poterant: ideo nõ intelligebant. Habebant quippe à Deo rationem naturæ, quam sibi proteruè arrogantes non curabant quærere auxilium gratiæ: ideo intelligere non potuerũt, quod plurimum eis expediret intelligere. *Non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Consentire est, cùm peccante, quantum ad peccati affectum, idem sentire. Vel consentire, est fouere errorem, & tacere, cum possit arguere. *Qui consentiant facientibus mala.*

Caput 2. Vers. 1.

PROPTER *quod inexcusabilis es ô homo omnis qui judicas.* Doctor egregius & miræ in euãgelio prudentiæ, qui omnibus omnia fieri nouerat, Gentium Apostolus ministerium suum semper solicitus & ædificare, & honorificare, postquam satis partem gentium secundum priorem statum depressit & humiliauit, quia sic expediebat; jã ne cornua adderet insultationi Iudæorum, flagellum correptionis in eos conuertit: vt quos pares censura disciplinæ faceret; par etiam consolatio in pace Christi dulciùs vniret. *Corripit hic Iudæos, vt cap. 1. Gentiles.* Et cùm eadem quæ Gentibus, quantum ad idolatriæ & immunditiæ sordes grauissimè eis imputare posset, quippe quibus libri Prophetarũ pleni sunt: prudenter tamen parcit, ne cum ventum fuerit ad legis quæstiones, quas molestissimas eis futuras non dubitabat; patientia lassescens caderet sub pondere, si nimis onerata esset. Quin etiã de specie conuersa ad genus, publicam hic facit esse omnium eorum correptionem corripientis modestia: vt & alij in correctione eorum proficerent, & ipsi, vt dictum est, in patientia non deficerent. Quia ergo, inquit,

Quinam Dei notitiã habere credendi sint. Psalm. 50. Vers. 29. & seq.

omnes, & qui faciunt, & qui consentiunt, digni sunt morte; *inexcusabilis es, ô homo.* Inexcusabilis est, quem non latet veritas: & perseuerat in eo iniquitas. *O homo.* Homo qui in honore positus legem Dei habes, & secundum legem Dei judicas: & cum eo homo omnis peccator, vel ex reatu originis, vel ex additamento propriæ voluntatis, siue qui nouit, siue qui non nouit; quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubio peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati: propterea, ô homo, qui ex lege judicas, inexcusabilis es: sed & tu omnis homo, qui nec legem nosti, nec judicas, nihilominus inexcusabilis es. Non enim admittit excusationem, qui scit se hominem rectum fecisse, & insuper obedientię dedisse præceptū: testimonium conscientiæ in lege naturæ. In neutro ergo justa est excusatio; sed in vtrumque justa damnatio. Si enim inexcusabiles illi, qui inuisibilia Dei à creatura mūdi per ea quæ facta sunt intelligere nō potuerūt: quanto magis qui ex lege ejus instructi, confidunt se esse duces cœcorum, & lumen eorum qui in tenebris sunt? Ad eos quippe hic sermo dirigitur. *O homo,* non spiritus: humana quippe superbia excusare te niteris, humana sapiens: & secundū hominem judicans. *In quo enim judicas alterum, te ipsum damnas. Eadem enim agis, quæ judicas.* Hominibus in hominibus judicantibus, vel etiā punientibus quæ ipsi agunt, mundus plenus est: qui cùm alios iudicant, in seipsos sententiam dictant. *Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Cum aliquando quædam, quæ mala videntur, bono animo fiant, & bona malo; alia verò sint, in quibus siue in bono siue in malo operantis animus concordat: ejus solius est in veritate judicium, qui corda nouit dijudicare. *Existimas autem hoc, ô homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?* Fugiant qui oderunt eum à facie eius. Qui enim Deum diligunt; judicia eius non fugiunt, sed appetunt: quia in eis justificandos se esse confidunt. Porrò qui fugiunt, effugere non possunt. Sequitur. *An diuitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis?* Iam contemptorem reddidit solicitum: ideo causam patientiæ subnectit dicens. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Bonitas Dei inæstimabiles diuitiæ sunt: quia sicut solem suum oriri facit, sic etiam cætera bona sua diffundere non cessat super bonos & malos. Patientia verò Dei est in eos qui contemnūt: longanimitas in eos qui infirmitate potius quam proposito delinquunt. Perseuerantibus quippe peccatoribus in nequitia, perseuerat Deus in patientia, per pauca in hoc sæculo puniens, ne diuina prouidentia non esse credatur: multa extremo examini reseruans, vt futurum iudicium commendetur. Animus verò malè sibi conscius jam totus datus in pœnam, cùm nullam sibi pœnam videtur pati: credit, quia non judicet Deus. Ipse est sensus reprobus, ipsa est cœcitas & obduratio cordis; ipsę sunt interiores tenebræ, quibus ab interiori luce Dei peccator secludatur: non autem penitus quamdiu in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem iudicij pertinere intelliguntur: vt penitus extra Deum sit, qui corrigi non vult, dum tempus habet. Penitus autem esse extra Deum, quid est, nisi esse in summa cœcitate? Siquidem Deus habitat lucem inaccessibilem: quò ingrediuntur, quibus dicitur. *Intra in gaudium Domini tui. Ignoras,* inquit, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Hoc, quamdiu tempus est misericordiæ. Vis audire tempus iudicij? *Secundum duritiam tuā & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis justi judicij Dei.* Duo sunt genera pertinaciter peccātium; alterum misericordiam Dei sibi promittentium: alterum ob scelerum suorum enormitatem desperantium. Propter illos, qui ex spe misericordiæ dilationibus illuduntur, extremum diem fecit Deus incertum: popter eos, qui desperando periclitantur, indulgentiæ portum. Et siue hic, siue ille, nisi citò se corrigat, in die iræ iram sibi thesaurizat. Thesaurus est, vbi diuersarum opum diuitiæ quasi minutatim reconduntur, vt quasi simul in vnū ibi cumulum inueniantur. Tres ergo thesauri inueniuntur in scripturis: thesaurus in terra, thesaurus in cœlo, & hic qui thesaurus iræ appellatur. Qui corde impœnitenti in thesauro iræ actus suos recondit, durus dicitur, qui thesaurizat in terra, stultus nominatur. *Stultè,* inquit, *hac nocte animam tuam repetunt à te.* Sapiens autem & in Deum diues, quæcumque agit, digna facit regno cœlorum. Thesaurizat ergo carnalis in terra, animalis in ira, spiritualis in cœlo. Dies iræ dies iudicij, vbi vnicuiq; fideliter proferetur, quis, quid, vel vbi thesaurizauerit. Vbi iudex non tam adnotabit facultatem, quam coronabit voluntatem. Voluisti, nec forsitan potuisti; sic te adnotabit, quasi feceris quod voluisti; & de te quoque dicetur, *vnicuique secundum opera ejus.* Quanta verò hic diuersitas meritorum; tanta ibi erit vel gloriæ vel suppliciorum. Vbi tamen absit, vt impediant iustum à vita æterna quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita vix, aut numquā transigitur: sicut nec prodeerunt impio quædam bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis inuenitur. Sed miseri homines cùm audiunt hic ignem æternum, promittunt sibi ibi purgatorium. Multi, inquiunt, saluabuntur ibi; sic quasi per ignem. O spem desperatorum! Primò sciendum est, quia nihil in hac vita illo igne durius cogitari potest. Tamen, testante Apostolo, vtique per ignem ibi saluabitur: qui super fundamentum Christum, non *aurum, argentum, lapides pretiosos;* sed *ligna, fœnum, stipulam* ædificat: non tamen respuit ne recipiat, nec receptū respuit fundamentum; idque omnibus carnalibus suis, quibus capitur vel succumbit, delectationibus anteponit, cùm ad hunc articulum vētum fuerit, vt aut illa deserantur, aut Christus. Vbi si non anteponitur Christus: nō illi est fundamentū. Omnibus quippe structuræ posterioribus partibus, anteponitur fundamentū. Nec etiam quemquam ibi Christi vel boni quæcumque ignorantia sic aliquem excusat, vt sempiterno igne non ardeat: nisi quòd si ideo non credidit, quia non audiuit, forsitan minus ardebit. Hæc interim dicta sint pro die iræ, *in qua reddet Deus vniquique secundum opera ejus: his qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorē & incorruptionem quærentibus, vitam æternam.* Hoc est quod dicit, & hic ordo sensus subsequentis. Quærentibus, inquit, gloriam, & honorem & incorruptionem, pro boni operis patientia, vita æterna dabitur à Deo, non solum

Quando ignorantia sit peccatū, & quando non.

Vers. 1.

Vers. 2.

Vers. 3.

Vers. 4.

Bonitas Dei in omnes, patientia in malos

Esse extra Deum, est esse in summa cœcitate.

Matth. 25.

Vers. 5.

Duo genera pertinaciter peccantium.

Tres thesauros scriptura commemorat.

Luc. 11.

peccata venialia, & purgatorius ignis.

1. Cor. 3.

Quibus Christus sit fundamentum.

Vers. 6. & 7.

Iudæis, quibus credita videntur eloquia Dei, sed etiam Græcis: quia iustum est iudicium Dei: nõ tantum Deus Iudæorum est, sed & Gentium: his verò qui per contentionẽ mentis & animi prauitatem veritati non credunt, sed iniquitatem sequuntur, reddetur ira & indignatio, tribulatio & angustia, non solum Gentili, sed & Iudæo: quia non est personarum acceptio apud Deum. Hæc quidem quantum ad sermonum ordinem spectat: sed nunc quæ ad interiorẽ sensum pertinent, requiramus. *His*, inquit, *qui secundum patientiam boni operis*, id est qui fructum afferũt in patientia; *gloriam & honorem*. Gloria hæc, incorruptionis & immortalitatis erit in resurrectione, tam in corpore quàm in anima beata felicitas. Honor autem ipse erit, quem habuit homo, priusquam compararetur iumentis insipientibus, & similis eis efficeretur: cùm scilicet delicijs paradisi Dei affluens, visione Dei & collocutione assiduè fruebatur. Reddentur autem hæc in vita æterna, quærentibus vitam æternã; de qua ipsa vita dicit. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum; & quem misisti Iesum Christum.* Deum ergo propter Deum quærentibus ipse erit vita æterna, ipse honor, ipse gloria; ipse erit omnia in omnibus. *His autem qui ex contentione, & non adquiescunt veritati, credunt autem iniquitati: ira & indignatio,* & cætera. Intellige prudens lector, quæ apponuntur tibi: & vide quod bene operantibus reddere dicitur Deus gloriam & honorem, & vitã æternam; reprobos autem ira expectat & indignatio, angustia & tribulatio: quæ tamen à Deo non reddenda dicuntur. Nam quæ bona sunt à Deo accipimus; mala verò ipsi nobis consciscimus. *His*, inquit, *qui sunt ex contentione.* Contentio est, quæ hęreses facit, & schismata & scãdala suscitat: ex quo fit vt non obediatur veritati; credatur autem iniquitati. His ergo ira, & indignatio, angustia & tribulatio. Ira est ex peccati conscientia incussus animæ cruciatus. Indignatio verò, ipsius iræ, & quasi vulneris, tumor quidam intelligitur, & per singula quæque cõmotio: vt si verbi gratia vulnus aliquod pessimum irã ponamus, cujus tumor & distentio indignatio vulneris appelletur. Tribulatio verò est, non quæ latitudinem faciat, de qua dicitur, in tribulatione dilatasti mihi: sed eam potiùs faciat angustiam, quæ dilatationi illi contraria est; id est, in bene agendo ex gratia Dei exhilaratæ voluntati. *Iudæo primum*, qui sciuit voluntatem Domini, & non fecit digna; & ideo vapulabit multis. *Deinde Græco*, qui quia non cognouit, forsitan vapulabit paucis. Interest enim cognouisse Deum, & cognouisse voluntatem ejus. Potuit quippe Gentilis cognoscere Deum à creatura mundi: voluntas autem Dei cognoscitur à lege & Prophetis.

Quam gloriam & honorẽ hic Apostolus prædicet. — *Ioann. 17.* — *Vers. 8.* — *Contentio hereses & schismatum genera.* — *Psam. 4.* — *Nosse Deũ, & eius voluntatem, non idem est*



LIBER SECVNDVS.



Rom. 2. v. 11. NON *enim est personarum acceptio apud Deum.* Omnis anima rationalis, etiam cupiditate cœcata, tamen cũ cogitat & ratiocinatur, quicquid in ipsa ratiocinatione ei verum elucet, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis: quo vel tenuiter illustrata, verum aliquid sentit ratiocinando. Nulla est enim anima quamuis peruersa, quæ tamen ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus. Manus enim formatoris nostri in ipsis cordibus nostris scripsit. *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris*: &, *quodcunque vultis, vt faciant vobis homines: & vos facite eis similiter.* Hoc etiam antequàm daretur lex, nullus ignorare permissus est; vt esset vnde judicarentur, etiam qui legem scriptam non accepissent, Sed ne sibi aliquid homines deesse quererentur, scriptum est, & oppositum oculis eorum: quod in conscientia videre cogerentur. Sed legem scriptam soli acceperunt Iudæi: legẽ verò naturalem, tam Gentiles quam Iudæi. Opera verò legis scriptæ bipertita sunt: & partim in sacramentis, partim in moribus accipiuntur. Ad sacramenta pertinet Circumcisio, Sabbatũ, & alia huiusmodi. Ad mores verò, *Non occides, Non mœchaberis*, & his similia. In obseruationibus, si non intelligũtur & obseruantur, sola seruitus est. Si intelliguntur & obseruantur, prosunt, sed in suo tempore: sicut à Moyse & Prophetis obseruata sunt, cùm adhuc talis seruitus vtilis esset, vt sub tutore & timore custodirentur. Nihil autem tam piè terret animam: quàm sacramentum non intellectum. Intellectum verò, gaudium parit: & celebratur liberè, si opus est congruum tempori. Sin autem, cum suauitate spirituali legitur tantum, & tractatur. Omne autem sacramentum cùm intelligitur, aut refertur ad contemplationem veritatis; aut ad bonos mores. Contemplatio veritatis in solius Dei dilectione fundatur: boni verò mores in dilectione Dei & proximi: in quib⁹ *tota lex pendet & Prophetæ.* Quantum spectat ad mores, lex scripta & lex naturalis penè eadem est, æquè communis tam Iudæis quàm Gentibus: nisi quod alter scriptam eam habet in tabulis & in ratione; alter in sola ratione. Vis quippe illa naturalis inest vtrisque: qua rationale animal legitimum aliquid & sentit & facit. Ideo sicut hic dicitur, *nõ est personarum acceptio*: sed *qui peccauit in lege*, id est in obseruatione legis scriptæ positus, secundum legem judicabitur, quæ peccata prohibet, & suam singulis peccatis pœnã inscribit: *qui verò sine lege* scripta *peccauit*, judicabitur *sine lege*, id est non per legem quam non accepit: sufficiente ei ad judicium eã quam accepit. *Non enim auditores legis, sed factores* siue scriptæ, siue naturalis, *iustificabuntur apud Deum.* Quod dicit factorem legis tantum iustificari apud Deũ: sanum intellectum desiderat, videlicet ne contrarium videatur ad id, quod alibi dicitur. *Si ex operibus, jam non ex gratia* & *Gratia nõ n est gratia.* Absit enim, vt quasi facienti legem ex operibus ipsius legis accedat iustitia: sed ad hoc vt faciat legem, in eo ipso quod eam facit, justificatur à gratia: non priùs factor legis, vt quasi pro facta lege justus fiat: sed sicut creatur homo, vt sit homo: sic faciens legem justificatur, vt sit justus; vel esse appareat, quod in faciendo est: id est

Deus loquitur cuilibet animæ per legem naturalem. — *Matth. 7.* — *Opera legis quædam sacramentalia, quædam moralia.* — *Matth. 22.* — *Lex scripta & naturalis quo ad mores penè eadem.* — *Vers. 12.* — *Vers. 13.* — *Rom. 11.*

De conuersis ad fidem hic agit Paulus.

justus. Sciendum autem, quia de Iudæis hic loquitur conuersis ad Dominum, legem spiritualiter implentibus. Gentilis etiam conuersus naturaliter quæ legis sunt facit, & faciens iustificatur: quia legem naturalem cordi ejus naturaliter inscriptam à Deo, sed deletam ex vitio, instaurat in eo spiritus gratiæ. Cui conuerso ad Dominum, hoc est legem Dei habere scriptam, non in tabulis sed in corde, intimo cordis affectu iustitiam legis amplecti; vbi fides per dilectionem operatur. Vnde & sequitur. *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum: & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in die cum judicabit Deus occulta hominum, secundum euangelium meum, per Iesum Christum.* Cogitationum, inquit accusantium. Græcam consuetudinem sequi videtur Latinus interpres: qui cũ casum ablatiuum non habeant, genitiuo vtuntur pro ablatiuo. Cogitationum autem dixit: quia ex cogitatione opera dijudicantur, & innocens quis vel reus dijudicatur. Cogitationũ verò dixit, non earum quæ tunc erunt, sed quæ modò sunt: quia & facta nostra omnia; & cogitata, licet pereant à memoria, non pereunt à conscientia: quæ coram judice Deo omnia proferentur in lucem. Tremendum sane judicium, vbi extrinsecùs nihil adducitur, sed de conscientia totum producitur, & accusator, & testis, & judex, & causa. *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege.* Ingreditur hic Apostolus validam & necessariam disputationem de lege, non tantum aduersus Iudæos, sed & contra inimicos gratiæ: & eos quos paulò suprà ex contentione denotauit. In qua plurimum adjuuabit lectoris studium, si quatuor differentias vel legis, vel profectus in lege, memoriæ commendatas habuerit. Cùm enim in altissimis ignorantiæ tenebris nulla resistente ratione secundũ carnem viuitur, hæc sunt prima hominis. Deinde cùm per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum diuinus adjuuat spiritus, secundum legem volens viuere, vincitur, & sciens peccat; id agente scientia peccati, vt peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam: & cumulo præuaricationis adjecto impleatur quod scriptum est, *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus, vt ad implenda quæ mandat ipse adjuuare credatur; & homo cœperit Dei spiritu, cùm concupiscitur aduersus carnem, fortiore robore charitatis, vt quamvis adhuc sit quod homini repugnet ex homine, nondum totâ infirmitate sanatâ, ex fide tamen justus viuat, justèque viuat, inquantum non cedit male concupiscentiæ, vincente delectatione justitiæ: hæc sunt tertia bonæ spei hominis. In quibus si pia perseuerantia quisquã, proficiat, postrema pax restat; quæ post hanc vitam in requie spiritus, deinde in resurrectione etiam carnis implebitur. Harũ quatuor differentiarum prima & ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia: quarta in pace plena atque perfecta. Gratia tamen nec ante defuit, quibus eam oportuit impertiri: quamvis pro temporis dispensatione velata & occulta. Secundum has quatuor differentias, per totum corpus hujus epistolæ agitur: modo de homine Dei singulariter, modo de populo Dei generaliter. *Si*, inquit, *tu Iudæus cognominaris.* Peritus animarum medicus, de duobus ægrotis alterum, idest genus suum, periculosiùs videns ægrotare, infirmatur cum infirmis, Gentiles duriùs redarguens, nec parcens: eadem verò in Iudæis crimina denotans, & leniter perstringẽs, vt per Gentium obedientiam istos prouocet ad patientiam: donec more medicorũ causam morbi mitiget, id est superbiam: vt, sicut medici solent dicere, causâ mitigatâ, securiùs curam adhibeat circa causativum. Vnde & ad solatium infirmitatis nequaquam singulariter adhuc eos coarguit: sed pariter cum alijs. Nunc verò post communem admonitionem, jam liberiorem sibi accessum ad ægrum suum aucupans, validis rationum vinculis primum aggreditur ligare phreneticum: vt quia gentes facile sequaces habebat, etiam Iudeorum duritiam gratiæ coaptaret. Vterque enim secundum prædictas differentias sub lege, seu scripta, seu naturali, repertus est.

Vers. 14. 15. 16. — Cogitationũ accusãt pro, cogitationibus accusantibus. — Vers. 17. — Quatuor differentiæ legis, vel profectus in lege — Rom. 5. — Paulus medicum sapientem agit.

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem ejus, & probas vtiliora, instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt; eruditorem insipientiũ, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Sciendum est, omnia quæ hic quasi in laudẽ falsi Iudæi proferuntur, per ironiam prolata. Quicquid enim hic dicit, quasi emplastrum est; quo tumorem superbiæ facit, vt comprimatur vanitas, & detumeat inanitas. Quid enim tam inane, quàm jactare, quod non habet; quod non facit, prædicare? Languebat quippe populus ille circa secunda populi Dei, id est circa legem, de qua accepta superbiebat: nec tamen eam implebat vel carnaliter; & quasi præsumens de se, ad gratiam tardiùs accedebat. Si enim verè requiesceret in lege, & gloriaretur in Deo: non faceret, quod non faciendum prædicaret. *Si*, inquit, *tu Iudæus cognominaris*, quod non es: vera quippe Iudea Ecclesia est, cujus cõfessionis decorem Dominus Deus induit: & cognomen ducere videris à Patribus, à quibus degeneras, qui circumcisionem carnis habebant ob signaculum fidei, circumcisionẽ verò cordis ob ipsam fidem. Reges etiam soliti eratis habere de tribu Iuda, propter quod etiam omnes Iudæi appellabamini. Sed cùm Christum regem de tribu Iuda negastis: & regnum & nomen pariter perdidistis. *Requiescis* verò *in lege*, condemnans & irridens varios errores gentilium: vel requiescens in carnali legis intellectu, nil amplius iudicas quærendum. *Et gloriaris in Deo*; quasi peculiaris Dei populus, & quia quasi notus in Iudæa tantùm Deus. *Et nosti voluntatem eius*: quia non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestauit eis. *Et probans* de vtilibus *vtiliora*, instructus per legem, *confidis* præsumendo, *teipsum* sine duce Spiritu sancto, *esse ducem cæcorum*, vt vtrique cadatis in foueam: *lumen eorum qui in tenebris sunt*, quasi per te illuminandorum: *eruditorem* gentium, quasi in lege *insipientium*: *magistrum infantium*, vt quasi fari discant de lege nænias fabularum vestrarum: *habentem formam scientiæ & veritatis in lege*, id est formatam & veram legis scientiam, cui superadijcere quicquam audeat nemo. *Qui ergo alium doces: teipsum non doces? Qui prædicas nõ furandum,*

Vers. 17 & 18. 19. & 20. — Ironia. — Emplastrũ superbiæ tumori. — Vers. 21.

Iudæi fures & mœchi spiritualiter *furandum, furaris.* Fures quippe Iudæi inter
se rerum suarum; & quod peius est, furari vole-
bant de lege sanum intellectum: de Ecclesia grā-
tiam, de mundo Christi aduentum. Sic etiam car-
naliter, plus autem spiritualiter mœchabantur,
post concupiscentias suas eundo. Sequebantur
etiam idola gentium, plus autem idola cordium
suorum; in vtroque sacrilegi, non sacra collo-
cantes in sacro. Inhonorabant etiam Deum le-
gis per præuaricationem ipsius legis, in qua sibi
æstimabant gloriandum. Inhonorabant verò,
quia nomen ejus inter gentes blasphemari facie-
bant. Nomen Christi Christianus: quod cùm
blasphematur, in authorē nominis blasphemia
reuertitur. Hoc autem de Ezechiële Propheta
assumptum est. Qui enim hic arguuntur Iu-
dæi, jam Christiani nominis erant participes:
sed quia de priori statu suo stultè gloriabantur,
gentibus se præferebāt: de ipso priori statu pru-
denter ab Apostolo humiliantur. Propter quod
etiam vnde se magis conspicabiles arbitraban-
tur, & gloriosos, id inutile jam comprobat esse,
& supernacuum, legem scilicet & Circumcisio-
nem: quæ potiùs ad confusionē eis erant, quàm
ad gloriam. De lege jam dixit, de circumcisio-
ne verò, *Circumcisio,* inquit, *prodest, si legem ob-*
Vers. 25. *serues*; legem vtique circumcisionis. Circumci-
sio enim est, mala à se amputare; lex circumci-
sionis bonis operibus insistere; vt fiat quod scri-
Psam. 36. ptum est. *Declina à malo, & fac bonum.* Circum-
cisio etiam vera est, circumcisio cordis, id est
pura ab omni concupiscentia voluntas: quod
non fit litera docente & minante; sed spiritu ad-
juuante & sanante. *Circumcisio ergo prodest, si le-*
gem obserues. Si autē præuaricator es legis, vt car-
nalem potiùs obserues Circumcisionem: *circū-*
cisio tua præputium facta est, id est ad infidelitatē
V. 26. & 27. deputabitur. Sequitur. *Si ergo præputium justi-*
tias legis custodiat, nonne præputium illius in circū-
cisionem reputabitur: & judicabit quod ex natura
est præputium legem consummans, te qui per literā
& circumcisionem præuaricator legis es? Si præ-
putium, inquit, id est, qui ex præputio venerūt.
Hos enim justitias legis custodientes componit
& comparat Iudæis, qui per literam & circum-
cisionem carnis legem præuaricantur. Non au-
tem ait, ipsam legem, id est, legem operum cu-
stodiant, vel sacramentorum, sed justitias legis;
id est moralem ejus disciplinam, quam custodi-
endo præputium intantum præfertur circumci-
sioni præuaricanti legem, vt judicet eam. Et be-
ne addidit, *legem consummans.* Ille enim qui se-
cundum literam viuit, legem observat; qui se-
cundum spiritum, consummat; perfectio verò
in eo est, qui dicit. *Non veni legem soluere, sed*
Matth. 5. *adimplere.* Ideo *non qui in manifesto Iudæus est,*
neque quæ in manifesto est in carne Circumcisio: sed
qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis
in spiritu non litera; cujus laus non ex hominibus,
sed ex Deo est. Obseruandus est cautiùs sensus
apostolicæ disputationis: ne, dum ex varietate
personarum modo hos modo illos alloqui vi-
detur, quasi viâ perditâ ordo sensus in directum
procedentis turbetur; & ad eum finem perueni-
re non possit legentis intellectus, quò eum ducit
disputantis intentio. Qui finis, vt breuiter dica-
Finis Apostoli gratiæ commendatio. tur, gratia est, vel gratiæ commendatio. Vt er-
go paulò superiùs recurramus, Paulus vtrosque
& Iudæos & Gentiles paterno fouens affectu;
Iudæos amplectens & in carne & in spiritu, Gē-
tes verò ob Euangelij gratiam & ministerij sui
honorificentiam, his qui erant ex contentione,
siue his, siue illis, iram & quæ sunt iræ intermi-
natus; bene operantibus verò, siue his, siue illis,
repromisit quæ gloriæ sunt & honoris: deinde *Iudæos & Gentiles alternatim deprimit Apostolus.*
verò, modo hos, modo illos, alternatim depri-
mens vel subleuans, vel coæquans, sic omnia tē-
perare nititur & dirigere, vt neutro majorē glo-
riam faciat vel inuidiam. Mox enim de Genti-
bus subnectens, *Quicumque*, inquit, *sine lege*
peccauerunt, sine lege peribunt. Statimque de Cir-
cumcisione. *Et quicumque*, inquit, *in lege pecca-*
uerunt. per legem judicabuntur. Rursumque gen-
tes subleuans dicit. *Cum enim gentes, quæ legem*
non habent, &c. Iterumque ad Iudęos sermonē
conuertens. *Si*, inquit, *tu Iudæus cognominaris*;
& ea quæ sequuntur. Et ne nimius videretur in
increpatione Iudeorum, subjungit dicens. *Cir-*
cumcisio prodest, si legem obserues. Sed mox in par-
tem Gentium limites gloriandi præfigens cir-
cumcisioni. *Si autem*, inquit, *præuaricator es le-*
gis: circumcisio tua præputium facta est. Et pau-
lulum gentes subleuans, *Si*, inquit, *præputium*
justitias legis custodiat; &c. Et validiùs adhuc a-
nimos eorum erigens; *judicabit*, ait, *quod ex na-*
tura est præputium, legem consummans, te, qui per
literam & circumcisionem præuaritator legis es.
Quia verò certū erat in lege & Prophetis mul-
tas esse promissiones, quæ ad circumcisionem
spcteare videbantur: vt etiam ad ipsas speran-
das viam gentibus aperiret; *Non*, inquit, *qui* *V. 28. & 29.*
in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto
in carne est circumcisio; sed qui in abscondito est Iu-
dæus, &c. Deinde sequitur, quod modo habe-
mus in manibus.

QVID *ergo amplius est Iudæo?* Sed proceda- *Cap. 3. v. 1.*
mus viam nobis sternendo, vt post leuiùs
incedamus vsque ad conclusionem gratiæ. *Mul-*
tum, inquit, *per omnem modum.* Iudæo enim
præparationes multæ fuerunt, & instructiones
ad fidem Christi; Gentili nihil horum fuit, præ-
ter solam naturalem intelligentiam. *Præcellimus* *Iudæis plures ad fidem fuere præparationes.*
ergo eos? Nequaquam; quia fidei maior prępara-
tio, si non credis, non tibi est, nisi maior damna-
tio. Si verò tu credis, & ille credit: tua fides fi-
dem eorum nequaquam merito antecedit. Quā-
rum verò ad merita, certis causarum rationibus
monstratum est, omnes sub peccato fuisse ante
gratiam. Peccati verò per legem cognitio tan-
tum fit, non remissio. *Nunc autem*, id est tempo- *Vers. 21.*
re gratiæ, *manifestata est justitia*, non legis, non
meritorum, sed Dei in sanguinem Christi. Hæc
est gratia. Vnde & post paululū quasi conclu-
dendo infert. *Arbitramur hominem per fidem ju-* *Vers. 23.*
stificari sine operibus legis. Adhuc paululum ad
superiora redeamus. *Non est*, inquit, *personarū* *Cap. 2. v. 11.*
acceptio apud Deum. Quid ergo acceptum est a-
pud Deum? Patientia boni operis. Hæc autem
vnde est? Aut ex gratia, aut ex lege. Si ex lege,
non ergo præter legem. Sed inuenitur præ-
ter legem: quia Gentes quæ legem non habent,
naturaliter quæ legis sunt faciunt: id est fructū
afferunt in patientia. Deinde sequitur. *Si tu Iu-*
dæus cognominaris. &c. Ac si dicat. O tu qui Iu- *Cap. 2. v. 17.*
dæus cognominaris, justificatio legis vnde est:
ex lege, an aliunde? Ex lege non est: quia tu qui
in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deū
inhonoras. Aliunde ergo. Ex spiritu scilicet, in
quo justificatur verus & occultus Iudæus: cujus
laus non ex hominibus, sed ex Deo est. *Quid*

Cap. 3. v. 1. ergo, inquit, *amplius Iudaeo, aut quae vtilitas circumcisionis? Multum per omnem modum*: quia ad justificationē fidei siue spiritualiter, siue carnaliter, plures acceperunt præparationes. Gentes verò, plus acceperūt fidei, dicente Domino.
Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Israël.* Cur Iudæi minus fidei? Hoc altitudo sapientiæ Dei est. Si ergo opus bonum ex gratia, si justificatio ex spiritu; vtrique & Iudæo & Gentili facultas ad hæc patet & accessus. Sed cùm ad hoc Iudæus ante gratiam plures accepit præparationes, quæ etiā ei fuerunt temporales consolationes: plus accepit per omnem modum. Tempore autē gratiæ Iudæus Gentilem non præcellit: quia quantum de præsenti Gentilis plus fidei accepit: quātum de præteritis vtrumque æquè sub peccato gratia inuenit. Vtrique ergo æquè necessaria est gratia. Vt verò jam ad seriē lectionis redeamus:

Iudæo & Gentili patet facultas ad fidem.

Vers. 2. *Primū*, inquit, *quia credita sunt illis eloquia Dei*, in lege scilicet & Prophetis, ad formam sacramentorum, ad eruditionem morum, ad præparationes ob suscipiendum Christi adventum. In quibus fuerunt quidem pauci qui crediderunt; sed multitudo quæ non credidit, *fidem Dei non*
Vers. 3. *euacuabit*; id est, gentem illam à fide Christi nequaquam penitus alienauit. In quam cum promissiones Dei bonæ sint, falli non possunt; quia
Vers. 4. *Deus est verax, omnis autem homo mendax*: in quo etiam homo ille mendax, quicumque vel non credit, vel non dicit, sine pœnitentia esse dona & vocationes Dei. *Quid enim*, inquit, *si*
Vers. 3. *quidam illorum non crediderunt? Numquid*, inquit, *infidelitas eorum fidem Dei euacuabit?* Fides hic accipienda est, vel quam habet Deus ad eos quibus credit eloquia sua; vel quam habent ad Deum, qui meruerunt, vt credantur eis eloquia Dei. *Absit.* Absit, inquit, vt bonū vniuersitatis destruat malum quantæcumque singularitatis: absit, vt veritas promittentis Dei in irritum eat pro peccato hominis increduli: quia *omnis ho-*
Vers. 4. *mo mendax, Deus autem verax; sicut scriptum est.*
Psalm. 50 *Vt justificeris in sermonibus tuis & vincas cum judicaris.* Omnis homo mendax; sed non tamen mendaces illi, ad quos sermo Dei fact⁹ est: quos non homines, sed Deos esse, Scriptura pronuntiat; & Dominus in euangelio confirmat. Deus autem verax, qui justificatur in sermonibus suis. Horum autem verborum sensus de Psalmo, à superioribus expetēdus est. *Tibi*, inquit, *soli peccaui*: quia Rex sum, & nullius hominis subditus judicio. Tibi soli peccaui; quia coram te peccare non timui, qui vbique præsens es. Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, in hoc scilicet vt justificeris, id est iustus appareas in sermonibus tuis: quibus promisisti domum mihi ædificandam, & semen meum post me futurum, cujus regnum stabiliendum sit in æternum. In quibus justus & verax apparebis, cùm eos mihi adimplebis, iudicans me secundum veritatem misericordiæ, quam dilexisti: & reddens mihi spiritum prophetiæ, in quo incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi: vincens iudicia hominum temerè & secundum faciem iudicantium, & te indulgentem & me pœnitentem, & promissionum tuarum bona mihi abiudicantium. Et totā sensus huj⁹ prolixitate Apostolus vsurpans, quod spectat ad comprobandā Dei veritatem; *vt iustificeris*, inquit, *in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* In quo notanda introducti exempli similitudo: quia sicut David post peccatum, sic omni Iudæorum genti post passionem Domini omnem indulgentiæ & promissionum gratiam abiudicabant temeraria iudicia hominum. Quæ iniustè iudicata misericordia vicit: dum de iniusta morte sua in magna misericordia etiam interfectoribus suis justitiā ad vitam efficit. Auditā ergo quasi in Deum falsitatis blasphemiā Apostolus, & in genus suum calumniā generalis perditionis, quasi impatienter exclamans, *Absit*, inquit. *Est autem omnis homo mendax, Deus autem verax.* Et ex occasione hujus blasphemiæ quasi collecto spiritu in blasphemos: sic, inquit, ex hac ipsa sententia dicūt.

Fides hic vel fidelitas Dei est, vel nostra credulitas.

Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus Deus, qui Vers. 5.
infert iram? Quod vt sub voce blasphemantiū se dicere demonstret; *absit*, inquit. *Secundum hominem hoc dico.* Verè secundum hominem: sed nec quæ sunt hominis satis sapientem. Quod enim justitia Dei ex nostra iniquitate commendatur, nequaquam hoc fit peccatorum nostrostrornm beneficio; sed ipsa rationis consequentia: vt contraria ex contrarijs approbentur. Cū omni enim consequentia dignè meritoque inimica est & aduersatrix iustitia injustitiæ, sicut lux tenebris, & vita morti: & justum est, Deum, in quo est summa iustitia, inferre iram hominibus, in quibus est injustitia. Et idcirco fortasse Apostolus, non homines iniustos ait commendare iustitiam Dei, sed iniustitiam nostram: vt ostenderet, non Deum hominibus, sed iustitiam iniustitiæ esse contrariam. *Alioqui quomodo*, in- Vers. 6.
quit, *iudicabit Deus hunc mundum?* Qui enim mundum justè iudicaturus est: iniustus esse non potest. Aliud hoc est justitiæ Dei argumentum. Deinde calumniam exaggerat, vt repellat. Dicit enim. *Si*, inquiunt, *veritas Dei in meo menda-* Vers. 7.
cio abundauit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tamquam peccator judicor? Sed hoc, ait Apostolus, nos non dicimus. Sed neque illud quod inde consequi arbitrantur, *& aiunt nos dicere; fa-* Vers. 8.
ciamus mala, vt veniant bona: cum potiùs prædicemus, fieri bona, ne veniant mala. Hoc autem dicunt scienter peccantes: & ideo damnatio eorum justa est. *Quid ergo? Præcellimus eos?* Vers. 9.
Nequaquam. Repulsā calumniā ad seriem causæ reuertitur. Quid, inquit, tenemus amplius? Cùm vtramque partem sub peccato esse constet ante gratiam, gratia autem veniens, quantum in ipsa est, vtrumqne coæquet: iam nulla in alterutrum contētionis vel elationis causa relinquitur. *Causati enim sumus, Iudæos & Græcos sub pec-* Vers. 10.
cato esse. Quod etiam more suo Scripturis confirmat: vt & in hoc det exemplum Ecclesiæ Doctoribus, vt de Scripturarū testimonijs adstruāt quæ dicunt, & muniant. *Non est iustus quisquā, non est intelligens; non est requirens Deum.* Non est justus, quia non est intelligens; non est intelligens, quia non est requirens Deum. Si enim requireret; intelligeret: si intelligeret, amando quē intelligeret, vtique iustus esset. *Omnes declinaue-* Vers. 12.
runt. Meritò, ait quidam sapiens, aues capiuntur. Quibus cœlum permissum est, quid quærūt in terram, ad laqueos? Nos quoque cœlo relicto, ad quos natura etiam secundum ipsam corporis staturam erexit, terrenis omnes incubam⁹. Inutiles, mali prouocatione exempli alter alterum corrumpentes. *Non est qui faciat bonum*, Aliud est bonum facere, abiud bene facere. Bene facere est per euentum, vel quasi in

Iudæi Gentiles non præcellunt, siue ante, siue post gratiam.

transitu: bonum facere est studio & affectu: sicut econtrario de malo, vt puta de superbia, aliud superbire, aliud facere superbiam. Quidam enim in seipsis patiuntur: quidam faciunt & ædificant superbiam. De quibus Propheta dicit.
Psalm. 100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Non est vsque ad vnum.* Numera vnum & vnum, perfectè bonum non inuenies vnum: donec peruenias ad summè bonū, qui dicit. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* (Luc. 18.) *Sepulchrum patens est guttur eorum,* (Vers. 13.) scilicet dū loquuntur. Quia enim secundum Prophetam mortui sunt à corde: per immunda exhalant verba fœtores putentis intus cadaueris. *Venenum aspidum sub labijs eorum,* qui nequiter loquuntur, nequiùs silent; cùm insanabilis nequitia nequit quod vult: & tabescit in cordibus eorum. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est:* (Vers. 14.) quia pleno ore maledicunt vbi audent: pleno corde amaricātur vbi non audent. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* (Vers. 15.) Veloces ad omne peccatum in executione operis: quia nullo tenentur vel reguntur judicio rationis. *Contritio & infelicitas in vijs eorum:* (Vers. 16.) quia laboris & afflictionis corporalis dura necessitas, & conscientiæ cruciantis infelicitas in omnibus actibus eorum. *Et viam pacis nō cognouerunt:* (V. 17. & 18.) quia *timor Dei non est ante oculos eorum,* qui principium est sapientiæ, & eundi ad pacem illam, de qua dicitur, *pax multa diligentibus legem tuam.* Hæc quæ hic in vnum Apostolus mala congessit, videtur pro Iudæis maximè intulisse: cùm in principio psalmi de Gentibus dictum esse videatur. (Psalm. 13.) *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Sed confringenda maximè erat superbia Iudæorum, (Superbia Iudæorum frangitur.) commemorando eis transgressiones legis, de qua gloriabantur: qui etiam de Patre Abraham cæterisque Patribus gloriantes, quasi naturalem se jactabant habere justitiā. Vnde & subdit *Scimus, quoniam quæcumque lex loquitur, ijs qui in lege sunt loquitur:* (Vers. 19.) *vt omne os obstruatur;* & non aperiatur nisi in laude Dei: Gentibus ad humilitatem promptissimis ex conscientia præteriti erroris, Iudæis verò ex præuaricatione legis, vt dictum est, humiliatis, de qua se jactare videbantur. Quibus legis quantò propior acceptio, & major cognitio, tantò minor excusatio, tāto manifestior præuaricatio, & certior damnatio: quia etiamsi fiant opera legis, *ex operibus legis non justificabitur omnis,* (Vers. 20.) carnaliter eam obseruans, coram Deo, qui cordis & intimæ voluntatis aspector est, vbi videt, quia qui legem timet, mallet aliud facere, si liceret. *Vt subditus fiat omnis mundus Deo,* intelligens quid cui debeat: quid à quo accipiat. A lege quippe habet peccati cognitionem, à gratia verò iustitiæ manifestationem, pariterque ipsam iustificationem. *Per legem enim cognitio peccati:* non quòd peccatum non sciretur, sed quòd impune fieri putabatur. Sed si gratia non adjuvet, vt cognitum peccatum vincatur; lex iram potiùs operatur. *Nunc autem,* (Vers. 21.) id est sub gratia, *iustitia Dei manifestata est:* quæ quamvis justificet sine adjutorio legis, *testificata tamen est à lege & Prophetis;* vt cum lex annunciaret, fides impleret, fieret perfectio. Nam neque fides testimonio legis carere debuit: nec iustitia legis nisi in fide adimpleri potuit. Sic ergo sine lege iustitia Dei manifestata est: testificata à lege & prophetis. Obseruatū est hic, ab his qui græcæ linguæ vel scripturæ habuere notitiam, apud Græcos, ob multarum legum differentiam, legem Moysi in scripturis eorum proprij cujusdam articuli appositione denotari. Cùm autem bis in hoc versu positum sit nomen legis, in primo loco, non in secundo appositum dicunt articulum illum: per quod datur intelligi, legem esse Moysi, à qua iustitia Dei testificatur: à nulla verò lege, quæ vel in paradiso data, vel naturaliter indita, vel scripto promulgata fuerit, adjuvatur. Notandum (Peccatum cognoscitur, justitia manifestatur.) etiam, quòd peccatum dicit cognosci, iustitiam verò manifestari: quia omne quod manifestatur, lux est: peccatum verò cognoscitur potiùs quam manifestatur, quia de parte tenebrarum est. Quæ autem est hæc iustitia? *Iustitia,* inquit, *Dei,* cùm fides impetrat, quod lex imperat: iustitia Dei, non hominum, non operū, non propriæ voluntatis. Non quod sine voluntate nostra fiat: (Non fit justitia sine nostra voluntate.) sed quia voluntas nostra infirma per legem ostensa, per gratiā quæ est ex fide sanata, legem impleuit. Nam & in hoc lex vtilis inuenitur; quia cùm sanare non potest, sanandos mittit ad gratiam: liberā testificatione, & experientiā infirmitatis suæ: mittitur autem ad gratiam & viuificantem spiritum: vbi & peccata omnia delentur, & bene agēdi charitas inspiratur. Hęc est iustitia Dei per fidem Iesu Christi pertransiens in omnes, & super omnes, qui credunt in eū: in omnes quantum ad vniuersitatem credentiū: super omnes, inquantū omnia merita supergreditur suscipientiū. Non enim est distinctio, vel Iudæi, vel justi, vt minus indigeat; vel Gentilis, siue peccatoris pœnitentis, vt minùs accipiat. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* (Vers. 23.) Nō enim eget Deus, vt glorificetur ab aliquo: omnes verò omnino egent, vt glorificetur Deus in eis. Cujus gloria est, iustificari gratis per gratiā ipsius. Cujus verò est gratia, ipsius est & gloria. *Per redēptionē, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* (Vers. 24.) Redimēdi quippe erant; qui seipsos vendiderant. Vādit se homo in consensu peccati, quod est mors animæ; cùm accipiens peccati ipsius delectationem, dat quodammodo spem vitæ suæ, & vitæ æternæ. Venit homo, qui solus iustus natus est: & qui delectationem peccati non suscepit, peccati pœnam non renuit: & hanc iustitiā dedit homini vendito, & non habenti in substātia naturæ suæ vnde se redimeret: vt de pœna ejus solueret chirographum debiti sui. Et hæc est iustitia Dei, vt per fidem inhærentes ei qui pro nobis mortuus est; ex ipso habeamus, quod non possumus ex nobis. Quod quia gratis nobis collatū est; gratia est. Quem, vt omnia gratiæ responderent, ante sæcula prædestinauit, (Christus prædestinatus.) in hoc verò tempore palam posuit *propitiatorem in sanguine ipsius,* (Vers. 25.) cùm in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suam: qua & iustus appareret peccata non relinquendo impunita; & injustum iustè justificaret, ea remittens, spontanea propitiatoris sanguinis effusione expiata. Cui cùm per fidem peccator adhæret: in ejus iustitia in gloriam justificantis iustificatus euaderet: sanguine, vt dictum est, propitiatoris expiante, charitate sanante, justitia iustificante. Ad ostensionem ergo iustitiæ suæ peccantes diu sustinuit, vel sustentauit: tempore verò gratiæ injustis iustitiam ipse præparauit, & fecit. Sicque iustitiam suam ostendit quantū ad præterita, peccatores misericorditer sustentando: quātum verò ad tempus præsens, gratiæ largiendo indulgentiam, & gratis iustificando. Hoc semel

fecit omnibus: hoc assiduè facit singulariter singulis. Sustinet & sustentat peccantem, inspirat & præparat conuersionem, infert etiam nonnunquam necessitatem, sanat voluntatem, adiuuat infirmitatem: & cum totum fecerit, ei cui fit, totum facti meritum adscribit. Hæc est gratia, hæc est Dei justitia: de qua propheta dicit. *In tua justitia libera me.* Vniuersa massa pœnas debebat: & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè proculdubio redderetur. Quis igitur vsqueadeò dementissimè insaniat: vt non agat ineffabiles gratias misericordiæ quos voluit liberantis, qui rectè nullo modo posset culpare iustitiam vniuersos omninò damnantis? Quod cùm justissimè sit conclusum: evidentissimè est exclusum, vt nemo in se, nemo in lege, nemo nisi in Domino glorietur. *Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non Sed per legem fidei.* Siue gloriationem dixerit laudabilem, quæ in Domino est; eamq; exclusam, id est, non vt abscederet, pulsam, sed vt emineret, expressam: vnde & exclusores dicuntur quidam artifices argentarij: vnde est & illud in Psalmo, *vt excludantur, qui probati sunt, argento;* id est emineãt, qui probati sunt eloquio Domini: siue gloriationem vitiosam de superbia venientem commemorare voluerit, eorum scilicet, qui cùm sibi iustè videntur viuere, ita gloriantur, quasi non acceperint: eam non per legem factorum, sed per legem fidei dicit exclusam, id est eiectam & abjectam. Per legem enim fidei quisque cognoscit ex gratia Dei se habere, si bene viuit: & vt perficiatur in dilectione iustitiæ, non se aliunde cõsecuturum. Quæ cognitio pium facit, quia pietas est vera sapientia. Pietatem dico, quam Græci θεοσέβειαν vocant. Ipsa quippe commendata est in libro Iob, cùm dicitur. *Ecce pietas est sapientia.* Θεοσέβεια enim Dei cultus est. Qui in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata. Superba enim & quasi non vulgaris, sicut de eloquentia, vel de diuitijs, est ista gloriatio; de his scilicet quæ propriè propria sunt bona bonorum, id est de iustitia; cùm eam sibi arrogare præsumit, vel pro operibus legis Iudæus, vel pro meritis operum quilibet homo superbus. Quæ cùm nulli constet nisi ex fide: cauendum tamen est, ne quasi merces pro merito fidei credatur aut dicatur ab his, qui quasi sapienter de justitia inflantur. Nam cùm fides impetrat iustificationem, sicut vnicuique partitur Deus mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani; sed per hoc ipsum gratia meretur augeri, vt etiam mereatur perfici. Nam & de ipsa fide, *quid habes, quod non accepisti?* Vnde & alibi ipse Apostolus, *Misericordiam,* inquit, *consecutus sum, vt sim fidelis.* Non ait, quia sum fidelis; sed *vt sim fidelis.* Fides quippe non est res meritorum, vel proprij arbitrij. Gratuitum Dei donũ est: & inde bona omnia incipiunt. Opera quippe bona fiunt ab homine, fides verò fit in homine, sine qua bona opera à nullo fiunt homine. *Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Nec ipsius orationis meritum se extollat: etiamsi nõ nisi Deum, vel quæ Dei sunt, postulat. Cùm adjutorium datur oranti, fides orat, quæ data est non oranti: quæ si non data esset, orare nõ posset. In omnibus his, ô Iudæe, ô superbe, *exclusa est gloriatio tua. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.* Sciendum est, in quo differant lex factorum & lex fidei, cùm æquè vtraque dicat, *Non concupisces:* in qua prohibitione omnia continẽtur peccata, quæ per concupiscentiam fiunt; & sua vtraque habeat sacramenta operum, licet dissimilia. Scilicet in lege factorum est Dei jubentis iustitia; in lege verò fidei, subuenientis misericordia. Quod enim lex factorum minando imperat, hoc lex fidei credendo impetrat. Lege factorum dicit Deus, fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, da quod jubes. Ideo enim iubet lex, vt admoneat quid faciat fides: id est, vt cui jubetur, si adhuc nõ potest, sciat quid petat: si autem continuò potest, & obedienter facit, sciat quo donante possit. Ipsa est illa sapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur pater luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem sacrificio laudis, & actionibus gratiarũ, vt cultor ejus non in seipso, sed in illo glorietur: & bonus fidei filius nouerit à quo speret, quod nondum habet: & à quo habeat, quod jam habet. Lex verò factorum, est lex sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum; sed per cujus bonum peccatum operatur mortem, prohibens & faciens omnem concupiscentiam: imperans & non adiuvans, puniens nec liberans. Habet autem lex fidei instituta quædam in sacramentis Ecclesiæ, legis factorum sacramentis actu faciliora, vtilitate meliora, virtute majora, numero pauciora: tamquam iustitiâ fidei reuelatâ, & in libertatem vocatis filijs Dei, & iugo seruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat. Quæ tamen & ipsa suo tempore cessabunt: quia sicut illis primus, sic & istis finem imponet secundus Christi aduentus: scilicet cùm regnum manifestæ veritatis illuxerit. Sequitur. *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Quid ergo? Fides per dilectionem non operatur? Vtique. Sed cùm essent aliqui ex Iudæis, qui de operibus legis gloriabantur, quæ non per dilectionem, sed ex timore facerẽt, & iustos se vellent videri, & præponendos Gentibus, quasi qui opus legis non fecerint; exclamauit Apostolus securus, quia potest homo justificari sine operibus legis per fidẽ: vt illi magis non fuerint iusti, qui quod faciebãt, timore faciebãt; quàm quorũ fides per dilectionẽ operetur in corde, etiamsi foras non exeat in opere. Absit autem, vt sic credatur Apostolus dixisse, posse hominem iustificari sine operibus, vt credens quis si tempus habuerit operandi, nõ ad eum pertineat bene operari: sed hoc potiùs, vt nemo arbitretur meritis priorum operum se venisse ad iustificationem, quæ ex fide est. Dicit ergo, posse hominem iustificari sine operibus, sed præcedentibus: justificari autem per fidem & gratiam, quæ vacare in eo non potest, si tempus habuerit operandi. Sin autem, iustitia fidei manet cum eo. Contrà, illam sterilem fidem, cùm tempus habeat operandi, ita nihil prodesse asseuerat, vt dicat. *Si habeam omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Fidelis enim charitas semper operatur, in qua sine dubio bene viuitur; quia plenitudo legis est charitas. Sed esto, ait Iudæus, nõ nisi per fidem iustificari hominem, sed solum Iudæum: quia cujus fuit lex, ipsius est & fides. Ad hæc Paulus. *An,* inquit, *Iudæorum Deus tantum,* qui legem factorum acceperunt? *Nonne & Gentium,* quibus tradita est lex fidei tantum? *Imò &*

Marginal notes: Psalm. 30. — Vers. 27. — *Excludi dupliciter dicitur aliquid.* — Psalm. 67. — Iob 28. — *Gratia præcedit omne meritum.* — 1. Cor. 4. — 1 Timot. 1. — Rom. 14. — Iac. 1. — *Sacramenta nostra antiquis præstantiora.* — Vers. 28. — *Non excludit Apostolus bona opera.* — *Sterilis est fides, si non operetur, quando potest.* — 1. Cor. 13. — Vers. 29.

Gentium, quia qui vtrumque creauit, vtrumque saluabit. *Quoniam quidem vnus Deus est, qui justificat circumcisionem ex fide; & praeputium per fidem.* Quod dicit ex fide, & per fidem, non sensus, sed verborum tantum videtur esse varietas: cùm alibi praeputium dicat iustificari ex fide, & circumcisionem per fidem. Quod tamen nonnulli literae inhaerentes, sic arbitrantur esse intelligendum; vt in eo quod dicit circumcisionẽ iustificari ex fide, fidei principium circumcisioni attribuant: praeputium verò quasi secundo loco justificari per fidẽ, velint adstruere. Quod vtrum satis literae conueniat, lectoris arbitrio relinquamus. Hoc interim stet, sine legis operibus hominem justificari per fidem. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.* Per legem quippe cognitio peccati; per fidem impetratio gratiae contra peccatum; per gratiã sanatio animae à vitio peccati; per animae sanationem libertas arbitrij: per libertatem arbitrij iustitiae dilectio: per iustitiae dilectionem legis impletio. Ac per hoc lex non destruitur per fidẽ, sed statuitur: quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur. *Quid ergo dicemus inuenisse Abraham secundum carnem?* Apostolus commẽdans justitiam quae ex fide est, adversus eos, qui gloriantur de iustitia, quae est ex operibus, adducit Abraham in exemplum; quem Deo placuisse, dubium non est. Haec autem sententia Scripturae ad hoc vult intentionem nostram dirigere. Credimus nos, & Apostolus dicit, quia Abraham ad Deum habet gloriam. At *si ex operibus justificatus est; habet gloriam, sed non ad Deum.* Ad Deum autem habet gloriam. Non ergo ex operibus iustificatus est. Vnde ergo? Sequitur. *Quid enim Scriptura dicit?* Id est, vnde dicit Scriptura, iustificatum Abraham? In eo quod sequitur. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Ergo ex fide justificatus est Abrahã. *Ei verò qui operatur,* id est de operib⁹ praesumit, & eorum merito datam sibi jactat gratiam Dei, merces est: quia non reputatur ei secundum gratiam, sed secundum meritum. Sed vae quantaecumque justitiae hominis, si remotâ misericordiâ iudicetur. *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad iustitiã.* Ipsum autẽ credere, opus est gratiae Hoc enim Christus operatur in nobis: non vtique sine nobis. *Opera* enim, inquit, *quae ego facio, & ipse faciet:* quia facio vt faciat, vt iustus ex impio fiat. Deinde verò fidelis charitas operatur: & tunc proculdubio bene viuitur. Refert autem, quomodo quis credat Deo, vt credat in Deum. Credit Deo, qui credit loquenti vel promittenti: vel credit Deo, qui credit ei seipsum. Vnde de quodam populo dicit Propheta. *Non est creditus cum Deo spiritus eius.* Credere verò in Deum est credendo & amando ire in Deum, & membrum effici corporis ejus; vel in obedientiam beneplaciti ejus semetipsum offerre, quicquid est ipse, sicut fecit Abraham; cui, quia perfectè credidit, ideo reputata est fides ejus ad iustitiam. Credidit quippe Deo promittenti sibi semen, credidit in Deum, cùm egrediens de terra & de cognatione sua, obediuit ire in terram quã nesciebat: vel cùm offerebat filium, in quo susceperat repromissiones: vel cùm exultauit vt videret diem Domini, & vidit, & gauisus est. *Secundum propositum gratiae ejus.* Sic enim Deus decreuit & disposuit, vt cessante lege fides iustificet. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto*, id est gratis facto acceptabili, *fert justitiam sine operibus. Beati quorum remissae sunt iniquitates.* Cùm enim in omnibus peccata inueniantur: restat, vt non sint beati, nisi quorum remissae sunt iniquitates. Et haec est gratia, vbi nihil est meritorum tuorum: gratis datur tibi remissio peccatorum tuorum. Ideo non dixit, quibus non sunt: sed quibus remissae sunt iniquitates: vel tecta sunt peccata; vel non imputatur peccatum, cùm sit. Non autem tecta sunt peccata, vt sint & viuant: sed ne videantur, ne aduertantur, ne animaduertantur. Sed inspicienda est ordinis ipsius differentia; qua dixit primùm remissas iniquitates, deinde tecta peccata; postmodum verò non imputandum peccatum. Initium enim est conuersionis mala relinquere, quod malorum praeteritorum meretur remissionem: deinde singula mala singulis vel amplioribus bonis obtegere; vbi verò ad perfectionem res venerit, gratiã Dei & studio bonę conuersationis per virtutis affectum ipsum peccati affectum à cordis intimo radicitus extirpare. Iam enim peccatum coram Deo nec imputatur factũ quod ab anima iustificatione Dei innouata, sic fuerit amputatum. Iniquitas verò quae graecè ἀνομία dicitur, & peccatum, in hoc videntur habere differentiã, quòd iniquitas est, quod contra legem fit: peccatum verò, vel quod contra naturam committitur, vel contra redarguentẽ conscientiam. In his ergo quae dicta sunt, inuẽtum est, patrem nostrum Abraham ex fide, non ex operibus inuenisse iustitiam, ex iustitia verò beatitudinem: nisi quod in eo adhuc haesitare videtur intellectus, quod dicitur; *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Videtur enim ostendere, quasi in fide quidem gratia sit justificantis; in opere verò sonare videtur iustitia retribuentis. Sed qui bene considerauerit verborum eminentiam, quod dicit, operanti imputari mercedem secundum debitum, mirũ, si persuadere sibi poterit; quod possit vllum opus esse, quod ex debito remunerationem Dei deposcat: cùm, si quid boni possumus, agimus, cogitamus, donum Dei sit: nihilque ei possit offerri, quod ipsi⁹ patris luminum donum datũue fuerit. Vide ergo, ne non sinistri potiùs operis intelligendum sit debitum. Debita etenim peccati in diuinis voluminibus saepe inuenies sicut illud, *dimitte nobis debita nostra*, & de seruo rationem reddente, *Redde quod debes.* Vide ergo, ne forte & in hoc loco mercedẽ operis quae secundum debitum redditur, ad hunc sensum Apostolus traxerit, de his qui ita operãtur, sicut Cain operatus est terram; vel ad quos dicitur, *Discedite à me operarij iniquitatis.* Cùm ergo cõstet, quod beatitudo ex gratia sit per fidem: *Beatitudo haec in circumcisione tantum manet, an etiam in praeputio?* Iam enim dixerat superiùs, quòd credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam: & hujuscemodi fides quid haberet beatitudinis ostenderat. Nunc verò proponit interrogationem: ex cujus responsione doceat, & ex ipsa temporum ratione, quod contra Iudaeos pro gratia victoriosissimum est, beatitudinem scilicet iustificationis non in circumcisione, sed adhuc in praeputio posito Abrahae per fidem collatã, dicente Scriptura. *Credidit Abra-*

Iustificari ex fide & per fidem, idem est. *Vers. 31.* *Cap. 4. v. 1.* *Vers. 2.* *Vers. 3.* *Vers. 4.* *Vers. 5.* *Fidem Deus in nobis operatur, non sine nobis.* *Ioann. 14.* *Credere Deo, & in Deum, vt differant.* *Psalm. 77.* *Gen. 12 & 22* *Ioann. 8.* *Vers. 5.* *Vers. 6.* *Psalm. 31.* *Qui differant iniquitas & peccatum.* *Vers. 4.* *An opera ex debito deposcant remunerationem.* *Matth. 6.* *Matth. 18.* *Luc. 13.* *Vers. 19.* *Genes. 15.*

ham Deo; & reputatum est ei ad iustitiam. Quod si Abraham cùm adhuc esset in præputio, ex fide iustificatus est: potest & omnis qui credit Deo, justificari per fidem, etiamsi sit in præputio: pertinetque & ad eum de Psalmo prædicta beatitudo; cùm etiam ipsi reputetur fides ad iustitiã. Potiùs enim de nõ iustis, quàm de iustis dicitur, quoniã fides eis reputatur ad iustitiã: eis scilicet, qui antequam haberent hanc fidem, iustitiam non habebant. Vnde dicit. *Quomodo reputata est? In circumcisione, an in præputio?* Et ipse sibi respondet, quia *non in circumcisione, sed in præputio.* Si enim per id temporis in circumcisione inuentus fuisset: videtur vtique à fide & gratia exclusum esse præputium. Nunc verò ostenditur, quod in præputio adhuc posito reputata est fides ejus ad justitiam; & ideo pronunciatur, quia cùm Abraham in præputio positus per fidẽ iustificat' sit: sine dubio princeps & pater meritò dicitur omniũ credentium per præputium: idest cùm adhuc sint in præputio. Quod verò post fidei professionem, quæ in præputio facta est, accepit circumcisionẽ: consequenter exponit causam acceptæ circumcisionis. Vt esset, inquit, *signaculum eius fidei, quam habuit in præputio* positus: vt per hanc pater fieret etiam eorum qui in circumcisione nascuntur: si tamen pertineant ad illam fidem, quæ Abraham in præputio iustificauit. Efficitur ergo vtriusque generis pater, his qui sunt in præputio per fidem: his verò qui sunt ex circumcisione, & per fidem, & per carnem. Exinde enim incipit posteritas Abrahæ duplici sacramento. Fides enim Abrahæ, ipsum est semen Abrahæ. Qui pertinent ad credulitatis similitudinem: ipsi pertinent ad hæredum repromissionem. Iam priusquam hinc transeatur, subtiliùs indagandum est, quomodo reputata est fides Abrahæ ad iustitiam: & vtrum quicumque Deo credit, statim etiam iustus sit, & reputetur ei fides ejus ad iustitiam: cùm iustitia non vni' sed omnium virtutum videatur plenitudinem complecti. Iniustus enim quisque in eo esse conuincitur; in quo de iustitia aliquid ei deesse comprobatur. Sed antiquorum philosophorum de virtutibus est sententia: omnes habere, qui aliquam habuerit. Sed & Christianæ religionis de eis virtutibus, quæ propriæ christianæ pietatis sunt, eadem sententia est. Quicumque enim credit, quantum credit, tantum sperat, tantum amat, tantum operatur. Qui sperat, tantum sperat quantum credit, quantum amat, quantum operatur. Sic & qui amat: sic etiã qui operatur. Et hæc est plena & perfecta, & cõquadrata sibi Dei iustitia. Vnde cum Abrahæ tentaretur perfectio, perfectum fidei opus ei iniunctum est; vt per affectum patris fides probaretur credentis, & perfectus inventus est. Perfectionem verò operis ejus non intelligit, qui magnitudinem tentationis non aduertit. Filium quem offerre iubebatur, in senectute de sterili vxore genuerat: vnicus erat ei, in quo & repromissiones acceperat, alterũ sperare non poterat. *Tolle,* inquit Dominus, *filium tuum quem diligis Isaac, & offer mihi illum in holocaustum.* Quid Pater Abrahã? Non fleuit, non hæsitauit, nõ excusauit; sed palã ostendit, quẽ plus amaret, Deũ aut filium: & cùm perfectè credidit, & perfectè amauit, perfectum etiã opus aggressus est: ideoque & filium meruit recipere, & fides ei ad iustitiam reputata est. Audierat verba exquisita ad dirumpenda & discerpenda paterna viscera: sed loricâ fidei indutus, securus tentationem percurrit: & paterni affectus dulcedinem non turbauit, sed adauxit. Meritò ergo, vt sæpe dicatur, fides ei reputata est ad iustitiam. Sed & quicũque fidem Abrahæ habuerit, risumq; cordis sui, id est, carnis voluptates, & animæ voluntates in ara sanctæ professionis Deo optulerit, audiet à Domino: per memetipsum iuraui, quia fecisti rem hanc & non pepercisti animæ tuæ propter me; benedicens benedicam tibi; & reputabitur & ipsi fides ejus ad justitiã. Coguntur ergo Iudæi fateri Abraham justificatum per fidem: nos quoque cogimur intelligere, omnes antiquos, qui iustificati sunt, ex hac ipsa fide iustificatos. Quod enim credimus nos ex parte præteritum, ex parte futurum: hoc totum illi credebant futurum, reuelante sibi Spiritu sancto, vt salui fierent. Sciendum autem de circũcisione Abrahæ, & baptismo nostro, quorum vnumquodque in tempore suo signaculum fidei fuit; signans scilicet cordis circumcisionẽ, vel conscientiæ munditiam; quoniam circumcisus gignit præputiatum; sicut baptizatus non baptizatum: transfundens vterque vitium originis, quo ipse iam caruit. Sicut ergo tunc circumcidendus: sic omnis qui saluari vult, modò est baptizandus. Transibit autem vnumquodque hoc sacramentum: quod autẽ signant signa hæc vel signacula, manebit in æternum. Vtrumque enim posuit, & signũ & signaculũ: & nonnullã videntur habere differentiam. Signũ est, quod visum, vel cogitatum in mentem venire facit rem, cujus est signũ. Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, signum fuit Domini Iesu Christi, futuri in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Carnalis quoque circumcisio signum est circũcisionis spiritualis. Signaculum verò est, cum alicui rei seruandæ pro tempore custodia imponitur, quod nemo alius, nisi qui impressit debeat resignare. Hæc est justitia fidei, per quam indicatur Abraham pater futurus multarũ gentium: quod tunc credimus resignandum, cùm ingressa Gentium plenitudine, & omni qui tunc erit Israël saluato, in vnum apparebit sancta Abrahæ posteritas. Potest etiam intelligi, quòd mysteria quæ in lege & Prophetis vel Patriarchis adumbrabantur, hujusmodi erant, quæ & signis indicanda essent; & signaculis obseranda. In his ergo, quæ signis indicanda erant his qui credebant & Gentibus, signum accepisse dicitur pater Abraham: in eis verò, quæ his qui ex circum cisione crediderant, obseranda erant & obtegenda, signaculum dicitur accepisse: quod tunc resignabitur, cùm, sicut dictum est, plenitudine ingressa, omnis Israël saluabitur. Pater est ergo Abraham & circumcisionis & præputij; & in præputio non in circumcisione reputata est ei fides ad justitiam: & signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio; id est, quam habuit priusquam circũcideretur: *vt sit pater omnium credentium per præputium,* id est in præputio; vt sicut reputata est illi fides, sic *reputetur & illis ad iustitiam: & sit pater circumcisionis, non his tantum qui sunt ex circumcisione; sed & his qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri* Abrahæ. *Non enim per legem promissio:* quod si esset, ad eos tantum esset, qui legi deseruiunt. *Nunc autem non per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, vt hæres*

Marginal notes (left): *Vers. 9.* — *Abraham quomodo pater credẽtium per præputium.* — *Vers. 11.* — *An qui vnã virtutẽ habet, omnes habeat.* — *Magna tẽtatio Abrahæ.* — *Genes. 22.*

Marginal notes (right): *Quinam imitentur Abraham.* — *Eadem fides nostra & antiquorum.* — *Signi & signaculi differentia.* — *Matth. 12.* — *Rom. 11.* — *Vers. 11.* — *Vers. 12.* — *Vers. 13.*

esset mundi: vt in toto ei mundo dilataretur hæreditas: vt in semine ejus benedicerentur omnes gentes. Non per legem, sed per justitiam fidei: quia legis obseruatio vix pœnam effugit: fidei verò meritum spem promissionis expectat. Et præceptum seruis ponitur: fides verò ab amicis exigitur. *Si enim qui ex lege, hi tantum hæredes sunt; exinanita est fides* Abrahæ, qua justificari meruit, & nullius meriti effecta: *abolita est promissio*, vt jã nulli sint hæredes. Si enim ita esset, oportuerat primùm Abraham legem implere: cui implẽdæ frustra insisteret; quia *lex iram* potiùs *operatur*. Vbi verò ira est; hæreditas non est. Ira autem in lege est, nam præuaricatio. *Vbi verò non est lex, nec præuaricacio.* Præuaricatio autem duplex peccatum est. Quod sine lege simpliciter est peccatum: in lege & peccatum & mãdati præuaricatio est. Vbi enim prævaricatio est contemnentis; quid restat nisi ira iubentis? Nõ ergo ex lege hæreditas: quia lex iram operatur. Ideo ex repromissione; quia Deus quod promisit, ipse facit. Qui enim præcepta legis implere se putat per arbitrium propriæ voluntatis sine spiritu gratiæ, suam iustitiam vult constituere; non justitiam Dei sumere. Non hoc promisit Deus Abrahæ. Non enim de nostræ voluntatis potestate, sed de gratia prædestinationis suæ promisit, quod promisit Deus Abrahæ. Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines: quia etiam cùm ipsi homines faciunt bona, quæ pertinent ad colendum Deum; ipse facit, vt illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt, vt ipse faciat quod promisit. Alioqui vt Dei promissa impleantur, non in Dei, sed in hominis potestate est: & quod à Domino promissum est, ab homine redditur Abrahæ. Non autem sic credidit Abrahã: *sed credidit dans gloriã Deo; quoniam quæ promisit potens est & facere.* Facere, inquit; non prædicere, vel præscire. Sua ergo & non aliena facta promisit: cùm in fide gentium promisit filios Abrahæ. Quod esse non possunt, si non habeant fidem. Ergo donat & ipsamfidẽ. Sed cum dicitur, inquiunt, *qui crediderit saluus erit*; vnum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur ab homine, in hominis potestate est: quod offertur, potestatis Dei est. Et cur vtrumque non erit potestatis Dei; & quod iubet, & quod offert? Imò rogetur quod jubet, quem rogant discipuli credentes, vt eis augeatur fides. *Ex fide ergo* omnia, *vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei tantum qui ex lege est*, id est qui ex veteri testamento venit ad novum; *sed & ei, qui ex fide est Abrahæ*, id est imitator fidei Abrahæ; nil arrogans sibi de promissa lege, sed simplex ejus filius est: qui quantum ad fidem, *pater est omnium nostrum*, tam Iudæorum quam Gentilium: *sicut scriptum est; quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti: qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Vocat; quia ipse fecit, quæ futura sunt. Et naturam & gratiam in nobis ipse prædestinauit: & facit Deus, & quod homines sumus, & quod fideles sumus: ipsamque facit justitiam, si justi sumus. Et quoscumque ad hoc elegit, habet apud se, non in natura sua, sed in præscientia sua. Et hoc est, quod dicit *ante Deum*. Ante Deum quippe jam factũ est, quod in ejus dispositione futurum est. *Et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Non vocat vt sint; sed vocat tamquam ea quæ sunt.

Vers. 14. *Vers. 15.* *Non seruatur lex sine gratia.* *Vers. 21.* *Marc. 16.* *Obiectio Semipelagianorum.* *Luc. 17.* *Vers. 16.* *Vers. 17.*


Nondum erant, qui promitterentur: ne quisquã de meritis gloriaretur. Et quibus promissum est, & ipsi promissi sunt: vt totum corpus Christi dicat, gratia Dei sum id quod sum. Hæc est gratia, quam sicut thesaurum magnũ Noë, Moïses, cæteriq; sancti dicuntur inuenisse: dicente Scriptura. *Inuenit gratiam in conspectu Dei.* Sed adhuc notandum quod dicit, *Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio*: quasi ostendere volens, quia si ex lege promissio esset, firma nõ esset. Vtique, quia quæ ex lege sunt, in tabulis scribũtur, vel chartulis: quæ verò sunt gratiæ, digito Dei, id est Spiritu sancto mentibus nostris inscribuntur. Fidelis quippe anima fidem à Deo datam ipsi resignans, fideliter eam offert Sancto Spiritui, tamquam ceras præparatas, vt quod ei placuerit inscribat: & quod ab ipso inscriptum fuerit per amorem Spiritus, interior affectus in æternum inviolabiliter teneat. Et hæc est fides, quæ reputatur ad iustitiam: quæ capax gratiæ efficitur. Hoc autem contingit semini Abrahæ: non ei tantum qui ex lege est, id est ex observatione legis venit ad gratiam: sed & ei qui ex fide, id est ex sola imitatione fidei reputatur filius Abrahæ, in eo in quo positus est Pater omnium credentium, tam ex gentibus quàm ex Iudæis. *Qui viuificat mortuos*, vel mortuos in anima morte peccati: vel qui colebant idola, secundũ Prophetam simulachris suis similes effecti. *Et qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*, Qui cum eo participium non habet, qui dicit, *Ego sum qui sum*: nec esse dicendus est. *Qui cõtra spem in spem credidit.* Contra spem ipse sibi erat, cui spem generãdi tam sua senectus, quàm conjugis & senectus & sterilitas denegabat. Contra quæ omnia credidit in spem; quia credidit Deo, qui dabat spem, cui facile esse sciebat, implere quod promittebat. Bene autem dicit, credidit in spem: quia ex fide profecit in spem. Profectus enim fidei spes est, perfectio autem charitas. *Non infirmatus est fide*; cùm multa essent, vt dictum est, quæ ipsam ei fidem infirmare posse videbantur. Credendo autem *dedit gloriam Deo: plenissimè sciens*, quia nec falleret in promittendo, nec deficeret in implendo, qui promiserat. *Nec considerauit corpus suum emortuum, cum ferè centum annorum esset; & emortuã vuluam Saræ.* Non enim jam semen Abraham incontinentiæ agebat dissolutio; non sanctam ejus conjugem lasciuia muliebris: in quibus jã plus ex religione quàm ex natura vigebat membrorum mortificatio. Sed vbi audierunt tantã sobolis & posteritatis spem, vt gloriam ejus cœlo & sideribus Deus promitteret exæquandam: non jam aspexerunt ad propria bona, & continentiæ gratiam: sed omnia arbitrati sunt detrimenta, vt Christum ex semine suo lucri facerẽt. Sic enim dictum est ei. *Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli: & sicut arena maris.* Vbi per stellas spirituales filij Abrahæ intelligendi sunt, luce virtutum conspicui: per arenam verò maris carnalis & infructuosæ generationis infinita multitudo. *In repromissione etiam Dei non hæsitauit vt diffideret: sed confortatus est fide, dans gloriã Deo. Ideo reputatum est ei ad iustitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam: sed & propter nos, quibus reputabitur, credentibus in eum, qui suscitauit Dominum nostrum Iesum Christum à mortuis: qui traditus est propter delicta nostra; & resurrexit propter justi-*

Genes. 6. *Fidelis anima vt se habeat ad Deum.* *Exor. 3.* *Vers. 18.* *Profectus fidei spes est, perfectio charitas.* *v. 20. 21 &c.*

ficationem nostram. Inquirendum sollicitè est, quid est, quod Apostolus in hoc loco Deú nominans cui credimus, & cui Abraham credidit, non dixit, credentibus in Deum excelsum, vel in Deum qui fecit cœlum & terram: sed tantum, qui suscitauit Dominum Iesum à mortuis. Nimirum quia multum magnificentius est in laudem Dei Dominum Iesum Christum suscitare à mortuis: quàm creare cœlum & terram. Illud enim fuit, facere quæ non erant: hoc autem est reparare quæ perierant. Illud fuit, noua instituere: istud fuit, perdita restituere. Cujus rei mysterium jam in fide Abrahæ præcesserat: cùm iussus filium immolare, credidit, sicut dicit Scriptura, quia & à mortuis potẽs est suscitare De⁹. Propter hoc gaudens vnicum offerebat; quia in eo non interitum posteritatis, sed reparationẽ mundi, & innouationem totius creaturæ cogitabat: quæ per resurrectionem Domini futura erat. Hoc ergo modo competenter videbitur habita comparatio fidei Abrahæ, & eorum qui credunt in Deum, qui suscitauit Dominũ Iesum Christum: quia quod ille credidit futurũ, nos credimus factũ. *Qui traditus est propter peccata nostra; & resurrexit propter iustificationem nostram.* Mors Christi & significat, & exigit mortificationem veteris hominis nostri, & resurrectionem ad iustitiã. Propter quod implacabiliter exosum habere debet homo peccatum suum: propter quod scit traditum esse Dominum suũ. Nemo ergo fidem quam habet in eum, arbitretur sibi reputandam ad iustitiam: nisi deposito veteri homine cum actibus suis, & nouo induto, conformem & comparticipẽ se fecerit mortis ejus & resurrectionis. Alioqui nulla conuentio iniustitiæ ad justitiam.

Credidit Abraham filium suum suscitandũ.

Vers. 25.



LIBER TERTIVS.

IAM postquam suprà scriptos differentiarum status circa ea quæ prima vel secũda sunt hominis Dei vel populi Dei, duos vtcumque libellos digessimus: ad ea quæ tertia ejus sunt ingredientes, gratiam Dei lumenque ejus mirificum salutamus & adoram⁹ in ipso lumine, vnde nobis oriri incipit: non quod omnino quasi per ordinem lectionis differentiarum harum fiat processus; sed sic designantur in ordine scribentis diuersis modis & locis: sicut diuersis temporibus fieri solent in corde hominis proficientis. Ibi enim inuenit quisque differentiarum harum status, secundum interioris status sui defectus vel successus: cùm aliquando homo tentandus & ostendendus ipse sibi, sibi à Deo relinquitur: sicque totus inuenitur exlex & excors, vt nesciat sicut dicitur discernere inter dextram & sinistrã suam: quæ sunt prima hominis. Aliquando cæco datur oculus, vt videat quæ videnda sunt: sed non prodest, non delectat miserum videre: cùm, quod proprium est naturalis visus, nihil eorum quæ videt, menti renunciat sensus suus: quæ sunt secunda hominis. Aliquando oculis rationis infundit se quædam visus non tã natura quam gratia: vt non tam videns rem sibi visam, quàm visa res attrahat sibi & conformet, & coaptet videntem. Quod cùm fit absque contradictione, pignus est vel arrha vicinæ sanitatis: cùm verò fit, sed sine contradictionis lucta non fit, commonitio est nondum consumptæ infirmitatis. Hæc sunt tertia hominis Dei. Populus verò Dei in naturali lege primum relictus est sibi, vt intelligeret quid per se ipse sibi esset: deinde aliquibus eorum addita est etiam lex scripta, nequid esset vnde se apud Deum homo excusaret: postremò verò omnib⁹ missa gratia, vt intelligeret homo quid ipse sibi, quid ipse Deo, quid sibi Deus esset: & laudaret Deum, seipsum verò accusaret. Adhoc videtur peruenisse Apostolicæ disputationis sensus, tã de homine Dei, quàm de populo Dei: & ex hoc jam regnum gratiæ disputando ingreditur: licet sæpius adhuc ad commendationem gratiæ legentis oculis referat & depingat statum illum hominis vel hominum, qui ante legem & sub lege sunt, vel fuerunt. *Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum; per Dominum nostrum Iesum Christum.* Hacten⁹ de ratione fidei, quæ ad justitiã reputata est; & de circumcisionis & præputij diuersitate disputatum sit: nunc jam qualiter, qui ex fide & non ex operibus iustificati sunt, ab Apostolo informẽtur ad gratiam, videamus. Cùm manifestè, inquit, jam pateat, quia nec lex Moysi Gentili, nec Iudæo præiudicet lex fidei; omnes tã ex Iudæis quàm ex Gentibus pacem habeamus ad Deum. Primò ergo quicumque intelligit & gaudet se justificatum per fidem: caueat ne gratiæ ingratus sit, id est ne habeat superbam fidem, & dicat sibi. Si ex fide, quomodo gratis? Scilicet quasi ipse det fidem, & accipiat iustificationem. Non hoc dicat homo fidelis; quia dicetur ei, *Quid habes, quod non accepisti?*

Tres status hominis.

Tres leges ad quid datæ.

1. Corin. 4.

Cap. 5.

IVSTIFICATI *per fidem.* Iusti, quia iusti facti. A quo iusti facti? Ab ipso, qui fidẽ dedit, quæ nos iustos fecit. *Pacem habeamus ad Deum.* In mundo, inquit Dominus, *pressuram habebitis; in me autem pacem habete.* Sicut enim in mari fluctus, sic in mundo deesse non possunt, vel in nobis quicumque motus. Sunt autem qui pacẽ quæ est ad Deum negligunt, vt pacẽ habebant cum sæculo: cùm omnis pax postponenda sit, vt pacem habeamus cum Deo. *Veritatem,* ait Propheta, *& pacem diligite.* Primùm veritatem deinde pacem: id est pacem secundum veritatẽ. Pax ista veritatis patiens est, benigna est. Non æmulatur; non agit perperam; non inflatur; nõ est ambitiosa; non quærit quæ sua sunt; non irritatur: non cogitat malum; non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. Hæc est pax ad Deum. Pacis verò hujus præmium est pax in Deo; id est bene velle omnia, & quæ vult, habere omnia, quæ est veræ beatitudinis definitio: cujus primitias accipiunt filij Dei in hoc sæculo, plenitudinem in futuro. Et hæc sunt quarta hominis vel populi Dei. Hæc autem pax ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est pax nostra, qui facit vtraque vnum, siue vtrumque parietem circumcisionis & præputij; siue terrestria & cælestia; siue hominẽ & Deum. *Per quem & accessum habemus per fidem,*

Vers. 1.

Ioann. 16.

Zachar. 8.

1. Cor. 13.

Pacis ad Deum præmium est pax in Deo.

Vers. 2. qua ei inhæremus, *in gratiam istam in qua stamus: & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Viã quippe accessus hujus ad Deum doctrina Christi demonstrauit, exemplũ ejus fecit, passio muniuit, trahit gratia, veritas suscipit; & hæc omnia per fidem. Stamus autem in gratia, cùm pro ea constanter laboramus: stamus in ea, cùm, quod credimus, speramus, & amamus. *In spe gloriæ filiorum Dei.* O stare, quàm dulce est in te laborare.
Deute. 5. Tu verò *sta hic mecum*, dixit Dominus ad Moysen, & docebo te. Populus verò ludebat, & caput vituli adorabat. Et David, *Mane*, inquit, *astabo tibi & videbo.* Qui adstat, & videt & videri
Psalm. 5. amat. Vnde & ante facies regum dicuntur stare: qui fideliter probantur ministrare. Sta & obsequere mihi, dicit tibi regulus aliquis hujus mundi, & adopto te in filium: & in gloria regni mei. Quæ probra, quas laborum molestias, quas temporis dilationes non sustinebis? Sta mecum, dicit tibi Deus, & adopto te in filium; omnia mea tua sunt; tu eris regnum meum, & ego bonum tuum. Habes obsidem, pro te, cum adhuc impius esses, morientem filium meum: iustificatus autem pignus tenes spiritum meum. Da Domine, da, ô pater luminum, quod jubes; da quod promittis, scilicet seruis tuis spem gloriæ filiorum tuorum: *non solum autem, sed & gloriari in tribulationibus* pro te: exprimant illæ in nobis patientiæ affectũ, vsque ad probationis effectum, & sanctæ spei profectum. *Spes autem non cõfundit:* quia & vbi est fidelis ad te spes, statim est & res; *quia charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum* quem tu das nobis. Qui veniens in nos donante te, docet nos omnem veritatem, insinuans nobis in te, ô pater, summæ diuinitatis authorem: in te, ô fili, æternam æternę consubstantialitatis natiuitatẽ: in te, ô sancte Spiritus, Patris Filijque sanctam communitatem: in tribus sanctæ consubstantialitatis vnam & simplicem æqualitatẽ. Et quæ est hæc gloria Domine filiorum tuorum; quæ peregrinationis eorum spes; quod exilij quantumvis protracti solatium: cùm, quod commune vobis est, Sancte Pater, Sancte Fili, per hoc nos vultis habere communionem inter nos & vobiscum: cùm per illud donum nos colligitis in vnũ, quod ambo habetis vnum? In hoc enim diuinitati reconciliamur; in hoc in abscondito faciei tuæ abscondimur: in hoc in delectationibus quæ sunt in dextera tua vsque in finem, iucundamur. Nam quid nobis prodesset, quicquid homines essemus; nisi diligendo etiam in te, ô Deus, proficeremus? Nempe sicut veritate discimus, ita charitate diligimus: vt & pleniùs discendo cognoscamus, & beati cognito dulciùs perfruamur. Ipsa est oratio tua Domine, quam habuisti pro nobis ad patrem. *Volo, vt sicut ego & tu vnum sumus; ita & ipsi in nobis vnum sint.*
Ioann. 17. Vis enim hoc, & vehementer vis, vt per Spiritũ tuum, amorem tuum, ames nos in te: & ames te de nobis, & in nobis. Non enim est nobis à nobis tam pretiosa hæc substantia, qua te diligimus; sed à Spiritu sancto tuo quem das nobis. Da ergo eum nobis, & in nobis habitans ô Deus, ama te de nobis, mouendo nos & accẽdendo ad amorẽ tuũ, inluminando & excitando. Et quia in peccatis nostris alienabamur à possessione verorum bonorum: charitas tua cooperiat multitudinem peccatorum nostrorum. Cùm hoc agis ô suauis & dulcis, filij tui de seruis effecti, dulce

Obsequi Deo quàm vtile.

Vers. 3.

Vers. 5.

A Deo est, quòd eum diligimus.

& suaue habent meditari vel loqui de te, & in loquendo vel meditando efficitur cor eorũ ardens in te: multò autem veriùs cum sensu illuminati amoris te videntes alloquuntur te: abundantissimè verò cum tu loqui digneris ad cor amantis te. Dicis enim ei, quasi oleum camino addens, vt qui amat, plus amet; qui ardet, plus ardeat: dicis autem ei intus in conscientia, ex illuminatione Sancti Spiritus tui, intelligenti sicut in Iob dicit, venam susurrij tui. *Vt quid enim Christus cum essemus infirmi, secundum tempus pro impijs mortuus est?* Vt quid Domine? *Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori.* Commendat autem Deus charitatem suam in nobis: quoniam si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multomagis iustificati nunc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum, Si enim cum inimici essetis, reconciliati estis Deo per mortem filij ejus, multomagis reconciliati salui eritis in vita ipsius.] Quid? Nullusne alius à peccato mihi exitus, nisi per mortẽ Christi filij tui? Nullus. Nam magno odio opponẽdus erat magnus amor: amor filij odio inimici: amor tui vsque ad contemptum sui, peccato amoris tui, quo teipsum amabas vsque ad contẽptum Dei. Et his rebus & sacramentis rerũ, mysterijs & mysteriorũ affectibus purgandus erat amor quo ad Deum reditur, Deoque inhæretur. Sine quo omnino mundato & puro nec ad Deum reditur: nec Deo adhæretur. Mundatus autem & videns & fruens, quid dicit? *Non solũ autem, sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum*, non jam in sacramentis, sed in ipsa re omnium sacramentorum: non in mysterijs, sed in ipsa re omnium sacramẽtorum: non in mysterijs, sed in ipsa luce manifestæ veritatis: quia etsi nouit Iesum secundum carnem, sed nunc jam non nouit. Per carnem tamen trãsit in Deum, per Dominum nostrũ Iesum Christum: per quem nunc interim accipimus reconciliationem, ibi cum eo habituri beatitudinis vnitatem. Hoc in corde & conscientia filij gratiæ assiduè commemorat Deus: commendans charitatem suam in nobis. Saluis enim cæteris salutis & fidei nostræ sacramentis, propter hoc & natus & passus est, & fecit quicquid fecit in terris factus homo Deus; vt in prouocationem nostræ in se charitatis, charitatem suam commendaret in nobis: fortiùs enim amor amore trahitur. Ipse verò nullum volebat amari ab eis quos saluandos susceperat: quos nisi amantes se saluare non poterat: quorum mensura salutis in mensura est amoris. Ideo pro impijs, pro infirmis, pro peccatoribus mortuus est. Hæc enim tria prudenter posuit Apostolus, per hæc omnia peccantium genera designans: impios appellãs in cultu Dei; infirmos infirmitate vel ignorantia delinquentes; peccatores quos non excusat infirmitas siue ignorantia; sed agit in peccatum libens malitia. *Vt quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est?* Secundum tempus, inquit, vel secundum tempus trium dierum, quibus requieuit in monumento; vel secundum hoc quod ex tempore habuit, id est secundum carnem. *Quia*, inquit, *commendat charitatem suam in nobis*, &c. Pone enim medicum ægrum suscepisse curandũ: quem nisi morte vnici filij curare non possit. Numquid non odibilis potiùs medico, &

Iob 4.

Vers. 6. & seq.

Nullus à peccato exitus nisi per mortẽ Christi.

Vers. 5.

Finis vnus Incarnationis commẽdatio charitatis Dei.

Vers. 6.

Rom. 8. detestandus æger ille? *Proprio verò filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*
Ephes. 5. Ipse quoque Filius *dilexit nos; & tradidit semetipsum pro nobis.* Vbi quantò amarior in saluando fuit mortis necessitas: tantò dulcior in saluato per vitam resurgentis in resurectione ipsius esfulsit iucunditas. Considerandum autē, quomodo reddat singula singulis. Peccatores iustificantur; inimici reconciliantur, reconciliantur per mortem, per vitam saluantur. Ira verò Dei qui omnia cū trāquillitate iudicat, non aliud est, quam iusta vindicta. Nec inimici eramus Deo, nisi quemadmodum iustitiæ inimica sunt peccata; quibus remissis tales inimicitiæ finiuntur. Si autem justa vindicta Dei iræ nomen accepit: reconciliatio Dei quæ rectiùs intelligitur, quàm cùm talis ira finitur? Sic neque etiā affectu mouetur, cùm amat nos, qui semper idem ipse est: sed amor ejus ad nos est bonitas: amor noster ad ipsum Spiritus sanctus quem dat nobis: per quē charitas Dei diffunditur in cordibus nostris. Cōmendauit ergo charitatem suam in nobis, priùs amando. Amati quippe sumus priùs: vt digni fieremus, qui amaremus & amaremur ampliùs. Non cœpit nos diligere, ex quo per mortem filij ejus reconciliati sumus; sed ante mundi constitutionem dilexit nos: vt cum ejus vnigenito etiam nos filij ejus essemus. Sic sic ostendendum nobis erat, quantum nos amaret, ne desperaremus: & quales, ne superbiremus. Præcedens autem sententia vbi dicit, *Cum adhuc infirmi essemus iuxta tempus, Christus pro impijs mortuus est,* cohæret duabus sequentibus: quarū in vna nos dicit peccatores, in alia inimicos Dei; tamquam singulis reddēs singula; peccatores ad infirmos, inimicos Dei referens ad impios. *Propterea sicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit; & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt; in quo omnes peccauerunt.* Prolixiùs hic Apostolus de duobus hominibus disputat; vno eoq; primo Adam, per cujus peccatum & mortem tamquam hæreditarijs malis posteri ejus obligati sumus: altero autem secundo Adam, qui non homo tantum, sed etiā Deus est: quo pro nobis soluente quod non debebat, à debitis & paternis & proprijs liberati sumus. Proinde quoniam propter vnum illum tenebat diabolus omnes per ejus vitiatam carnem concupiscentialiter generatos: iustum est, vt propter hunc vnum dimittat omnes per ipsius immaculatam gratiam spiritualiter regeneratos. Porrò in loco isto diuersi diuersa sentiunt: quia videtur inesse quædam obscuritas, sed non tam sensus, quàm literæ, quæ forsitā ex incuria processit interpretis: de qua sine omni sensûs dispēdio facilis iste videtur exitus. Accepimus reconciliationem per vnum Dominum Iesum Christum; sicut peccatum intrauit in mundum per hominem vnum: quod propterea videtur conveniens, vt sicut illud per vnum, sic & istud fiat per vnum. Vnde & in consequentibus duos istos in multis parificat & coæquat, quasi per contrarium: licet alter præcellat. Sed sunt, qui versum illum longè inferiùs positum, *Igitur sicut per vnius delictum,* & c. ad istum velint respondere; vt omnia quę intersunt, quasi ad supplementum sensus interposita sint: sed dum vitant obscuritatem perplexitatis interpositarum rationū, maiorem sensus incurrunt inuolutionem. Sunt etiā qui dicant, posteaquàm edocuit differentiam fidei & legis, & aperuit arcana secreti mysterij, quòd cum inimici essemus, Deo per mortem filij eius reconciliati sumus: nunc causas inimicitiarum & reconcilationis consequenter exponit; propter quod & alterius secreti rationē intulit dicens. *Propterea sicut per vnum hominē,* &c. Vers. 12.
Vbi autem dicit, sicut per vnum hominem peccatum introiuit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransijt; restabat vt diceret, sic per vnum hominem justitia intrauit in hunc mundum, & per justitiam vita: & sic in omnes homines pertransijt, in quo omnes viuificati sunt. Sed non hoc Paulo contigit ex defectu eloquij: sed aliquid in hoc prospexit vtilitatis. Prudens enim dispensator verbi, cùm venit ad ea loca, quæ de bonitate Dei eximium aliquid videntur proferre, aut obscurius & breuius ea solet proferre, aut silentio omninò subtegere, propter tepidiores: ne ex remissione spei faciat segniores. Vnde & hic cùm dixisset, *Sicut per vnū hominem in hunc mundū peccatū intrauit,* & siluit, quæ inferenda erant, prudentibus palā reliquit subintelligēda; & imprudētibus prudenter subticuit: simul & illud ostēdens, quod etiā si per vnū hominē justitia & vita in ōnes homines pertrāsiuit: tamē non hoc otiosis statī accidere, sed his qui multo labore & sudore potuerint quæ occulta sūt quærere; pulsare quæ clausa; quæ abscondita sunt desiderare. *Per vnū hominem.* Aliud est imitari Adam in peccato: aliud nasci de Adā originaliter cū peccato. Nam Adā etiam præter imitationis exemplum; parificauit in se omnes de sua stirpe venturos. Econtrà quisquis adhæret Domino, vnus spiritus est, etiam præter imitationis exemplum, per occultā communicationem, & inspirationem gratiæ spiritualis. *Per vnum hominem.* Non per serpentem decipientem; non per mulierē seductam in præuaricationem, de qua etiam legitur, quia *à muliere initium peccati est;* sed per vnum hominem: quia per semen generationis quod à viro accipiens cōcipit fœmina. A viro enim initium generationis est. Quo more nasci noluit; qui natus ex fœmina sine peccato solus in mundo apparuit. Animaduersum est autem ab eis, qui ne vnam quidem syllabam in literis Pauli à mysterijs vacare diffiniunt, quod peccatum quidem non dixit in omnes homines, sed in mundū introijsse: mortem verò non in mundū, sed in omnes homines; & non introijsse, sed pertransisse. Possunt per mundum hic terreni quique, & in terrena conuersatione permanentes designari: homines verò dici possunt, qui jam se incipiunt cognoscere, quia ad imaginem Dei facti sunt. In illos ergo, qui mundus appellantur, id est terrenos, introijsse peccatum dicit, & nusquam ejus exitum ponit: in eos verò, quos homines vult intelligi, dicit pertransisse peccatum, id est fuisse quidem, sed per pœnitentiæ conuersionem depulsum esse & pertransisse; nec vltra in eis stetisse. *Et per peccatum mors.* Opus castum in coniuge non habet culpam; sed origo peccati trahit secum debitā pœnam. Non enim maritus, quia maritus est, ideo mortalis non est: aut aliunde nisi à peccato mortalis est. Erat enim & Dominus mortalis, sed non de peccato. Sed suscepit pœnam nostram; vt solveret culpam nostrā. Solus quippe infans innocens esse potuit; qui de peccato Adæ, id est de concupiscentia natus nō fuit. Concupiscentia enim in Adam post pecca-

Marginalia: *Quid sit ira Dei & amor &c.* — *Cur paulus hic aliqua subticuit.* — *Peccatum originale.* — *Eccli. 25.* — *Primus & secundus Adam quàm diuersi.* — *Diuersæ expositiones. Vers. 18.* — *Vers. 12.*

tum inobedientiæ, & peccatum & pœna peccati statim apparuit: dum primorum hominum illorum oculi in mutuam concupiscentiam aperti sunt: per quam in omnes, & peccatum originale, & ipsa quæ lex peccati in membris nostris dicitur, pertransit. *Et per peccatum mors.* Illa sine dubio mors, dequa propheta dicit: quia *anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Cujus mortis vmbram hanc corporalem mortem, meritò quis dixerit: quia quocumque illa incesserit, hanc necesse est sequi, velut vmbram corpus. Solus Saluator sine peccato apparuit: quem etiam ideo mors subsecuta est, quia pro peccatis nostris peccatum ipse factus est; & sponte mortem suscepit, qui dixit. *Potestatem habeo ponendi animam meā, & iterum sumendi eam.* Gratiā autem Dei per baptismum eius, qui venit in similitudinem carnis peccati, id agitur: vt euacuetur caro peccati. Euacuatur autem, non vt in ipsa vivente carne concupiscentia conspersa & innata repente absumatur, & non sit: sed ne obsit mortuo, quę inerat nato. Nam si post baptismum vixerit, ibi habet, cum qua pugnet, eamque adjuuante Domino superet; si non in vacuum gratiam ej[9] susceperit; si reprobus esse noluerit. Non itaque hoc præstatur in baptismo; nisi forte miraculo ineffabili omnipotentissimi creatoris, vt lex peccati que in mēbris repugnans legi mentis, prorsus penitus extinguatur, & non sit: sed vt quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatū est, cum eidem concupiscentiæ subjecta mente seruiret, totum aboleatur; ac velut factum non fuerit, habeatur: ipsa verò soluto reatus vinculo, quo per illum diabolus animam retinebat; & interclusione destructa, qua hominē à suo creatore separabat, maneat in certamine, quo corp[9] nostrum castigamus, & seruituti subjicimus. Tēporalis autē mors etiam in ijs, qui Christi morte redimuntur, relinquitur interim ad exercitationem fidei, & agonem præsentis luctaminis, in quo & martyres certauerunt: absumetur verò & ipsa in renovatione corporis, quam resurrectio pollicetur. Vtrumque autem, & mors, & peccatum, in homines pertransit. Nam si peccatum non pertransisset, non omnis homo cum lege peccati quæ in menbris est, nasceretur. Si mors non pertransisset; non omnes homines morte corporis moretentur. *In quo omnes peccauerunt.* Vel in eo peccato, de quo dicit, peccatum introiuit in hunc mundum, in quo omnes peccauerunt: vel in quo; id est in homine illo. Ideo etiam & in ipso omnes moriuntur: quia cū crimine iustum erat transire in eos & supplicium. Si ergo Leui qui generatione quarta post Abraham nascitur, in lumbis Abrahæ fuisse perhibetur; multomagis omnes homines erant in lumbis Adæ, cùm peccaret; & in ipso peccauerunt, & cū ipso à paradiso expulsi sunt: & per ipsum mors in omnes pertransijt, qui in lumbis ejus habebātur. *Vsque ad legem peccatum erat in mūdo;* quod per primum hominem intrauit in mūdum; non solum originale peccatū, sed & quodcumque aliud contrahi potuit ex vitio corruptę originis, vsque ad legem fuit in mundo: hoc est quia neque lex potuit auferre peccatum; quæ subintrauit, vt magis abundaret: siue lex naturalis, in qua quisque ratione vtens incipit peccato originali addere & propria: siue ipsa, quæ scripta per Moysen populo data est. *Sed non imputabatur: quia lex non erat,* qua arguente monstraretur: cùm à Dño Deo non tāquam nō esset haberetur. Sic autem dictū est vsque ad legē, vt etiā legem sententia ista concluderet: vt non sit lex extra permansionē peccati, quod fuisse dictū est vsque ad ipsam, lex autem vsque ad Ioannem; & peccatum vsque ad aduentum Christi, à quo sola liberat gratia Saluatoris. *Sed non imputabatur,* sicut dictum est; *cùm lex non esset.* Qui rationi huic acquiescunt: silent hic & quiescunt. Sūt autem qui quærendum hic arbitrantur, de qua lege hic agitur. Sine lege enim naturali natura hominis rationē habentis numquā fuit: quæ etiā ante legem scriptā peccata originalis concupiscentiæ non solùm aduertit, sed etiā districtissimè nonnumquā animaduertit. Vnde Cain in semetipsū, *Major est iniquitas mea, quā vt veniā merear.* Et Noë in filium, *Maledictus,* inquit, *Chanaā puer.* A maledictione ergo terræ in opere primi hominis sicut peccatū semper in mundo fuit: sic lex imputans nūquam defuit. Peccatū etiā originale necomnibus patuit, nec omnes latuit quia nec latuit Iob nec Ahrahā & domū ejus: propter quod etiā circucisionē accepit, hoc in fide seminis ejus qui est Christus, operante in eis circumcisione, quod in nobis operatur baptismus. Vnde & David ingemiscens dicit. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis cōcepit me mater mea.* Non defuerunt, qui præcipitandæ cursum sententiæ tenendum hic esse arbitrantes, totum lectionis hujus sensum perscrutandum putarent: vt sensum in his Apostoli non tam ex suo sensū, quàm ex verbis ipsius colligerent. Et post aliquanta inuenientes eum dixisse, *sine lege enim peccatum mortuum erat; ego autem viuebam sine lege aliquando:* inuenerunt eum hoc dicere de lege naturali, vt sit sensus, vsque ad legem naturalem, quæ certo ætatis tempore rationis capax esse incipit, quando iusti injustique incipit habere discrimen: peccatum in me mortuum intrinsecus erat: cùm nō esset lex quæ vetaret nō facienda, vel ratio quæ facienda mōstraret. Quod aliter de Apostolo, secundum illos, nulla ratione potest intelligi: cùm hoc se dixisse de seipso non videatur ambiguum. Secundum hunc sensum non vsquequaque absurdum videtur, si & hic dicatur, quia vsque ad legis naturalis intelligentiam peccatum ex corruptione veniens originis erat in mundo; vt subintelligatur, sed mortuum: quia non imputabatur, excusante naturali infirmitate vel ignorantia. Quod verò dicit in mundo, & non hominibus, dicunt hujus assertores sententiæ, homines appellandos eos qui jam rationis capaces, & naturalem legem habent; illam verò ætatem quæ nondum ad capacitatem naturalis legis accessit, non tam homines, quam mundum appellandā: pro eo quod pars quædam mundi videntur; sed nondum sicut homines, qui induere mereantur creatoris imaginem. Sed quia etiam hæc de lege sententia legi Moysi ab alijs potiùs applicanda videtur: quid magis eligendum sit, lectoris relinquatur arbitrio. Vtrique autem satis conuenit, quod sequitur. *Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen,* id est à primo homine vsque ad ipsam legem, quæ diuinitus promulgata est: quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre. Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, vt eos ad vitam æternam, quæ vera vita est, venire nō sinat: sed ad secumdam etiam quæ pœnaliter

Ezech. 18.
Mors corporis est vmbra mortis animæ.
Ioann. 10.
Hebr. 7.
Omnes homines in lūbis erant Adæ.
Vers. 13.
Ibidem.
Luc. 16.
Gen. 4. & 5.
Peccatum orig. non omnes veteres latuit.
Psalm. 5.
Vers. 14.

æterna est, mortem trahat. Hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Saluatoris. Quæ operata est etiam in antiquis sanctis: quicumque, antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuuantem gratiam, non ad legis literam, quæ jubere tantum, non adjuuare poterat, pertinebant. Hoc namque occultabatur in veteri testamento pro temporum dispensatione iustissima; quod nunc reuelatur in nouo. Ergo in omnibus regnauit mors ab Adã vsque ad Moysen, qui Christi gratia non adjuti sunt, vt eis regnum mortis destrueretur. In quos autem regnauerit, vide. *Et in eos*, inquit, *qui nõ peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Iste enim melior intellectus horum verborum; vt cùm dixisset; regnauit mors, & in eos qui nõ peccauerunt; quasi nos moueret, quare in eos regnauerit qui non peccauerũt, adderet, in similitudinem præuaricationis Adæ: id est, quia inerat in horum membris similitudo præuaricationis Adæ. Potest & sic intelligi, *regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, & in eos, qui non in similitudinem præuaricationis Adæ peccauerunt:* quia in seipsis, cùm jam nati essent, nec ratione adhuc vterentur, qua ille vtebatur, quando peccauit; nec præceptum accepissent, quod ille trãsgressus est: sed solo originali vitio tenerentur obstricti, per quod eos regnum mortis traheret ad condemnationem; quod regnum mortis in eis tantum non est, qui Christi gratia renati ad ejus pertinent regnum: quoniam mors temporalis quamvis & ipsa de originali peccato propagata sit, corpus in eis interimit, animam verò ad pœnas non trahit: vbi voluit regnum mortis intelligi, vt anima renouata per gratiam iam nõ moriatur in gehenna, id est à vita Dei non alienetur, non separetur. Quod verò adjunxit de Adam, *qui est forma futuri*, neque hoc vno modo intelligitur. Aut enim forma Christi è contrario est, vt quemadmodum in illo omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificentur; & quomodo per ipsius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, sic per Christi obedientiã justi constituantur multi: aut formam futuri eũ dixit, quod ipse inflixerit formam mortis posteris suis. Ille tamen est melior intellectus: vt ecõtrario forma esse credatur, quam multum commendat Apostolus. Deniq; ne omnino ex æquo in hac forma eadem contraria pensaretur: adiunxit & dixit. *Sed non sicut delictum: ita & donatio. Si enim multi ob vnius delictum mortui sunt: multomagis gratia Dei & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundauit.* Non magis multos, id est multo plures homines; neque enim plures iustificantur, quàm condemnãtur: sed multomagis abundauit. Adam quippe ex vno suo delicto reos genuit: Christus autem etiam quæ homines delicta propriæ voluntatis ad originale in quo nati sunt, addiderunt, gratia sua soluit atque deleuit. Quod euidentiùs in consequentibus dicit. Verum illud diligentiùs intuere, quod ait, ob vnius delictũ multos mortuos. Cur enim ob illius vnius, & non potiùs ob delicta sua propria, si hoc loco intelligenda est imitatio, non propagatio? Sed attende quod sequitur. *Et non sicut per vnum peccatum: ita & donum. Nam judicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Ex vno, inquit, *in condemnationem.* Quo vno, nisi delicto? Hoc enim explanat, cũ adjungit. *Gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Cur ergo iudicium ex vno in condẽnationẽ: gratia verò ex multis delictis in iustificationem? Nonne etsi nullum est originale delictum, non solum ad justificationem gratia, sed etiam iudicium ad condemnationem ex multis delictis homines ducit? Neq; enim gratia multa delicta donat: & non etiam iudicium multa delicta condemnat. Imò verò nos Apostolum intelligamus: & videamus ideo dictum iudiciũ ex vno delicto in condemnationem: quia sufficeret ad condemnationem, etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum. Quamvis enim condemnatio gravior sit, eorum qui originali delicto etiam propria conjunxerunt; & tantò singulis gravior, quantò grauiùs quis peccauit: tamen etiam illud solum quod originaliter tractum est, non tantum à regno Dei separat, quò parvulos sine accepta Christi gratia defunctos intrare non posse ipsi etiã hæretici confitentur: verùm & à salute ac vita æterna facit alienos: quæ nulla esse alia potest, præter regnũ Dei, quò sola Christi societas introducit. Ac per hoc ab Adam in quo omnes peccauimus, nõ omnia nostra peccata, sed tantum originale traduximus: à Christo verò, in quo omnes iustificamur, non illius tantum originalis, sed etiam cæterorum, quæ ipsi addimus, peccatorum remissionem consequimur. *Ideo non sicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno delicto*, si non remittitur, id est originali *in condemnationem* jam potest ducere: *gratia verò ex multis* remissis, hoc est, non solum originali, verum etiam omnibus cæteris, ad iustificationem perducit. *Si enim ob vnius delictum mors regnauit per vnum: multomagis qui abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Cur ob vnius delictum mors regnauit per vnum: nisi quia mortis vinculo tenebantur in illo vno, in quo omnes peccauerunt, etiamsi non adderent propria peccata? Alioqui non ob vnius delictum mors per vnum regnauit, sed ob delicta multorũ per vnũquemque peccantem. Quid autem *abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt:* nisi quod non eis tantũ peccatũ in quo omnes peccauerunt, dimittitur; sed etiam in eis quæ addiderunt, gratia remissionis datur: eisque hominibus tanta iustitia donatur, vt cum Adam consenserit ad peccatũ suadenti, non cedant isti etiam cogenti? Et quid est, multomagis in vita regnabunt, cùm mortis regnum multò plures in æternam pœnã trahat; nisi intelligamus, eos ipsos in vtroque dici, qui transeunt ab Adam, id est à morte ad vitã, quia in vita æterna sine fine regnabunt, magis quàm in eis mors temporaliter & cum fine regnauit? *Itaque sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem: ita per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ.* Hoc vni⁹ delictum, si imitationem attendamus, non erit nisi diaboli. Sed quia manifestum est de Adam, non de diabolo dici: restat intelligenda, non imitatio, sed propagatio peccati. Nam & quod ait de Christo, *per vnius iustificationem:* magis hoc expressit, quàm si per vnius iustitiam diceret. Eam quippe iustificationem dicit, qua Christus iustificat impium: quam non imitandã proposuit, sed solus hoc potest. Nam potuit Apostolus rectè dicere, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* numquam autem diceret, iustifica-

Vers. 14.

Variæ expositiones verborũ Apostoli.

Vers. 15.

Christus orig. & actuali pecc. nos redemit.

Vers. 16.

Vers. 17.

Vers. 18.

Non agitur hic de pecca. imitationis, sed originis.

mini à me, sicut & ego sum iustificatus à Christo: quomodo possunt esse, & sunt, & fuerunt multi iusti homines, & imitandi: iustus autem & iustificans nemo, nisi Christus. Vnde dicitur,

Rom. 14. *Credenti in eum qui iustificat impium, deputatur fides ejus.* Quisquis ergo ausus fuerit dicere, iustifico te, consequens est, vt dicas etiam, crede in me: quod nemo sanctorum rectè dicere potuit, nisi sanctus sanctorum, qui dixit,

Ioann. 14. *Credite in Deum, & in me credite:* vt quia ipse iustificat impium, deputetur fides ejus ad iustitiam. Nam si sola imitatio fecit peccatores per Adam: cur non etiam per Christum sola imitatio iustos facit? Porrò, si propterea Christus vnus est, in quo omnes iustificentur, quia non solum ejus imitatio justos facit, sed per spiritum regenerans gratia: propterea & Adam vnus est, in quo omnes peccauerunt; quia non sola ejus imitatio peccatores facit; sed per carnem generans pœna. Ob hoc etiam dictum est, *omnes* & *omnes:* neque enim qui generantur per Adam ijdem ipsi omnes per Christum regenerantur: sed hoc rectè dictum est, quia sicut nullius carnalis generatio nisi per Adam, sic spiritualis nullius, nisi per Christum. Nam si aliqui possent carne generari, non per Adam; & aliqui generari spiritu, nõ per Christum: non liquidè omnes, siue hic siue ibi dicerentur. Eosdem autem omnes postea multos dicit. Possunt quippe in aliqua re omnes esse, qui pauci sunt. Sed multos habet generatio carnalis, multos & spiritualis: quamvis non tam multos hæc spiritualis, quam illa carnalis. Verumtamen quemadmodum illa omnes habet homines; sic ista omnes iustos homines: quia sicut nemo præter illam homo; sic nemo præter istam iustus homo; & in vtraq; multi.

Non sola imitatione in Adã peccauimus.

V. 19. & 20. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiam vnius hominis justi constituentur multi. Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum.* Iam non pertinet hoc ad illud delictũ, quod trahitur ex Adã, de quo superiùs dicebat, *mors regnauit per vnũ.* Legem quippe, siue naturalẽ intelligamus, quæ in eorum apparet ætatibus, qui jam ratione vti possunt; siue conscriptã, quæ data est per Moysen; nec ipsa potuit viuificare, & liberare à lege peccati & mortis, quæ tracta est ab Adam: sed magis addidit præuaricationis augmentum. *Vbi enim non est lex, nec præuaricatio.* Præuaricata ergo lege, quæ in paradiso data est, nascitur homo ex Adam cum lege peccati & mortis, de qua dicitur: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,* &c. Quæ tamen nisi mala postea consuetudine roboretur, facilius vincitur, non tamen sine gratia Dei. Lege autem alia præuaricata, quæ est in vsu rationis animæ rationalis, in ætate hominis iam ratione vtentis: præuaricatores fiunt omnes peccatores terræ. Præuaricata ergo lege etiam illa quæ data est per Moysen, multò ampliùs abundat delictum. *Lex ergo subintrauit, vt abundaret delictũ:* siue cùm homines negligunt quod Deus iubet: siue cùm de viribus suis præsumentes adjutoriũ gratiæ non implorant, & addunt infirmitati superbiam. Cùm autem vocatione diuina intelligunt cui sit ingemiscendum, & inuocant eum in

De delicto actuali hic agitur.

Psalm. 50. & 40. quẽ credunt, rectè dicentes, *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam:* &, *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animã meã quia peccaui tibi:* cum ergo se homo ad illũ extenderit, & sic ingemuerit, fiet quod subditur, *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia;* & dimittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum: & diffunditur in cordibus ejus charitas Dei, vnde fiat legis plenitudo; non per vires arbitrij quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datur nobis: vt quemadmodum regnauit peccatum in mortem, sic & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam; per Iesum Christum Dominum nostrum. Modo autem, cùm dixisset, vt quemadmodum regnauit peccatum in mortem, non ait, per vnum hominem, aut primum hominem, aut per Adam, quia iam dixerat, *Lex subintrauit, vt abundaret delictum;* quæ abundãtia non pertinet ad primi hominis propaginem, sed ad conuersationis humanæ præuaricationem: quæ vni illi delicto, quo solo obstricti tenentur infantes, jam in maioribus ætatibus ex abundantia iniquitatis adjecta est. Sed *Gratia delet etiã peccata actualia.* quoniam hoc totum etiam, quod non pertinet ad vnius illius delicti originem, tamen idonea est soluere gratia Saluatoris: ideo cum dixisset, sic & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam: addidit, per Iesum Christum Dominum nostrum. Deinde opponens sibi ipse quæstionẽ, *quid ergo dicemus,* inquit. *Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit.* Vidit enim à per- *Caput 6. Vers. 1.* uersis peruersè posse accipi, quod dixerat, vbi autem abundauit delictum superabundavit gratia: tamquam dixerit propter abundantiam gratiæ prodesse peccatum. Hoc diluens respondit, absit, atque subjecit. *Qui mortui sumus peccato, quomodo viuemus in eo?* Hoc est, cùm id præsti- *Vers. 2.* terit gratia, vt moreremur peccato; quid aliud facimus, si viuimus in eo, nisi vt gratiæ simus ingrati? Neque enim qui laudat beneficium medicinæ, morbos docet ac vulnera, à quibus illa hominem sanat. Sed quantò maioribus medicina laudibus prædicatur: tantomagis vituperantur & horrentur vulnera & morbi, à quibus liberat, quæ ita laudatur. Sic laus & prædicatio gratiæ vituperatio & damnatio est delictorum. Demonstrãda enim fuerat homini fœditas languoris ejus, cui contra iniquitatem suã nec præceptum sanctum & bonum profuit: quo magis aucta est iniquitas, quàm minuta; quandoquidem lex subintrauit, vt abundaret delictum; vt eo modo conuictus atque confusus videret nõ tantum doctorem sibi esse necessarium, verum *Christus non solũ doctor, sed adjutor necessarius. Hoc aduersus Abailar.* etiam adjutorem Deum; à quo ejus itinera dirigantur, ne dominetur eis omnis iniquitas; & confugiendo ad opem diuinæ misericordiæ sanetur; atque ita vbi abundauit delictum, superabundet gratia; non peccantis merito, sed subuenientis auxilio. Consequenter eamdem medicinam in passione & resurrectione Christi mysticè demonstratam ostendit Apostolus dicens. *An ignoratis, quoniam quicumque baptizati sumus* *V. 3. & 4.* *in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus illi per baptismum in mortẽ: vt quemadmodum resurrexit Christus à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Nempe satis elucet, mysterio dominicæ mortis & resurrectionis figuratum vitæ nostræ veteris occasum, & exortum nouæ; demõstratamque iniquitatis abolitionem, renouationemque iustitiæ. Vnde igitur hoc tantum beneficium hominum, nisi per fidẽ Iesu Christi? Hæc cogitatio sancta seruat filios hominum in protectione alarum Dei sperantes: vt inebrientur

ab vbertate domus, & torrentem voluptatis potent: quoniam apud ipsum est fons vitæ, & in lumine ejus videbimus lumen. Semel enim immolatus est Christus in seipso: & tamen in sacramento non solum per omnes paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur. Nec vtique mentitur: qui interrogat⁹, eum responderit immolari. Si enim sacramenta quamdam similitudinem rerum earum, quarum sacramenta sunt, non haberent: sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine, plerumque jam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, & sacramentũ sanguinis Christi sanguis Christi est: ita & sacramentum fidei fides est. Nihil est autem aliud credere; quam fidem habere. Ac per hoc cùm respondetur parvulus credere, qui fidei nondũ habet affectum: respondetur fidem habere, propter fidei sacramẽtum, & conuertere se ad Deũ, propter conuersionis sacramentum; quam & ipsa responsio ad celebrationẽ pertinet sacramẽti: sicut de ipso baptismo Apostolus, *consepulti*, inquit, *sumus cum Christo per baptismum in mortem.* Non ait, sepulturam significauimus: sed prorsus ait, *consepulti sumus.* Sacramentum ergo tantæ rei, non nisi ejusdem rei vocabulo nuncupauit. Itaque parvulum, etsi nondum fides illa quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nã sicut credere respondentur, ita etiam fideles vocantur: non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo. Cùm autem sapere homo cœperit, non illud sacramentum repetet, sed intelliget: ejusque veritati consona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu nõ potest, valebit sacramentum ad eius tutelam aduersus contrarias potestates: & tantum valebit, vt si ante majoris vsum ætatis ex hac vita emigrauerit, per ipsum sacramentũ commendante Ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione quæ per vnum hominem intrauit in mundum, Christiano adiutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profectò infidelis est, etsi habeat fidei sacramentum: longeque melior est illo parvulus, qui etiamsi fidem nondum habet in cogitatione, non tamen obicem contrariæ cogitationis opponit. Peccatum ergo Dño non inerat; & tamen quodãmodo peccato mortuus est, dũ moritur carni in qua erat similitudo peccati: vt cùm secundũ vetustatẽ peccati nunquã ipse vixisset, nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus reuiuiscentẽ vitã noua sua resurrectione signaret. Ipsum est, ꝙ in nobis celebratur magnum baptismatis sacramentum: vt quicumque ad istã pertinent gratiam moriantur peccato, sicut ipse mortuus dicitur peccato, quia mortu⁹ est carni, hoc est peccati similitudini: & viuant à lauacro renascendo, sicut ipse à sepulchro resurgendo; quamlibet ætatem corporis gerant. A parvulo enim recens nato vsque ad decrepitum senem, sicut nullus est prohibẽdus à baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo: sed parvuli tantum originali, majores autem his omnibus moriuntur peccatis, quæcumque malè viuendo addiderunt, ad illud quod nascendo traxerunt. Sic itaque locum istum clausit, vt cœpit: mortem quippe Christi insinuauit sic, vt etiã ipsum mortuum diceret esse peccato. Cui peccato; nisi carni, in qua erat non peccatũ, sed similitudo peccati, & ideo nomine est appellata peccati? Baptizatis itaque in mortem Christi, in qua non solum maiores, verum etiam & parvuli baptizantur, ait. *Sic & vos*, id est quemadmodum Christus, *sic & vos existimate vos mortuos esse peccato; viuere autem Deo, in Christo Iesu.* Quicquid igitur gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertia die, in ascensione in cœlum, & sessione ad dexteram Patris, ita gestum est: vt his rebus non mysticè tantum dictis, sed etiam gestis, configuraretur vita Christiana, quæ hic geritur. Nam propter ejus crucem dictum est. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus & concupiscentijs.* Propter resurrectionem: *vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Propter ascensionem in cœlum, sedemque ad dexteram Patris: *si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis; & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Interioris enim hominis nostri sacramento data est vox illa, pertinens ad mortem animæ nostræ significandam: non solum in psalmo, verumetiã in cruce. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Cui voci congruit Apostolus dicens. *Scientes, quia vetus homo noster crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati: vt vltra non seruiamus peccato.* Crucifixione quippe interioris hominis pœnitentiæ dolores intelligũtur, & continentiæ quidam salubris cruciatus; per quam mortem mors impietatis perimitur: in qua nos non reliquit Deus. Et ideo per talẽ crucem euacuatur corpus peccati; vt iam nõ exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato: quia & interior homo si vtique renouatur de die in diem, profectò vetus est, antequam renouetur. Intus namque agitur, quod item Apostolus dicit: *exuite uos veterem hominem cum actibus suis.* Quod ita consequenter exponit. *Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Vbi autem deponitur mendacium, nisi intus: vt habitet in monte sancto Dei, qui loquitur veritatẽ in corde suo? Iam ergo formã Adæ præteriti & futuri descriptã, formã non omnino vniformi: simili quidem per genus, per speciem verò contrariã: per genus namque similis est in eo, quod sicut ab vno Adam in plures diffunditur, ita & ab vno Christo in plures homines infunditur: species verò contraria, quod ex Adam prçuaricatione peccatores constituti sunt multi; ex Christi verò obedientia justi cõstituti sunt multi: sic formã, vt dictum est, primi Adæ & secundi, & à similibus & à dissimilibus comparatã sibi; quia diffusiùs lectionis huius seriem prosecuti sumus, jam & ordo & sensus verborũ contrahendus videtur: & subtilius discutiend⁹. Comparat enim mortem, quæ per Adam, vitæ, quæ per Christum est, & dicit, *non sicut delictũ, ita & donum.* Et item post hæc ait, legem subintroisse, vt abundaret peccatum: abundante verò peccato superabũdasse gratiam. Et in his soluit quod videbatur esse contrarium, & dicit. *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo?* Et volens rebus ipsis ostendere, quid est mortuum esse peccato: dicit. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu:* &c. Per quæ docet, quia si quis pri⁹ mor-

Verba August. ep. 23. ad Bonifac.

Baptismus est fidei sacramẽtum. Vers. 4.

Christus mortuus est peccato, id est carni, cui inerat similitudo peccati.

Vers. 11.

Gestis Christi cõfigurari debet vita Christiani.

Galat. 5.

Vers. 4.

Coloss. 3.

Psalm. 21.

Vers. 6.

Crucifixio hominis fit per pœnitentiam.

Coloss. 3.

Vers. 2.

Vers. 3.

nius est peccatis: hic necessariò in baptismo cōsepultus est Christo. Si verò non ante quis moritur peccato: non poterit sepeliri cum Christo. Nemo enim viuus aliquando sepelitur. Quod si non consepelitur Christo, non legitimè baptizatur. Deinde sequitur.

Vers. 1. *Quid ergo? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet?* Primùm vide, quàm librato sermone vsus sit. Ait enim. Permanebimus in peccato? Permanere est à cœpto non desinere. Quod vtique qui de peccato facit, certum est, quòd necdum initium conuersionis accepit. Et cùm pœnitentia peccati proprium opus sit gratiæ; vbi inuenit impœnitentiæ obstinationem, non ibi abundat nisi in judicium & condemnationem.

Vers. 2. *Si enim mortui sumus peccato, quomodo viuemus in eo?* Intuere diligentiùs mystici ordinis consequentiam. Mori priùs oportet peccato: vt possis sepeliri cum Christo. Mortuo enim sepultura debetur. Sepultus verò peccato, nequaquam vlteriùs viuere debet in eo. Quin etiam in sepulchro nouo sepultus, & sindone munda obvolutus Dominus noster Iesus Christus, in cōsepulto suo designat nouitatē vitæ, & munditiam conscientiæ.

Vers. 3. *An ignoratis, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu; in morte ipsius baptizati sumus?* Hoc enim etiam significat vas baptismi, nullis alijs vsibus deputatum; & alba vestis. Scire etiam debemus, quia nullum baptizatum rationis capacē ignorare licet fidem & mysterium baptismi sui. Vnde non sine quodā animi motu dicere videtur. *An ignoratis*, &c. Quicumque ergo in Christo Iesu baptizatur, in morte eius baptizatur, commortuꝰ ei abrenunciatione peccati, consepultus professione propositi sancti. Quod autem hic in Christo tantum baptizati dicimur, cùm dixerit

Matth. 28. ipse qui baptizat, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non hic discutienda erat baptismi ratio; sed mortis Christi, ad cujus similitudinem nos suaderet mori peccato, & consepeliri Christo. Nec videbatur congruū, vt vbi de memoria mortis agebatur; Pater nominaretur, aut Spiritus sanctus. Agitque hic more suo Apostolus; vt cùm ex Scripturis aliquid assumit, ea tantum assumat, quæ præsentis causę requirit assertio.

Non vult Apostolus nos in solo nomine Christi baptizari.

Vers. 4. *Vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Surrexit Christus, & Pater glorificatus est: cui si nos conresurgentes in nouitate vitæ ambulemus, videbūt homines opera nostra bona, & glorificabunt patrem nostrum qui in cœlis est. Ambulandum autem nobis est, nec desistendum; vt vltima dies nos proficientes inueniat.

Vers. 5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus.* Omnia hæc ad illam respiciunt quæstionem, ne videatur locum peccādi dedisse, in eo quod di-

Cap. 5 v. 20. xit. *Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia.* Ideo in Christi morte nos dicit baptizatos, & commortuos, & consepultos, & complantatos: addens insuper spem simul resurrectionis. Mors enim Christi in Ecclesia lignum vitæ est plantatum in medio paradisi. Cui complantatur, qui ei commoritur: vt mortificando membra sua quæ sunt super terrā, mittat, sicut dicit Propheta, radices deorsum, vt faciat fructum

Isai. 37. sursum: fructum reflorentis carnis, & innouationis spiritus, in resurrectionis gloria, & germine, & fœcunditate sanctarum virtutum.

Vers. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati: vt vltrà nō seruiamus peccato.* Hoc enim est cōmori & consepeliri, & conresurgere, si vetus homo noster, id est vita prior quàm duximus in peccatis, finem & interitum accipiat in fide crucis Christi: & membra nostra quæ seruiebant peccato destruantur, vt vlteriùs non seruiant nisi Deo. Sic enim radici ligni vitæ radix nostra cōplantatur, id est amori Christi amor noster cōformatur: vt de succo radicis ejus producat ramos justitiæ, & fructus vitæ. *Vt destruatur corpus peccati.* Corpꝰ hoc peccati, aut vniuersitas peccati est, cujus membra sunt fornicatio, immunditia, auaritia, & c. Vel ipsum corpus nostrum veneno antiqui serpentis ab ipsa sui origine infectum. Quod tunc destruitur, cùm moritur homo peccato, & incipit viuere Deo; non jam suus, non peccati; sed ejus qui magno eum pretio redemit ad seruiendum sibi. Qui enim mortuus est peccato, justificatus est: dum non seruit peccato, sed Domino Deo suo, cui seruire justū est. Quo fructu, qua mercede, quo præmio? *Si autem mortui sumus cum Christo: credimus, quia simul etiam viuemus cum eo.* Qua vita, temporali, an æterna?

Corpus peccati dupliciter intelligi potest.

Scientes, quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi vltrà non dominabitur. Si enim ei vltra esset moriendum: nobis quoque ei iterū esset commoriendum. Vers. 9.

Quod verò interposuit, *credimus, quia simul viuemus cum eo*, ostendit, quia licet certitudo resurrectionis sequatur: non tamen eam nisi fide mediāte sumus adepturi. Vers. 8.

Quicumq; autem commoritur Christo, si resurrectionis expectat gloriam, trium se dierum sciat debere sepulturam, credulitatem cordis, & confessionem oris in salutem: deinde mortificationem membrorum: postmodum verò nouæ vitę resurrectionem. Vel renuntiare sæculo, renūtiare vitijs; deinde in luce sapientiæ perfectionē

Scientes quod Christus resurgēs ex mortuis jam nō moritur; mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Vers. 9. 10.

Qui pro nobis assumens similitudinē carnis peccati, peccatū factus est, peccato & legi carnis quod suum erat reddendo, semel mortuus est: quod autem viuit, Dei est: quia incorruptibilitati Dei conforme est.

Ita & vos existimate vos quidem mortuos esse peccato; viuentes autem Deo. Græcus habet λογίζεσθε id est, non existimate, sed cogitate, quod sensui & fidei certitudini magis congruere videtur. Semper quippe cogitare, & præ oculis habere debemus, quid in baptismo iurauimus & statuimus; mortem scilicet peccato, vitam autē Deo. Nam & quod addidit, *In Christo Iesu Domino nostro:* reddendi voti modus est. Vnum enim est, ac si dicat. Viuentes Deo in sapientia, in pace, in iustitia, in sanctificatione; quæ ōnia Christus est. In his ergo viuere: hoc est viuere in Christo Iesu Domino nostro. Vers. 11.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Si enim regnat peccatum, rex est. Vtique rex est peccatum; & suum habet exercitum sibi militantem, & parentem suis legibus, quæ carni inscriptæ sunt, & membris corporis, in quo jus regni obtinuit. Exercitus enim ejus est, quæ Apostolus opera carnis commemorat, *fornicatio, immunditia*, &c. Quæ quia de regno peccati sunt: qui ea operātur, *regnum Dei non consequentur.* Nam & hæreses in exercitu illo adnumerantur; de inflato sensu carnis venientes. Regnum autem hoc pru- Vers. 12.

Rex est peccatum exercitus ejus opera carnis.

Galat. 5.

dentia carnis est, quàm idem Apostolus mortem pronunciat & inimicam Deo. Semper autē pessimus hic exercitus in procinctu est: castra virtutum impugnans, quamdiu caro concupiscit aduersus spiritum. Nisi verò potestatem peccati in corpore nostro non esse, potestatis nostrę esset, præceptum Apostolus non dedisset dicens, *Non regnet peccatū in vestro mortali corpore.* Sed qui præceptum dedit, non sine consilio nos reliquit, dicens alibi. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*: &, *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.* Odit enim peccatū crucis Christi memoriam, & imitationis ejus affectum refugit. Vexillo crucis apparente, totus ille malitiæ spiritualis exercitus continuò disparet; peccatum non subsistit. Nec impossibile est, quod præcepit Apostolus. Non enim ait, non sit; sed, non regnet in corpore vestro peccatum. Inest peccatum dum delectaris; regnat cum consentis. Non delectari aliquando, omnino impossibile est. Numquam verò consentire, adiuuante gratia impossibile nō est. Ex quadam parte hęres Deo; ex quadam sæculo. Pars tua, caro tua: concupiscentiæ suæ languore rebellat aduersum te. Languor iste tyrannus est. Mens cohærens Deo non deficiat: non se dimittat. Magnum adjutorium habet: vincet, si in pugnando perseueret. Sæpe cohibita concupiscentia deficiet: & non esse incipiet. *In corpore*, inquit, *mortali.* Non sine causa addidit mortali; sed vel, vt suggerat corpus esse mortale, id est habile mortificationi: vel mortale, vt meminerit, quod scriptum est. *In omnibus memorare nouissima tua: & numquam peccabis.* Regni verò peccati sedes est corpus: lex regni lex membrorum eius: exercitus, suprà scriptus, potestas, concupiscentia: regnum, desideriorum obedientia: firmamentum regni, quod sequitur. *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Quod facere, hoc est pro regno peccati pugnare. Et iniquissimum est, membra à Deo creata, & dicata Deo, arma exhibere peccato. *Sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viuentes: & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Intuere per singula sapientiam Pauli. Vbi dicit, arma non esse præbenda peccato vel iniquitati; nō nos, sed membra nostra ponit. Vbi verò suadet, vt nos Deo exhibeamus, non tam membra nostra, quàm nos ipsos exhiberi vult Deo, hoc est animam vel propositum cordis: vt cū primùm nosmetipsos exhibuerimus, & erimus adhærentes Deo, tunc demum etiam membra nostra efficiamus arma iustitiæ. Rursus si peccati concupiscentiā mortificemus in corpore nostro mortali, efficiemur tamquam ex mortuis viuentes; mortui peccato, & viuentes Deo: & membra nostra arma iustitiæ militantia ei, cui ea deseruire, iustissimum est. Bene autem metaphoram superiùs propositam exequitur, vt in regno peccati membra nostra arma nominaret iniquitatis: rursumq; arma iustitiæ nominaret in regno Dei. Sequitur. *Peccatum enim vobis non dominabitur.* Etiam hic intuere miram Apostoli cautelam. Cum de nobis dicit, *peccatum*, inquit, *vobis nō dominabitur,* cùm de Saluatore loquitur, dicit, *mors ei non dominabitur.* Mortis enim in eo fuit locus, peccati nullus. Nobis verò dici non debuit, mors vobis non dominabitur, quam cauere non possumus; sed peccatum vobis non dominabitur, quod sine dubio vitare possumus.

In nobis est, vt peccatū non prævaleat nobis.

Vers. 12.

Coloss. 3.

2. Cor. 4.

Cur Apostolus corpus mortale vocet.

Eccli. 7.

Vers. 13.

In regno peccati arma sunt membra.

Vers. 14.

Possumus vitare peccatum.

Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Lex data est, vt gratia quæreretur. Gratia data est, vt lex impleretur. Neq; enim suo vitio nō implebatur, sed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. Sub lege positis non sub gratia, dominabatur peccatum: à quo non fit homo liber per legem, sed per gratiam. Non quia lex mala est: sed quia eos qui sub ipsa sunt, reos facit, iubendo, non adiuuando. Gratia quippe adiuuat, vt sit quisque legis factor: sine qua sub lege quis positus, legis tantum erit auditor. Quid ergo? *Peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia?* *Vers. 15.*
Idem videtur esse sensus, qui suprà expositus est: vbi dicit. *Quid ergo? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet.* Hoc solum est, quod videtur habere differentiam, quod ibi quasi his qui nondum discesserunt à peccato dici videtur, ne permaneant in eo: hic verò tamquam ab his qui jā discesserint à peccato, fieri videtur interrogatio. Et ibi, vt quasi gratia quæ nondum erat, abundaret: hic autem tamquam præsente jam gratia dicit, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia. *Absit. An nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis ejus cui obedistis: siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiā?* *Vers. 16.*
videtur forte minus integra locutio, siue peccati siue obeditionis ad iustitiam: cùm potiùs dicendum videretur, siue peccati siue iustitiæ per obedientiam. Sed cùm sensus euidens sit, verbis inhærere superuacuum est. Hoc ergo est, quod docet: quod vnusquisque ad quam partem inclinauerit obedientiam suam, siue justitiæ, siue peccati, ei se seruum addicit. Cauenda quippe spontanea in peccato ruina, vel saltus temerarius, quod semel patratum maiorem facit voluptatem; voluptas requirit iterationem; iteratio facit voluntariam consuetudinem; consuetudo seruitutis necessitatem. Nostri ergo iuris est, si volumus iugum seruitutis suscipere: non autem susceptum cùm volumus, abjicere. *Gratia autē Deo, quòd fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis.* *Vers. 17.*
Perfectis hic loquitur, pro quibus etiam in capite hujus epistolæ gratias egit Deo suo: quia fides eorum nunciabatur in vniuerso mundo. Agit autem gratias, non quia serui fuerunt peccati, sed quia serui facti iustitiæ, consuetudinis necessitatem, & indignam peccati abjecerunt servitutem; quia insolitū & difficile est mutare affectum: & sicut sæcularis sapientia dicit, membra cohærentia absque sanguinis damno separari, impossibile est. *Obedistis autem in eam formam, in quam traditi estis.* Ecce mutatus affectus: *Vers. 17.*
& pro quo verè debetur gratiarum actio. Videtur hic aliquibus Apostolum non sentire vnum esse, doctrinam, & formam doctrinæ; sed minus aliquid significare formam doctrinæ, quam ipsam doctrinam: vt forma doctrinæ sit, quod hic videmus per speculum & in ænigmate; doctrina verò, vdere facie ad faciem. Vel forma doctrinę est consūmata & bene formata doctrina iustitiæ. Alij aliter; proponunt enim tres formas in doctrina fidei; rationalem, spiritualem, intellectualem. Rationalis est in sacramentis & moribus, apta illis hominibus, quibus Dominus dicit in parabolis annunciandum regnum Dei. Spiritualis est in lectionis studio & meditationis, & majorum doctrina, conueniens eis, quibus Dominus dicit. *Vobis datum est nosse mysterium* *Luc 8.*

Tres formæ in doctrina fidei. rium regni Dei. Intellectualis est in amoris illuminati affectu: quæ propria est mundorum cordium, quæ Deum videre merentur. Rationalis exigit voluntariam obedientiam, & actiuã perfectionem: spiritualis sobrium sensum, & humilem contemplationem: intellectualis pacificam & familiarem experientiam. De sursum enim veniens hic intellectus non formatur à ratione, sed ipse sibi conformat rationem: non vt eum capiat, sed vt illuminata ab eo, aliquando in eũ consentiat. De prima ergo doctrinæ forma dicit hic Apostolus, in quam illi traditi sunt, qui obedienter semetipsos in eam tradiderunt. *Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Siue enim in peccato siue in justitia, vbi fuerit addita voluntas; ibi seruitutis necessitas. Sequitur.

v. 18.

vers. 19. *Humanum dico, propter infirmitatem vestrã.* Prudens verbi dispensator in prima eos forma doctrinæ videns profecisse, humana sicut hominibus censet esse cõmittenda: cùm diuina mallet, si supra hominem aliquantulũ eos profecisse aduerteret. *Humanum*, inquit, quod potestis portare, *dico.* Quando exhibuistis membra vestra iniquitati ad flagitia perpetranda, timor vos ducebat ad peccatum, an suauitas peccati? Respõdebitis, suauitas. Ad peccatum ergo suauitas ducit; ad justitiam verò timor impingit? Hoc inhumanum est. Potiùs humanũ est, vt sicut hoc, sic & illud. Sicut in vobis fuit hactenus libido voluptasq; peccati; sic amodo delectatio sit, charitasque iustitiæ. Et hæc quidem nondum videtur perfecta: sed quodammodo adulta iustitia. Plus quippe seruitutis debetur iustitiæ: quàm peccato solent homines exhibere. Nam pœna corporis etsi non à voluntate, tamen reuocat ab opere peccati: iustitia verò sic amanda est, vt ab ejus operibus etiam pœna corporis cohibere non debeat. Sicut ergo ille est iniquissimus, quem nec pœnæ corporales deterrent ab immundis operibus sordidæ voluptatis: ita ille iustissimus, qui nec pœnarum corporalium terrore reuocatur à sanctis operib⁹ luminosæ charitatis. Sed humanum tibi dico, ô homo. Ama iustitiam, sicut amasti iniquitatem. In iniquitate secutus es voluptatem: pro justitia tolera persecutionem. Ventum est ad aspera, horrenda, truculenta, minantia: calca, frange, & transi. O amare, ô ire, ô sibi perire, ô ad Deum peruenire.

Ioan. 12. *Qui amat animam suam perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inueniet eam.* Sic armandus est amator iustitiæ: sic armandus est amator invisibilis pulchritudinis.

Mat. 10.

v. 20. *Cùm enim serui essetis peccati: liberi fuistis justitiæ.* Qualis quæso potest serui addicti esse libertas: nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim seruit, qui sui domini voluntatẽ libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Vnde ad iustè faciendum liber non erit: nisi à peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Ipsa verò est vera libertas, habere rectè facti lætitiam: simul & pia seruitus, amplecti præcepti obedientiam. Sed ad bene faciendum ista libertas vnde erit homini addito & vendito: nisi redimat eum, cujus illa vox est, *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis?* Ioan. 8. Liberi enim à iustitia non sunt, nisi arbitrio libertatis: liberi autem à peccato non sunt, nisi gratiâ Salvatoris. Propter quod admirabilis doctor etiam verba ipsa discreuit. *Cùm enim*, inquit, *serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* v. 20. & 21. *Quem ergo tunc fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis?* Est enim quædam confusio temporalis vtilis, perturbatio animi respicientis peccata sua; respiciendo horrentis; horrendo erubescentis; erubescendo corrigẽtis. Qui hanc confusionem non habebit, æternam habebit. Vnde & sequitur. *Nam finis illorum mors est.* v. 22. *Nunc ergo liberati à peccato, serui autem facti Deo; habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.* Hic attende verborum discretionem. Liberos dixit iustitiæ, non liberatos, ne sibi hoc tribuerent: sed vigilantissimè maluit dicere liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam. *Si vos filius liberauerit; tunc verè liberi eritis.* Ioan. 8. Sed hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera bonis non est, quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuuetur ab eo, qui malum non potest velle. Liberos autem dicimus ad facienda opera pietatis, eos quibus dicit Apostolus. *Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.* Hunc in sanctificationem fructum, qui fructus proculdubio charitas est, atque opera eius, nullo modo habere possemus à nobis; sed habemus per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. De ipso quippe fructu loquebatur magister Deus: quando palmitibus in se manẽtibus dicebat. *Sine me nihil potestis facere.* Vnde & ipsam vitam æternam, quæ certè merces est bonorum operum, gratiam Dei appellat Apostolus, subjiciens ac dicens. *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.* Stipendium pro opere militiæ redditur, non donatur. Bene ergo hic stipendium dicitur, quasi militiæ diabolicæ: vbi mors æterna tamquam debitum redditur. Vbi cùm posset dicere, & rectè dicere, stipendium autem iustitiæ vita æterna; maluit dicere, *gratia autem Dei; vita æterna:* vt hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam perducere; sed pro sua gratia. Nam vita quidem æterna stipendium iustitiæ est, sed tibi ô homo, gratia est: sicut etiam ipsa iustitia gratia est. Vnde ne & hæc præter Mediatorem aliquâ aliâ viâ quæreretur, adjecit. *In Christo Iesu Domino nostro.*

Quædã confusio vtilis.

Voluntas nõ est in bono libera, nisi liberata.

Ioa. 15.

v. 23.

LIBER QVARTVS.



LAtivs jam in superioribus de justitijs legis & fidei disputans Apostolus pro Iudæis & Gentibus, tandem iustificatos ex fide pacẽ vtrosque ad Deum habere docuit: deinde ex collatione veteris Adæ & novi, supereminentiam eis gratiæ, in qua eos reconciliauerat, ostendens: in ea positos, ad eam quam dicunt impeccantiam, & ad fidei opera plurimum ex suscepti baptismi mysterio animavit: & ad transeundum à seruitute literæ ad libertatem spiritus, quæ sunt tertia hominis vel populi Dei. Nunc jam imitans

eum cui seruiebat in evangelio filij ejus, cujus misericordia plena est terra, & tamen sigillatim fingit corda singulorum, & intelligit omnia opera eorum: formam moralis doctrinæ euidentiùs assumit, imperitus noster sermone, etsi non scientiâ: in qua singulorum conscientias conueniat; & quid in eis lex quælibet, quid gratia operetur, quid fides, quid litera: quid ea quæ dicitur arbitrij libertas, rationabiliter ostendat: sed & contentionem legis mentis & legis membrorum describit, nullamque de corpore mortis liberationem, nisi à gratia Dei per dominum nostrum Iesum Christum. Primùm ergo ex legis similitudine legi finê imponit; vt omne os obstruatur: vt destructâ de lege Iudæorum gloriâ, tã in Iudæis quàm in Gentibus, par deinceps causa currat, & similis doctrinę gratia. Dicit ergo.

Cap. 7. *An ignoratis fratres, scientibus enim legem loquor, quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? Nã quæ sub viro est mulier, viuẽte viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus: soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera: si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri: vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Quod diuersè à diversis intelligitur.

Similitudo subjectionis sub lege, & mulieris sub viro.

Alij mulierem sub viro hominem interpretantur sub lege: quia sicut mulier si viuente viro alteri adhæserit, adultera iudicabitur; mortuo verò viro soluta est à lege viri, & cui vult nubere habet potestatem: sic viuente, id est statum suum lege habente, homo legi subditus fas non habet legis iugo collũ subducere: si autem decidendo à statu suo lex mortua fuerit; liberum habet alij se legi adaptare. Hoc de lege Moysi & populo circumcisionis facillimum intellectu est: & nihil omnino habens quæstionis. Propheta enim apparente, de quo dixit Moyses. *Prophetam vobis suscitabit* Deutero. 18. *Deus de fratribus vestris; ipsum audietis tamquam me*; antiquata lex & senescens venit ad interitũ: & cantari cœpit canticum novum, & prædicari mandatum novum, & nova fieri omnia. Statimque electio ex Iudæis Ecclesia facta est, sponsa noua agni sine macula & ruga; & nouo sponso adhæsit, relicto mortuo viro priore, sine vlla nota adulterij. Sed vt & Iudæos & Gentes complectatur hæc similitudo, subtiliùs alij eã discutientes, aduerterunt tria in hac similitudine; tria in re similitudinis, quæ per similitudinem quæritur: quæ ad explanandam ipsam similitudinem non inconuenienter aptantur. Tria enim sunt in similitudine, mulier, vir, & lex; cùm mulier virò subjigitur per vinculum legis. Sic se habet similitudo. In re similitudinis similiter tria sunt, homo, peccatum, & lex: quia tandiu sub lege est homo, quamdiu viuit peccato: quemadmodum mulier tamdiu est sub lege viri, quamdiu viuit vir. Cùm autem in hac similitudine tria quædam inueniamus, mulierem, virum, & legem; in re verò similitudinis tria, animam, peccatũ, & legem peccati: hoc solum hic diversum est, quod in similitudine vir moritur, vt mulier soluatur à lege viri; porro in re similitudinis ipsa anima moritur peccato, vt nubat Christo. Cùm autem moritur peccato, moritur etiam legi peccati. Peccatum autem hic intelligendum est, quod accessit per legem: quod peccatum supra modum dicit esse: quoniam cùm jam appareat esse peccatũ, etiam adiecta præuaricatione cumulatur. *Vbi enim non*

Rom. 4. Vers. 15.

est lex, nec præuaricatio. Et hic est qui dicitur supra modum peccator: aut peccatum per mandatum. Istæ erant passiones, non passiones tunc, sed delectationes: quæ per legem auctæ operabantur in membris, vt fructum ferrent morti: sub quibus tamquam sub viro dominante tenebatur anima, antequam veniret gratia per fidẽ. His autem passionibus moritur, qui jam seruit mente legi Dei: quamvis ipsæ passiones nondũ mortuæ sint, quamdiu carne seruitur legi peccati. Restat enim adhuc aliquid ei qui est sub gratia, quod eum non vincat, sed erudiat: non captivum ducat, sed exerceat, donec mortificetur totum, quod consuetudine praua roboratum est. Vera sponsa Christi intelligit quid distet inter literam ac spiritum; quæ duo dicuntur aliomodo lex & gratia: & non jam in vetustate literæ, sed in novitate spiritus Deo seruiens, non est sub lege, sed sub gratia. Ita litera cum spiritu, & lex cum gratia, jã non eo modo litera & lex appellatur, sicut per seipsam: cùm occidit abundante delicto. Ita enim lex & virtus peccati dicta est, cùm auget ejus noxiam delectationem per seueram prohibitionem: nec tamen etiam sic mala est, sed peccatum, vt appareat peccatũ, per bonum operatũ est mortem. Ita multa quibusdã sunt noxia; quamvis non sint mala. Hæc igitur sponsa Christi jam mortua legi, id est peccato, quod legis prohibitione fit abundantius, cũ lex sine gratia iubet, non iuuat: tali ergo lege mortua, vt sit alterius qui ex mortuis resurrexit, discernit ista sine legis iniuria, ne sacrilegiũ cõmittat in ejus authorẽ. Eadẽ quippe lex quæ *per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, cùm accessit literæ spiritus, vt inciperet impleri iustitia legis, quæ nõ impleta, reos etiam præuaricatione faciebat. Neque enim alia lex est sancta & bona & iusta; & alia per quã peccatum mortẽ operatur, cui mori nos oportet, vt simus alterius qui ex mortuis resurrexit: sed eadem ipsa est. Vnde & sequitur. *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi*: id est vmbræ per rem, literę per spiritũ, legi per gratiam: vt jam non sitis vxor vel sponsa ej⁹ qui mortuus est, sed ejus qui ex mortuis resurrexit: vt jam non fructificetis in operibus mortuis mortuo; sed in fructibus vitæ Deo. Nam & lex tale quid adumbrabat, præcipiẽs vt mulier primo viro mortuo, de quo semen non susceperit, trãseat in thorũ ejus, qui frater fuerit defuncti: & suscitet semẽ fratri suo, quod ille suscitare nõ potuit. Frater enim videtur literæ fœcundior spiritualis intellectus. Sequitur. *Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in mẽbris nostris, vt fructificarent morti.* Cùm essemus in carne, id est in concupiscentijs carnis versaremur, & ibi totam spem nostram poneremus: passiones peccatorũ quæ per legem erant auctæ, non sublatæ, lex enim præsumentem de se peccatorem fecit præuaricatorem, quia Deum non habuit adjutorẽ, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti. Vicit enim te, ô homo, cõcupiscentia tua; quia in malo loco; hoc est in carne te inuenit. Migra de carne, in carne viuens noli esse in carne: in spiritu esto. Quid est in spiritu esto? In Deo spem pone. Nam si spem posueris in eo spiritu, quo homo es, iterùm spiritus tuus in terrã relabitur, quia non eum dedisti illi, à quo suspendatur, qui non se continet nisi contineatur.

Litera & spiritus, aliàs lex & gratia.

Ioann. 1.

Rom. 7. Vers. 4.

Quid sit esse in carne.

Noli spem ponere in te, sed in eo qui fecit te. Ipse vita tua est: vitæ tuæ fructificas, quicquid illi fructificas. Sequitur. *Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur; itaut serviamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.* Lex mortis est litera occidens: à qua liberatur, qui peccato moriuntur. Lex litera tantũ est legentibus, quod testamenti veteris est: non per charitatem implentibus, quod testamẽti noui est. Nec est adjutrix legẽtium, sed testis peccantium; à cujus damnatione liberantur, qui per spiritum innouantur: quia litera occidit, spiritus autem viuificat. In vetustate literæ per timorem seruitur: in nouitate spiritus per amorem; vbi serui filij efficiuntur. Vt autem tales serui jam serui non simus, qui filij sumus gratiæ; Dominum hoc facere scimus. Quod servus ille nescit, qui nescit quid faciat dominus ejus: qui in seipso, non in Domino gloriatur. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. *Sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces.* Si lex non est peccatum, sed insinuatrix tantum peccati: nihilominus in his verbis reprehenditur. Animam quippe humanam quasi de ignorantia securam, ipsa demonstratione peccati facit ream. Itaque peccatum, inquit, non cognoui, nisi per legem. Non dixit, non feci, nisi per legem: sed non cognoui, nisi per legem. Sed data est lex vtilis, in eo quod peccatum demonstraret: quia cùm peccatum vinci non posset, sine gratia Dei, peccatorem ipsa reatus sollicitudo ad percipiendam gratiam conuerteret. Non ergo per legem culpa est insita, sed cognita; nec eam lex tulit, sed tamen à quo tolleretur, ostendit. Consequens autem erat, vt quoniam nondum acceptâ gratiâ concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam: quia maiores habet vires concupiscentia, crimine præuaricationis adiuncto, cùm etiam contra legem facit, quàm si nulla lege prohiberetur. Ideo concupiscentiam, quiddam, quo cuncta complexus est, elegit Apostolus: tamquã hæc esset vox legis ab omni peccato prohibentis, *Non concupisces.* Quod quicumque implet mandatum; nullũ omnino facit peccatum. Neque enim vllum peccatum, nisi concupiscendo committitur. Accidit tamen homini aliquando peccatum: quod quasi nec facit, nec committit: quia in peccato nil concupiscitur; sed per impotentiam, vel ignorantiam inciditur. Vbi tamen si peccatum non esset, propheta non oraret. *Ignorantias meas ne memineris.* Bona ergo lex quæ præcipit, *Non concupisces*; sed vbi Spiritus non adiuvat, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiã bonam, hoc est, diffundens charitatem in cordibus nostris: profectò lex quamvis bona, auget prohibendo desideriũ malum. Nescio enim quomodo quod concupiscitur dulcius fit cùm vetatur: & hoc est quod in posterioribꝰ dicit, quia fallit peccatum per mãdatum, & per illud occidit. Vnde & sequitur. *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Erat enim & ante peccatum concupiscentia, sed non omnis erat. Fluuius per legem frænatus est, non siccatus. Quæ te ducebat obicibus nullis; obruit te obicibus ruptis. Minor erat, quando tuam mouebat libidinem: omnis est, quando transcẽdit legem. Vis nosse, quàm magnus sit? Attende quid rupit. Præceptum Dei dicentis, *Non concupisces.* Sine lege enim peccatum mortuum erat, id est latebat, non apparebat: omnino tamquã sepultum erat in quibusdam ignorantiæ suæ tenebris. *Ego autem viuebam sine lege aliquando*: id est nulla ex peccato morte terrebar: quia non apparebat, cùm lex non esset. Vivebam, id est viuere mihi videbar. *Sed cùm venisset mandatũ, peccatum reuixit.* Eminuit, apparuit, non tamen vixit, sed reuixit. Vixerat enim aliquando in paradiso, quando contra datum præceptum, satis apparebat admissum. Cùm autem à nascentibus trahitur, tamquam mortuum sit, latet: donec repugnans iustitiæ malum eius prohibitionẽ sentiatur. Cùm enim aliud iubetur atque probatur, aliud delectat, atque dominatur: peccatum quodammodo in notitia nati hominis reuixit, quod in notitia primi facti hominis aliquando vixerat. Revixit, hoc est sentiri cœpit: cœpit rebellare, cœpit apparere. *Ego autem mortuus sum*, id est præuaricator factus sum: vel quia mortuum me cognoui, vel quia reatus præuaricationis certum mortis supplicium comminabatur: quæ iguorabam, cùm concupiscentias meas sequerer sine cognitione, quia sine cohibitione. *Et inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam*, si obediretur, *esse ad mortẽ*, dum fit contra mandatum: & non solum peccatum fit sicut priùs: sed etiam à sciente & præuaricante peccatur. Bene autem mandatum est ad vitã, non concupiscere. Sola enim vera vita est, non concupiscere. O vita dulcis, & dulcior quàm voluptas concupiscentiæ. Felix anima, quæ hujusmodi delectationibus oblectatur, vbi turpitudine nulla inquinetur, & veritatis serenitate purgetur: scilicet quando delectat lex Dei, & sic delectat, vt omnes lasciuæ delectationes vincantur. Hoc autem non fit statim cùm venit homo ad gratiam: sed concupiscentia tantò fit in proficiente lentior, quantò iustitiæ fit proficiendo propinquior. *Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me: & per illud occidit.* Peccatum non legitimè vtens lege, ex prohibitione aucto desiderio dulcius factum est: & ideo fefellit me. Fallax enim dulcedo est, quam plures, atque maiores pœnarum amaritudines sequuntur. Quia ergo ab hominibus nondum spiritualibus quod vetatur suauiùs admittitur, fallit pecatum falsa dulcedine: quia verò accedit etiam reatus præuaricationis, occidit. *Itaque lex quidem sancta; & mandatum sanctum & iustũ & bonum.* Iubenda enim lex iubet: & prohibenda prohibet. Et in malè vtente vitium est, non in mandato, quod bonum est: quia lex bona est, si quis ea legitimè vtatur. Malè autem vtitur lege, qui non se subdit Deo pia humilitate; vt per gratiam lex possit impleri. Paulò antè Apostolus legem defenderat à crimine: nunc verò debito eam præconio attollit. Ibi enim, *Lex*, inquit, *peccatum est? Absit.* Vno ibi verbo defenditur veritas: quia magna est defendentis authoritas. Hic verò, *lex*, inquit, *sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Recipe ergo mandatum: scito esse arma tua; non quibus te occidat, sed quibus à te occidatur inimicus, si humilis fueris, sicut parvus David. Si autem magnus Goliath & superbus fueris: armis tuis occideris. Goliath in scuto & lancea; Pharao in curribus & in equis: tu autem in nomine Domini. Lex ergo siue obsit inanibus gratiâ, siue prosit plenis gratiâ, semper bona est: sicut sol

Vers. 6. *Vers. 7.* *Nullum peccatũ nisi concupiscendo admittitur.* *Psalm. 24.* *Vers. 8.* *Exod. 20.* *Vers. 9.* *Vers. 10.* *Vers. 11.* *Fallax peccati dulcedo.* *Vers. 12.* *Vers. 7.* *Vers. 12.* *Vtilitas humilitatis.*

semper est bonus, siue dolentibus oculis noceat,
sine sanos demulceat. Proinde quod est sanitas
oculis ad videndum solem : hoc est gratia men-
tibus ad implendum legem. Et sicut oculi sani
non solis delectatione moriuntur, sed inlumi-
nantur: qui verò sani non sunt, ictibus asperis
radiorum reuerberati in densiores tenebras pel-
luntur : sic anima quæ per charitatē spiritus sal-
ua facta est, non iustitiæ mortua dicitur: sed illa
quæ reatui & præuaricationi subjacet, quam lex
per literā faciebat, quādiu gratia defuit. *Quod*
Vers. 13. *ergo bonū est, mihi factū est mors? Absit. Sed pecca-*
tū vt appareat peccatū, per bonū operatum est mihi
mortē. Mors nō est lex: sed peccatū est mors. Iā-
Vers. 8. dudum autem dixerat, *sine lege peccatum mortuū*
est: vbi dixeramus, quia mortuum dixit, abscō-
ditum, est; latet, non apparet. Modo videte,
Peccatum sine lege mortuum, idest absconditum.
quàm verè ita dictum sit. *Peccatum*, inquit, *vt*
appareat peccatum. Non dixit, vt sit; quia erat,&
quando non apparebat peccatum. Quid est, vt
appareat peccatum? Quia *concupiscentiam nes-*
ciebam, nisi lex diceret, non concupisces. Non ait,
concupiscentiam non habebam : sed, concupis-
centiam nesciebam. Sic etiam hic non ait, vt sit
peccatum, sed *vt appareat peccatum : per bonum*
mihi operatum est mortem. Quam mortem? *Vt*
fiat supra modum peccans peccatum per mandatū.
Quare supra modum? Quia iam & præuarica-
tio. Vbi enim lex non est, nec præuaricatio. *Et*
Vers. 10. *inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam:*
quid enim tam pertinens ad vitam, quàm non
concupisces? *hoc esse in mortem.* Peccatum enim
occasione accepta per mandatum fefellit me: &
per illud occidit. Concupiscentiam terruit, non
extinxit: fecit timorem pœnæ, non amorem iu-
stitiæ. Quid ergo? Quid dubitamus ad hoc da-
tam esse legem, vt inveniret se homo? Quando
enim Deus non prohibebat à malo: latebat se
homo. Vires suas languidas non inuenit; nisi
quando legem prohibitionis accepit. *Scimus*, in-
Vers. 14. quit, *quia lex spiritualis est; ego autē carnalis sum*
venundatus sub peccato. Quod enim operor igno-
ro. Non enim quod volo, hoc ago: sed quod odi,
illud facio. Satis ostenditur in his verbis, non
posse impleri legem, nisi in spiritualibus: qui
non fiunt, nisi per gratiam Dei. Spirituali enim
legi quantò fit quisque similior, id est, quanto-
magis in spiritualem surgit affectum, tantò ma-
gis eam implet: quia tantomagis ea delectatur
gratia donante peccata, & infundente spiritum
charitatis, quo non fit molesta, imò suavis & ju-
cunda iustitia. Omni autem circumstantiâ lecti-
In persona justorum loquitur hic Apostolus.
onis hujus diligenter inspectâ, rectè quidem in-
telligitur Apostolus, hæc & ea quæ sequuntur,
dixisse & in sua propria persona, & in persona
aliorum sub gratia fideliter constitutorum: sed
nondum in pacem illam assumptorum, à qua
Rom. 8. absorbebitur mors in victoria, de qua dicit A-
Vers. 11. postolus. *Si spiritus ejus, qui suscitauit Iesū à mor-*
tuis, habitat in vobis: viuificabit & mortalia cor-
pora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in
vobis. Tunc enim viuificatis mortalibus corpo-
ribus nostris, non solùm ad peccandum consen-
sio nulla erit: sed nec ipsa cui consentiatur, car-
nis concupiscentia remanebit: quam spiritui re-
sistentem non habere in carne mortali ille tan-
Solus Christus sine fomite concupiscentiæ.
tum homo potuit, qui sol⁹ non per ipsam ad ho-
mines venit. Erit enim corp⁹ spirituale, & quis-
quis ibi erit, ex toto se, id est, ex vtraque parte
qua constat, spiritualis homo erit: quando spi-
ritualis etiam corpus erit. Neque enim absurdū
est, vt sit in illa vita etiam caro spiritualis: si po-
tuit esse in hac vita in his qui adhuc carnalia sa-
piunt, ipse etiam spiritus carnalis. Hæc sunt
quarta hominis Dei, quæ hic sanctificatione Spi-
ritus inchoātur, & in illa beata æternæ beatitu-
dinis parte perficiuntur. Sic ergo dicit hic Apo-
stolus, & quilibet cum eo spiritualis; *Ego autem* *Vers. 14.*
carnalis sum, quasi nondum spirituale corpus
habebat: sicut posset dicere, mortalis sum, qui
vtique adhuc in mortali corpore degebat. Sic
& de alijs quæ hic dicuntur, intelligendum est:
quæ cùm in persona, vt dictū est, spiritualiū di-
cātur, spiritualib⁹ videntur non conuenire; quæ
in locis suis meliùs differentur. *Scimus*, inquit, *Vers. 19.*
quia lex spiritualis est. Vtiq; lex spiritualis est: quia
sicut jam diximus, *lex per Moysen data est, gra-* *Ioann. 1.*
tia & veritas per Iesum Christū facta est; cū acces-
sit literæ spirit⁹, mandato charitas; seruo peccati
libertas vera, liberto justitiæ seruit⁹ libera, quia
voluntaria. *Lex ergo spiritualis est: ego autem*, ait
Apostol⁹, *carnalis sum.* In carne adhuc sum: quo-
tidie moriens carnē exuo: sed nondū, vt nō con-
cupiscam, perfectè obtinui. Quod perfectè ob-
tinebo, cùm totus de carne exiero; cùm spirit⁹
spirituale corp⁹ induero: & jam nulla parte mei
ero carnalis; sed ex vtraque mei parte spiritualis
ero. *Venundatus sub peccato.* Quis te, ô Paule,
vendidit? O homo inquit, homo sum. Homo
seipsum vendidit, vt sub peccato servus sit, ille
ipsum vendidi; qui consensi seductori. Vendere
me potui; redimere non possum. Vendidi me,
cum dedi peccato consensionem, & accepi mor-
tem. Sed iterum do fidem, & accipio justitiam
Homo seipsum vendidit.
ab eo qui dedit & fidem, fidē sanguinis sui, quē
diabol⁹ injustè fudit: in quo me justificauit, qui
solus justus non justificatus est: quia solus just⁹
natus est: propter hoc ait, *qui primitias spiritus*
habemus, & ipsi in nobis ipsis ingemiscimus: adop-
tionem filiorum expectantes, redemptionem corpo-
ris nostri. Scio me pretio magno redemptum, sed *Cap. 8.*
corpus meum nondum à corruptione sua est ex- *Vers. 23.*
emptum: & ideo corruptibile adhuc & mortale,
spem redemptionis suæ nondum est adeptum.
Vnde & nos omnes, qui qualescumque primi-
tias Spiritus accepimus, in nobis ipsis quotidie
ingemiscimus; sciētes nos redemptos, sed à ser
uili carnis cōditione nondum exemptos. Prop-
ter quod ad Redemptorem nostrum anxijs quo-
tidie precibus clamamus. *Redime me, Domine,* *Psalm. 25.*
& miserere mei. Redimis enim nos, Domine:
cum imples in nobis opus redemptionis tuæ.
Dederas enim homini dilectionē & gaudere de
te, quæ dedit miser, vt haberet ea de se: & mor-
ti traditus & corruptioni neutrum obtinuit, nec
de te, nec de se. Tu verò dedisti te in seruitutem:
vt redimeres ei libertatem. Dedisti te in contu-
meliam: vt redimeres ei gloriam. Omnium bo-
norum horum pretium sanguis tuus est. Ipse est
Sanguis Christi pretium bonorum.
fons David patens in ablutionem menstruatæ.
Patientiam habe in nobis, Domine Iesu, quos
tanti facere dignatus es, vt nos redempturus, nō
nisi te ipsum velles esse pretium nostrum, nos
verò vili addictos rursum nos ipsos distraximus
pro delectationibus sordidis, verè vilissimum
carnis mancipium: deinde verò sordium ipsarū
fœtores afferimus tibi abluendos in fonte san-
guinis tui pretiosi. Qui tamen lauans omnia nō
inquinatur; imò quantò plura abluit, tantò ef-
ficitur salubrior: dum plus diligit, cui plus di-

mittitur. Parce Domine, & vtinam homines sibi parcant, ne nimis sordida huc deferant: idest, ne sordidi nimis huc veniant. Sufficiens tamen est pretium tuum omnes redimere: sufficiens fons tuus omnia abluere. Nam & reis sanguinis tui pretii sui in gratiam tuam peccantibus, & reuertentibus, & plorantibus corā te, benignissimè indulgere nosti: reddens tamen gratiæ reum legi puniendum: vt sicut solet oculum pro oculo, dentem pro dente, sic ab eo exigat sanguinē pro sanguine: vt delectationes prauas peccati sanguineo pœnitentiæ sudore exsudent: sanguineis cordis lachrymis explorent. Quas tamen cùm non habeat, nisi gratia tua subministrante: accepto à te pretio suo, gratię tuę se redimit miser homo venundatus sub peccato. Redditusq; gratiæ statim pugnam inuenit patiturque, quod pugnā intrātibus periculosū esse solet, tenebras

Vers. 15. ignorantiæ. *Quod enim*, inquit, *operor, non intelligo. Non enim quod volo hoc ago; sed quod odi, illud facio*. Non quod non intelligeret peccatū, cùm appareat peccatum per mandatū: sed ignoro, id est nescio, non approbo; sicut dicitur, *nō*

Matth. 7. *noui vos*. Vel bonum puto quod ago, ad explēdam libidinis satietatē: vel malum esse non dubito, & tamen ago per cœcam libidinē: vel volentis & nolētis in meipso non satis aduerto cōtrarietatem. Absit autem, vt intelligatur in his verbis de Apostolo, quod quasi voluerit esse castus, & fuerit incestuosus; misericors, & fuerit crudelis; pius, & fuerit impius; cùm dicit, *non quod volo ago*. Sed volo, inquit, non concu-

Pugna carnis aduersus spiritum. piscere, & concupisco. Lex enim dixit, *Non cōcupisces*. Homo legem audiuit, vitium agnouit: bellum indixit, captiuitatem inuenit. Non omnes homines præter Apostolum: sed Apostolus cum omnibus, quia homo. Constituit enim tibi ante oculos pugnam suam: vt tu timeres tuā. Si enim hoc non dixisset beatus Apostolus; quādo videres commoueri concupiscentiam in mēbris tuis, cui tamen tu non consentires; forsitan desperares de te, & diceres. Si ad Deum pertinerem, non sic mouerer. Vide Apostolū pug-

Vers. 15. nare, & noli desperare. *Non* inquit, *quod volo, ago*, quia nolo cōcupiscere, & concupisco. Hęc enim est pestis illa generalis ab Adam, & ineuitabile contagium. Fecit enim in paradiso cōtra interdictum factum puniendum, & inuenit in seipso motum pudendum: quia aperti sunt oculi eorum ad aliquid quod numquam senserant, quod numquam in motu corporis sui expauerant. Aperti sunt oculi eorum, non ad videndum, sed ad intuendum: vnde & curauerūt tegendum. Inde trahitur originale peccatum, quod nemo effugit: inde caro concupiscit aduersus spiritum, quod nemo non sentit. Hoc est peccatum, quasi naturaliter habitans in corpore omnis hominis de ipso peccato nati: peccatum quod facit omne peccatum. Odit ergo concupiscentiam ratio, non vult eam filius gratiæ: delectatur concupiscere caro, vult etiam implere quod delectat filius Adæ. Non ergo agit Apostolus quod vult, id est, non concupiscere, quia agit in eo homo, quod odit Apostolus, id est cō-

Vers. 16. cupiscere. *Si autem quod nolo; illud facio, consētio legi, quoniam bona est*. Non esset legis præuaricatio mala; nisi ipsa lex esset bona. Si enim nō bona esset, non esset malum præuaricari malā. Quia verò malum est eam præuaricari: ergo bona est. Quid tam bonum, quàm *non concupisces*? Dicit ergo Apostolus. Non implet legē infirmitas mea: sed laudat legem voluntas mea. Nolo enim quod ago; & in eo quod nolo, legi consentio: etsi contra legem sum, in eo quod ago. Voluntas enim mea est, quæ & legis, non concupiscere: quod cùm non agam, approbē tamen, & in me & in lege, si agere possem: cōsentio legi quia bona est. *Nunc autem jam non ego operor illud: sed quod habitat in me peccatum.*

Vbi in te? Sequitur. *Scio enim, quia non habitat* *V.* 17. & 18.
in me, hoc est in carne mea bonum. Hoc est semē Adæ in corpore nostro, cui contrarium est semē illud Dei in spiritu nostro, de quo dicit Ioannes

in epistola sua, quia *si quis ex Deo natus est, non* 1. *Ioann.* 3.
peccat: sed semen ejus quod in ipso est, conseruat eū. In corpore enim habitat peccatum: sed non ei consentiendo viuit ex fide, qui inuocat Deum, pugnans contra peccatum. Nam vt non sit, adest velle, sed jacet, id est impotens est sine auxilio gratiæ: cùm & ipsum velle sit opus gratiæ.

Idcirco addit. *Perficere autē bonum non inuenio.* *Vers.* 18.
In eo enim quod non consentit, bonum facit: in eo quod odit concupiscentiam suam bonum facit: perficere tamen bonū non inuenit. Quod tunc inueniet: quando concupiscentia quæ nūc habitat in mēbris nostris, nulla erit. Nunc autem vitium carnis in re bona non est bonum: quod cùm esse destiterit, caro erit: sed jam vitiata vel vitiosa non erit. Quàm tamen ad nostram pertinere naturam, idem Doctor ostendit dicens. *Scio, qnia non habitat in me:* quod vt exponeret, addidit; *hoc est in carne mea, bonum*. Se itaque dicit carnem suam: non ergo ipsa est inimica. Nam & quando ejus vitio resistitur, ipsa

amatur: quia ipsa curatur. Nemo enim vnquā *Ephes.* 5.
carnem suam odio habuit. *Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum non inuenio*. Vtrique velle adiacet, & à carne, & à mente: sed neutrū perficere inuenit, quandiu voluntatem mentis ad consensum mali trahere non potest carnis cōcupiscentia: nec potest efficere voluntas mētis, vt omnino concupiscentia non sit. Vnde se-

quitur. *Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed* *Vers.* 19.
quod nolo malū, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatū. Quia enim cùm bene volo, quod vult lex & ego volo: inuenio igitur mihi bene volēti facere, legem esse bonam: quia præcipiendo mittit me ad bonum: sed perficere non inuenio, quia velle mihi adjacet, prope mihi est, in corpore meo habitat peccatum, domestic⁹ inimic⁹. Omnis qui proficit recta intentione, proficiens recedit ab omni peccato: & tantò fit inde longinquior, quantò justitiæ & perfectioni fit propinquior: quia & ipsa concupiscentia quæ est peccatum habitans in carne nostra, etsi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen nō desinit in proficientibus. Aliud est enim recedere ab omni peccato, quod nunc in opere est: aliud recessisse, quod in illa perfectione est. Reatus quippe originalis concupiscentiæ in baptismo dimittitur: sed vsque ad futuram vitam

infirmitas permanet; ibi verò bene pugnantes *Remissoreatu originali adhuc manet infirmitas.*
pax perpetua manet, cui donec sanetur, omnis qui bene proficit, studiosissimè reluctatur. Hoc est enim peccatum latens, & malum adjacens; dequo suprà dictum est; *Non enim ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum:* & rursum hic, quoniam mihi malum adjacet, quasi calcaneo insidians coluber. Hoc sicut dicit *non ego,*

operor illud, sed quod in me habitat peccatum, tunc in nobis operatur, & nos non operamur, quando nequaquam ei voluntas nostra consentit: & tenet etiam membra, ne obediant desiderijs ej⁹. Quid enim operatur peccatum in nolentibus nobis, nisi illicita desideria? Quibus si voluntatis non tribuitur assensus: mouetur quidem, sed nullus ei relaxatur effect⁹. Operatur igitur peccatum desideria; quibus si obedimus, & nos operamur: si autem non obedimus, non nos operamur illud, sed quod habitat in nobis peccatum. Si autem nulla desideria illicita haberemus: nec nos, nec peccatum, aliquid mali operaretur in nobis. Motum verò illiciti desiderij, cui non obediendo non id nos operamur, ideo & nos agere dicimur: quoniam non est naturæ vigor alienæ, sed languor nostræ. A quo languore salui erimus: cùm & anima & corpore immortales facti fuerim⁹. Cujus, vt jam dictum est, reatus in baptismo dimissus est, cũ omnibus quæ obediendo illi fecimus: nec vlteriùs nobis obesset, si nullis ejus desiderijs obedientiã vlteriùs præberemus. *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum*: hoc est bonum aliquod inuenio esse legem. Sed cum facere volo bonum, pugnam in memetipso inuenio; quoniam malũ adjacet mihi: vbi addit. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ; & captiuantem me in legem peccati, quæ est in membris meis.* Numquid enim quia deleta est in baptismo tota iniquitas; nulla remansit infirmitas? Si nulla remansisset: sine peccato hic viueremus. Sed ex qua parte liberati sumus, liberi sumus, & Deo seruimus: ex qua parte adhuc serui sumus, seruimus legi peccati. *Condelector*, inquit, *legi Dei secundum interiorem hominem.* Ecce vnde liberi, inde delectamur lege Dei. Libertas enim delectat. Nam quamdiu timore facis quod iustũ est: non te Deus delectat. Quãdiu te non delectat; adhuc servus facis: delectet, & liber es. Noli timere pœnam, sed ama iustitiã. Nondum potes amare iustitiam? vel time pœnã, vt peruenias ad amandam iustitiam. Ergo ille jã ex parte superiore liberum se sentiebat, vnde dicebat. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Delectat me lex: delectat quod iubet ipsa lex: delectat ipsa iustitia. *Video autem aliã legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ: & captiuantem me in legem peccati, quæ est in mẽbris meis.* Hæc est quæ remansit infirmitas. Ex hac parte sentit captiuitatem: vbi non est impleta iustitia. Nam vbi condelectatur legi Dei, nõ captivus, sed legis amicus est: & ideo liber, quia amicus. Quid ergo ex eo quod restat? *Si vos filius liberauerit; tunc verè liberi eritis.* Hæc autẽ lex est repugnans legi mentis, quam primi homines in membris conceptæ mortis habere meruerunt, postquam præceptum transgressi sunt: quem vsq; nunc in filijs Adam nuptiæ ordinant, continentia cohibet & refrænat: vt quemadmodum de peccato factum est supplicium; sic de supplicio fiat meritum. Hæc lex est, quæ captivum me ducit: captivum, sed ex parte; captivũ, sed ex carne. Nam mens repugnat, & condelectatur legi Dei, nec consentit peccato titillanti, suggerenti, blandienti: quoniam habet alias interiùs delectationes suas; delectationibus carnis nulla ex parte conferendas. Est ergo in me quiddam mortuum. Mens non consentit, sed mors contendit. Sed sicut quod viuit in me est: sic est in me etiam quod mortuum est. *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quid est, quod postulat? Si resolutionem corporis; non longe est. Propter hoc tam profundus gemitus Apostoli? Absit. De corpore enim mortis hujus non omnis liberatur, qui finit hanc vitam: sed qui dignus est accipere illam vitam. Non postulat liberari de substãtia corporis, quæ bona est: sed de vitijs carnalibus, vnde non liberatur homo etiam moriens, nisi per gratiam Salvatoris. Nam à corpore mors separat: sed cõtracta ex illo vitia cohærent, quibus iusta pœna debetur, quã etiam in inferno diues ille inuenit. Non enim petit tantũ, vt per indulgentiã, sit de præteritis impunitus: sed vt etiã de cætero sit ad non peccandũ fortis & validus. Condelectatur enim legi Dei: sed videt aliam legem in membris suis. Videt esse, non recolit fuisse: præsentibus vrgetur, non præterita reminiscitur: nec tantũ videt repugnantem, sed etiam captiuantem se in legem peccati; quæ est, non quæ fuit, in mẽbris ejus. Potuisset etiã dicere de corpore mortali. Quid sibi vult corpus mortis hujus? Primorum enim hominum corpora ante peccatum licet animalia, nondum spiritualia; non tamen mortalia erant, quæ necesse esset mori: quod ea die factum est, qua lignum cõtra vetitum tetigerũt. Ita illi homines animalia quidem corpora gerentes, sed non moritura nisi peccassent, acceptura autem angelicam formam cœlestemq; qualitatem: mox vt præceptum transgressi sunt, eorum mẽbris velut aliqua ægritudo lethalis mors ipsa concepta est: mutauitque illam qualitatẽ, qua corpori sic dominabantur, vt non dicerent, video aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meę: quia etsi nondum spirituale sed animale corpus, nõdum tamen erat mortis hujus, de qua & cum qua nati sumus. Quid enim non dicam nati, sed omnino concepti, nisi ægritudinem quandam inchoauimus; qua post morbos & multas mortes corporis, captiuitates animæ & afflictiones, insuper nouissimè necessariò morituri sumus? Neque enim tam necesse est, eum ipso morbo mori, qui hydropicus, vel synthecticus, vel elephantiosus factus fuerit, quàm eum qui hoc corpus mortis habere cœperit, in quo omnes homines natura sunt filij iræ, quia hoc non fecit, nisi pœna peccati. Cõcupiscentia etiam cum qua nati sumus, finiri nõ potest, quandiu viuimus. Quotidie minui potest, finiri nõ potest: propter quod corpus nostrum corpus mortis apellatur. *Quis ergo liberabit me de corpore mortis hujus? Gratia Dei.* Gratia, quia gratis data: gratia, quia præuenit omnia bona merita nostra. Liberabit autem nos de corpore mortis; cùm corruptibile hoc induet incorruptionem. Per quem? *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Sicut enim in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Nec tamen vsquequaque Paulo non ignoscendum: qui securus de reposita sibi corona iustitiæ dicebat. *Scio cui credidi, & certus sum; quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* Difficile est laborantem finem laboris non requirere. Et bonum quidem ei erat permanere adhuc in carne propter fratres, sed esse cum Christo multò melius. O Domine, cuius gratia nos liberat, Propheta qui dicit, *tu es spes mea*; non fine causa dicit, quia *tu es* etiam *pa-*

Non operamur motum turpem, nisi consentiamus.

Vers. 21.

Vers. 22.

Libertas à peccato.

Ioann. 8.

Vers. 24.

Optat liberari à vitijs carnalibus.

Ante peccatum corpus nõ erat morti obnoxiũ.

V. 24. & 25.

1. Cor. 15.

2. Timo. 1.

Psalm. 70.

tientia sua. Nos autem & corpus mortis, & captiuitas animæ in legem peccati, & mundus in maligno positus, & omnia vitæ hujus mala vrgent ad te summum bonum; vbi nullum malũ. Tu quoq; temetipsum promittis nobis: sed quãdo te habituri sumus, non indicas nobis. Creas malum, quod nos hinc vrgeat, spem prolõgas, vt miseros torqueat. Et in his omnibus si dicimus,
Vers. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*, Ego, dicit nobis gratia tua: si quærimus, quando, arguimur de impatientia: si amplius aliquid præsumimus, obruimur de iudiciorum tuorum ignorantia. Ideo gratiæ tuæ terminos inhabitantes turbantur à signis tuis; multumque eos delectat exitus matutini hujus & vesperæ, vbi de eo quod de gratia tua futuri sunt, nequaquam vlteriùs timeant defectum: vltra quod vlteriùs non desiderét profectum; tenentes illud perfectum, quo tu eris eis omnia in omnibus. Domine dabis pacem eis; interim patientiam da eis.
Vers. 25. *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Ordo sensus præcedentis hic est. Quia gratia liberat, igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Quod si mente seruio legi Dei: & si carne etiam seruio nolens legi peccati, jam tamen in
Caput 8. Christo sum. Si in Christo sum, nulla mihi dãnatio : quia
Vers. 1. *nihil damnationis est his qui sunt in Christo Iesu.* Nam quicquid damnationis est effugimus, qui ad Christum confugimus: quia liberatorem inuenimus.
Vers. 2. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis.* In lege verò spiritus impletur iustitia, quæ in lege literæ impleri non poterit: quia
Vers. 3. *in quo lex infirmabatur, misit Deus filium suum.* Igitur, inquit, ego ipse mente seruio legi Dei. Hactenus homo Dei non discernens seipsum, non intelligens quis operatur: incipit discernere seipsum, & intelligere, quis in eo operatur. Igitur, inquit, non aliꝰ in carne, alius in mente; sed ego in carne, ego in mente: non duæ contrariæ naturæ, sed in vtroque vnus homo, sicut vnus Deus, à quo factus est homo: ipse ego mente seruio legi Dei, non consentiendo; carne autem legi peccati, concupiscendo: tamen hic delector, & ibi non vincor. Indicitur enim tibi hic noua vita, ô vetus homo. Nouitatis gaudio suspenderis: sed vetustatis onere prægrauaris. Incipit tibi bellum esse aduersum te: si ex qua parte displices tibi jungeris Deo, ex qua parte jam Deo jungeris, idoneus eris ad vincendum te; quia ille tecũ est, qui vincit omnia. Sed tædet nos quotidiani certaminis; nollemus semper vincere: vellemus aliquando pacem inuenire. Quantum enim est in votis nostris, in voluntate nostra, in oratione nostra, qua dicimus, *ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo;* hoc vtique cupimus, vt nec ipsa mala desideria existant de carne nostra: sed quamdiu hic viuimus efficere non valemus Meruit hoc humana natura in semetipsa: de peccato languor est; sanatur, & non est. Discordia ista pro pace laborat. Agit caro desideria sua, age & tu tua. Non opprimũtur, non extinguuntur à te desideria carnis: non extinguat tua, ne in certamine succumbas. Mente non consentiente malis concupiscentijs, serui legi Dei: carne autem concupiscente, sed te non seruiente; servi legi peccati. Quamdiu sic es in Christo Iesu es: & nihil damnationis est his qui sunt in Christo Iesu; qui etsi sunt in carne, carne seruiendo legi peccati; tamen secundum carnem non ambulant, mente seruiendo legi Dei. *Nunc*, id est in hoc statu, *nihil damnationis est his qui sunt in* Vers. 1.
Christo Iesu. Vel nunc, id est in tempore certaminis, quamdiu adhuc pugnamus, tamen periculum damnationis iam euasimus: veniet pax, quando nec ipsa concupiscentia erit, contra quã pugnamus. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu* Vers. 2.
liberauit me à lege peccati & mortis. Tres hic leges proposuisse videtur Apostostolus; quarum discretio legentibus necessaria est. Lex spiritus vitæ prima, lex peccati & mortis secunda; lex cui impossibile erat iustificare, tertia. Lex spiritus vitæ ipsa est lex fidei, lex misericordiæ, de qua dicitur, *de lege tua miserere mei.* Ipsa enim est, Psalm. 118.
quæ tribuit remissionem peccatorum: gratia Dei potens ad adoptãdum. Lex secunda, concupiscentia est. Quæ rectè omnino lex dicitur: quia legitimè factum est, vt homini, qui noluit obedire Domino Deo suo, non obediat sua caro. Ipsa est lex peccati, & lex mortis. Peccatũ enim mors est; de quo dicitur. *Qua die manducaueritis: morte moriemini.* Tertia lex literæ est, im- Genes. 2.
potens implere, quod lex spiritus vitæ impleuit: liberare scilicet à lege peccati & mortis. Ipsa est lex factorum, quæ minari nouit, non subvenire: iubere, non iuuare. Altera enim lex ostendit, altera tollit peccatum. Tollere peccatum impossibile erat legi literę: in quo infirmabatur per carnem. Rebellante enim carne & vincente audiebat homo legem: & plus incitabatur ad concupiscentiã suam. Quod ergo per eam non potuit, per legem gratiæ impletum est: *cùm Deus filium* V. 3. & 4.
suum mittens in similitudinẽ carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne: vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Aperi Domine Scripturas, quæ de te sunt, non nisi te quærentibus in eis: & hanc maximè, quam per Apostolum tuum dictasti nobis, quæ propria est digiti tui, & stylus spiritus tui: & in ea hujus maximè sacramenti signaculum resolue nobis, quod qui resolueret nemo dignus inuentus est in cœ- Apoca. 5.
lo, neque in terra, neq; sub terra, præter te, qui habes clauem David. Aperi ergo nobis, quid illud est, *quod impossibile erat legi, in quo infirma-* Vers. 3.
batur per carnem: quod exhiberi non potuit sęculo, nisi vnigenitus tuus veniret, & appareret in mundo in similitudinem carnis peccati. Quid, nisi quod sequitur, destructio vel damnatio peccati, & impleta in nobis legis iustificatio? Vnde etiam dicit ad Hebræos. *Si enim sanguis hircorũ* Hebr. 9.
aut vitulorũ, aut cinis vitulæ aspersꝰ inquinatos sãctificat ad emundationẽ carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiã nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? Quod enim hic peccati damnatio, hoc ibi dicitur mortuorum operum facta emundatio: & seruitus mundæ ad Deũ conscientiæ perfecta iustitiæ impletio est. Nam in lege literæ homo peccabat, & hircus luebat: in quo nõ spiritus, sed caro mundari vel sanctificari videbatur, in eo quod ad eius emundationem lex propter infirmitatis suæ conscientiam nil amplius à forensi illo emundationis ritu exigebat. Vsque ad carnem enim tantum lex posse videbatur: ad conscientiam verò emundandam ingredi infirmabatur per carnem. Hoc post peccatum non facientem lapidandum vel exterminandum mi-

Homo in carne & in mente, non duæ contraria natura, sed vnus homo.

Tres leges hic distiguit Apostolus.

Lex carnẽ mundabat, non conscientiam.

nabatur de populo suo: de conscientia nihil agens quomodo emundaretur à Domino Deo suo: quod non fit, nisi in consummatione iustitiæ legis. Quærendum ergo est, quæ sit ipsa legis iustitia. Scilicet ipsa est, quæ ideo iustitia legis dicitur: quia ad hoc data est, vt lex impleatur. Quæ, nisi satisfactio de præterito; cautio de futuro? Sed nulla poterat esse satisfactio à natura vitiata de peccato concreto naturæ: nec cautio de futuro ab eo qui exors esset gratiæ. Ecce infirmitas legis per carnem. Venit ergo vnigenitus à Patre plenus gratiæ & veritatis: plenus intantum gratiæ, vt non solum in ipso abundaret, sed etiam ab ipso in nos exundaret: quia de plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Primùm enim nobis prærogat fidem, deinde quasi pro merito fidei spem; spes autem nõ confundit; quia mox etiam charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum; qui quando datur nobis, necesse est vt tantum speremus, quantum credimus; tantum amemus, quantum speramus & credimus: & hæc est, legis & iustificationis impletio. Venienti enim in mũdum vnigenito Dei occurrit princeps hujus mũdi, à quo pro iustitia se permisit occidi; cùm non haberet in eo quicquam. Ipse verò innocentis mortis suæ iustitiã dans peccatori pœnitenti, fidem suam & charitatem posuit ei in corde, confessionem ad salutẽ: in ore corpus, & sanguinem in manu: sicque reum & redemptum suum Deo Patri repræsentans, de peccato præsumptoris damnato & destructo peccato pœnitentis, placitum & acceptum eum reddidit in sacrificium iustitiæ suæ. Hæc est redemptio, quã misisti Domine populo tuo; hæc est iustitia tua, de qua à finib[9] terræ quotidie ad te clamat pauper tuus; *in tua iustitia libera me.* Hoc est opus tuum, de quo postulat Propheta dicens. *Domine opus tuum verum fiat.* Verum quippe nobis fit opus tuum, cùm sacrificamus tibi hoc sacrificiũ tuum: cùm certo fidei sacramento & pio cordis affectu recolentibus nobis quid pro nobis fecisti, fides quasi ore suscipit, spes ruminat, charitas excoquit in salutem & vitam beatum & beatificum gratiæ tuæ cibum. Ibi enim te exhibes animæ desideranti, acceptans amplexum amoris sui, & osculans eam osculo oris tui: vbi sicut in osculo amoris solet, ipsa tibi effundit spiritũ suum, & tu ei infundis tuum: vt efficiamini vnũ corpus & vnus spiritus, cùm hoc modo sumit corpus & sanguinem tuum. Ibi conscientia non solum ab operibus mortuis emundatur, sed & ad seruiendum Deo viuenti repleta fructibus vitæ & spiritus confortatur: cùm plenè in ea adimpletur legis iustitia; vt sicut te nobis exhibuisti quodãmodo vsq; ad contemptum tui; sic & filij tui voueant tibi semetipsos vsque ad contempũ sui. Misit autem Deus filium suum in similitudinẽ carnis pecati: in carne vera, sed non in carne peccati. Primus homo nullius parentis præcedente peccato creatus est, non in carne peccati: nos illius præcedente peccato nati sumus in carne peccati: Christus, vt de peccato damnaret peccatum, talis apparuit, id est, in similitudine carnis peccati. Similitudo autem carnis peccati fuit in eo; quia mors non est nisi de peccato: & vtique corpus illud mortale fuit. Nam nisi mortale esset, non moreretur. Sic ergo dicitur mors peccatum, quia peccato facta est: quomodo dicitur lingua græca, vel lingua latina, non ipsum carnis membrum, sed quod fit per membrum carnis. Sic ergo peccatum mors Domini, quod factum est de peccato: quia inde carnem assumpsit de massa ipsa, quæ mortem meruerat ex peccato. Etenim Maria ex eadem mortua propter peccatum: & caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata. Maria virgo sine virili amplexu, sine concupiscentiæ ęstu, quoniam ne pateretur hunc æstũ, ideo ei dictũ est. *Spiritus sanctus superveniet in te: & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Virgo ergo Maria non concubuit & concepit, sed credidit & concepit: natusque est Dñs mortalis mortalibus. Quare mortalis? Quia in similitudine carnis peccati, non in carne peccati. Quid habet caro peccati? Mortem & peccatum. Quid habuit similitudo carnis peccati? Mortem sine peccato. Si enim haberet peccatum: caro esset peccati. Si mortẽ non haberet: nõ esset similitudo carnis peccati. Talis venit Salvator. Mortalis autem mortuus est, sed mortem occidit: & de peccato damnauit peccatum. De peccato ergo præsumptoris, vt dictum est, damnauit peccatum pœnitentis peccatoris: & de morte carnis suæ mortem animæ occidit in nobis. Sed & hostia pro peccato peccatum in lege dicebatur. Ideo factus ipse hostia pro peccato, damnauit & destruxit omne peccatum in nobis. Hæc est justitia legis: non impleta per legem; sed per eum, qui venit legem non soluere, sed adimplere, Iesum Christum Dominum nostrũ. Sic ergo *iustificatio legis* impleta est in nobis; *qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Secundum carnem non ambulare, est operante gratia concupiscentijs non obedire. Restat enim post acceptã gratiam cum carne conflictus: quia deleta est iniquitas sed manet infirmitas.

Natura vitiata nõ poterat satisfacere pro suo peccato. *Ioann. 1.* *Rom. 5.* *Per peccatũ diaboli destructum est peccatum hominis.* *Psal. 70.* *Habac. 3.* *Luc. 1.* *vers. 4.*

LIBER QVINTVS.

Cap. 8. v. 5.



QVI *enim secundum carnem sunt: quæ carnis sunt sapiunt. Qui verò secundum spiritũ, quæ sunt spiritus sentiunt,* Sapientia odit malitiam. Quid est sapientia, nisi sapor boni? Quid malitia, nisi sapor mali? Quibus ergo sapit & dulce est in corde, siue bonũ, siue malũ, ipsi sunt qui sapiunt vel sentiunt, quæ sunt spiritus, vel quæ sunt carnis: ipsi sunt & qui ambulant vel secundum spiritũ, vel secundum carnem. Sequitur. *Nam Prudentia carnis mors est.* Bene post saporem ponitur prudentia: quia sicut gustus est discernere cibos, quisquid sapiat: sic prudentiæ est, perpendere quid expediat. In quo siquis hoc tantum quærit quod sapit carni, prudentia carnis est: quæ mors animæ est. Sicut enim anima vita est corporis, sic vita animæ Deus est; & quicquid infra Deũ appetit, mors illi est. Prudentia verò spiritus, est quærere vitam suam, quæ Deus est; & pacem quę est in Deo; quæ pax ei esse non potest, qui sapit quæ

Sapientia sapor boni est, malitia sapor mali. *Prudentiæ officium.*

quæ carnis sunt; quia sicut dictum est, sapientia odit malitiam: *& sapientia carnis inimica est Deo, Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest.* Quid est, neque enim potest? Non homo, non caro, non spiritus, non vlla natura, non potest: sed prudentia carnis non potest. Vitium non potest, sed natura: quomodo si diceres, claudicatio rectæ ambulationi non est subjecta, nec enim potest. Pes potest, sed claudicatio non potest. Tolle claudicationem: & videbis rectam ambulationem. Quamdiu claudicatio est, non potest: sic quamdiu prudentia carnis est, non potest. Non sit prudentia carnis: & homo potest. Quod verò ait, *prudentia carnis inimica est Deo:* nō sic accipiendum, quasi inimica ista possit lædere Deum. Resistendo inimica est, non nocendo. Illi autē nocet, in quo est prudentia carnis: quia vitiū est, & naturæ nocet, cui inest. Sic neque legi Dei subiecta esse potest, inquantum vitium est; tamen legis Dei ordinationem non effugit, inquantum naturæ inest: quæ in creatura sua bene nouit ordinare, etiam quæ extra ejus ordinem sunt mala. Ordinat enim non vitium, sed naturam vitiatam. Vnde & sequitur. *Qui enim in carne sunt; Deo placere non possunt.* Qui in carne confidūt, qui concupiscentias suas sequuntur, qui in eis habitant, qui earum voluptatibus oblectantur: qui in earum delectationibus beatā felicemque vitam constituunt, (ipsi enim in carne sunt:) Deo placere non possunt. Non enim intelligendum est, qui sunt in carne, quasi qui in ista carne viuunt: in qua multi viventes Deo placere meruerunt, qui in carne nō fuerunt, quamvis in carne vixerint. Portabant carnem; non portabantur à carne. Vnde & subditur. *Vos autem in carne non estis.* Populo Dei dicit: Ecclesiæ Dei dicit: Romanis scripsit, sed vniuersæ Ecclesiæ dixit. Tritico dixit, nō paleæ: massæ latenti, non stipulæ apparēti. Vnusquisq; in corde suo cognoscat: si ad eum pertineat. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen spiritus Dei habitat in vobis;* si secundum interiorē hominem condelectamini legi Dei. Hoc enim est, *si spiritus Dei habitat in vobis.* Nam si de vestro spiritu præsumitis, adhuc in carne estis. Sic enim non estis in carne: si in spiritu Dei sitis. Nā si recedit spiritus Dei, pondere suo spiritus hominis reuoluitur in carnem: redit ad facta carnalia, redit ad concupiscentias carnales: & fiūt hominis illius nouissima peiora prioribus. Sic ergo habete liberum arbitrium: vt imploretis auxilium. *Non estis in carne.* Et hoc ex viribus vestris? Absit. Vnde ergo? *Si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi nō habet: hic non est ejus:* Non ergo se jactet, non se extendat, non sibi arroget virtutem propriam egena & vitiata natura: quia si quis spiritū Christi non habet, hic non est ejus. Ipse est spiritus Dei, qui spirit⁹ Christi: ipse Patris, qui filij. Sed ecce adjuuātē ipsius misericordia spiritum Christi habemus: & ipsa delectatione justitiæ, & integra fide & catholica, spiritū Dei nobis inesse cognoscimus. Sed quid de carne illa mortali? Quid de lege repugnante legi mentis? Quid de illo gemitu, miser ego homo? Audi. *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuū est propter peccatum: spiritus autē vita est propter justitiā.* Corpus, inquit, mortuum est: non propter fragilitatem terrenam, sed propter peccatum. Vigilantissimè non ait, mortale est, sed mortuum.

Potest homo, quod nō potest vitium.

Vers. 7.

Vitium ordinationem Dei non effugit.

Vers. 8.

Quinam sint in carne

Liberum arb sine auxilio Dei ad bonum non sufficit.

Vers. 10.

Namque antequam immutaretur in illam corruptionem, quæ in Sanctorum incorruptione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum: sicut hoc nostrum potest, vt ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum. Cujus enim caro ægrotare non potest: etiamsi aliquo casu priusquam ægrotet, occumbat? Sic & illud corpus jam erat mortale: quā mortalitatem fuerat absumptura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine justitia, idest, obedientia permaneret. Sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum. Quæ verò in illa resurrectione futura est mutatio: non solum nullam mortem, quæ facta est propter peccatum, sed nec mortalitatem habitura est, quam corpus animale habuit ante peccatum. Non ait, viuificabit & mortua corpora vestra, cum suprà dixisset mortuum; sed *viuificabit*, inquit, *mortalia corpora vestra:* vt scilicet jam non solum non sint mortua, sed nec mortalia, cùm animale resurget in spirituale, & mortale hoc induet immortalitatem, & absorbebitur mortale hoc à vita. Cùm enim præsentis temporis gratiam determinans diceret, mortuum quidem corpus esse propter peccatū, quia in eo nondum per resurrectionē renouato peccati meritum manet, hoc est necessitas mortis; spiritum autem vitam esse propter justitiā, quia licet adhuc corpore mortis hujus oneremur, jā secundum interiorem hominem cœpta renouatione in fidei justitiam respiramus: tamen ne humana ignorantia de resurrectione corporis nil speraret: etiam ipsum quod propter meritū peccati in præsenti sæculo dixerat mortuum, in futuro propter justitiæ meritum dicit viuificandūt: nec sic, vt tantum ex mortuo vivum fiat, sed etiam ex mortali immortale permaneat. Apostolicæ lumē scientiæ attende. Quicquid hic dicit, ideo dicit: ne putarent homines, nullū vel par vum se habere beneficiū de gratia Christi: quia necessariò morituri sunt corpore. Attendere quippe debent, corpus quidē adhuc peccati meritum gerere, quod conditione mortis contractum est: sed jam cœpisse viuere propter justitiā fidei, quòd & ipsum in homine fuerat quadam morte infidelitatis extinctum. Non igitur, inquit, parum muneris putetis esse collatum per id quod Christus in vobis est, quod in corpore propter peccatum mortuo jam propter justitiā spiritus vester viuit: nec ideo de vita quoque ipsius corporis desperetis. *Si enim spiritus ejus qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in vobis: viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Dicit etiam quomodo fiat: vt vita in se mortē mortificando conuertat. *Ergo*, inquit, *fratres debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quod quid est aliud, quam si secundum mortem vixeritis, totum morietur: si autem secundum vitam vivendo mortem viuificaueritis, totum viuet? Ergo fratres accepto auxilio, porrecto nobis desuper auxilio, brachio Domini accepto Spiritu sancto, *debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus:* vt habeamus dilectionem, & ex illa habere possimus bonam operationem. Fides enim non potest operari, nisi per dilectionē. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Hoc jam suprà dixit, prudentia carnis mors est:

Vers. 11.

V. 12. & 13.

Non caro, sed secundú carnem viuere malum est. non quia caro malum est, sed quia viuere secundum carnem malum est. *Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frænare, interimere. *Vers. 13.* Actiones carnis concupiscentiæ carnis sunt: quib⁹ non consentire magna laus est: quas non habere, perfectio est. Ad quod ne quis de spirit⁹ sui virtute præsumeret, subjunxit. *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* *Vers. 14. Agi spiritu Dei plus est, quàm regi.* Plus est agi, quàm regi. Qui enim regitur, aliquid agit: & ideo regitur, vt rectè agat. Qui autem agitur: agere ipse aliquid vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Saluatoris: vt non dubitet Apostolus dicere. *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Aguntur quippe filij Dei, vt quod agendú est agant: & cùm egerint, illi à quo agũtur, gratias agant: quia sicut agendum est illud agant, id est, cum delectatione & dilectione iustitiæ: & suauitatem quam dedit Dominus, vt terra ejus daret fructum suum, ab eo se accepisse gaudeant. Nomen enim adiutoris præscribit agenti; quia & ipse aliquid agit. Filij ergo Dei sunt, quicumque aguntur spiritu, non litera: non lege præcipiente, minante, promittente: sed spiritu excitante, illuminante, adiuvante. *Vers. 15.* *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore*, sicut in monte Sina; *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*: vt miro & vero tamen modo serui non serui esse possimus; serui scilicet timore casto, ad quem pertinet servus intrans in gaudium Domini sui: non autem serui timore foras mittendo, ad quem pertinet servus non manens in domo in æternum. *Filij seruiũt, & liberi sũt.* Filij quippe seruiunt, & liberi sunt: propter quod etiam liberorum nomine cẽsẽtur. Idem autem spiritu seruitutis, qui libertatis: sed & ille in tabulis lapideis, id est, duris cordibus in timorem, hic autem in tabulis cordis in charitatem. Seruitus verò in timore quid est? Nemo inuitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit: *Timor non prodest sine charitate.* quia nihil prodest spiritus timoris, vbi non est spiritus charitatis. Mandatum enim Dei si fit timore pœnæ, non amore iustitiæ, seruiliter fit: & ideo nec fit. *Vers. 15.* *Sed accepistis spiritum adoptionis.* Solet gaudere pater ad vnicum filium, tamquã qui solus totum possessurus sit, nec habeat cum quo diuidat hereditatem. Non sic Deus Pater. Habuit vnicum, sed noluit habere vnum: quem in mundum misit, vt fratres haberet adoptatos. Venit vnigenitus, suscepit in seipso peccata quibus implicabamur: ne per ea gratia adoptionis impediretur. *In quo clamamus Abba Pater.* Harũ duarũ vocũ, altera ex lege est, altera ex præputio. Qui autẽ clamãt, aliquid petũt. Quid petũt, nisi quod esuriũt, id est, iustitiã? *Ioann. 1.* Dedit enim seruis suis potestatẽ filios Dei fieri, vnic⁹ Dei, eosq; admonuit petere, quærere, & pulsare: vt accipiant, inueniant, & aperiatur eis. In eo autem clamamus: id est ipso diffundente charitatem in cordibus nostris, sine qua frustra clamat, quicumque clamat. *Vers. 16. Loquitur Deus in corde cujuslibet hominis.* *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro; quòd sumus filij Dei.* Nulla anima tam perversa est, in cujus corde non loquatur Deus: quæ tamen vtcumque ratiocinari potest. Interroga ergò viscera tua, si plena sũt charitate: interroga animã tuam, vtrum timore agatur, an amore. Ipse qui diffundit charitatem in corde tuo, testimonium perhibet spiritui tuo, quid in eo agatur: ipse etiam Spiritus de seipso testificatur. Quomodo? Vis audire quomodo? Audi ipsum, quo donante si habes, accipis spiritum ipsum. *Si quis*, inquit, *diligit me; mandata mea seruabit.* *Ioann. 14.* Si dilectio & delectatio justitiæ te agit ad obseruationem mandatorum Dei: hoc est testimoniũ habitantis in te spiritus Dei. Si sic es, liber es, filius es, tua sunt omnia quæ Patris sunt. Inspirat tibi amorem Patris Spiritus adoptionis, in quo intantum clamas, inquantum amas: quia ipse amor est & clamor, in quo clamas, *Abba Pater.* Si patrem inuocas filij affectu: ipse author gratiæ Spiritus sanctus ipsum sibi insinuans spiritum tuum, filiũ te esse Dei contestatur ipso effectu. *Quòd si filij, & hæredes. Hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi.* *Vers. 17.* Mortuo in cruce Domino Iesu Christo: nos hæredes ejus facti sumus, qui sumus filii ej⁹, ipso dicente. *Non possunt jeiunare filij sponsi, quãdiu cum illis est sponsus.* *Luc. 5.* Hæredes ergo dicimur: quia reliquit nobis pacis ecclesiasticæ possessionem per fidem temporalis dispensationis, quam in hac vita possidemus, ipso dicente. *Pacem meã do vobis, pacem relinquo vobis.* *Ioann. 14.* Cohæredes autem ejus efficiemur: cum in fine sæculi absorbebitur mors in victoria. Tunc enim *similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.* *Ioann. 3.* Quam hæreditatẽ non patris ejus morte adipiscimur, qui mori nõ potest, cum ipse sit hæreditas nostra, dicente Scriptura, *Dominus pars hereditatis meæ*: sed *Psalm. 15.* quoniam cùm vocati sumus adhuc parvuli, & ad contemplanda spiritualia minus idonei, vsque ad humillimas nostras cogitationes se diuina misericordia porrexit; vt quomodocumque cernere niteremur, quod non euidenter atque perspicuè cernebamus, idipsum moreretur, quod in ænigmate cernebamus, cùm facie ad faciem cernere cœperim⁹ Conuenienter ergo dicitur, moriturum esse, quod aufertur. *Cum enim venerit quod perfectum est: euacuabitur quod ex parte est.* *1. Cor. 13.* Ita nobis quodammodo moritur Pater in ænigmate: & idẽ ipse fit hæreditas, cũ facie ad faciẽ possidetur. Non quia ipse moritur: sed imperfecta in eum nostra visio perfecta visione perimitur. Et tamen nisi illa prior nos nutriret: ad aliam plenissimam & euidentissimam non efficeremur idonei. Quod si etiam de domino nostro Iesu Christo intellectus admittat: non enim cohæredes ejus esse possumus, nisi & ipse hæres sit: in corpore suo intelligatur hæres, id est in Ecclesia. Cujus cohæredes sumus, quamvis ex nobis constet: quemadmodum filij ejus matris dicimur, quamvis ex nobis constet. *Quid sit esse heredes Dei & coheredes Christi.* Simpliciter autem potest intelligi, hæredes nos esse Dei, inquantũ gloriæ ejus constituimur firmissimi possessores: cohæredes Christi, inquantum glorificatus homo Christus, gloriæ suæ nos dignatur habere conformes & comparticipes. Totus enĩ Christ⁹ acceptur⁹ est hæreditatẽ. Hæreditas ab inhærendo dicta est. Nos enim qui membra corporis ejus sumus, hæreditatem talem sperare debemus; in qua adepturi sumus bonum quod non transibit: & euasuri malum, quod finem non habebit. *Si tamen compatimur: vt & conglorïemur.* *Vers. 17.* Nam cùm sanguine proprio & passione mortis hæreditatem sibi Christus paravẽrit: necesse est, vt qui volunt esse consortes hæreditatis, sint & passionis: ipse verò in eo in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentãtur auxiliari: cujus passionis sola memoria confirmare nos poterit ad omnia pro ipso tole-

randa. Illæ enim insultationes & flagella, illa ignominiosa vestis, & cæsa & consputa facies, & spinea corona; & vt multa prætereamus, crux ejus & mors cogitata, quid in nobis non efficient? Quid denique promissorum magnitudo præmiorum? Vnde & sequitur. *Existimo enim, quod non sunt condigna,* non sunt comparabiles *passiones hujus temporis;* istę enim cum fine, dona promissa sine fine, istæ æstimationem habent, illa non habet: *ad futuram gloriam,* ad magnam multitudinem dulcedinis Dei, quam abscondit nunc timentibus, se, perficiet autem sperantibus in se: & sic reuelabit nobis, vt impleatur in nobis. In hac quidem vita secundum multitudinem dolorum, est æstimatio consolationũ: ibi verò æstimatio nulla est. Quæ est enim gloria quam expectamus: nisi videre Deum, & sanctis eius Angelis sociari? *Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.* Quod in nobis dolet, quod facta carnis mortificamus, tum esurimus aut sitimus per abstinentiam, dum fręnamus delectationem concupiscentiæ per charitatem, dum injuriarum lacerationes, contumeliarum aculeos per patientiam sustinemus: dũ neglectis atque rejectis voluptatibus nostris pro fructu matris Ecclesiæ laboramus: quicquid in nobis in hac atque in hujusmodi attritione dolet, creatura est. Dolet enim corpus & anima, quæ vtique creatura est: & expectat reuelationem filiorum Dei; id est expectat, quomodo appareat quod vocatum est, in ea gloria, ad quam vocatum est. Quia enim filius Dei vnigenitus non potest appellari creatura, quandoquidem per ipsum facta sunt omnia, quæcumque Deus fecit: distinctè etiam nos vocamur creatura ante illam euidentiã gloriæ; & distinctè vocamur filij Dei, quamvis hoc per adoptionem mereamur. Nam ille vnigenitus naturâ filius. Ergo *expectatio creaturæ,* id est expectatio nostra, *reuelationem filiorum Dei expectat:* id est quando appareat quod promissum est: quando reipsa manifestum sit, quod nunc spe sumus. *Filij enim Dei sumus; & nondum apparuit quod erimus. Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Ipsa est reuelatio filiorum Dei, quam nunc expectat expectatio creaturæ: non quod creatura reuelationem expectet alterius naturæ, quæ non sit creatura; sed ipsa qualis nunc est, expectat quando sit; qualis futura est: tamquam si diceretur, operante pictore, subjectis sibi coloribus & ad opus ejus paratis, expectatio colorum manifestationem imaginis expectat: non quia tunc alij erunt, aut non colores erunt: sed tantum quod aliam dignitatem habebunt. *Vanitati enim creatura,* inquit, *subjecta est.* Hoc est illud. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quæ abundantia est homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole: cui dictum est, in labore manducabis panem? *Vanitati* ergo *creatura subjecta est, non spõte.* Bene additum est, *non sponte.* Homo quippe sponte peccauit: sed non sponte damnatus est. Peccatum itaque fuit spontaneum contra præceptum facere veritatis: peccati autem pœna subjici fallaciæ. Non enim sponte creatura vanitati subjecta est; *sed propter eum, qui subiecit eã in spe:* id est propter ejus iustitiam atque clemẽtiam, qui neque impunitum peccatum reliquit: neque insanabilem voluit esse peccantem. Altiori verò sensu intelligere possumus, quia & ipsa

Memoria passionis Christi, & spes præmij valet ad tolerandam mala.

Vers. 18.

Vers. 19.

Vnigenitus Dei an possit creatura dici.

1. Ioann 3.

Quid sit expectare reuelationem filiorum dei.

Vers. 20.
Eccle. 1.

creatura, id est ipse homo, cùm iam signaculo imaginis propter peccatum amisso, remansit tantummodo creatura: & ipsa vtique creatura, id est, & ipsa quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, sed tantum vocatur creatura, liberabitur à seruitute interitus. Quod itaque ait, & ipsa liberabitur, facit intelligi, & ipsa quemadmodum nos; id est, & de ipsis non est desperandum, qui nondũ vocantur filij Dei, quia nondum crediderunt, sed tantum sunt creatura: quia & ipsi credituri sunt, & liberabuntur à seruitute interitus, quemadmodũ nos qui jam filij Dei sumus, quamvis nondum apparuit quod erimus. *Liberabitur* ergo *à seruitute interitus in libertatem gloriæ filiorum Dei:* id est erunt & ipsi ex seruis liberi, & ex mortuis gloriosi in vita perfecta, quam habebunt filij Dei. Potest adhuc & aliud accipi in nomine creaturæ. Omnis enim creatura in homine numeratur: non quia in eo sunt omnes Angeli & supereminentes virtutes ac potestates; aut cœlum & terra & mare, & omnia quæ in eis sunt: sed quia omnis creatura partim spiritualis est, partim animalis, partim corporalis. Quod vt ab inferioribus cõsideremus, corporalis creatura per loca tenditur: animalis autem viuificat corporalem: spiritualis animalem regit; & tunc bene regit, cùm ipsa regendum subjicit Deo. Cùm autem transgreditur præcepta eius: laboribus & ærumnis per eadem ipsa quæ regere poterat, implicatur. Ita omnis creatura in homine est; quia & intelligit spiritu, & sentit anima, & localiter corpore mouetur. *Omnis itaque creatura* in homine *congemiscit & dolet.* Non enim tota, sed omnis dixit: tamquam siquis dicat, quoniam solem homines vident qui sunt incolumes, sed non toti vident. Ita in homine omnis creatura est, quia intelligit, & viuit, & corpus habet: sed non tota creatura in ipso est, quia sunt præter ipsum & Angeli qui intelligant & viuant; sunt & corpora quæ viuant & sint; & corpora quæ tantummodo sint: cùm ipsum viuere magis sit quàm non viuere, & ipsum intelligere magis quam sine intellectu viuere. *Et parturit.* Vnde dicitur *mulier cum parit tristitiam habet: cum autem pepererit, iam non meminit pressuræ, propter gaudiũ.* Cũ ergo miser homo cõgemiscit & dolet, omnis creatura cõgemiscit & dolet vsq; adhuc. *Vsq; adhuc* autẽ rectè dixit: quia etiãsi sunt aliqui jam in sinu Abrahæ, & latro ille cum Domino in paradiso constitutus illo die quo credidit dolere destiterit: & tamen vsque adhuc omnis creatura congemiscit & dolet; quia in his qui nondum liberati sunt, omnis est; propter spiritum & animam & corpus. *Non solum autem* inquit, omnis creatura congemiscit & dolet, *sed nos ipsi;* id est nõn solum in homine corpus & anima & spiritus simul dolent ex difficultatibus corporis, sed & nos ipsi exceptis corporibus in nobis ipsis congemiscimus. Et bene dixit, *primitias spiritus habentes:* id est quorum iam spiritus tamquam sacrificium oblati sunt Deo, & diuino charitatis igne comprehensi. Hæ sunt primitiæ hominis: quia veritas primùm spiritum obtinet, vt per hunc cætera comprehendantur. Iam ergo habet primitias oblatas Deo qui dicit, *mente seruio legi Dei carne autem legi peccati:* & qui dicit de Deo, *Cui seruio in spiritu meo:* & de quo dicitur; *Spiritus quidem promptus, caro autem infirma.* Sed quia adhuc dicit, *Infelix ego homo,*

Vers. 21.

Omnis creatura in homine.

Ioann. 16.

Sinus Abrahæ.

Vers. 23.

Vers. 14. *quis me liberabit de corpore mortis hujus*; & adhuc
Ei.8.v.11. talibus dicitur, *viuificabit & mortalia corpora*
vestra, propter spiritum manentem in vobis: non-
dum est holocaustum. Erit autem cum absorbe-
bitur mors in victoriam: cùm ei dicetur. *Vbi est*
1. Cor. 15. *mors contentio tua? Vbi est mors aculeus tuus? Nūc*
autem inquit, non solum omnis creatura, id est
anima cum corpore, *sed etiam nos ipsi primitias*
habentes Spiritus, id est nos animæ, quæ jam pri-
mitias mentes nostras obtulimus Deo, in nobis
Vers. 13. ipsis congemiscimus, id est præter corpus: *adop-*
tionem expectantes redēptionem corporis nostri: id
est, vt & ipsum corpus accipiens beneficium ad-
optionis filiorum Dei, totos nos liberatos, trā-
V. 24. & 25. actis omnibus molestijs ex omni parte Dei filios
manifestet. *Spe enim salui facti sumus. Spes autem*
quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis,
quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus:
per patientiam expectamus. Quid expectat per pa-
tientiam? Salutem, id est redemptionem corpo-
ris sui. Gaudet se redemptum, sed nondum re.
Spe securus est, sed gemit in spe, vt perueniat
ad rem. Salutem ergo corporis expectabat, quia
non erat illa salus quam habebat: quam esuries
vel sitis interficit, si non eis subuentum fuerit.
Iam quidem redempti sumus, sed spe salui facti
sumus: quia quod speramus, iam quidem expe-
ctamus, sed nondum tenemus. Iam caro nostra
non spe, sed re salua facta est in capite nostro: q̄
in nobis nondum factum gemimus: quod tam-
quam promissum speramus; cùm differtur, per
patientiam expectamus. Ideo excusabilis est ge-
mitus iste: quem fides excusat, spes facit, & cha-
ritas confortat. Quantò enim quisque sancti-
or, & desiderij sancti plenior: tantò super hoc
ejus est in oratione fletus vberior. Faciunt
hoc primitiæ spiritus & diuinæ adoptionis ex-
Prolixior est pœna, quàm culpa. pectatio. Nam quod in hanc venimus mise-
riam, pœna peccati est: & productior est pœna
quàm culpa: ne parua putaretur culpa, si cum il-
la pariter finiretur & pœna. Ac per hoc vel
ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad e-
mendationem labilis vitæ, vel ad exercitatio-
nem necessariæ patientiæ, temporaliter homi-
nem detinet pœna: etiam quem iam ad dam-
nationem sempiternam reum non tenet culpa.
Flenda quidem, sed non reprehendenda condi-
Vers. 24. tio. *Spe tamen salui facti sumus*: quia adoptio
quidem plena filiorum in redemptionem fiet e-
tiam corporis nostri; jam tamen primitas spirit⁹
habemus: vnde jam filij Dei reipsa facti sumus.
In cæteris verò spe sicut salui, sicut innouati, sic
etiam filij Dei: re autem ipsa quia nondum salui,
ideo plenè nondum innouati, nondum etiam
filij Dei, sed filii sæculi. Iam ergo & similes Deo
Deo sumus partim similes, partim dissimiles. esse cœpimus, primitias Spiritus habētes; & ad-
huc sumus dissimiles per reliquias vetustatis.
Transibit totus peccator in adoptionem: vt si
quæras locū ejus, non inuenias. Interim quod
non videmus, speremus. Lucerna nostra spes
nostra est; quamdiu non, videmus, & speramus,
nox est, sed lucerna lucet: si nec videmus nec
speramus, & nox est, & lucerna non lucet. Et
talibus tenebris quid infelicius? Sed verbū Dei
quod quotidie nobis loquitur, iugis est infusio
olei, ne lucerna extinguatur. *Similiter autem &*
Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid
oremus; sicut oportet, nescimus. Oratio quicquid
impetrat vel impetrare nititur, euidenter osten-
dit donum Dei esse: quod si haberetur in pote-
state, vtique non posceretur. Vt tamen ne
saltem orationis putarentur præcedere merita,
quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nō
gratia esset, quia debita redderetur: etiam ipsa
oratio inter dona gratiæ reperitur, dicente Apo- *Oratio donum Dei est.*
stolo, quia *quid oremus, nescimus*; nisi à spiritu
adjuvemur. *Interpellat autem Spiritus pro nobis*
& gemit: quia interpellandi & gemendi nobis Vers. 26.
inspirat affectum. Sed adjutorium ejus sic ex-
pressum est: vt ipse facere dicatur, quod facit vt
nos faciamus. Sicut enim sine spiritu fidei non
creditur, sicut sine spiriritu spei non speratur, si-
ne spiritu amoris non amatur: sic nec sine spiri-
tu orationis, sicut oportet, oratur. Omnia enim
hæc operatur vnus atque idem spiritus: qui nondū 1. Cor. 12.
inhabitans anjuuat vt sint fideles: jam per fidem
inhabitans, adjuvat vt fideles. Ipse ergo Spiri-
tus interpellans pro nobis, ipsa est charitas, quā
inspirat nobis. Contra quam aures claudere nō
nouit: qui illam dedit. Securus esto, charitas
roget, ibi sunt aures Dei. *Quid*, inquit, *oremus*
sicut oportet, nescimus. Quid, nisi vt beati simus? Vers. 26.
Beatitudo verò cum à diuersis diuersè diffinia-
tur: ipsa nostra sit beatitudo, de qua dicitur,
Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Hoc er-
go securi petamus, vt in ipso populo simus: at- Psalm. 143.
que ad eum contemplandum, & cum eo sine fi-
ne viuendum, peruenire possimus. In tribula- *Non eodem modo petenda æterna & temporalia.*
tionibus verò nostris, quæ possunt & prodesse
& nocere, quia contra sensum nostræ infirmi-
tatis molesta sunt, oramus Deum vt à nobis tol-
lantur: sed hoc deuotionis debemus Domino
Deo nostro, vt si ea à nobis non abstulit, non
ideò nos ab eo negligi æstimemus: sed potiùs
pro malorum pia patientia bona speremus am-
pliora. Pro alijs verò cùm oramus, quia eos si-
cut nos diligimus, sicut pro nobis, sic pro eis r o-
gamus: & sciente domino Deo quid faciendum
sit, dat nobis patienter & libenter sequi in eo
quod facere ipse voluerit. Sed & in omnibus *Si aliud fiat quàm petimus, id potiùs fieri debuit.*
quæ oramus, firmissimè credere debem⁹, si quid
aliter acciderit, quàm nos oramus, hoc potiùs
accidere debuisse, quod Deus voluit, quā quod
nos voluimus. Sic ergo *postulat pro sanctis*, id
est, postulare eos docet Spiritus sanctus. Sūt au-
tem & aliæ species spirituales familiarium ora-
tionum, quibus Deo fruuntur, de quibus ipse
dicit, *pueri mei mecum sunt in cubili*; nobis inco- Luc. 11.
gniti, qui foris in sensibus carnis versamur. Sæ-
pe enim fidelis & deuota anima, dum in oratio-
ne sua dirigere conatur in eum mentis intuitū,
cui offerre desiderat in Spiritu sancto primitas
spiritus, & orationis suæ sacrificium, ad contē-
plandum inuisibilem, & videndum tremēte pu-
pilla oculi interioris intendens: ipsa difficultate
fatigata ad se redit, sibique de seipsa gradus as-
censionis facit: vt primùm semetipsam si valet
consideret: & tunc illam naturā quæ supra ipsā
est, inquantum prævalet, investiget. Sed mens
nostra, si in carnalibus imaginibus fuerit sparsa,
nequaquam vel se, vel animæ naturam conside-
rare sufficit: quia per quot cogitationes ducitur,
quasi per tot obstacula cœcatur. Primus ergo *Gradus ascensionis animæ ad Deum.*
gradus est, vt se ad se colligat: secundus, vt vi-
deat qualis est collecta: tertius, vt super seme-
tipsam surgat, ac se in contemplatione authoris
inuisibilis subijciat. Sed se ad se nullomodo col-
ligit, nisi priùs didicerit terrenarum atque cœ-
lestium imaginum phantasmata ab oculis men-
tis compescere: quicquid de visu, quicquid de

auditu, quicquid de odoratu, quicquid de tactu & gustu corporeo, cogitationi ejus occurrerit, respuere atque calcare: quatenus se talem quærat intus, qualis sine illis est. Nam hæc quando cogitat: quasi quasdam vmbras corporum introrsus versat. Abijcienda ergo sunt omnia manu discretionis ab oculis mentis; quatenus talē se anima consideret, qualis sub Deo, super corpus creata est. Postquàm verò jam non ad seipsā anima turbata, sed ad seipsam collecta & sublevata modulum suum intelligit, & quia omnia corporalia transcendat, cognoscit, atque ab intellectu suo ad authoris intellectum tendit: tantò differentiùs in ea operari incipit intellectus Dei ab intellectu suo; quantò à natura animæ differt natura luminis incircumscripti. Quod enim intelligit anima, capit: illo autē intellectu modo quodam inusitato non capit, sed capitur, fitque ei quiddam sensibile; quod solus amor illuminatus sentire permittitur: suauitas quædā, non quam amor meruit, sed quæ gustata, amorē facit: quiddā quod non scitur & sentitur: quædam sperādarū rerum substantia solidissima; argumentum certissimum non apparentium, fidei Christianæ testimonium Domini fidele, sapiētiam præstans parvulis. Paruulus enim & quietus, super quem spiritus Dei requiescit, hoc sētit, hoc ei sapit, intantum vt quæ sunt carnis, quæ sunt mundi, vel creaturæ alicujus, omnia ei desipiant: vt libeat immori, dum liceat immorari. Orat quod nescit, quia quod sentit, nescit. Spiritus enim est, qui pro eo desiderat & postulat: & quamvis nescientem interim, sētientem tamen facit, & postulantem, & desiderantem idipsum, quod sentiendo nescit. *Qui autem scrutatur corda, scit quid desiderat Spiritus,* id est quid desiderari facit: impleturus ei, cum complendum erit, quod promisit dicens; *Tunc scietis, quia ego sum.* Vnam ergo petens à Domino, vnam requirens, quærens vultum ejus, vultum ejus requirēs, quicquid cogitationi occurrit, abjicit, respuit, improbat; non hoc esse quod quærit, nouit: quamvis illud quale sit, nōdum nouerit. Estq; in eo quædā docta ignorātia, docta à spiritu Dei, qui adjuvat infirmitatem nostrā, exercēdo humiliās, & humiliādo formās & conformans hominē vultui quē requirit: donec renouatus ad imaginem ejus qui creavit eum, per vnitatē similitudinis incipiat esse filius, qui semper sit cum patre, cujus sint omnia quæ patris sunt: cui euntibus alijs & redeuntibus, dicatur; *Tu verò sta hic mecū.* Interim qui quærit quærat: ambulet in lumine vultus Dei, & de vultu Dei iudicium ejus prodeat: vt interim impleatur ei, quod sequitur. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum: his qui secundum propositum vocati sunt.* Apostolus enim cum dixisset, *scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* sciens nōnullos diligere Deum, & in eo bono non vsque in finem permanere: mox addidit, *his qui secūdum propositum vocati sunt.* Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent vsque in finem. Etsi ad tempus inde declinant, reuertuntur: vt vsque in finem, perducant quod in bono esse cœperūt. Ostendens autem quid sit, secundum propositū vocari, mox addidit: *quoniam quos antè præscivit & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij ejus, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus quos autem prædestinauit, illos & vocauit,* scilicet secundum propositum: *quos autem vocauit, ipsos & iustificauit: quos autem justificauit, ipsos & glorificauit.* Illa omnia jam facta sunt, *præsciuit, prædestinauit, vocauit, justificauit:* quoniam & omnes jā præsciti ac prædestinati sunt: & multi jam vocati atque iustificati. Quod autem posuit in fine, illos & glorificauit, siquidem illa gloria est hic intelligenda, de qua idem dicit, *Cum Christus apparuerit vita vestra, tūc & vos apparebitis cum illo in gloria,* nondum factum est: quamvis & illa duo, id est, *vocauit,* & *justificauit,* nō in omnibus facta sunt, de quibus dicta sunt. Adhuc enim vsque in finem sæculi multi vocandi & justificandi sunt. Et tamen verba præteriti temporis posuit de rebus etiam futuris: tanquā jam fecerit Deus, quæ jam vt fierent, ex æternitate disposuit: ideo dicit & Propheta Isaias; *Qui fecit, quæ futura sunt.* Quicūque ergo in Dei providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, glorificati sunt: non dico etiā nondum renati, sed etiam nondum nati, jam filij Dei sunt: & omnino perire non possunt. Talibus enim diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum; vsque adeo prorsus omnia, vt etiamsi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim ipsâ vitâ justâ cum timore se exultare debere: non sibi arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundātia sua, *non mouebor in æternum:* sed exultare Deo cum timore, ne pereant de via insta, in qua jā ambulare cœperunt, dum sibi hoc ipsum assignant, quod in ea sunt. His verbis vsus est Apostolus: vbi ait, *cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini;* & ostendens quare cū timore & tremore; *Deus est* enim, inquit, *qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Quamvis enim & ipsa mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, tamen bonus ejus vsus gloriosissimos martyres fecit: & ideo non solum ipsa, sed omnia sæculi hujus mala labores doloresque hominum, quanquam de peccatorum, & maximè de peccati originalis meritis veniant, vnde facta est & ipsa vita vinculo mortis obstricta; tamen & remissis peccatis remanere debuerūt, cum quibus homo pro veritate certaret, & vnde exerceretur fidelium virtus: vt novus homo per testamentum novum inter mala hujus sæculi nouo sæculo præpararetur, miseriam quam meruit vita ista damnata sapienter tolerans, & quia finietur prudenter gratulans: beatitudinem verò vitæ futuræ fideliter & patienter expectans. Quod autem cooperari nobis dicitur Deus; intelligendum est, quia sine Deo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nil valemus. De operante illo vt velimus, dictū est. *Deus est qui operatur in nobis velle:* de cooperante verò, *scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Omnia autem quomodo? Quia etiā quæ putantur aduersa. Inimici enim Ecclesiæ etiamsi accipiant potestatem corporaliter eam affligendi, exercent ejus patientiam: si tantum malè sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam: vt inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam. *Nam quos præscivit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui; vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Prædestinatio est gratiæ præparatio, quæ sine præscientia non

Marginal notes (left): Hebr. 11. — Psalm. 18. — Vers. 27. — Joann. 8. — Iac. 2. — Vers. 28.

Marginal notes (right): V. 29. & 30. Quid sit secundum propositum vocari. — Coloss. 3. — Electis peccata ad salutē cooperantur. — Philipp. 2. — Ibidem. — Vers. 28. — Vers. 29.

potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus: vnde dictũ est, *fecit quæ futura sunt*. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut sunt quæcumque peccata sunt: quia etsi sunt quædam quæ ita peccata sunt, vt pœna sint etiam peccatorũ, vnde dictũ est, *Tradidit illos in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt*; non ibi peccatũ Dei est, sed iudicium: quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, vt dixi, præparatio: gratia verò est ipsius prædestinationis effectus. Hæc est prædestinatio sanctorum, nihil aliud: præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autẽ vbi, nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur? Quod ergo ait, prædestinatos conformes fieri imaginis filij Dei, potest secundum interiorem hominem intelligi: vnde nobis alio loco dicit. *Nolite conformari huic sæculo: sed reformamini in nouitate mentis vestræ*. Vbi ergo reformamur, ne conformemur huic sæculo: ibi conformamur Dei filio. Potest & sic accipi: vt quemadmodum nobis ille mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes: quodquidem & ad ipsam resurrectionem pertinet. *Quos* ante inquit, *præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*: primogenitus vtique à mortuis secundum eundem Apostolũ: quia morte seminata est caro eius in contumelia; sed resurrexit in gloria. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit*. Ista sanctificatio conceditur iustis: sed vt justificentur, præcedit vocatio, quæ non est meritorum, sed gratiæ Dei. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* Quos enim vocauit, *hos & justificauit: quos autem justificauit, hos & glorificauit*. Quia ergo vocatio non meritorum nostrorũ, sed benevolentiæ Dei est, testis est, qui dicit. *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. Bona etenim voluntas Dei præcedit bonam voluntatem nostram, vt peccatores vocet in pœnitentiam: & ipsa sunt arma quibus expugnatur inimicus, contra quem dicitur. *Quis accusabit adversus electos Dei?* Et *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui vnigenito filio suo nõ pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Si enim *cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: multo magis reconciliati, salui erimus ab ira per ipsum.* Hoc est invictissimum scutum, quo repellitur inimicus, desperationem salutis suggerens in multitudine tribulationum, & tentationum. Sic enim ad æternam beatamque tendimus vitam: primùm nostra peccata damnando, deinde bene viuendo: vt post vitam condemnatam malam, & gestam bonam, mereamur æternam. Secundùm propositum enim occultissimæ justitiæ bonitatisque suæ Deus quos prædestinauit, illos & vocauit, ipsos & justificauit: quos autem justificauit, ipsos & glorificauit. Prædestinatio nostra non in nobis facta est, sed in occulto apud ipsum in ejus præscientia: tria verò reliqua in nobis fiunt, vocatio, iustificatio, glorificatio. Vocamur prædestinatione pœnitētiæ, sic enim cœpit Dominus euangelizare; *agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum*, Iustificamur innouatione misericordiæ, & timore iudicij. Hinc est, quod dicitur. *Deus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.* Non enim timet iudicari: qui impetrauerit ante saluari. Vocati renuntiamus diabolo per pœnitentiam: iustificati sanamur per misericordiam, ne iudicium timeamus: glorificati transimus in vitam æternã. Ad hoc pertinere arbitror, quod Dominus ait. *Ecce eijcio dæmonia hodie & cras, & tertia die consummor.* Quod etiam in triduo suæ passionis & euigilationis ostendit. Crucifixus est enim, & sepultus, & resurrexit. In cruce de principibus & potestatibus triumphauit: in sepulchro requieuit: in resurrectione exaltauit. Sic & pœnitentia cruciat, iustitia tranquillat, vita æterna glorificat. *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Acsi diceret. Deus pro nobis, vt prædestinaret nos; Deus pro nobis, vt vocaret nos; Deus pro nobis, vt iustificaret nos: Deus pro nobis, vt glorificaret nos. Si ergo Deus pro nobis: quis contra nos? Prædestinauit nos antequam essemus; vocavit, cùm auersi essemus; iustificauit, cùm peccatores essemus; glorificauit, cùm mortales essemus. A Deo ergo prædestinatis, vocatis, iustificatis, qui vult aduersari; bellum paret aduersus omnipotentem. Vnde probas, quod Deus pro te? Optimè, inquit, quia *etiã filio suo proprio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Non ergo terreat eum fremitus mundi: pro quo traditus est artifex mũdi. *Quomodo*, inquit, *non cum illo omnia nobis donauit?* Quæ omnia? Scietur, cùm hæc promissio implebitur, cuius moriente Christo pro nobis, tale jã pignus accepimus. Vis tamen scire, quæ omnia? Erit spiritus hominis nullum omnino habẽs vitiũ, nec sub quo jaceat, nec cui cadat, nec cõtra quod vel laudabiliter dimicet; pacatissima virtute perfectus; rerum ibi omnium spatiosa certaque notitia sine errore aliquo vel labore; vbi de ipso fonte sapientiæ potabitur summa felicitate sine difficultate. Erit corpus quod omnino spiritui sit subditum: & eo sufficienter viuificatum, quo nullis alimonijs indigebit. Non enim animale erit, sed spirituale; hãbens quidem sine corruptione carnis, carnis substantiã. Ibi sic habebuntur omnia; vt sint & singula omnium, & singulorum omnia. Sicut enim cupiditas nil sine angustia; sic charitas nil tenet cum angustia. Nostra ergo erunt omnia; quia nostra erunt ad viuendum superiora, ad conuiuendum æqualia; ad dominandum inferiora. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* Et cætera. Quæ obseruantur de ambiguis distinctionibus; eadem obseruanda sunt & in ambiguis pronuntiationibus. Nam & ipsę, nisi lectoris nimia vitientur incuria, aut regulis fidei corriguntur; aut præcedentis vel consequẽtis connexione sermonis. Aut si neutrum eorum adhibetur ad correctionem, nihilominus dubiæ remanebunt; vt quolibet modo lector pronuntiaverit, non sit in culpa. Nisi enim fides reuocet, qua credimus Deum non accusaturum advers⁹ electos suos, nec Christum condemnaturũ electos suos; potest illud sic pronuntiari, quis accusabit aduersus electos Dei; vt hanc interrogationem quasi responsio consequatur, *Deus qui iustificat.* Et item interrogati *quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est.* Quod credere quia dementissimum est; ita pronuntiabitur, vt præcedat percunctatio, sequatur interrogatio. Inter percunctationem autem & interrogasionẽ, hoc veteres interesse dixerunt, quod

Marginalia: Quædã peccata sunt pœna peccatorũ. — Quid sit prædestinatio. — Rom. 12. — Vers. 30. — Vocatio non fit ex meritis. — Psalm. 5. — Vers. 33. — V. 31. & 32. — Prædestinatio est in Deo aliĳ actus in nobis. — Matth. 3. — Psalm. 53. — Luc. 13. — Vers. 31. — Vers. 32. — Quænam daturus sit nobis Deus. — Vers. 33.


ad percunctationem multa responderi possunt, ad interrogationẽ verò aut non, aut etiam. Pronuntiabitur ergo ita, vt post percunctationem qua dicim⁹, quis accusabit aduersus electos Dei, illud quod sequitur sono interrogantis enuntietur, *Deus qui iustificat*; vt tacitè respondeatur, *non*. Et item percũctemur, *quis est qui condemnet:* rursusque interrogemus, *Christus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis:* vt vbique respondeatur, *non*. Quod autem dicitur Christus sedere in dextera Dei, per humanam similitudinem Dei potentia demonstratur; non quod solium ponatur, & Deus Pater in eo sedeat, secumque filium habeat residentem; sed quod nos aliter iudicantem & regnantem, nisi per nostra verba, nequimus intelligere. Interpellat autem pro nobis, apparendo Deo Patri in homine, quem assumpsit pro nobis. Sequitur in exultatione spiritus hilaris quædam magni amoris professio; quam exprimit commemoratorum beneficiorũ magnitudo. *Quis*, inquit, *nos separabit à charitate Dei: quæ est in Christo Iesu Domino nostro?* In filio quippe amatur Pater: in cujus opere charitas ejus commendatur. Vnde & alibi *filius charitatis* eius appellatur. Qui ergo habet sensum amoris, intelligat verba amantis. Quis, inquit, cujus potentiæ, cujus scientiæ, & astutiæ, nos prædestinatos, vocatos, iustificatos, glorificatos, separabit consilio, separabit exemplo, à charitate Dei, à fide amati, ab amore crediti? *Quæ est in Christo Iesu Domino nostro:* à quo regi amamus, saluari gaudemus: cui in spiritu nostro seruimus. Non inuentus est, quis: quæritur, quid. *Tribulatio, an angustia* in anima: *fames an nuditas* in corpore: *periculum* mortis, an occidens *gladius? Sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus vt oues occisionis.* Non semel occidimur & morimur; sed tota die; id est, absq; intermissione afflictionibus & tormentis mortificamur: parati dare pro lege non nostra tantum, sed & nos ipsos ipsos, sicut ouis occisionis, cujus non lac vel lana, sed vita requiritur. Quid autem mirum, si patitur martyr pro Deo suo; quod patitur auarus pro auro suo? Exhibet enim se auarus maris periculo, & dicit auro suo; propter te mortificor tota die: exhibet se martyr tormentis & gladio, & dicit Deo suo; ppter te mortificor tota die. Vox similis, sed causa dissimilis. Iste Christo, ille auro. Respondeat martyri suo Christus. Si moreris propter me, inuenies me. Respondeat aurum auaro. Si moreris pro me, & te perdis, & me. *Sed in his omnibus superamus: propter eum qui dilexit nos.* Cur non, quẽ dileximus nos? Quia sicut nullus eligit, nisi elect⁹: sic null⁹ diligit, nisi dilect⁹. Amor noster mẽtis hũanæ affect⁹ est: amor Dei gratiæ affect⁹ est. Afficimur nos, cùm Deũ amam⁹; non autẽ afficitur De⁹, cùm ab eo amamur: sed amor ei⁹ Spiritus sanct⁹ est, quẽ cũ dignatur dare nobis, per ipsum diffundit charitatem in cordibus nostris, qua illum amamus. Amat ergo nos, cùm dono amoris sui ditat nos: amamus eum, cùm toto pondere animæ ferimur in eũ: hoc est quod soli Deo debemus. Quod cùm à Deo auertere, & ad se conuertere nititur caro, & concupiscentia vitæ hujus, patitur servus Dei, quæ supra scripta sunt, tentationes humanas: cùm verò in eo amorem Dei impugnat malitia spiritualis nequitiæ, patitur quæ sequuntur, tẽtationes humanas. Sequitur enim. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instãtia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei: quæ est in Christo Iesu domino nostro.* Nemo ergo nos separet à Deo, minando mortem: quia idipsum quod diligimus Deum, mori non potest, nisi dũ non diligit Deum, cui mors ipsa est non diligere Deum: quod nihil est aliud, quàm aliquid ei in diligendo & sequendo præponere. Nemo inde nos separet pollicendo vitã; quia nemo à fonte separat pollicendo aquam. Non separet Angelus, quia cùm inhæremus Deo, non est Angelus mente nostra potentior. Non separet virtus: quia si virtus hic dicta est, quæ aliquam potestatem in mundo tenet, toto mundo omnino superior est mens inhærens Deo. Si verò illa virtus dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est, si in aliquo est, fauet, vt coniungat nos Deo; si in nobis est ipsa, coniungit. Non separent instantes molestiæ, quia hoc leuiores eas sentimus, quò ei à quo nos separare nituntur, artiùs inhæremus. Non separet promissio futurorum, quia & quicquid boni futurum est, promittit Deus: & nihil est ipso Deo melius, qui jã profectò sibi inhærentibus præsens est. *Neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum.* Sunt & in philosophis hujus mundi fortiter disputãtes, alta sapientes, profunda rimantes, simpliciores quosque sæpe attentantes separare à charitate Dei, quæ est in Christo Domino nostro. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimoniũ mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ; quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa; quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia, Deus benedictus in secula.* Vide magnam bene affectæ mentis dulcedinem, præ gaudij magnitudine quasi vsque ad cœlos ascendẽtem in exultatione spiritus pro gentiũ profectu; & repente quasi ad abyssos descendentem à dolore cordis, pro gentis suæ miserabili defectu. Vnde illis quasi in cœlo cum Deo relictis, videtur in terram redire, mori pro fratribus suis. Et sicut de Moyse legitur, quia videbatur ej⁹ facies cornuta, cum exiret à facie Domini, nec poterant claritatem vultus sustinere carnales populi: sic & ipse quasi charitate insaniens, & totus Spiritu sancto debriatus, nescit habere sobrietatis verba; sed loquitur sicut in mentis excessu, dicens velle se anathema esse à Christo pro Christo: id est, pro fratribus, vt essent in Christo. Optabat anathema esse à beatitudine Christi, amplectendo iustitiam Christi, iustius arbitrans apud Deum esse, optare salutem gentis vnius, quam suæ vnius animæ. Sed cum seipsam excedentis charitatis hic esset mirabilis affectus, longè aliter in iudicio iustitiæ Dei ejus formabatur effectus: quia cùm in gloriam Dei, & salutem fratrũ, non charitatis sed salutis suæ offerret defectum; apud iustum iudicẽ & charitatis summum adeptus est profectum: quia & donata est Paulo salus electionis de gente illa, nec defraudatus est præmio vniuersalis eorum salutis, qui pro omnium eorum salute, tam constanti chari-

Marginalia: *Quid sit Christum sedere in dextera Dei.* — *Quomodo Christus pro nobis interpellet.* — *Vers. 35.* — *Coloss. 1.* — *Vers. 35.* — *Vers. 36.* — *Auarus pro auro facit, quod sancti pro Deo.* — *V. 38. & 39.* — *Cap. 9. V. 1. & seq.* — *Excessus charitatis Apostoli.* — *Exod. 34.*

tate semetipsum obtulit. Habet enim charitas
affectus, habet & effectus: & licet non ita ho-
minibus videatur, omnes ejus affectus suos in-
ueniunt effectus apud eum, qui multò veriùs
discernit affectum mentis, quàm homines effe-
ctum operis. Verba ergo hæc Apostoli affe-
ctus sunt; quia non optat à Christo anathema
esse præuaricatione: sed amoris deuotione. Lã-
guor est animæ amantis, nec valentis implere
quod vult. Vnde illa in Canticis dicit. *Amore*
Cant 5. *langueo.* Veritatem, inquit, *Dico in Christo, te-*
Cap. 9. *stimonium perhibente mihi conscientia mea in Spi-*
Vers. 1. *ritu sancto.* Beata anima, cujus veritas fundatur
in Christo, conscientia solidatur in Spiritu san-
cto: cui in conscientia ardet veritas charitatis,
in confessione verò sic elucet charitas veritatis.
Vers. 2. *Tristitia magna, & dolor continuus.* Vbi illa ma-
gna, illeque continu⁹, qui esse potest locus lęti-
tiæ? *Cordi meo.* Sicut enim cui seruit, seruit in
Vers. 3. Spiritu sancto; sic cui dolet, dolet in corde suo.
Pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum
carnē. Nomina hæc sunt necessitudinis, primùm
Vers. 4. & 5. enim quod animale est: deinde quod spirituale.
Sequitur enim. *Qui sunt Israëlitæ:* facti ad vi-
dendum Deum. *Quorum est adoptio;* quia ad ip-
sos propriè missus est filius Dei. *Et gloria:* quia
credita sunt eis eloquia Dei. *Et testamentum;*
quia & vetus eis est datum, & novum in vetere
præfiguratum. *Et legislatio,* quam ipsi speciali-
ter accipere meruerunt. *Et obsequium:* quorum
saluti lex & Prophetæ specialiter obsequuntur:
& promissiones de Christo. *Quorum patres, ex*
quibus Christus natus est. Hæc enim est præcipua
causa tristitiæ & doloris; patres tanti fuisse apud
Christũ, vt nasci de eis eligeret: filios tales esse,
Vers. 6. quibus relictis, ad Gentes transiret. *Non autem*
Psalm. 114. *quod exciderit verbum Dei. Tribulationē,* inquit
Propheta, *& dolorem inveni.* Prudentis est &
dolorem invenire, vbi opus est: & dolori po-
nere modum, cùm tempus est. Sufficit ergo A-
postolo, dolorem cordis aperuisse de reproba-
tione Gentis suæ: statimque ipse sibi consola-
tionem inveniens, *Non* inquit, *quod exciderit*
verbum Dei: id est promissio, quæ eis facta est,
non evanuit. Qui enim verus fuerit Israël, ipse
Dei promissa consequetur. Qui autem per fidē
Ioann. 14. non videt Deũ, qui dixit, *Qui me videt, videt*
& Patrē, Israël non potest dici. Ideo dicit. *Non*
omnes qui ex Israël sunt: hi sunt Israëlitæ. Neque
Vers. 6. & 7. *qui semen sunt Abrahæ: omnes filij. Sed qui filij*
sunt promissionis, æstimantur in semine: hoc est,
qui filij sunt fidei illius, per quā meruit Abrahā
repromissionē accipe futuræ hæreditatis. quod
videlicet jam tunc designabatur in Abraham, cũ
ei multos filios habenti, quos Apostolus filios
carnis appellat, in solo Isaac, qui erat repromis-
sionis filius, seminis eius posteritas poneretur,
Genes. 21. dicente Domino. *In Isaac vocabitur tibi semen.*
V. 8. & 9. *Promissionis enim verbum hoc est. Secundum hoc*
tempus veniam, & erit Saræ filius. Non ergo, in-
quit, per ordinem natiuitatis carnalis Isaac na-
scitur; quippe cùm jam Abraham emortui esset
corporis, & emortua vulua Saræ: sed per vir-
tutem promittentis. Meritò ergo non carnis,
sed Dei filius dicitur: qui ex adventu & sermone
V. 10. & 11. Dei nascitur. *Non solum autem illa.* Hæc inquit
ratio; non solum de Isaac, sed & de Iacob reci-
pienda est. Nam & Rebecca non secundum or-
dinem carnalis natiuitatis protulit partũ. Cùm
enim ex vno concubitu Isaac geminos concepis-
set post longum tædium diutinæ sterilitatis, nō-
dum partu edito, neque vllis puerorum actibus
bonis malisue inter homines habitis, erga Iacob
diuina habetur electio, & dicitur, *quia major* Malac. 1.
seruiet minori: & Iacob dilexi, Esau autem odio
habui. Cùm autem hæc ita dicta sint, docemur,
inquit, quod secundum electionem propositum
Dei maneat: nec ex operibus, sed ex vocantis sit
gratia, quod dicitur, major seruiet minori; &
Iacob dilexi, Esau autem odio habui: docemur,
quia non qui filij carnis, sed qui filij Dei sunt, ipsi
deputentur in semine; cùm ibi Isaac ex multis,
ex duobus minor eligitur, vt adoptetur in filiũ
Dei; & sic verum sit, quod promissiones Dei nō
in filijs carnis, sed in filijs Dei constent; & non
ex operibus, sed ex vocantis gratia secundum e-
lectionem propositum Dei maneat, non in filijs
carnis, sed in filijs Dei. Vnde & in hanc senten-
tiam testimonium Prophetæ assumpsit, longè
posterioris, *Iacob dilexi Esau autem odio habui:*
vt intelligeretur hoc apertum postea per Pro-
phetam, quod antequam illi nascerentur, erat
in prædestinatione Dei. Quid enim diligebat
in Iacob, antequā fecisset aliquid boni; nisi gra-
tuitum misericordiæ suæ donum? Et quid ode- *Deus in E-*
rat in Esau, antequam natus fecisset aliquid ma- *sau oderat*
li, nisi originale peccatum? Nam nec in illo di- *originale*
ligeret iustitiam, quam nullam ille fecerat; ne- *peccatum.*
que in isto odisset naturam, quam bonam ipse fe-
cerat. Cùm enim rem stupendam proposuisset,
quomodo de nondum natis, nec aliquid agenti-
bus boni vel mali, rectè dici potuerit, quòd vnũ
Deus dilexerit, alterũ odio habuerit: ipse sibi ob-
jecta quæstione motum exprimēs auditoris, ait.
Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Vers. 14.
Deum? Absit. Hic erat locus, vt diceretur, futu-
ra eorum opera præuidebat Deus, quando mi-
nori maiorem seruiturũ prædicebat. Non autē
hoc Apostolus dicit; sed potiùs, ne quisquam de
suorum operum meritis audeat gloriari: ad Dei
gratiam & gloriam commendandam, voluit va-
lere quod dicit. Cùm enim dixisset, *absit,* vt sit
iniquitas apud Deum; tamquam ei diceremus,
vnde hoc ostendis, cùm asseras non ex operibus,
sed ex vocante esse dictum, major seruiet mino-
ri, ait. *Moyses enim dicit. Miserebor cujus mise-* Exod. 33.
rebor; & misericordiam præstabo; cujus misertus V. 15. & 16.
ero. Igitur non volentis, neque currentis; sed mise-
rentis est Dei. Vbi nunc merita; vbi nunc opera,
vel præterita, vel futura, tamquam viribus arbi-
trij adimpleta, siue adimplenda? Apertam Apo-
stolus præposuit de gratuitæ, hoc est, veræ gra-
tiæ commendatione sententiam. De ipsa enim
gratia satis agebat Apostolus; & ideo promissi-
onis filios commemorabat. Quod enim promit-
tit Deus, non facit nisi Deus. Commendans er-
go filios promissionis, hoc primum ostendit si-
gnificatum per Isaac filiũ Abrahæ. Evidentiùs
quippe apparet opus Dei in eo quē non genuit
vsitatus ordo naturæ de sterilibus visceribus &
senectute confectis: vt in filijs Dei, qui futuri
prænuntiabantur, quod filij Dei essent, non hu-
mani operis, sed diuini esse monstraretur: atque
vt in vasis aptis in interitum, qui damnatæ mas-
sæ debitus est, agnoscant vasa ex eadem massa in
honorem facta, quid eis misericordia diuina lar-
gita sit. *Dicit enim,* inquit, *Scriptura Pharaoni.*
Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te Vers. 17.
virtutem meam, & annuntietur nomen meum in Exod. 9.
vniuersa terra. Nullum enim Deus Angelorum
vel

vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciret, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vtilitatibus commodaret: atque ita ordinem sæculorum quasi pulcherimum carmen, etiã ex quibusdã antitethis honestaret. Vt enim annuntiaretur nomen Dei in vniuersa terra, vasis vtique misericordiæ proderat. Ad eorum ergo vtilitatem Pharao seruatus est; sicut rei exitus docuit. Denique ad vtrumque concludit: & *cui vult miseretur, & quem vult indurat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur vtique gratuito dono; obdurat autẽ iustissimo merito. Sed dicat adhuc superba & infidelis elatio: vel puniti damnabilis excusatio. *Quid adhuc quæritur? Nam voluntati eius quis resistit?* Dicat hoc, & audiat quod conuenit homini. *O homo, tu quis es, vt respondeas Deo?* Audiat hoc, & nõ contemnat. Quod si contempserit, etiam in hoc vt contemneret, se sciat obduratum: si autem nõ contempserit, etiam vt non contemneret, se credat adjutum: sed debito obduratum, gratis adiutum. Quonam se isti excusabunt modo? Népe illo, quem breviter tamquam ex eorum voce sibi objecit Apostolus, vt dicant. *Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis resistit?* Et si illos non pudet hac excusatione non nobis, sed Apostolo contradicere: cur nos pigeat, quod dicit Apostolus, hoc idem atque identidem dicere? *O homo, tu quis es, vt respondeas Deo? Nũquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa,* vtique meritò rectèque damnata, *facere aliud vas in honorem* indebitum, propter misericordiæ gratiam: *aliud in contumeliã*, debitum propter iræ iustitiam? Quantũ ad iustitiã spectat & gratiam: potest rectè dici, & de reo qui liberatur, & de reo qui damnatur. *Tolle quod tuum est & vade.* Et huic volo quod debetur, donare. An nõ mihi licet facere quod volo?

Vers. 19. *Vers. 19.* *v. 20. & 21* *Matth. 20*



LIBER SEXTVS.

Ex cap. 9. v. 22. & seq.

QVOD *si volens Deus ostendere irã suã, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quæ preparauit in gloriam, quos & vocauit, non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus:* subauditur, *tu quis es, qui respondeas Deo*; vt recurrente sententia ad verba superiora iste sit sensus. Si volens Deus ostendere iram, sustinuit vasa iræ, tu quis es, qui respõdeas Deo? Non autem solùm volens ostendere potentiam suam: sed etiã quod sequitur, vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Quid enim prodest, vasis aptis in interitum, quòd ea patienter Deus sustinet, vt ordinatè disperdat, vtaturque eis ad instrumentum salutis eorum, quorum miseretur? Sed illis vtique prodest, ad quorum salutem sic illis vtitur. Ecce & ratio reddita est homini, quanta debuit homini: ac si diceret. Tu quis es, qui respondeas Deo: si volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiã suam, quòd & malis bene optim⁹ possit vti, malis dumtaxat non conditione diuina, sed vitiatâ voluntatis iniquitate naturâ, quæ à Deo conditore condita est bona, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum: non quòd illi essent necessaria, siue angelica, siue humana peccata, cui nec iustitia cuiusquam est necessaria: sed vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; ne se in bonis operibus tamquã de proprijs extollerent viribus; sed humiliter intelligerent, nisi illis Dei gratia non debita, sed gratuita subveniret, id fuisse reddendum meritis suis, quod alijs in eadem massa redditum cernerent: cæteri autem homines ad istam societatem non pertinentes, quorum tamen & animam & corpus Dei bonitas operata est: & quicquid habet ipsa natura præter vitium, quod eidem inflixit superbientis voluntatis audacia, propter hoc à Deo præsciente creati sunt, vt in his ostenderet liberum desertoris arbitrium sine gratia quid valeret; & in eorum iustis & debitis pœnis, uasa misericordiæ, quæ non suorum operũ meritis, sed gratuita Dei gratia sunt ab illa concretione discreti, quid sibi collatum esset addiscerent; vt omne os obstruatur; & qui gloriatur in Domino glorietur. Cur etiam aliquos voluit creator ad damnationem pertinere, non ad gratiam, beatus Apostolus tantò succinctiore breuitate, quantò maiore authoritate commemorat. Deum enim dicit volentem ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, sustinuisse iu multa patientia vasa iræ apta in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ: quem superiùs dixerat tãquam figulum luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Meritò autem videretur injustum, quod fiunt vasa iræ ad perditionem: si non esset ipsa vniversa ex Adam massa damnata. Quòd ergo fiant inde nascẽdo vasa iræ: pertinet ad debitã pœnã. Quòd autem fiunt renascendo vasa misericordię: pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit ergo De⁹ irã: non vtiq; animi perturbationẽ, sicut est, quę circa homines nuncupatur, sed justam fixamq; vindictam, quod de stirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque supplicij. Et homo natus ex muliere, sicut scriptum est in libro Iob, breuis est vitæ: & plenus iracundiæ. Eius enim rei vas est: qua plenus est. Vnde iræ vasa dicuntur. Ostendit & potentiam suam, qua bene vtitur etiam malis, multa illis naturalia & temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos, & comparatione eorum admonendos bonos accommodans: vt in eis discant gratias agere Deo, quod ab eis non suis meritis, quæ in eadem massa paria fuerunt, sed illius miseratione discreti sunt. Quod maximè apparet in parvulis; de quibus, cùm per Christi gratiam renascuntur, & istam vitam in illa tenera ætate finientes, in æternam transeunt & beatam, dici non potest, quòd libero discernantur arbitrio ab alijs infantibus, qui sine hac gratia in ipsius massæ damnatione moriuntur. Si autem hi soli crearentur ex Adam, qui essent per gratiam recreandi, &

Deus malis bene vtitur ad aliorum salutem.

Vniversa massa per Adam dãnata.

Iob 14.

præter illos, qui in Dei filios adoptantur, nulli alij homines nascerentur, lateret beneficiũ quod donaretur indignis: quia nullis ex eadem stirpe venientibus damnabili, debitum suppliciũ redderetur. Cùm verò sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, non solum ostendit iram, & demonstrauit potentiam suam, reddẽdo vindictam, & bene vtendo malis: sed etiam notasfecit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ita enim quid sibi præstetur, discit gratis justificatus: dum non suo merito, sed gloria largissimæ Dei misericordiæ discernitur à dãnato, cum quo eadem justitia fuerat & ipse damnãdus. Tam multos autem creandos nasci voluit, quos ad suam gratiam nõ pertinere præsciuit, vt multitudine incõparabili plures sint, quã quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est: vt etiam ipsa rejectorum multitudine ostenderetur, quàm nullius momẽti sit apud Deum iustum quantalibet numerositas iustissimè damnatorum: atque vt hinc quoque intelligant, qui ex ipsa damnatione redimũtur, hoc fuisse debitũ massæ illi vniuersæ, quod tam magnæ parti eius redditum cernerent: non solùm in eis qui originali peccato multa addũt malæ voluntatis arbitrio: verumetiam in tam multis parvulis, qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe massa ista iustæ damnationis reciperet debitum: nisi ex ea faceret non solum iustus, sed etiam misericors figulus, aliqua vasa in honorem, secundum gratiã, non secundum debitum: dum & parvulis subvenit, quorũ nulla merita dici possũt; & majores præuenit, vt aliqua merita habere possint. Relictis ergo se comparet collectus, & repulsis electus: comparent se vasis iræ vasa misericordiæ: & videant ex eadem massa alia vasa facta esse in honorem; alia in contumeliam: & discat liberatus de non liberato, quid etiam sibi conueniret, nisi gratia subueniret. Nisi enim debitor suspendatur, minus agit gratias cui debitum relaxatur. Profunda quæstio in profundum nos abduxit, non tamen vsque ad fundum sui nos perduxit: quia licet arguatur homo respondens Deo, vel lutum figulo; non tamen prohibet Apostolus sanctus à quærendo, eos de quibus alibi dicit. *Spiritualis omnia diiudicat.* Et illud maximè. *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Prohibet autem ab hujusmodi luteos & terrenos, qui nondũ intrinsecus regenerati aut nutriti, imaginem illius portant, qui primus factus est de terra terrenus: & quia ei à quo factus est, noluit obtemperare, in id relapsus est, vnde est factus, meruitque audire. *Terra es & in terrã ibis.* Et meritò prohibentur tales. Nam si posset loqui pecus, & diceret Deo, quare hunc hominem fecisti, me autem pecudem: non iustè succenseres & diceres, ô pecus, tu quis es qui respõdeas Deo? Præparauit ergo Deus vasa misericordiæ, & vocauit tam ex Iudæis, quam ex Gentibus: quia vna est ex Adam massa peccatorum & impiorum, in qua & Iudæi & Gentes remotã gratiã ad vnam pertinent conspersionem: *sicut Osee dicit. Vocabo non plebem meam plebem meã: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco vbi dictum est eis, non plebs mea vos: vocabuntur filij Dei.* Hoc testamentum propheticum de vocatione Gentium,

Cur Deus nasci voluerit reprobos.

1. Corin. 2.
Ibidem.

Quos arceat Apostolus à quærendo.

Genes. 3.

Vers. 25.
Ose. 2.

qui populus priùs non pertinebat ad Deum, Apostoli intellexerunt, & quia ipse quoque populus Gentium spiritualiter in filijs Abrahæ, ac per hoc rectè dicitur & Israël: recolentes etiam lapidem angularem, & duos parietes, alterum ex Iudæis, alterum ex Gentibus, in illo conuenientes. Videturque redire Apostolus ad doloris sui solatium: quia sicut tam in Iudæis quam in Gẽtibus vna est massa perditorum, sic ex vtroque populo vna fiat Ecclesia electorum. Vnde ad Gentes pertinet exemplum, quod præmisit de Osee; ad Iudæos verò, quod de Isaïa subnectit. Gentes enim fuerũt plebs non Dei, & plebs Dei factæ sunt: misericordiã non consequutæ & misericordiam consecutę sunt. *Sed erit*, inquit, *in loco.* Quis iste locus est? Nũquid Iudæa? Nũquid Roma? Absit. Iudæâdignior, Româ sublimior locus est: vbi Deũ loqui decet, vel possibile est. Loc⁹ enim hic mẽs hominis est, sensus rationis, principale cordis. Ibi agẽte Deo peccatori populo dãnabilis dicit consciẽtia. *Non plebs mea vos;* quib⁹ verò charitas diffunditur in cordib⁹ suis, per Spiritũ sanctũ qui datus est eis, testimonium perhibet ipse Spiritus, *quod sunt filij Dei. Isaïas autem clamat*, id est manifestè annuntiat & prædicat, quod facit pro Israël, & dicit. *Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient.* Prouidens enim propheta de futuris, videbat quod plurimi ex Israël arenæ maris comparandi, ob iustitiæ sterilitatem, & duritiam cordis, & multitudinem inordinatam & confusam, futuri erant vasa iræ apta in interitum, non credentes vitæ suæ, sed dominũ majestatis crucifigentes: reliquiæ verò stellis cœli comparandi, cœlestis gloriæ participes futuri essent. Vtrumque enim Abrahæ pronuntiatum est. *Sic*, inquit, *erit semen tuum*, sicut arena maris, & sicut stellæ cœli. *Verbum enim cõsummans, & abbreuians in æquitate; quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Verbũ consummans est, & abbreuians in æquitate, de quo dicit Dominus in Evangelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & proximum tuum sicut teipsum: in his duobus mandatis tota lex pendet & Propheta:* vel compendium fidei, qua salui fiunt credẽtes, omissis innumerabilib⁹ obseruationibus, quibus illa multitudo serviliter premebatur. Quod autem reliquiarum salus gratiæ deputanda sit, subsequenti testimonio edocet dicens, ex persona eorum, qui gratiæ crediderunt, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus; & sicut Gomorra, similes fuissemus.* Ipsi enim tamquam semen multiplicati sunt, aspersi super terram. Vel semen intelligitur granum illud frumenti: quod per passionem mortis cecidit in terram, & mortificatum fecit fructum plurimum. Facti autem, inquiunt, fuissemus sicut Sodoma, (cujus populus incest⁹ in hospites perire meruit:) dum in fratrem nostrum dominum majestatis sacrilegi, euadere nõ potuissemus periculum perditionis, nisi in benedictione seminis sancti in terram missi. Deinde ostendens Gentes ex fide apprehendisse iustitiã: subiungit dicens. *Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem quæ ex fide est: Israël verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est. Ecce pono in Sion lapidem*

Vers. 26.

Locus, vbi Deus loquitur, mens hominis est.

Vers. 27.

Genes. 22.
Vers. 28.

Matth. 22.

Compendiũ fidei.

Vers. 29.
Isai. 1.

v. 30 & seq.

Quæ nā sit fides Christi.

offensionis & petram scandali; & omnis qui credit in eum non confundetur. Fides Christi est credere in eum qui iustificat impiū: credere in mediatorem, sine quo nullus reconciliatur Deo: credere in eum qui dicit, *sine me nihil potestis facere.*

Ioann. 15.

Sed hanc fidē non apprehendit, qui ignorans Dei iustitiā, id est, quam dat Deus, qui iustificat impium, & suam volens statuere, tamquam suæ voluntatis viribus factam, cui Deus secundum merita retribuat gratiam, non vult vt gratia Dei præcedat, quæ eum faciat habere, quā se ipse sibi credit facere iustitiam. Vnde & sectari hujusmodi homines dicuntur iustitiam: quam quasi fugientē viribus suis apprehendere se arbitrantur. Hoc autem proprium Iudæorum est, sectantium legem iustitiæ quasi per opera iustificantem. Gentes verò non sectantur iustitiam, sed apprehendunt eam, proximam sibi eam invenientes: prærogante eam sibi gratia fidei, naturali lege eam invenientes insitam cordi suo.

Vers. 30.

Gentes verò quæ non sectabantur iustitiam, quæ propria legis est, quæ fit de timore pœna, non de amore iustitiæ, quam homo facit non Deus, *apprehenderunt iustitiam* Dei, iustitiam fidei:

Vers. 31.

Israël verò sectando legem literæ, quam sibi putabat vel præsumebat esse *iustitiæ, in legem spiritus nō peruenit,* quæ verè est lex iustitiæ.

Vers. 32.

Quia ergo non ex fide, sed quasi ex operibus, quasi ipsi suā iustitiā, *offenderunt in lapidem offensionis:* in quem qui crediderit, non habebit suā iustitiā, quæ ex lege est, quāvis bona sit lex: sed implebit ipsam legem, non suā iustitiā, sed datā à Deo: ita enim nō confundetur. Charitas enim legis plenitudo est. Et vnde ista charitas diffusa in cordibus nostris? Non vtique à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sciendū autem, quod in Isaia propheta hoc testimoniū ita scriptum est.

Isa. 28.

Ecce ego pono in Sion in fundamentum lapidem pretiosum, electum, angularem: & qui crediderit in eum non confundetur. Apostolus autem lapidem offensionis & petram scandali, de alio loco ipsius Prophetæ huic testimonio inseruit: in quo ita scriptum est.

Isa. 8.

Et non tamquam lapidi offensionis occurretis ei: neque vt lapidi ruinæ. Ex vtroque ergo loco excerpēs quod assertioni suæ commodum videbatur: in vnum sibi coaptauit.

Christus cur lapis offensionis.

Cur autem via & veritas & vita Christus dominus lapis hic offensionis, & petra scandali nominetur: nulli debet esse offensio vel scandalum. Quia enim hi qui erant in Sion vias non bonas incedentes iter perditionis concito pede currebant, malis suis inuicem fauentes: quia, sicut dicit Propheta,

Psalm. 9.

laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur: veniens Dominus arguere cœpit vias eorū prauas dicens;

Matth. 23.

Væ vobis Pharisæi, & his similia: & factus est eis lapis offensionis & petra scandali, dū sua eis mala non tacēs, vias perditionis eorum redarguendo cœpit impedire. Non solùm autē, sed & omnibus malis lapis offensionis est Christus. Quicquid enim dicit Christus, amarum est illis: sed quicumque crediderit in illum, non confundetur: confundetur autem qui in se gloriatur, quia non sine peccatis inuenietur; nec ad diem, nec ad horam, sed in æternum confundetur. Quicumque ergo non vis offendere, tolle te, impedis te; tolle justitiā tuā, apprehēde eam quæ ex Deo est. Quamvis Christianus vocaris: si gratiam ejus denegas, in eum offendis. Minus autē est, offendere in Christum pendentem; quàm in eum in cœlo sedentem. Iustitia fit; sed ex gratia fit. A Deo tibi fit; tua non fit.

Psalm. 131.

Sacerdotes tui, inquit, *induantur iustiam.* Vestis accipitur, non cū capillis nascitur. Hanc tibi prædicat Apostolus, hanc tibi dat Deus. Geme, plora, crede, vt impetres.

Caput 10.

Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.

Voluntas nō sibi sufficit ad verum credendum.

Voluntas vt ad vera credenda moueatur, non sibi sufficit, nisi à gratia Dei adiuuetur. Propterea Apostolus licet instanter eis euangeliū prædicaret; non ei sufficit, nisi etiam pro eis oraret, vt crederent. Non enim aliter consequerentur salutē. Orat ergo pro nolentibus credere; vt Deus operetur in eis & velle.

Vers. 2.

Testimonium enim perhibeo illis, quoniā æmulationē Dei habent; sed non secūdum scientiam. Noui, inquit, scio, apud illos fui, talis & ipse fui. Quid autem sit zelus, siue æmulatio, non secundum scientiam, exponēs subdit.

Vers. 3.

Ignorantes enim Dei justitiam, & suam quærentes statuere: justitiæ Dei non sunt subjecti. De Iudæis enim hæc dicit, qui de se præsumentes, gratiam repellebant: & propterea in Christū non credebant. Suam verò justitiam dicit eos velle constituere: quæ justitia est ex lege: non quia lex ab ipsis est constituta, sed in lege quæ ex Deo est, suam justititiam constituerant, quando eandem legem suis se viribus implere posse credebant: ignorantes Dei justitiam, non qua Deus justus est, sed quæ homini est ex Deo.

Magna hominis scientia quænam sit.

Hæc autem est tota scientia magna hominis, scire quia per seipsum nihil est: & quoniam quicquid est, ex Deo est, & per Deum est.

Vers. 4.

Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Discernitur quippe ab operibus fides: sicut alibi dicitur, justificari posse hominem per fidem, sine operibus legis.

Suprà cap. 3. Vers. 28.

Et sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi, & non sunt bona: quia non referuntur ad eum finem, ex quo sint bona. *Finis enim legis Christus,*

Ioann. 6.

Ideo Dominus in Euangelio noluit discernere ab opere fidem; sed ipsam fidem dixit esse opus, Ipsa est enim fides, quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, hoc est opus vestrum, sed, hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit. Fides ergo hominis, Christi est, quia ab ipso est: & opus omne fidei ad ipsum referendum est, quia ab ipso est: quia finis legis & omnis iustitiæ ipse est. Omnis enim perfectio in ipso est, vltra quem non est quo se spes charitatis & fidei extendat.

Vers. 5.

Moyses enim dicit, quoniam justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Nō ait, qui fecerit eam, viuet in illa, vt intelligas legem hoc loco pro ipsis operibus positam, quæ operantes viuebant in illis, alioquin pascerent in cruce coruos. Qui ergo inquit fecerit eā: non lapidabitur, non occidetur; præmium ei erit nō mori.

V. 6. & 7.

Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit. Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum, id est Christum deducere, aut quis descendet in abyssum, hoc est Christum à mortuis revocare. Iustitia quæ ex lege factorum est, ipsa sunt facta: præmium ejus vel merces, non mori, non puniri. De justitia verò quę ex fide est, longè aliter est. Ipsa enim tantùm veram cordis exigit fidem, & liberam oris confessionem, non ratione humana exquisitam, sed simplici & voluntario mentis assensu susceptam.

Fidei definitio.

Fides enim est, in his quæ in religione credenda sunt, voluntarius mentis assensus, In qua qui fidelem & sobrium habet sēsum, nullius sapientiæ sensibus diuina, nullis humanæ scientiæ rationibus, quæ in Christo hu-

Quid sit Christum de cœlo deducere, &c.

mana sunt, scrutat[illegible] ... si de cœlo illo, quæ diuinitatis sunt Christi, sibi expostulet deduci ad intelligendum: vel de abysso illa, Christum sibi revocari de communi sorte morientium: sed simpliciter credens, quod credendum indicit divina authoritas; & liberè confitens, quod confitendum suggerit veritas; credendi humilitate proficit ad intellectũ susceptæ fidei, & ad opera quæ per dilectionem fiunt. Sic enim in Deute-
Deuter. 30. ronomio scriptum est: vnde exemplum hoc assumptum est. *Mandatum hoc, quod ego tibi præcipio hodie, non est superexaltatum à te, neque longè à te.* Non est in cœlo, vt dicas, quis ascendet nobis in cœlum, & accipiet illud nobis, vt audientes faciamus illud: neque trans mare, vt dicas, quis transibit, & accipiet illud nobis. *Sed*
Vers. 8. & 9. *prope est verbum in ore tuo & in corde tuo. Hoc est enim verbum quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris.* Licet enim in re inusitata, & miraculi insoliti, quædam apparere videatur difficultas credendi: fideliter tamen confitenti Dominum esse Iesum, & credenti non eum esse de cõmuni sorte morientium, Deus qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, per amorem spiritus, fidei illustrat affectum, & suggerit intellectum: vt & dulce ei efficiatur in corde quod credit, & gloriosum cõfiteri, quod saluberrimè credere se intelligit. Credendo autem saluus efficitur: nõ vt viuat interim, sicut viuit in justitia sua vel operum suorum operarius ille legis: sed viuat hic in iustitia Dei, in æternum cum eo victurus: viuat hic vita Dei operando per dilectionem, in futuro autem accepturus perpetuam glorificationẽ. Habet enim fidei vera iustitia duplex bea-
Iustitia fidei duplex præmium. titudinis præmium: dum & hic degustat certissimo experientiæ argumento sperandarum substantiam rerum; & ibi accipit quod credidit, æternæ felicitatis manifestissimã veritatẽ. Propter hoc gloriatur hic in tribulationibus, in quibus conscientia sanctæ patientiæ iam arrha quædam & pignus est beatitudinis futuræ. Comparanda est ergo causa causæ, iustitia iustitiæ, vita vitæ: serui, qui quasi reclus' in pistrino duræ necessitatis, tandiu viuit, quandiu seruiliter operatur; & filij gratiæ, cui seruire viuere est, & gratè ser-
Vers 10. Confessio fidei ad salutẽ necessaria. uire magna gratia, & gratis seruire, magna gloria, merces verò vita æterna. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutẽ.* Cùm constet de iustitia fidei, qua corde creditur ad iustitiam, non incassum additum est; *ore autem confessio fit in salutem.* Nonne penè omnes qui coram persecutoribus Christũ negaverũt, quod de illo credebant, corde tenuerunt: & tamen ore ad salutem non confitendo perierunt, nisi qui pœnitentia revixerunt? Quis ita euanescat, vt existimet Apostolum Petrum sic habuisse in corde, cum Dominum negauit ore? Cur loquens in corde suo veritatem, tam amaro fletu puniuit mendacium, quod ore deprõpsit: nisi quia magnam vidit esse perniciem, quod corde quidem credidit ad justitiam, ore autem non est cõfessus ad salutem? Sicut enim non proficit veritas in ore, si non sit etiam in corde: sic nec in corde proficit, si tempore necessariæ confessionis in ore deficit. *Dicit enim Scriptura. Omnis qui credit in eum, non confundetur.* Sunt, qui Christum verbum Dei, virtutem Dei, sapientiam Dei, non erubescunt confiteri: natum verò, mortuumq; & sepultum, confiteri erubescunt. Et quomodo curabitur ægrotus, qui de medicamẽto erubescit? Sed eligat tempus, quia nunc est eligendi tempus. Cùm enim admirandus ille venerit, qui pro nobis est contemptus; iudicabit, qui pro nobis est iudicatus; excitabit occisus, honorabit exhonoratus: tunc siue Iudæus, siue Græcus, (non enim est distinctio,) omnis qui credit in illum, non confundetur. *Nam idem Dominus* *Vers. 12.*
omnium; quia non Iudæorum Deus tantum, imo & Gentium: *diues* ad implenda desideria *omniũ qui inuocant eum. Omnis enim quicumque inuo-* *Ioel. 2.*
cauerit nomen Domini, saluus erit. Nomen Domini inuocat, qui servus Domini esse desiderat. desiderat esse servus ejus, quicumque intelligit nomen eius. Nomen ejus intelligunt, qui in semetipsis experiuntur dominatum eius. Ipsi sunt qui cognoscunt in semetipsis gratiam Dei, & ingrati non sunt: & ideo inuocantes nomen Domini salui sunt. Sic ergo fides Iesu Christi Domini, impetrat nobis salutem: & quanta nobis hic inchoatur in spe, & quanta dabitur in re. Quod autem dicit, saluus erit: vtique sicut à febre, sicut à peste: quia non est sanis opus medicus, sed male habentibus. Si ergo omni inuocanti salus promittitur, nec est distinctio Iudæi & Græci: omnibus inuocandum est. *Sed quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* De *Vers. 14.*
Gentibus hic dicere videtur Doctor Gentium: repellens eos qui putabant genti tantum Iudæorum, non etiam Gentibus euangelium prædicandum. Quod volens ostendere, non ad Iudæos tantum sed & ad Gentes pertinere, proposuit quod de Propheta præmissum. *Omnis qui-*
cumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit: *Ioel. 2.*
ac deinde, *quomodo, inquit, inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* Sed missi sunt & prædicauerunt: *sicut scri-*
ptum est. Quàm speciosi pedes euangelizantium bo- *Isa. 52.*
na. Neq; enim, quia Deus dat incrementũ, ideò non est plantandũ atque rigandũ: hoc autẽ tramite reditur ad gratiã. Nisi enim gratia prouideat, prædicatores verò faciant credentes: non erunt qui salui fiãt inuocãtes. Ideo speciosi pedes euãgelizantiũ pacẽ, evangelizantiũ bona: pacem, qua percepta remissione peccatorum Deo recõciliamur: bona, quæ filijs gratiæ promittuntur. Vel speciosi pedes, speciosa nobis vestigia relinquentes: de cultu animi, de amore Dei, de contemptu sæculi. Sed missi sunt evangelizantes, pauci verò inuenti sunt obedientes. Vnde sub
verbis Prophetæ vox sequitur conquerentiũ di- *Vers. 16.*
cens. *Domine, quis credidit auditui nostro?* Quæ, *Isa. 53.*
enim audiuimus à te, annuntiauimus eis; sed pauci sunt, qui obediant nobis. In hoc procedit omnis verborum horum prolixitas, quia prosequitur Apostolus tristitiam suam magnam, & dolorem continuum cordis sui de Gentis suæ obcæcatione, quam dissimulare non potest, agens pro illis, inquantum veritas & iustitia Dei conatib' ejus inuenitur non obsistere: cui & ipse resistere non potest, resistente sibi obduratione pertinacis malitiæ. Vnde & Deo coniunctus condẽnat quidem cæcam in illis multitudinem obduratorum: sed in remedium doloris, sanctam ex eis electionis amplectitur raritatem. *Ergo,* inquit, in eis, id est, paucis eorum, *fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei.* Gloriatur autem

vel in paucis eorum profecisse studium prædicatorum. Deinde cæteris omnem tollens excusationem, *Nunquid*, inquit, *non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.* Si ergo omnes, & ipsi. Si gentes fines terræ inhabitantes audierūt: Iudæi habitantes in medio terræ, vbi salus facta est, quomodo se excusare possunt? *Sed dico. Nūquid Israël non cognouit?* Ac si dicat. Sed dicam, cur Israël non cognouit. Non autem ego, sed *primus* ante me *Moyses*, & in ipso Deus, *dicit. Ego ad æmulationem vos adducā in non gentem: in gentem insipientem in iram vos mittam.* Ac si dicat. Subtrahendo vobis, quam & vos abijcitis, gratiam meam, adduci vos permittam in æmulationem & inuidiam, quam habituri estis; in gentem, quam nec gentis nomine hactenus dignabamini: iam autem verè non gentem, id est, gētem esse desistentem, & quasi naturalem genituram erroris sui in nouam fidei genituram transmutantem. Mittamque vos in iram, quæ numquam caret inuidia, in gentem hactenus insipientem, nilque de Deo sapientem; nunc autem in cognitione Dei vos præcedentem. Inuidia ergo causa est maxima, cur Israël non cognouit. Epulante enim & gaudente cum patre iuniore filio, senior intrare noluit. Isaias etiam licet pro confessione Dei & verbi Dei veritate moriturum se sciret: audet tamen in reprobationem Iudæorum vocationem gentium prædicare dicens. *Inuentus sum à non quærentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant.* Ecce manifestissima gratia. Dominum autem Deum præscium fuisse futurorum, & prædixisse credimus infidelitatem Iudæorum; non fecisse: quod sonare videtur verbum adductionis in æmulationem. Sed non Deus propterea ad peccandum cogit: quia futura hominum peccata jam nouit. Ipsorum enim præsciuit peccata, non sua; non cujusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter, si ea quæ ille præsciuit ipsorum, non sunt ipsorum, non vera ille præsciuit. Sed quia falli ejus præscientia non potest, sine dubio non alias, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præsciuit. Fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos facere non compulit, cui peccatum non placet: sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur: & hoc facturi præuiderentur, ab eo qui novit, quid quisque sit facturus, & quid ei sit pro ejus opere redditurus. Hoc interim de reprobatione Iudæorum. Porrò de eis à quibus inuentus est non quæsitus, quid dicemus? Quid, nisi quod dicit, qui spiritum Dei habuit, *Misericordia ejus præueniet me?* Si tu ô quisquis ille es, qui de illis es, aliquid tuum primū attulisti, & ex tuo aliquo bono primo misericordiam Dei promeruisti; non te præuenit. Sed vt esses, quid fecisti? Vt esses qui Deum inuocares, quid egisti? Si enim egisti aliquid vt esses, eras ergo priusquam esses. Porrò si nihil omnino eras, priusquam esses: non promeruisti, vt esses. Fecit autem Deus vt esses; & tu fecisti, vt bonus esses? Si Deus dedit vt esses, & alius dedit vt bonus esses; melior vtique qui dedit vt bonus esses, quàm qui dedit vt tātum esses. Sed ipse à non quærentibus est inventus, quia gratia ejus præueniens sensum aperuit, & non quærentibus palam apparuit. Quid ergo? Datur hominibus potestas filios Dei fieri: gratias agant, quia data est potestas; orent, ne succumbat infirmitas. Nullum extollat nimia suæ voluntatis fiducia in superbiā, vt dicat; vt quid rogabo Deum, ne vincar à tentatione, cum hoc in mea positum sit potestate: nullum nimia sui diffidentia deijciat in negligentiam, vt dicat, vt quid conamur bene viuere, quod in Dei positum est potestate: sed subditus fiat omnis mundus Deo. Qui trahitur, sequatur: qui non trahitur, oret, vt trahatur. Sequitur. *Ad Israel autem dicit.* Illud ad Gentes: hoc autem ad Israël. Illud quidem ad assumptionem Gentium: hoc autem ad reprobationē Iudæorum. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.* Sine, inquit Dominus, saturari filios. Non enim missus sum, nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Tota ergo die, id est, toto cum hominibus conuersationis suæ tempore expandit Dominus manus suas, quasi ad amplectendum populū Iudæorum; illis præcipuè deputans & miraculorum suorum opera, quæ per manus designantur; & doctrinæ studiū, qua non credentes, sed contradicentes quasi vtraque sibi manu attrahere conatur. Et tanquā responderetur, vbi ergo sunt promissiones factæ ad Israël; continuò subjunxit. *Dico ergo. Numquid repulit Deus populum suum? Absit Nā & ego Israëlita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* Atque vt ostēderet gratia Dei relictas esse reliquias, non meritis operum eorū, secutus adjunxit. *An nescitis in Elia, quid dicat Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversum Israël? Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid illi dicit responsum diuinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal. Sic & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioqui gratia jam non est gratia. Quid ergo? Quod quærebat Israël non est consecutus: electio autem cōsecuta est: cæteri verò excæcati sunt.* Plebs Dei gens fuit Iudæorum, quorum adoptio, & gloria, & testamentū, & legislatio: plebs inquam, in qua præcesserunt omnia sacramenta Saluatorem promittentia. Quid ergo? Totum illud damnatum est? Absit. Sed areā ventilatā massa interposita est; palea foris jacet. Quicquid vides Iudæorum reproborum, palea est. Qui præsciti & prædestinati sunt: repulsi non sunt. *Reliqui*, inquit, *mihi.* Quid est, reliqui mihi? Ego eos elegi; quia vidi mentes eorum non præsumentes de se: non de Baal. Non sunt mutati; sic sunt, vt à me facti sunt. Sic & nunc reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Cave, Christiane, superbiam: licet enim sanctorum imitatoris, totum semper gratiæ deputa: quia vt aliquid reliquū esset in te, gratia fecit, non meritum tuum. De ipsis enim reliquijs loquitur Propheta. Si de tuis meritis præsumis, vel operibus: non jam tibi gratia redditur, sed merces debetur. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioqui gratia jam non est, gratia. Quid autem est, secundùm electionem gratiæ? Mali eramus, & electi sumus: vt boni per gratiam eligentis simus. Gratia enim non invenit, sed efficit meritum. *Quid ergo? Quod quærebat Israël, non est consecutus.* Quid est, quod quærebat Israël, quod non est consecutus? Iam-

Marginalia: *Vers. 18.* — *Deuter. 32.* — *Vers. 20. Isa. 65.* — *Præscientia Dei non cogit ad peccādum.* — *Psalm. 58.* — *Gratiæ cōmendatio.* — *Vers. 21.* — *Matth. 15.* — *Caput 11. V. 1. & 2.* — *V. 3. & seq.* — *3. Reg. 19.* — *Electio ad gloriā ex meritis.* — *Vers. 7.*

superiùs dixerat: quia sectando legem justitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? *Quia non ex fide, sed ex operibus.* Sectabatur enim legẽ operum: & in ea quærendo justitiam, non eam est consecutus: electio autẽ tam ex Iudæis quàm ex Gentibus in lege gratiæ, in lege fidei, in lege spiritus vitæ consecuta est. *Ceteri* autem quia credere noluerunt, cùm possent, *excæcati sunt:* id est, facti qui non possent. Quia enim voluntate peccauerunt, etiam in voluntate puniti sũt: vt quia scienter verum dixerunt falsum, postea nec veritatem ipsam possent intelligere. Hoc enim nõ simplicitatis ignorantia: sed prauæ voluntatis meretur inuidia. Ideo *dedit illis Deus spiritum compunctionis.* Ista compunctio, damnatæ est conscientiæ pœnalis afflictio: de qua suprà dixit. *His autem qui sunt ex contentione, ira, & indignatio*, &c. Damnati enim ad infernum gehennæ, primùm hic cruciantur in inferno cõscientiæ, non habentes justitiam quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operantem: sed desperationem diabolicam mortem æternam operantem. Hoc autem testimonium vnde assumptum sit, non satis apparet: nisi forte de Isaia, vbi dicit. *Vade, & dic populo huic. Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor eorum,* vsque ad conclusionem oculorum interiorum, & obturationem aurium: vt jam nec videre possint, nec audire; quia cum potuerunt, noluerunt. *Et David dicit. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scãdalum: & in retributionem eorum ipsis.* Mensa Iudæorum, Scriptura est veteris testamenti, in qua de Moyse & Prophetis diuersa fercula apponũtur. Quæ illis fit in laqueum: cum spiritualia nulla curãtes, carnalia sibi tantum in Scripturis repromitti arbitrantur. Quare verò coram ipsis? Iniquitatem enim suam nouerunt: & tamen in ea pertinacissimè perseverant: tantumque valet animi præsumptio, vt coram ipsis fit laqueus, & tamen incidant in eum. Vnde & sequitur. *Obscurentur oculi eorum ne videant:* vt quoniam sine causa viderunt, fiat in eis, vt nec videant. Quod autem dicit, Prophetantis est, non optãtis: non vt fiat; sed quia fiet. *Fiat eis in scandalum:* quia videntes Dominum passibilem, scandalizati sunt. *Et dorsum eorum incurua:* vt qui noluerunt cœlestia cognoscere, jam non nisi terrena sciant cogitare. Vnde & à loco, quem ne perderent, Christum occiderunt, infeliciter exturbati & dispersi per terras, vbiq; quaquà Ecclesia dilatata est, non desunt: & de Scripturis suis testimonio nobis sunt, quia quæ de Christo prædicantur, nos non confinximus: sed in eorũ libris inveniuntur. Cùm ergo obcœcati nostris Scripturis non credunt: complentur in eis suæ, quas cœci legunt, *Dico ergo. Numquid sic offenderunt, vt caderent? Absit.* Est casus, quo justus septies cadit, & resurgit: & est casus, de quo qui cadit, non adijcit vt resurgat: sicut ceci dit Lucifer de cœlo casu æternæ desperationis: hoc casu absit, inquit, vt ceciderit Israël: cum adhuc apud eos meditatio legis permaneat: & zelus Dei, licet non secundùm scientiam. Casus enim Iudæorum habet resurrectionem: & auersio cõversionem. Quomodo? Sequitur & dicit. *Sed illorũ delicto salus Gentibus facta est, vt illos æmulentur.* Non enim casus eorum vsquequaque inutilis inventus est: quia vnde ipsi ceciderunt, inde alij surrexerunt. Vnde & casum eorum delicti nomine quasi clementiùs voluit appellare. Delictum ergo eorum salus est Gentibus, vt illos æmulentur: id est, vt sicut nunc Gentes apud Iudæos invenerunt, in quo saluentur: sic & Iudæi aliquando agnita veritate, in salutem suã Gentes æmulentur. *Quod si delictum eorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum?* Delictũ Iudæorum diuitiæ mundi sunt: quia in eorum delicto pars Domini factus totus mundus: cum primùm in constitutione terminorum mundi solus Iacob constitutus fuerit funiculus hæreditatis ejus. *Quod si diminutio eorum diuitiæ sunt Gentium: quanto magis plenitudo eorum?* Quod enim Iudæis diminutum est, & ablatum: hoc Gentibus additum est & collatũ. Et bene ad diminutionem plenitudo reddita est: quia quamdiu Israël in incredulitate permanet, nondum plenitudo portionis Dei potest dici completa; quam conuersione sua ipse complebit. *Vobis enim dico Gentibus. Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo: si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciã aliquos ex illis.* Cùm enim peruigilem curam & iugem sollicitudinem erga doctrinam Gentium Apostolus gerebat, & conuersationem earum probabilem exhibebat: videntes hoc Israëlitas ad æmulationem proficientium prouocabat. Et hæc erat magna ministerij eius glorificatio: alterum per profectum alterius suscitare ad profectum. *Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?* Si abiectio gentis illius reconciliationem mundo præstitit: si tanta in eis fuit gratia, quæ ablata ab eis, & data Gentibus, totum mundũ impleuit: æstimari non potest, quid sit illud, quod ex reconciliatione eius mundus accepturus sit. *Quæ erit assumptio eorum: nisi vita ex mortuis?* Nunc enim interim ad vitam ex mortuis proficientibus, varij annuntiantur profectus: tunc autem ipsa perfectio. Tunc enim, in fine scilicet mundi, generalis eorum futura est assumptio: cùm in omnibus fidelibus celebris illa resurrectio fiet, qua mortale induet immortalitatem: & corruptio incorruptionem. *Quod si delibatio sancta, & massa. Et si radix sancta, & rami.* Oliuam creauit Deus Patriarchas sanctos: vnde & floruit populus Dei; hæc arbor putata est. Nam inde superbi rami fracti sunt; blasphemus populus Iudæorum. Manserunt tamen ibi rami boni & vtiles, sancti Apostoli. Ipsa est delibatio, parua de quauis re assumptio ad experimentũ totius massæ. Inde est quod dicit. Si delibatio sancta inuenta est: & massa potest sanctificari. Sicut radix; sic & rami. Ramorũ enim natura, sicut solet in omni arbore, radicis respõdet sanctitatem, & fructuũ aliqua delibatio totius massæ qualitatem. In delibatione ergo & ramis, naturalis est sanctitas radicis. Tu autem cõtra naturam aliunde insertus, quicquid habes sanctitatis, ex beneficio habes inserentis, & pinguedine radicis. Vnde & sequitur. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt: tu autem cum esses oleaster insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es: noli gloriari aduersus ramos.* De radice Patriarcharum dicit fractos quosdã ramos propter incredulitatem; & insertum oleastrum, vt esset particeps pinguedinis oliuæ, id est Ecclesiam ex Gentibus venientem. Et quis

Potuerunt Iudæi credere, sed noluerunt.

Vers. 8.

Isa. 6.

Psalm. 63.

Mensa Iudæorum vetus testamẽtum est.

Vers. 11.

Vers. 12.

Vers. 13.

Vers. 15.

Vers. 16.

Bona oliua sancti Patriarchæ.

Vers. 17.

inserit in oliuam oleastrum? Oliua potius inseri solet in oleastro, oleastrum in oliua numquam vidimus. Nam quisquis fecerit, non inueniet baccas oliuæ, sed oleastri. Quod enim inseris, hoc crescit: & ejus fructus est. Non enim crescit radicis fructus, sed surculi. Hoc ostendens Apostolus, omnipotentia sua Deũ fecisse, vt oleaster in radice oliuæ insereretur, vt non baccas siluestres, sed oliuam redderet: ad omnipotentiam

Vers. 17. Dei reuocans ait. *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt; tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es; noli gloriari aduersus ramos.* Noli gloriari quia insertus es: sed time, ne per infidelitatem frangaris, sicut illi fracti sunt. Oliua superba digna

Ioann. 8. frangi, fuit, quæ dixit. *Nos de seruitute non sumus nati: vnum patrem habemus Abraham.* Audi & oleastrum dignum inseri. *Non sum dignus,*

Matth. 8. ait, *vt intres sub tectum meum.* Centurio alienigena fuit, qui hoc dixit: de quo & Dominus dixit. *Non inueni tantam fidem in Israel.* In oliua non inueni; quod inueni in oleastro. Ergo oliua superba succidatur: & oleastrum humile inseratur. Deinde vide præcidentem & inserentem.

Ibidem. *Multi venięt ab Oriente & Occidente: & recũbent cũ Abrahã Isaac & Iacob, in regno cælorũ.* Nõ ergo superbè gloriemur aduers' fractos ramos; sed poti' cogitem', cui' gratia & quãta misericordia, & in qua radice inserti sumus: vt nõ alta sapiamus, sed humilibus consentientes sim'.

Vers. 18. *Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Nihil enim habes, quod non accepisti. Et si insultas fractioni ramorum: non tu radicẽ portas, sed radix te, cui insultas. Talibus enim

v. 19. & 20. insultantibus dicit. *Dicis ergo: Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene, propter incredulitatem fracti sunt: tu autem fide sta.* Amputatis propter infidelitatis superbiã naturalibus ramis, tu fide sta; vt deputetur tibi fides ad iustitiam: & impleatur in te, non quod postulat meritum tuum; sed quod à Domino promissum est beneficium. *Noli altum sapere; sed time.* Inest enim gratiæ timor

Timor inest gratia. suus. Timor iste præcipitur, etiam ijs qui ex fide viuentes hæredes sunt noui testamenti: atque in libertatem vocati. Altum enim sapere superbire est. Timorem hunc non delectat iniquitas: etiamsi proponatur impunitas. Hoc enim tantũ timet, ne amittat ipsam gratiam: per quam in ea factum est, vt eam non delectet peccare. Qui enim altum sapit, & ideo non timet: vtique perniciosè non timet. Quid enim boni amat: qui forte hoc ipsũ, ꝓpter hoc ipsũ amat, nõ timere? Potest enĩ hoc persuadere sibi aliquis nõ sanitate, sed immanitate. Nam propter hoc ipsũ quia amat non timere: vt quod amat exerceat, ingentia facinora molitur. Non ergo hoc pro magno bono habendum est, quod in homine pessimo inueniri possibile est. Quapropter timeat

Timor quã do minuẽd' aut tollẽdus. Christianus, antequam perfecta charitas foras mittat timorem. Deinde proficiendo tãtò minor efficiatur timor, quantò patriæ quò tẽditur, propinquior. Maior enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus peruenientium. Sed & timor perducit ad charitatem: perfecta verò charitas foras mittit timorẽ

Vers. 21. *Noli* ergo *altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi par-*

Iac. 5. *cat.* Superbis enim resistit: humilibus autẽ dat

Vers. 22. gratiam. *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate.* Salubriter scriptura non solum bonitatem Dei, sed & seueritatem commendat: quoniam & amatur Deus vtiliter, & timetur. Itaque sanctis Pa- *Deus vtiliter amatur & timetur.* triarchis in radice sua viuentibus, infidelis superbia naturalium ramorum iustâ Dei seueritate confringitur: & fidelis humilitas oleastri gratia diuinæ bonitatis inseritur. Quicumque ergo insereris; vide, vt dictum est, bonitatem & seueritatem Dei. Sicut enim omnis materia corporalis, cũ sine dubio vni' naturæ sit, per accidẽtes sibi qualitates diuersas species profert corporũ; siue in hominibus, siue in animalibus, siue in arboribus, siue in herbis: ita & cum omnium rationalium vna natura sit, arbitrij proprij libertate æqualiter donata, vniuscujusque motus pro- prij ex arbitrij libertate probati, vel ad virtutem *Libertas arbitrij ad bonum & ad malum.* vel ad libidinem subjectam sibi animam perducentes, vel præeunte gratia Dei in bonæ eam arboris speciem formant: vel proprio vitio in malam arborem deformant. Vnde & dominus, vt ostenderet arborẽ bonã fieri, nõ nasci; *aut facite,* inquit, *arborem bonam, & fructus ejus bonos: aut* *Matth. 12.* *facite arborem malam, & fructus ejus malos. Alioquin & tu excideris, sed & illi si non permanserint in incredulitate inserentur. Potẽs est enim Deus inse-* *v. 23. & seq.* *rere illos. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam: quanto magis ij qui secundum naturam inserentur suæ oliuæ?* Sicut enim, vt dictum est, corporalẽ naturam causæ exteriùs accidentes in diuersas formant effigies: sic rationalẽ animam vel gratia Dei quasi originaliter format in oliuam, vel oleastrum facit in eam transire: vel econtrario agit liberi arbitrij abusio. Æquè enim potens est Deus operari & in Iudæorum oliua, & in gẽtium oleastro. *Nolo enim vos ignorare fratres my-* *Vers. 25.* *sterium hoc, vt non sitis vobis ipsis sapientes. Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentiũ intraret; & sic omnis Israel saluus fieret.* De ruina alterius gaudere periculosum est; insultare verò, imminentis ruinæ suæ indiciũ est. Propter quod timens Apostolus infirmioribus discipulis ex gentibus, occultum hoc mysterium de salute Iudæorum eis reuelat: ne scilicet omnino eos alienatos esse à Deo arbitrarentur: tum quia in eis non nisi ex parte cæcitas contigerat: tum quia ipsa gentium plenitudo sine generali eorũ conuersione compleri non poterat. Porrò in semetipsis sapientes sunt: quibus, cùm alios iudicant, occultorum iudiciorum Dei neglecta formidine, in quamdam quasi certitudinem salutis *Qui nati in seipsis sapiẽtes.* suæ sapiunt rationes meritorum suorum. Cæcitas enim facta est in Israël, facientibus peccatis eorum, vt plenitudo gentium intraret: qua ingressa cæcitatem in eis cessare necesse est. Quod quomodo fiat, subdit dicens. *Veniet ex Sion qui* *Vers. 26.* *eripiat & auertat impietatem ab Iacob, & hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum.* Veniet ex Sion de quo scriptum est; *ex Sion spe-* *Psalm. 49.* *cies decoris ejus:* qui eripiat à possessione inimici plenitudinem gentium, & auertat impietatem ab Iacob; vt iam non inuideãt gentibus, sed æmulentur eas in bonum. *Et hoc illis à me testamentũ.* *Vers. 27.* Additque Apostolus de suo, quod in Propheta non habetur, *cùm abstulero peccata eorum:* quia sicut dicitur de gentibus illis, nondum completa erat iniquitas Amorrhæorũ & Gomorræorũ: *Genes. 15.* sic vsque ad tempus illud non complebuntur vel auferentur iniquitates Iudæorum. Quæ autem

sit, plenitudinis gentium quantitas, antequam non auferatur Iudæorum iniquitas: quis etiam sit iste omnis Israël qui saluus fiet, occulta sunt mysterij, quod Apostolus ex parte vult sciri, & ex parte permittit nesciri. Nam ex primo aduētu Domini humili cæcitas facta est in Israël. Ex secundo omnis Israël saluus fiet. Per Eliam nāque magnum mirabilemque Prophetam, expo-sita sibi lege ante iudicium in vltimo tempore Iudæos in Dominum Iesum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusq; fidelium. Ipse quippe ante aduentum iudicis speratur esse venturus, vsque ad tempus illud viuens in carne reseruatur. Exponet autem legem spiritualiter: quam nunc Iudæi; obseruāt carnaliter. *& conuertet corda patrum ad filios*: id est, vt filij sic intelligant legem, sicut eam intellexerunt patres eorum Prophetæ, in quibus & Moyses fuit. Sic enim cor patrum conuertitur ad filios, cùm intelligentia patrum perducitur ad intelligentiam filiorum, & cor filiorum ad patres eorum: dum quod senserunt illi, sentiunt & isti. *Secundum euangelium quidem inimici propter vos: secundum electionē autem carissimi propter patres.* Quid est, secundum euangelium inimici propter vos: nisi quod eorum inimicitia, qua occiderūt Christum, in Evangelio, sicut videmus, profecit? Et hoc ostendit ex Dei dispositione venire, qui bene novit vti etiam malis: non quòd illi prosint vasa iræ, sed ipso eis bene vtente prosint vasis misericordiæ. Est enim in malorum potestate peccare: vt autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras & ordinātis eas: vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatē Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. Legimus in Actibus Apostolorum eos in persecutione orantes & dicentes post aliquanta. *Conuenerunt enim in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem vnxisti, Herodes & Pilatus & populus Israel, facere quanta manus tua & consilium prædestinauit fieri.* Ecce quod dictum est, *secundum euangelium quidem inimici propter eos.* Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei & consilium prædestinauit fieri: quanta necessaria fuerunt Evangelio propter nos. Sed quid est, quod sequitur, *secundum electionem vero carissimi propter patres?* Numquid ijdem inimici, ijdemque carissimi? Absit. Sed vtrumque licet inter se cōtrariū, id est & inimici & carissimi, quamvis non in eosdem homines, tamen in eamdem conuenit gētem Iudæorum, & ad idem carnale semen Israël: alijs eorum ad claudicationem Iacob, alijs ad benedictionē Israël pertinentibus. Hunc sensum apertiùs superiùs explicauit, vbi ait. *Quod quærebat Israel non est consecutus, electio autem consecuta est: cæteri vero excæcati sunt.* Vbi audimus, *electio consecuta est*, ibi intelligendi sunt carissimi propter patres, quibus ista promissa sunt. Ij enim non illa vocatione vocati sunt, qua dictum est; *multi vocati, pauci verò electi*: sed illa, qua vocantur electi. Vnde & hic subditur: *sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei*: id est sine mutatione stabiliter fixa sunt. Quicumque ad hanc vocationem pertinent omnes sunt docibiles Dei: nec potest quisquam eorum dicere; credidi, vt sic vocarer; sed præuenit omnes gratia Dei; quia sic sunt vocati, vt crederent. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad filium, quoniam audierunt & didicerunt à patre per filiū,

Elias ante Iudiciū vltimum venturus.

Malac. 4.

Vers. 28.

Libertas ad malum.

Act. 4.

Vers. 28.

Vers. 7.

Duplex vocatio Dei.

Matth. 20.

qui euidentissimè dicit. *Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.* Istorum nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdit ex eo quicquam: *sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.* Ij sunt, quibus dicitur, *vt eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat.* Quibus verbis non solum iustitiam, sed etiam in ea perseuerantiam se ijs dedisse ostendit. *Sicut enim aliquando & vos non credidistis, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem: ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequātur.* Profundiores iam hic causas exponit incredulitatis non credentium. Scilicet quia sicut gentes olim non credentes, non tamen penitus derelictæ sunt, sed occasione accepta ex naturalium fractione ramorum, ipsi oliuæ ex oleastro contra naturam inserti sunt: sic postquam plenitudine gentium impleta fuerit dispensatio, & ipsi misericordiam consequentur. In quo volens Apostolus bonitatem Dei ostendere, qua ex incredulitate aliquorum, aliorum salutem facit: *conclusit*, inquit, *Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Vnde sibi quidam male intelligentes blandiuntur: sed quos *omnes* dicat, circunstantia lectionis demonstrat. De Iudæis enim agit & gentibus, ex quibus quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, in infidelitate conclusit, vt de amaritudine infidelitatis suæ pœnitendo confusi & ad dulcedinem misericordiæ Dei credendo conuersi clamarent illud de psalmo. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis qui sperant in te* non in se. Omnium itaque miseretur vasorum misericordiæ, quorum omnium? & eorū scilicet quos ex gentibus, & eorum quos ex Iudæis prædestinauit, vocauit, iustificauit, glorificauit. Non omnium hominum, sed istorum omnium neminem reliquit. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & inuestigabiles viæ ejus. Quis enim cognouit sensū Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Quoniā ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum amen.* Præmissâ profundissimâ sententiâ de gratuita gratia Dei nullis præcedentibus meritis non iniquâ, quæ non tā mouet cùm præstatur indignis, quàm cùm æquè alijs indignis denegatur: cur hunc, cur non illum electio vocet, quasi altissimi cujusdam secreti adytum pulsans: quia per cognitionem ad interiora admitti non valuit, per humilem confessionem ante ianuam humilis stetit: & quod intus intelligendo comprehendere non valuit, foris timendo laudauit. Et nos ergo, in quantū iudicia sua nobis manifestare dignatus est, gratias agamus: in quantum abscondere, non aduersus eius consiliū murmuremus, sed hoc quoque saluberrimum nobis esse credamus. Neque enim frustra dictū est, *iudicia tua abyssus multa.* Cujus abyssi altitudinem expauescens iste Apostolus sic exclamauit. Inde sunt diuitiæ gloriæ eius in vasa misericordiæ, quæ vocat in adoptionē: quas notas vult facere etiā per vasa iræ, quæ apta sunt in interitum. Viæ vero inuestigabiles, ipsæ sunt de quibus in psalmo canitur: *vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*: misericordia, quoniā cujus vult miseretur, non in justitia, sed in misericordiæ gratia: & quē vult indurat,

non

Ioann. 6.

Vers. 29.

Ioann. 15.

Vers. 30.

Vers. 32.

Psalm. 30.

v. 33. & seq.

Abyssus prædestinationis

Psalm. 35.

Psalm. 24.

non in iniquitate, sed in veritate vindictæ. Quæ tamen misericordia & veritas sic sibi occurrunt, vt nec misericordia impediat veritatē, qua plectitur dignus; nec veritas misericordiam, qua liberatur indignus. Nulla ergo sunt merita iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt: sed vt iusti fierēt, merita non fuerunt. Iusti enim facti sunt, cùm iustificati sunt. Valde ergo paruum sensum habemus ad discutienda iudicia Dei, & iustitiam eorum: apud quem sicut non est impossibilitas, sic nec iniquitas esse credenda est: cùm superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *O altitudo.* Altitudo hæc non est quantum distat cœlum à terra; quia & cælum & terra temporalia & localia sunt: sed quantum distat Deus ab omni temporali & locali creatura: quod omnes creaturæ sunt. Nullius igitur creaturæ attingitur sensu, comprehenditur intellectu, altitudo sapientiæ Dei, in qua facta sunt omnia: in qua cùm omnia fiant, non tamen eam inquinant peccantia; in quam nihil incurrit inquinatum, cùm ipsa attingat omnia propter suam munditiam. cùm autem ipse sit sapiens, & generans de se sapientiam: quæritur vtrum per se ipse sibi sit sapiens, an per eam quam de se gignit sapientiam: an ita sit sapiens, quemadmodum dicens. Verbo enim quod genuit, dicens est. Sed si pater qui genuit sapientiam, ex ea est sapiens, neque hoc illi est esse, quod sapere: qualitas ejus est, non proles filius. Etiam non ibi est summa simplicitas. Sed absit vt ita sit, quia ibi verè est summè simplex essentia. Hoc ergo ibi est esse, quod sapere. Quod si hoc est ibi esse, quod sapere; non per illam sapientiam quam genuit, sapiens est pater. alioqui non ipse illā, sed illa eum genuit. Quid enim aliud dicimus, cùm dicimus, hoc illis est esse quod sapere: nisi eo est sapiens, quo est? Quapropter quæ causa illi est, vt sapiens sit; ipsa illi causa est, vt sit. Ergo & pater ipsa sapientia est; & ita dicitur filius sapientia patris, quomodo dicitur lumen patris: id est, vt quemadmodum lumen de lumine, & vtrumque vnum lumen: sic intelligatur sapientia de sapientia, & vtraque vna sapientia. Ergo & vna essentia, quia hoc est ibi esse, quod sapere. Quod enim sapientiæ sapere, & potentiæ posse & æternitati æternam esse: hoc est essentiæ ipsum esse. Et quia in illa simplicitate nō est aliud sapere quàm esse: eadem sapientia est quæ essentia. Pater igitur & filius simul vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia. Hoc autem, & hujusmodi quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus Dei; qui sic in Deo est per vnitatem naturæ, vt non sit aliquid in Deo, quod non possit spiritus eius naturali vnitate cognoscere. Istā quippe plenitudinem cognitionis sola possidet vnitas naturalis; per quam sic est in Deo spiritus eius, vt vnus cum eo sit naturaliter Deus. Qui tamen sic in Deo est, & vnus cum illo Deus est, vt non cum eo vnam personam habeat: sicut habet cum homine spiritus hominis, qui in ipso est: & vna sit in trinitate persona. Trinitas enim Deus vnius eiusdemque naturæ atque substantiæ: non minor in singulis, quàm in omnibus. Nec major in omnibus, quā in singulis; sed tanta in solo Patre, vel in solo Filio, quanta in Patre simul & Filio: & tanta in solo Spiritu sancto, quanta simul in Patre & Filio & Spiritu sancto. Neque enim pater vt habeat Filium de seipso, minuit seipsum: sed ita genuit de se alterum se: vt totus maneret in se, & esset in Filio tantus, quantus in se. Similiter Spiritus sanctus integer de integro, non præcidit vnde procedit: sed tantus cum illo, quantus ex illo: nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo. Et hæc omnia nec confusè vnū sunt, nec distinctè tria sunt: sed cùm sint tria, vnum sunt; cùm sint vnum, tria sunt. Eæ sunt diuitiæ sapientiæ Dei: quia scire Deum Patrem, & quem misit Iesum Christum, ipsa vita ęterna est. Nemo autem nouit Patrem nisi Filius: & nemo nouit Filium, nisi Pater; & cui voluerit ipse reuelare. Voluerit vtiq; per Spiritū sanctū. Volūtas Patris & Filij Spirit⁹ sanct⁹ est Sapientiæ hujus prouidentia vel scientia vel judicia sic sunt super vnā animā, sicut super vnam vibē: sic super vnā gentē sicut super vnuersam humani generis multitudinē: quia sic intendit Dn̄s singulis, ac si vacet à cunctis: & sic simul intendit omnibus ac si vacet à singulis. Hic est sensus, de quo dicit. *Quis enim cognouit sensum Domini?* Qui enim omnia administrando implet, regit implendo: nec cùm vnū disponit, deest vniuersis: nec deest vni, cùm disponit vniuersos. Cuncta scilicet naturæ suæ potentiâ quietus operatur. Est enim Filius de Patre vt sit, atque vt illi coæternus sit. Imago quippe si perfectè impleat illud cuj imago est, ipsa coæquatur ei non illud imagini suæ. Vbi iā est tanta congruētia, & prima æqualitas, prima similitudo, nulla in re dissidens, & nullo modo inæqualis & nulla ex parte dissimilis: sed ad identitatem respondens ei, cujus imago est. Vbi est prima & summa vita, cuius non est aliud intelligere, & aliud viuere: sed id quod est intelligere, hoc est & viuere, hoc & esse est. Vnū omnia tamquam verbum perfectū, cui non desit aliquid, & ars quædā omnipotentis ac sapientis Dei plena omnium rationum viuentium incommutabilium: & omnes vnum in ea, sicut ipsa vnum de vno, cum quo vnum. Vbi nouit Deus omnia quæ fecit per ipsam, ideo cùm decedant & succedant tempora, non decedit aut succedit aliquid scientiæ Dei. Non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt: ac nō potiùs ideo facta sunt mutabilia, quia immutabiliter à Deo sciuntur. Hæc est inæstimabilis illa altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: ille verò ineffabilis complexus quidam Patris & imaginis non est sine perfruitione, sine charitate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, fælicitas vel beatitudo, si tamen aliqua humana voce dignè dicitur, est in Trinitate Spiritus sanctus, non genitus, sed genitoris, genitique suauitas, ingenti largitate atque vbertate perfundens omnes creaturas pro captu earum; vt ordinem suum teneant, locis suis acquiescant. Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum & in ænigmate, gaudeat, inquantum videt hoc, intātum cognoscēs sensum Domini, & gratias agat: qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndun, ad amandum; non per cæcitatem ad calumniandum, prauus consiliarius summæ æquitatis ordinem corrigere volens ad arbitriū suæ voluntatis: quem omnes creaturæ vel tenēt, vel non effugiunt, si locis à Deo positis non acquiescunt. Sequitur. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Aliter dicitur homini, debes mihi quia promisisti mihi: aliter debes mihi, quia dedi tibi. Quando dicis debes mihi quia dedi tibi, à te processit beneficium, sed mutuatum, non

Merita iustorum.

Pater non est sapientiâ genitâ sapiens.

Deus nō est major in omnibus personis, quàm in singulis.

Pater genuit alterum se.

Ioann. 17.


Matth. 11.

Vers. 34.

Idem sunt in Deo intelligere, viuere, & esse.

Vers. 35.

Vt Deus... tia promisit. donatum: quando autē dicis, debes mihi, quia promisisti mihi; tu nihil dedisti, & tamen exigis. Bonitas enim eius qui promisit dabit: ne in malitiam fides conuertatur. Qui autē fallit, malus est. Deo autem nunquid dicimus, redde mihi, quia dedi tibi? Quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab ipso habemus? nihil ergo ei dedimus. Hoc ergo modo possumus exigere Dominū Deum nostrum, vt dicamus. Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti: & hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti. Vide enim quæ tibi prior dederit Deus, quid tibi fecit, cum prædestinauit te, qui nondum eras. Nempe quod dicit Apostolus, *qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* *Rom. 4.* Si jam esses, non prædestinareris: nisi auersus esses, non vocareris; nisi impius esses, non justificareris: nisi terrenus esses & abjectus, nō glorificareris. Quid ergo reddimus? *Ipsi gloria*, quia non eramus, quando sumus prædestinati: quia auersi eramus quando sumus vocati: quia peccatores eramus, quando sumus iustificati. Pro ijs omnibus agam⁹ Deo gratias, ne simus ingrati. *v. 36.* *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorū Amen.* Religet nos religio vni ōnipotēti Deo. Quia inter mentē nostrā, qua illum intelligim⁹ Patrem, & veritatem, id est lucem interiorem, per quam eum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso & cum ipso veneremur, quæ forma est omnium quæ ab vno facta sunt, & ad vnum nituntur. Vnde apparet spiritualibus animis, per hanc formam facta esse omnia: quæ sola implet, quod appetunt omnia. Quæ tamen omnia neque fierent à Patre per Filium, neque suis finibus salua essent, nisi Deus summè esset, qui & nulli naturæ, quæ ab ipso bona esse possent, inuidit: & in bono ipso alia quantum vellent, alia quantum possent, vt manerent, dedit. Quare ipsum donum Dei cum Patre & Filio æquè incommutabile colere & tenere nos conuenit, vniusque substantiæ Trinitatem vnum Deum à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus: à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permissi sumus: principium ad quod recurrimus, formam quam sequimur, gratiam qua reconciliamur: vnum quo authore cōditi sumus, & similitudinem eius, per quam ad vnitatem reformamur, & pacem qua vnitati adhæremus. Hæc est res, qua sola frui debemus, Trinitas sancta: si tamen res, & non rerum omnium causa: si tamen & causa. Non enim facilè nomen, quod tantæ excellentiæ conueniat, inueniri potest: nisi quod melius ita dicitur Trinitas hæc vnus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ita Pater, & Filius, & Spiritussanctus, & singulus quisque horū Deus, & simul omnes vnus Deus: & singulus quisque horum plena substantia & simul omnes vna substantia. Pater tamen nec Filius est, nec Spiritus sanctus: Fili⁹, nec Pater est, nec Spiritus sanctus: Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius. Eadē tribus æternitas, eadem incōmutabilitas, majestas, potestas. In Patre vnitas, in filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitatisque connexio. Et tria hæc vnum omnia propter Patrem, æqualia propter Filium, connexa per Spiritum sanctum. Non ergo confusè accipiendum est, *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia:* nec dijs multis, sed *ipsi gloria in sæcula sæculorū* amen.



LIBER SEPTIMVS

Caput 12.



OBsecro *itaque vos fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* *Sacrificij ex Augustino latior notio.* Verum sacrificium est omne opus bonū quod agitur, vt sancta societate inhæream⁹ Deo: relatum scilicet ad illum finem boni quo veraciter beati esse possimus. Vnde & ipsa misericordia, si non propter Deum fit, non est sacrificiū. Sacrificium enim res diuina est. Vnde ipse homo Dei nomine consecratus & Deo votus, inquantum mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est. Corpus etiam nostrum, cùm illud temperātia castigamus, quemadmodū debemus, & propter Deum id facimus, sacrificium est, ad quod hic nos Apostolus hortatur. Si ergo corpus quo inferiore tāquā famulo, vel tāquā instrumēto vtitur anima, cùm ejus rectus & bonus vsus refertur ad Deum, sacrificium est: quantò magis ipsa anima cùm se refert ad Deum, vt amoris ejus igne succensa formam concupiscentiæ sæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex pulchritudine ej⁹ acceperit: fit sacrificiū? Quod *vers. 2.* ipse Apostolus consequenter adiungens, *& nolite*, inquit, *conformari huic sæculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri; vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacēs, & perfecta.* Cùm igitur vera sacrificia opera sint misericordiæ, *Eccli. 30.* siue in nos ipsos, nam, *miserere*, inquit, *animæ tuæ placens Deo*; siue in proximos, quæ referuntur ad Deum: opera verò misericordiæ nō ob aliud fiant, nisi vt à miseria liberemur, ac per hoc vt beati simus: quod non fit nisi bono illo, de quo *Psal. 72.* dictū est, *Mihi autē adhærere Deo bonū est*: profectò efficitur, vt tota congregatio societasque sanctorum, vniuersale sacrificium offeratur Deo *Quibus modis mereamur voluntatem Dei nosse.* per sacerdotem magnum, qui etiam semetipsum obtulit in passione ꝓ nobis, (vt tāti capitis corpus essemus,) secundū formam serui: hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia in hac mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium. *Vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Tribus modis voluntatem Dei meremur cognoscere, vacando scilicet, & videndo, quoniam ipse est Deus: & firmissime credendo, quia omne verbū Dei verum est, (nisi enim credideritis non intelligetis:) & ipsum verbum Deique voluntatem pro viribus implendo. Est autem voluntas Dei alia bona, alia beneplacens, alia *Ose. 6.* perfecta. Voluntas Dei bona est, cùm impletur quod dicitur, *misericordiam volo & non sacrifi-*

tur. *Siue prophetiam secundùm rationē fidei.* Prophetia hæc, ipsa est, quam docet Paulus Apostolus: non illa, quæ dicit, *Hæc dicit Dominus.* Nam *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Non quòd Prophetæ & post non fuerint, futura prænuntiantes, secreta propalantes, absentia denūtiantes, vbi & quando placuit ei, cujus sunt ipsę donationes.: sed tempore gratiæ, postquā totum quod à Prophetis prophetatum est, effulsit, jam prophetia illa in ordine miraculorum est: cùm justa *cium*: scilicet cùm in operibus misericordiæ hilares nos exhibemus, & promptos in corporalibus exercitijs, ijs, quæ ad Deum sunt: bene placens, cordis munditia: perfecta, cùm & actu & affectu deformamur sæculo, & conformamur Deo. Porrò in corporalibus exercitijs rationale exigitur obsequium: in puritate cordis nouitas spiritualis sensus, in nullo seruiēs vetustati carnis vel literæ. Rationabile verò obsequium est, sicut exhibuim⁹ membra nostra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibere mambra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem. Per hoc enim meremur sensus nouitatem, & spiritus intelligentiæ gratiam percipimus: per quod ad similitudinem Dei proficimus, & ejus recuperamus imaginem, quam contraria agendo ex parte amisimus: non enim totā; quia si totam amisissemus, nihil maneret, vnde diceretur, *quamquam in imagine pertransit homo, verumtamen vanè conturbatur.* Si autem nihil omnino de ea amisissemus, non esset vnde diceretur, *reformamini in nouitate sensus vestri.* Non autem reformare seipsam potest anima, sicut potuit deformare. Nemo enim potest esse continens, nisi Deus det. Reformatio autem hæc in duobus constat, in prohibitione & iussione. Generalis prohibitio est, *non concupisces*: generalis iussio est, *diliges*: hoc ipsum est non conformari sæculo, & conformari Deo. Illud enim pertinet ad non concupiscendum, hoc ad diligendū. Illud ad continentiam: hoc ad justitiam. Illud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo vetustate expoliamur: diligendo nouitate induimur. Quod implebit in nos charitas Dei, quæ diffūdetur in cordibus nostris: non per nos, sed per Spiritū sanctum qui datur nobis. Cum ergo cohibitæ fuerint affectiones ab amore sæculi, completumque fuerit in nobis, non conformari sæculo, statim sequetur innouatio in nouitate sēsus nostri: nec iam erimus secundum genus tamquam imitantes proximum, & ex hominis melioris authoritate viuentes: neque enim dixit Deus de homine, fiat homo secundum genus: sed *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: sed vt nos ipsi incipiamus aliquando probare, *quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Mente quippe renovatus & conspiciens intellectam voluntatem Dei, homine demonstrante nō indiget, vt suum genus imitetur: sed ipso Deo demonstante probat ipse, quæ sit voluntas Dei, bonum beneplacitum eius. *Dico enim per gratiā quæ data est mihi.* Quod, inquit, vobis dico; non per humanam dico sapientiam: sed per gratiam quæ data est mihi. Alij enim datur sermo sapientiæ; alij sermo scientiæ. Sermo scientiæ, vt quod dicitur pateat, vt placeat: sermo sapientiæ, vt sapiat, vt moueat: etsi inquit, imperitus sermone, sed non scientia. Constat ergo, Apostolum sermonis sapientiæ & scientiæ accepisse gratiam: in ornatu verò verborum imperitum se confitetur. Prædicatio enim veritatis, vbi in veritate & gratia agit, habitum omnem loquentis, vultum vocem, verba, in propria & manifesta quædam format instrumenta: vt palam fiat quod Dominus dicit; *non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Magna enim distantia est loquentis per sapientiam verbi, & loquentis per gratiam: & longe impar efficacia. Vnde & hic auditores à vanitate sapientię sęcularis cohibens: *non,* inquit, *plus sapere, quā oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem.* Loquitur enim superbis ramis oleastri, quibus supra dixerat. *Noli altum sapere, sed time.* De verbo quippe doctrinæ, de profundiori scientię ratione, qui non accepit gratiam, & quærit jactantiā, cùm minus sapiat, plus vult sapere, quàm oportet. *Sed sapere ad sobrietatem.* Virtus peccato cōtraria est: & quicquid virtus non est, peccatum est. Sed & si quid virtuti vel additur vel minuitur: iam & illud secundum antiquorum philosophorum sententiam, peccatum est. Græcus non *sobrietatem* hic habet, sed *temperantiam*; vt in omnibus quæ agimus, vel dicimus, vel sentimus, temperantiam teneamus. *Et vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Ecce apertam cōfessionem illius gratiæ, quam vehementer commendat Apostolus: qui etiam mensuram fidei, sine qua impossibile est Deo placere; ex qua iustus viuit; quæ per dilectionem operatur; ante quam & sine qua nulla omnino cujusquam opera bona sunt existimanda, (quoniam omne quod non est ex fide peccatum est:) Deum dicit vnicuique partitum. Nam *diuisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus.* Constat enim sine Spiritu sancto Christum nos diligere, & eius mandata seruare non posse: & id nos posse vel agere tantò minus, quantò illum percepimus minùs: tantò autem ampliùs, quantò eum accepimus ampliùs: proinde non solum non habenti, sed & habenti promittitur. Solus vnigenitus non eum accepit ad mensuram: in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Quod vnigenitus filius est ęqualis patri, non est gratiæ sed naturæ: quod autem in vnitatem personæ vnigeniti assumptus est homo, gratiæ est, non naturæ. Cæteris autem ad mensuram datur: vnicuique sicut partitur Deus mensuram fidei. Neque enim ipse diuiditur Spiritus, sed dona per Spiritum. Vnde & subditur. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem mēbra non eundē actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autē alter alterius mēbra.* Mensuras sibi positas egredi nititur, qui posse plusquam acceperit conatur. Sed in præcipiti pedem porrigit: qui mensurarum suarum limitem non attendit. In ipsa enim corporis positione instruimur, & nimis turpe est non imitari ꝙ sumus. Pes quippe videt per oculū: & oculi per pedem gradiuntur: sicq; omnia mēbra sibi mutuo suffragantur, & eo quo sibi inuicem cōgruunt, vnum fiunt. Vnde & sequitur. *Singuli autem alter alterius membra.* Quod vt fiat, habentur ad hoc dona differentia. *Habentes donationes secundùm gratiam quæ data est nobis, differentes.* Donationes istæ doni sunt, id est Sācti Spiritus, à quo dantur, & datæ adduntur: donec vnicuiq; pro modo suæ perfectionis propria mensura cōpleatur. Differentes autem sunt differentibus: vt ex diuersitate membrorum vnitas corpori ædifice-

Marginal notes: Luc. 16. — Prophetia dupliciter sumitur. — Rom. 6. — Imaginem Dei ex parte amisimus. — Psal. 38. — Sap. 8. — Reformatio est, non concupiscere & diligere. — Gen. 1. — ver. 3. — 2. Cor. 11. — Luc. 12. — Vers. 3. — Humilitatis præceptum. — Rom. 11. — Σωφροσύνη. — 1. Cor. 12. — ver. 4. & 5. — ver. 6.

eam causa non exigit, non appetenda; donanda tamen à donatore donationum, quando & vbi judicauerit ipse necessariã. Hęc autem prophetia est, de qua idem Apostolus dicit. *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationẽ*, ad exhortationem, & consolationem. Et certè numquid non prophetia est, vbi prædicatur contemptus præsentium, appetitus futurorum? Vnde & apud Eliam & Eliseum filij prophetarum propheticam vitam ducere dicebantur: quam nunc eremiticam appellamus. Hæc siue in Ecclesia, siue in æremo, si rectè agatur, seu in docendo, seu in modo viuendi, in capite donationum est: si verè secundum Analogiam fidei, hoc enim græca habet interpretatio, exerceatur. Sed sæpe inuentæ sunt & pestilentiæ in chatedris Ecclesiarum, & in eremo cauernæ aspidum; dum appetunt sapere aliquid, plusquam oportet sapere: nec incedunt secundum analogiam, id est, rectam fidei regulã, & piam Ecclesiæ sobrietatẽ. Est etiam prophetia discretio spirituũ, & in scripturis sensuum cognitio occultorũ: & vt habeat vnde proferat de bono thesauro cordis in tempore noua & vetera. In doctrina verò, quæ sequitur, simplex ædificatio intelligenda est: in exhortatione autẽ, moralis & benigna institutio.

1. Cor. 14.

3 & 4. Reg.

v. 7. & seq. Post prophetiam ponitur *ministerium*: quia sicut illa in spiritualibus, sic & illud necessarium in temporalibus est. *Qui tribuit, in simplicitate*; id est in simplici tribuat caritate, nihil extra requirens. *Qui præest*, præsit *in sollicitudine*, non sæculari, sed de qua item dicit Apostolus, *mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Et exponens quæ illa sit, *quis*, inquit, *infirmatur & & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego nõ vror? Qui miseretur:* opus misericordiæ suæ venustet hilaritatis gratia. Docere & exhortari ad prophetiam videtur pertinere: administerium verò, tribuere in simplicitate, præesse in solicitudine, misereri in hilaritate. Quæ sequuntur cõmunia sunt. *Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono.* Notanda tamen est in his sãctæ puritas institutionis. In dilectione simplex requiritur affectus: nec sufficit diuertere à malo & facere bonum; nisi & odium sit mali, & amor boni. In eo verò quod sequitur, *charitatem fraternitatis inuicem diligentes*, attende sensum Apostoli de suo sensu cæteros instituentis. Quid enim est charitas fraternitatis, nisi charitas charitatis? Quid est diligere charitatem fraternitatis, nisi diligere dilectionem dilectionis? Sic omnino est. Si fratres verè diligimus: & fratres, & ipsam fraternam dilectionẽ in nobis diligim⁹. Duo quæ sequuntur, ad eius dilectionis spectãt disciplinam: vt honor altervtrum præueniens prouocet mutuam charitatem: & solliciti sint in corde, nec pigri in opere. In obsequijs eiusdẽ

2. Cor. 11.

v. 11. & 12. charitatis, *spiritu feruentes, domino seruientes*. Id est cum feruore spiritus Domino seruientes. *Spe gaudentes*, & ideo, *in tribulatione patientes*: & propter hoc ipsum *orationi instantes*. Instandum enim est orationi, ne eã vel inimicus præripiat, vel negligentia amittat. *Necessitatibus* omnium subuenientes, sed *sanctorum* etiam *communicantes*: vt si necesse fuerit, necessitatem etiam cum

v. 13. & seq. ipsis patiamini. *Hospitalitatem* non solum exhibentes, sed & *sectantes*: quia etiam cogendi & trahendi sunt hospites. *Benedicite persequentibus vos: benedicite* ore, *& nolite maledicere* corde. *Gaudere cum gaudentibus*, de bono profectu bene gaudentium: *flere cum flentibus*, ex compassione charitatis fraternæ in pœnitentiam peccatorum. *Idipsum inuicem sentientes*, & propter hoc ipsum *humilibus consentientes*. Non colloquentes, sed consentientes: quia sensus ipse humilitatis induendus est: hoc autem fieri non potest, si fueritis *alta sapientes*. Notandum, quia in ijs quæ communia sunt, dixit sentientes, in eis verò quæ alta & super cæteros sunt, sapientes: quia suauiter sapere solet in corde superbientis, quicquid adinuenire potest ad ostensionem singularis altitudinis. Quod eis accidere solet, qui magni sunt in oculis suis, de quibus & subditur. Vanitas & superbia.

Nolite prudentes esse apud vosmetipsos. In ijs omnibus, vel pro ijs, siquis mali aliquid vobis intulerit, nulli sitis *malum pro malo reddentes. Prouidentes bona non tantum coram Deo: sed etiam coram omnibus hominibus*. Conscientiam quippe debemus Deo: famam proximo. Quod autẽ dicit *omnibus*: significat, quia & eis qui foris sunt, exemplum bonum debemus. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Difficile enim erat, vt si corrigerent omnia, quæ corrigenda essent: cum omnibus hominibus pacem haberent. Sed aliquando dissimulando quædam, sic quærenda est pax exterius vt à pace Dei nõ recedatur interiùs. *Non vos metipsos defendentes carissimi*. Carissimos quasi blandiendo appellat, vbi ad humilitatem & patientiã propensiùs eos invitat. Deo enim reseruare vindictã suã dulce habet sanctaanimæ simplicitas: ne si defendere semetipsã moliatur, & exercitiũ patiẽtiæ amittat; & contra flagellũ Dei aliquando agere inueniatur. *Sed date locum iræ*. Iræ locum dare est irato nõ resistere: sed se suaque omnia furenti exponere. *Scriptum est enim. Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus*. Persecutores nostros optare debem⁹ corrigi potiùs quàm puniri: in quos si in hoc seculo iudicatur, non debemus delectari pœnâ inimici quẽ non odimus: sed iustitiã Dei quem amamus. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: & si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens; carbones ignis congeres super caput ejus*. De inimicis dicunt aliqui, quia sufficit non odisse: sed debitores sumus & diligere, quia præstant, dicente Domino. *Beati qui persecutionem patiuntur*. Qui verò ideo benefacit inimico, vt carbones ignis congerat super caput ejus; idest vt confundat tantum, & ipse inimicus est. Sed simpliciter & bono animo faciamus quod nostrum est: & sequetur, vt erubescant, forsitan & conuertantur. Quod etsi non fit in corde ejus, cui fit: debet tamen esse in intentione ejus qui facit. Quod faciendo si perseuerauerit, non vincetur à malo vt ipse mala intentione fiat malus, & duo sint mali: sed vincet in bono malum, & erunt duo boni.

Vers. 16.

Vers. 18.

Vers. 19.

Dare locũ iræ est irato nõ resistere.

Vers. 2.

Matth. 5.

Quid sit carbones cõgerere super caput inimici.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Caput 13.
Qui in potestatibus sunt, si boni sunt, nutritores Vers. 1.
nostri sunt: si mali tentatores nostri sunt. Sed & nutriri amemus, & tentari nõ refugiamus. Vtrique enim à Deo sunt. Sicut ergo Deo subditissimus: Non sicut hominibus. Subjectio ista dilectione est: sed sicut dilectionem debẽt de potestate terrentibus qui timent: sic & timentibus debitores se esse sciant dilectionis, qui terrent. *Quæcunq; ergo potestates sunt à Deo ordinatæ sunt*. Malitia hominum propriam cupiditatem nocẽdi habere potest: potest[illegible]em autem nocendi, nisi desuper data fuerit habere non potest. Da-

tur

tur autem nonnunquam potestas iniquis, sed Deo ordinante: vt & iustorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur.
vers. 2. *Qui ergo resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*
Non est parendum homini malũ præcipienti.
Si tamen potestas iubet quod Deus prohibet: ibi Christianæ sperne potestatem. Ista enim minatur pœnam, illa gehennam.
vers. 3. *Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum.* Si bonũ feceris, & bona fuerit potestas, habebis laudem ex illa, ipsa iudicante: si mala fuerit, etiam afflictus, etiã
vers. 4. peremptus, habebis laudem ex illa sæuiente. *Si autem malè egeris, time. Non autem sine causa gladium portat.* Aliquando enim timendum est: scilicet cum pœnã meretur mala conscientia. Malum enim est peccare: sed pessimum est, in peccato nec pœnam timere. Iudex enim mundi maximam partem implet legis Dei, minister in hoc existens, vt crimina, quæ vindicari non vult per Antistites & principes Ecclesiæ, per illius ministerium vindicentur. Vnde & dicit. *Dei enim*
vers. 5. *minister est. Ideo necessitate subditi estote*, quia sic vult, qui sic ordinat. *Non solum propter iram: sed & propter conscientiam.* Non tantum, vt offensionem hominum deuitemus: sed vt etiam ad Deum qui sic ordinauit, bonam conscientiã habeamus. Sicut enim irasci non sine peccato est:
vers. 6. sic nec iram prouocare. *Ideo* authore ipso Domino, cùm sitis filij & liberi, etiã *tributa* soluitis: sed *præstatis*, recepturi ab eo, cujus præceptum & exemplum in hoc tenetis. *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes*: & seruientibus sua stipendia debentur. Vnde & ministros euangelij præcepit Dominus de euangelio viuere.
vers. 7. *Reddite ergo omnibus debita.* Quibus hoc dicit Apostolus? Vtique eis, qui quasi fiducia christianæ sanctitatis & libertatis euasisse se putabant seruitutem publicæ vanitatis: cui seruit creatura & volens & non volens. Non volens, quia suspirans ad gloriam filiorum Dei, ad expectationem beatæ libertatis suæ: volens autem, propter eũ, qui subiecit eam in spe: vnde etiam secundum consiliũ Apostoli, & si potest liber fieri, magis vtitur. *Reddite ergo*, inquit, *debita*, sicut debitai præstatis, si fideliter redditis; quia ipsum debitorem facitis vobis, pro cuius obedientia debitores esse non renuitis. *Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Quicumque filius regni est, quamdiu in mundo est, incola est super terram, incolens terram alienam. Hospitalis verò terræ leges velle violare; hoc est hospitij iura velle temerare. *Cui honorem, honorem, cui timorem, timorem.* Stupidæ dementiæ est, quasi pro sanctitatis arrogãtia nullum velle timere: vanissimæ verò superbiæ est, nullum velle honorare.
** forte humanitati.* Sublimitati potestatis debetur timor, vtilitati honor, humilitati* benevolentiæ amor. *Nemini quicquam debeatis; nisi vt inuicem diligatis.*
vers. 8. A sublimioribus potestatibꝰ ad socialis vitæ gratiam transiens, sicut in lege mundi quodcumq; debetur, jubet reddi: sic in lege charitatis legis peritus Dei decernit nihil deberi, præter solum debitum charitatis: quod quãtò plus redditur, tantò plus debetur; & reddendo plus habetur. Nam qui diligit, debitorem eum facit, quem diligit. Ipsa etiam dilectio exigit debitum: vt fraternæ charitati seruientes, eum qui se adiuvari rectè velit, in quo possumus, adiuuemus, semper existentes debitores charitatis. Debetur enim, etiamsi reddita fuerit: quia nullum tempus est, quando impendenda non sit. Ipsaque efficit fideliter reddita, vt præter eam nihil debeamus. Vide, quomodo per charitatem omnia redigit in vnitatem. In fide quippe Christi non est distãtia Iudæi, non Græci, non serui, non liberi, nõ principis vel subiecti: in quantum omnes fideles, omnes vnum sunt in Christo Iesu. Et si hoc facit fides, per quam in hac vita iustè ambulatur: quantò perfectiùs atque cumulatiùs id species ipsa factura est, cùm videbimus facie ad faciem? Nam nunc quamvis primitias habentes spiritus, qui vita est propter iustitiam fidei; tamen quia adhuc corpus mortuum est propter peccatum, differentia ista vel gentium, vel conditionis, vel sexus, iam quidem ablata ab vnitate fidei; sed manens in conuersatione mortali: eiusque ordinem in hujus vitæ itinere seruandum esse, & Apostoli præcipiunt. Qui etiam regulas saluberrimas tradunt, quemadmodum secum viuant, pro differentia, vel gentium vel conditionum: & ipse Dominus prior præcepit. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* *Matth. 22.*
Deinde verò ad socialis vitæ communẽ & mutuam venit dilectionem: quam intantum laudat & approbat, vt in sola dilectione proximi totam legem dicat impleri, sic enim dicit. *Nemini quicquam debeatis; nisi vt inuicẽ diligatis.* *vers. 8. & 9.* *Qui enim diligit proximum: legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Quæri autem potest, cur Apostolus solam commemorauerit dilectionem proximi, qua legem dixit impleri. *Cur solius dilectionis proximi hic mentio fiat.* Cur, nisi quia dilectionem Dei possunt homines mentiri, quia rariores tentationes eam probant: in dilectione autem proximi faciliùs eam conuincuntur non habere, cùm iniquè cum hominibus agunt? Consequens autem est, vt qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit; diligat & proximum, tamquam seipsum: quia hoc jubet ille, quem sic diligit. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deũ; ad seipsum conuersus, ne ad incommutabile aliquid conuertatur: & propterea jam cum defectu aliquo se fruitur: quia melior est, cùm totus hæret atque constringitur incommutabili bono; quàm cùm inde vel ad seipsum relaxatur. Si ergo te ipsum non propter te debes diligere, sed propter illum, vbi dilectionis tuæ rectissimæ finis est: non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis; hæc enim regula dilectionis diuinitus constituta est. *Diliges*, inquit, *proximum tuum, tamquam te ipsum.* *Deutero. 6.* *Quid sit Deum diligere ex toto corde, &c.* Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, diligere debemus: vt omnes cogitationes nostras, & omnem vitam, & omnem intellectum, in illum conferamus, à quo habemꝰ ea ipsa, quę conferimus. Cùm autem ait, toto corde, tota anima, tota mente: nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt re alia velit frui. Sed quicquid aliud diligendum occurrerit, totò illuc animo rapiatur; quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè diligit proximum: hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse hoc modo diligat Deum. Sic enim eum diligens, tamquam seipsum, totam dilectionẽ sui & illius refert in illam dilectionem

Dei, quæ nullum à se riuulum extraduci patitur, cujus deriuatione minuatur. *Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Proximum omnem hominem oportet intelligi. Quia nemo est, cum quo operandum sit malum. Quis autem malum facit ei, quem diligit? Dilige, nec potest fieri, quin bene facias ei quem diligis. Forte corripis, amor hoc facit, nō sæuitia. Forte cædis, ad disciplinam hoc facis: quia amor ipsi⁹ dilectionis non te permittit negligere indisciplinatum: & fit quodam modo diuersus fructus, & contrarius; vt aliquando odiū blandiatur, & amor sæuiat. Nullum ergo charitas operatur malum; operatur autē omne bonum. Quia *plenitudo legis est charitas*, qua Deus proximusque diligitur. In quibus duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Meritoque fit omnium reus, qui contra illam facit, in qua pendent omnia: nemo autem peccat, nisi contra illam faciendo. *Plenitudo ergo legis est dilectio*; nō illa, qua se diligunt homines: sed illa quam Dominus ab alijs dilectionib⁹ discreuit dicēs. *Sicut dilexi vos.* Vt quid enim Christus Dominus nos dilexit: nisi vt possimus cum ipso regnare? Ad hoc ergo vt legem impleamus, dilectionē nostrā discernamus à cæteris, qui non ad hoc se diligūt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt; ipsi se diligunt. Ergo vt se diligant, Deum diligant. Non est hæc dilectio omnium: pauci sunt, qui ideo se diligant, vt sit Deus omnia in omnibus. *Et hoc scientes, quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cum credidimus.* Hactenus in morali institutione versatus, nunc jam rem accelerat; vrgetque negotium: arguēs desides, & quasi dormitantes excitans, & ingerens temporis rationē, quod in rebus omnibus summum est. Nemo enim somnolentus ac piger est, quem aduenientis diei claritas non excitet, & cuius desidiā orientis solis splendor non arguat, si dormitātem inuenit. Intelligentia & amor, sensus animæ rationalis sunt. Vigilant, in quorum cordibus sensus isti Domino Deo suo vacant. Dormiunt vel dormitant, cùm in appetitum vel delectationem temporalium pigrescunt & languent. Quia ergo qui dormiunt, nocte dormiunt: die jam apparente dormitantes pulsat, vt euigilent, & dicit. *Hora est iam nos de somno surgere.* Quæ hora? Mane scilicet gratiæ, quando nox & tenebræ infidelitatis transierūt: & expectatur illa clarificatio, vbi manifestabūtur cogitationes cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. In ista ergo peregrinatione positi, in hac luce fidei, quæ in comparatione tenebrarum infidelium dies est; sed in comparatione lucis, in qua videbimus facie ad faciem, nox est, à somno nobis surgendum est: futuræ vitæ vita nostra adaptanda, quæ nunc propior est, quàm cum credidimus: sicut & Dominus dicit. *Cùm hæc videritis fieri, scitote quia prope est regnum Dei.* Quia ergo amatores æternitatis & vnitatis esse debemus, qui vni Domino Deo nostro cupimus inhærere, à multitudine rerum nascentium, & morientium debemus animum conuertere. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: vt ambulemus honestè sicut in die ambulandum est.* Honestè enim ambulantes, in comparatione infidelium in die sumus. Quæ sint autem opera tenebrarum, quæ abjicienda sunt, quæ in luce fidei fieri non conuenit,

Vers. 10.
Proximus est omnis homo.
Matth. 22.
Ioann. 15.
Quinam vigilent vel dormiant spiritualiter.
Vers. 11.
Hora surgendi est tēpus gratiæ.
Luc. 21.
Vers. 12.

quæ manifestata lux veritatis redarguit, consequenter exponit dicens. *Non in comessationibus & ebrietatibus: non in cubilibus & impudicitijs.* Luxuriosa enim conuiuia comitari solet turpissima temulentia. Quæ quid consequenter aliud requirunt, quàm impudica & fœda cubilia? Quid nisi contētiones & æmulationes? Qui autē honestè sicut in die ambulant, faciunt quæ sequuntur. Cauent curam carnis facere in desiderijs; nihilque gerentes per contentionem & æmulationem, inducere festinant Dominum Iesum Christum; sapientiam scilicet & iustitiam & sanctificationem, cæterasque virtutes: quas qui duxerit in affectum, Dominum Iesum creditur induisse. Hoc enim sequitur. *Et carnis curam ne feceritis in desiderijs.* Agenda autem est cura carnis, sed nō in desiderijs: fames & sitis morbi quidam sunt; & sicut febres necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ cum præsto est, ex consolatione munerum Dei, infirmitati nostræ cælum & aqua & terra seruiunt: calamitas delitiæ vocantur. Docet autem temperantia, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturi accedamus. Sed dum ad quietē satietatis ex indigentiæ molestia transimus; in ipso transitu insidiatur nobis laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est; & non est alius, qua transeatur, quò transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi, adiungit se tamquā pedissequa periculosa iucunditas, & plerumq; præire conatur: vt eius causa fiat, quod salutis causa fieri putabatur. Nec idem modus vtrique est. Nam quod saluti sat est, voluptati parum est. Et sæpe incertum fit, vtrum necessaria adhuc cura corporis subsidium petat: an voluntaria cupiditas fallaciæ ministerium subpetat. Et ad hoc incertum hilarescit infelix anima: & in eo parat excusationis patrocinium, gaudēs nō apparere, quod satis sit moderationi valetudinis; & obtentu salutis obumbrat negotium voluptatis. Non enim prohibemur carnis curā gerere: exceptis eius desiderijs, quibus qui succumbunt, miserè viuunt. Qui autem contra ea bellum susceperunt; non habituri sunt pacem, quamdiu caro concupiscit aduersus spiritum. Sequitur. *Infirmum autem in fide assumite.* Postquam in curam carnis desideriorum petulentiā compescuit, etiam continentiæ necessarium præscribit modum, eis qui ex Iudæis & Gentibus in vnam congregati Ecclesiam, diuisionem facere videbantur, propter ciborum diuersitatem. Propter quod etiam orientia inter eos scandala, & temeraria in alterutrum cohibens iudicia, in pacis eos reformat vnitatem. Iudæi enim, quia jā coruscante euangelio cibis in lege prohibitis abstinebant, nec à prisca legis consuetudine tam citò poterant auelli, iudaïzare credebantur à Gentibus: Gentes vero liberiore fidei fiducia omnia cum gratiarū actione percipientes, nec etiā idolothytis pro conscientia fidei temperātes; in conscientia idoli edere ea ab infirmioribus, & maxime Iudæis, æstimabantur: & hoc modo scissuras facientes, & inuicem iudicantes, vnitatem diuidere videbantur: docet pro pacis studio vnumquemque adhuc suo sensui relinquēdum: quia tolerandum nonnumquam est, in quo conscientia aut nihil aut parum læditur, ne incidatur in illud, in quo salus periclitetur. Ideo infirmum in fide, & circa discretionem ciborum languentem, assumendum esse mandat, non

Opera tenebrarum.
Vers. 13.
Vers. 14.
Caput 14.
Vers. 1.
Diuisio fidelium ob cibos idolis immolatos.

abijciendum: id est, verbo & exemplo & patientia ad meliora prouocandum. Vetat etiam disceptari de alienis cogitationibus; quandiu quod fit, quo animo fiat, pro mortalis hujus vitæ cœcitate manet occultum. *Alius enim*, id
Vers. 2. est firmior in fide, *licitum sibi esse credit comedere omnia*: alius mensuram hanc fidei necdum attingens, non hoc sibi licitum arbitratur. Relinquatur ergo sibi interim: *manducet olus*, cõmunes cibos percipiat: donec vsu & profectu
Vers. 3. fidei ad meliora convalescat. *Et qui manducat, non manducantem*, quasi Iudaïzantem, *non spernat: & qui non manducat, manducantem non judicet*, quasi qui in conscientia Idoli manducet idolothyta, vel ex vitio incõtinentiæ, lege prohibita. Siue enim manducantem siue non manducantem, *Deus illum assumpsit*: cui ipse, siue manducandi siue non manducandi in causa est. Sciendum autem de vsu ciborum nec in abstinẽdo, nec in manducando, esse iustitiam: sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & temperantiã per abundantiam non se corrumpendi, atque oportunè sumendi vel non sumendi ea, quorum non vsus, sed cõcupiscentia refrenanda est. Non enim interest omnino, quid alimentorũ sumas, vt sucurras necessitati corporis: dummodo cõgruas in generibus alimẽtorum ijs, cum quibus tibi viuendum est. Neque quantum sumas interest, cùm videam᷉ aliorum stomachum citiùs satiari, & eos tamen ipsi paruo quo satiantur, ardenter & intolerabiliter, & omnino turpiter inhiare. Alios autem plusculo quidem satiari, sed tolerabiliùs inopiã perpeti; & vel ante ora positas epulas, si in tempore aut opus sit, aut necesse, cum tranquillitate aspicere, nec tangere. Magis ergo interest, non quid, vel quantum alimentorum pro cõgruentia personæ suæ, & pro suæ valetudinis necessitate quis capiat: sed quãta facilitate & serenitate animi careat his, cum oportet, vel etiam necesse est, carere: vt illud in animo Christiano compleatur, quod dicit Apo-
Philip. 4. stolus. *Scio abundare, scio & penuriã pati.* Non
Num. 11. sic illi, qui concupierant carnibus vesci; quibus pluebat manna de cœlo. Fastidiebãt quippe ꝙ habebant, & quod non habebant impudenter petebant: quasi non meliùs peterent, non, vt cibus qui deerat indecenti desiderio præstaretur, sed ille qui aderat sanato fastidio sanaretur. Quãdo enim nos delectant mala, & non delectãt bona: rogare potiùs debemus Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala. Non quia malum est carne vesci: cum omnis creatura Dei sit bona. Sed quia non parua erat offensio, repudiare quod dabat sapientia, & petere in quod inhiabat concupiscentia: quamvis illi nec peterent, sed quia deerat, murmurarent. Sed vt sciremus, non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatem: non propter porcum, sed propter
Genes. 3. & 25. pomum mortẽ primus homo inuenit. Nec propter gallinam, sed propter lenticulã, Esau primogenita sua perdidit. Cavendum ergo in hujusmodi temerarium iudicium. Vnde & subdi-
Vers. 4. Non omnia judicia prohibentur. tur. *Tu quis es, qui judicas alienum seruum?* Iudicare enim ponitur hic pro damnare, vel malè æstimare. Non quod omnia iudicia fidelibus Apostolus interdicat, cùm per illos alibi dicat mundum & etiam Angelos iudicandos: sed de occultis iudicare periculosum esse denunciat. Duo enim debet cavere omnis, qui in hujusmodi judicat: cùm vel causa latet, vel nescitur qualis futurus sit, qui judicatur; & in præsenti forsitã iustè videtur iudicandus. Hoc autem non attendunt, qui fratrem suum non corrigere amant, sed carpere. *Suo* inquit, *Domino stat, aut cadit.* Vers. 4.
Stabit autem, potens enim Deus est statuere illum. Ne sibi arrogaret perseuerantiam, qui stat; ideo additum est, *potens est Deus statuere illum.* Qui ergo dat perseverantiam, potens est statuere eos qui stant, vt perseverantissimè stent: vel etiam restituere eos qui ceciderunt. *Nam alius judicat* Vers. 5.
diem inter diem: alius judicat omnem diem. Tu, inquit, quis es, qui judicas alienũ seruum? Homo an Deus? Alius enim est, id est, homo qui judicat diem positum inter diem præteritum & diem futurum; hoc est de præsenti tantum iudicare habet facultatem. Alius est, Deus scilicet, qui iudicat omnem diem: qui scit de eo qui peccat, ãte peccati casum qualis fuerit studij & voluntatis; in peccato cujus intentionis; post peccatum cuius futurus sit conversionis. Cui autem de peccato peccantis hæc est sciẽtia, ipsi de peccante iudicãdi relinquenda est sentẽtia. Sciendum tamen, quia de eis, quæ vniᵘˢcujusque subdita debent esse arbitrio, & de eis quæ nesciuntur, timendum est præcipitare iudicium: in illis verò actibus, in quibus manifeste Deus offenditur, periculosum est iudicium differre: nisi forte quis eadem faciens, fiduciam amiserit arguendi, & dicatur ei, *eyce primum trabem de oculo tuo: & tunc valebis eycere festucam de oculo fratris.* Neuter ergo iudicetur ab altero: sed qui Deum sentit in opere suo, in sensu suo abundet, id est, in Deo. *Qui enim sapit diem*, id est qui sapit opus diurnæ conscientiæ, *Domino sapit*: id est, dulce quid ei sapit in Domino sua continentia: *& qui manducat, Domino manducat*, dum manducans ex fide authorem fidei suæ Deum glorificat. *Ergo & qui manducat, & qui non mãducat, vterq; Domino vel manducat vel non manducat*: quia vterque gratias agit Deo. Vterque Domino agit, quod agit, quia in laudem ejus agit. Tunc enim piè, tunc rectè, tunc iustè fit opus bonum: cùm in ejus laudem fit, à quo donatur vt fiat: in quo affectu quisque proficiens, quicquid facit, Domino facit: hoc est in laudem eius facit, à quo accepit vt faceret. Vnde est gratiarum actio, quæ intimo fidelium ministerio celebratur. *Nemo enim sibi viuit, & nemo sibi moritur. Sine enim viuimus, siue morimur; Domini sumus.* Siue enim viuimus, siue morimur; nemo sibi viuere debet vel mori: sed ad ejus gloriam, cuius sumus; cui & viuentes seruimus, & morientes non erimus. Si enim nunquam ipsius non eris, qui nunquam à laude ejus cessabis: timere poteris, ne dum hic viuis, ipsius eris: cùm verò fueris mortuus, ipsius non eris? Sed Apostolus dicit, quia *siue viuimus, siue morimur, Domini sumus*: quia pretio sanguinis sui nos redemit. Et mortuus quomodo perdit seruum mortuum, cuius mors est pretiũ tuum? Ideo cùm dixisset, siue viuimus, siue morimur, Domini sumus; vt ostenderet ipsum pretium, *ad hoc enim* inquit, *Christus mortuus est & resurrexit: vt & viuorum & mortuorum dominetur.* Non ergo tenere eum poterit regnum mortis, pro quo mortuus est in mortuis liber. *Tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut quare spernis fratrem tuum?* Ac si dicat, qui judicantem nos Dominum habemus; cur invicem iudicamus? Ea enim facta, quæ dubium

Luc. 16. Vbi Deus manifestè offenditur, non est judicium differendum. In Dei gloriam omnes actiones nostras referendæ. Vers. 7. Vers. 8. Vers. 9. Vers. 10.

est, quo animo fiant in meliorem partem interpretari debemus. Quod enim scriptum est, *ex fructibus eorum cognoscetis eos*; de manifestis dictũ est, quæ non possunt bono animo fieri: sicut sũt stupra, blasphemiæ, furta, ebrietates, & his similia: de quibus judicare nobis permittitur, dicente Apostolo. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? Nam de ijs qui intus sunt nos iudicamus.* De genere autem ciborum, quia possunt bono animo, & simplici corde sine vitio concupiscentiæ quicumque humani cibi indifferenter sumi: prohibet idem Apostolus iudicare eos, qui carnibus vescebantur, & vinum bibebãt, ab eis qui se ab hujusmodi alimentis temperabant. De talibus enim rebus, quæ possunt & bono animo & simplici fieri, quamvis possint etiam non bono, volebant illi, cùm homines essent, in occulta cordis ferre sententiam: de quibus solus Deus judicat. De eis ergo factis, quæ ignoramus quo animo fiant, quia & possunt & bono & malo animo fieri, temerarium est judicare; maximè vt condemnemus. Horum autem tempus veniet vt judicentur; cùm Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordium. Vnde & sequitur. *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim. Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Domino.* Tribunal Christi ipsa sapientiæ eius diuina potentia est; qua in se ipso sedens disponit omnia, & iudicat. Cui assistere, est subtili examinis ejus iudicio nihil posse latere. *Viuo ego, dicit Dominus.* Non est hæc iuratio, sed veritatis testificatio, ac si dicat. Sicut verè viuo, cui hoc viuere quod esse est, & à quo omnis vita est: sic verè dico: cui verè dicere, verè esse est, & à quo omnis veritas est. Hæc autem testificatio vitæ vel veritatis nulli conuenit, nisi ei, qui sic ex se ipso viuit, vt omnis etiam vita ex ipso sit: & qui sic est, vt quicquid verè est, ex ipso sit. In eo enim quod dicit, *ego*, intelligitur proprietas diuinæ essentiæ: in eo quod dicit, *viuo*, veritas essentialis vitæ. Flectitur autem ei omne genu; quia omnibus adoranda apparebit virtus potentiæ eius, cùm non erit qui se abscondat à calore eius: cùm omnibus erit manifestum, manifestos se esse, nec posse latere quemquam ad penetrantis omnia veritatis conspectum. Nam coram eo, qui solus verè est, hoc erit confiteri, apparere: quia nõ est, qui intantum esse desiit, inquantum delinquendo grauiùs ab eo defecit, à quo est, quicquid est. Qui ergo, ait, tam tremendo iudici præsentandi sumus; nõ temerè vlterius inuicẽ iudicemus. *Sed hoc potiùs iudicate*, id est iudiciali ratione discernite, & obseruate, *ne fratri*, siue ille Iudæus sit, siue Gentilis, praui exempli *offendiculum*, vel tristitiæ *ponatis* scandalum. Scandalon græcè, vel scandalum latinè pedis impactio est. Via nostra evangelica doctrina est, cuius finis Christus est: pes in hac via nos ferens affectio mentis est: qui naturaliter in anteriora tendit: sed cùm vitio præuaricatur, citò offendit. Sunt autẽ in hac via viatores, cęca superbia, videns inuidia, non videns humilitas, videns charitas. Malos enim & bonos via habet, sed finis discernit. Cæca superbia non videt quò eat, & duci dedignatur; inuidia sibi se videre existimans, omnes quos ipsa non duxerit, cùm nullum velit ducere, errare arbitratur. Ij in inuicem sæpe scandalizant & scandalizantur. Et sæpe sic offendunt, vt cadant: & cum ceciderint, rarò & difficile adijciant, vt resurgant. Non videns humilitas manum porrigit, vt ducatur; de qua & dicitur. *Maledictus qui coram cæco scandalum posuerit.* Videns charitas in proficiendo quasi minus ire eligit, vt illa non deseratur. Tales Apostolus esse volebat: quibus iustitiam, pacem, & gaudium in Spiritu sancto prædicabat. Ij enim omnimodis scandalizare cauent, nec facile scandalizantur. *Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Nihil commune per ipsum, id est, per fidem eius; nisi ei, qui fidem non habens, existimat quid commune esse, illi commune est: non quantum in natura, quam vtique Deus bonam creauit; sed inquantum commune, id est, immundum efficitur, non cum fide manducanti. Sicut enim idolothyta, quæ immũda erant, munda efficiebat fideliter sumentium conscientia: sic quæ munda erant infideliter sumentium æstimatio faciebat immunda. Hoc propter Iudæos, qui cibos per legem vetitos tangere recusantes, peccabant in non comedendo. Sequitur de Gentibus, quæ nihil interrogantes, & omnia etiam cum scandalo etiam infirmorum percipientes, peccabant in comedendo. Debebant enim Iudæi peccata vel vitia vitare, quæ per legem significatiuè in generibus ciborum vitare iubebantur: cibos autem gratia & fide dictante percipere, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione: gentes autem temperare à cibis per fidem quidem licitis, sed scandalũ facientibus fratribus infirmioribus in fide. In spe enim correctionis tolerandũ interim in Iudæis erat, quod longa legis consuetudine concretum non facile tam citò ab eis poterat avelli. A Gentibus verò intermittendum erat interim, quod quidem ex fidei libertate licebat, nulla, vel non magna vtilitate; non autem expediebat pro periculo perditionis fraternæ. Vnde & sequitur. *Si enim propter cibum tuum frater tuus contristatur: iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere: pro quo Christus mortuus est.* Debem⁹ siquidẽ pro necessitate congruã nonnumquam licita intermittere: illicita verò, nulla necessitate præcipimur committere. *Non ergo blasphemetur bonum nostrum.* Quod hoc est, bonum nostrum? Donum, quod proprium est discipulorum Christi; de quo ipse dicit. *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli: si dilectionem habueritis ad inuicem.* Sicut enim mutuæ charitatis signo discipuli Christi dignoscũtur: sic in neglectu charitatis, prima facie tota Christianæ religionis claritas offuscatur. Deinde Doctor mirabilis præsentis temporis culpas futuri sacramenti authoritate compescens, & vt Ecclesiæ formam statuat, regni cœlorum mysterium prodens, ait. *Non est regnum Dei esca & potus.* Ac si dicat. Quid tantopere de cibis agimus: qui ad regnum cœlorum festinamus? Vbi sicut non nubunt, nec traduntur ad nuptias, sic nec manducant nec bibunt: sed sunt similes Angelis Dei. Igitur absolutissimo dogmate, & euidenti, ab Apostolo sententia terminata est, in regno cœlorum neque escarum, neque potus vllã esse necessitatem; sed iustitiam & pacem. Et quia escas & potum gaudium comitari solet carnis; addit hic gaudium, sed in Spiritu sancto. Hæc in nobis hic regnum cœlorum operantur: in futuro verò eò nos perducunt, vbi hæc eadem cer-

Marginal notes: Matth. 7. — Beda in c. 6. Luca. — 1. Cor. 5. — 1. Cor. 4. — Vers. 11. — Vers. 13. — Deute. 27. — Cõmune hoc loco est immundum & prophanum. — Vers. 14. — Vers. 15. — Christus mortuus est etiam pro ijs qui pereunt. — Vers. 16. — Ioann. 13. — Vers. 17.

tiùs & firmiùs possidentur. Est autem iustitia in opere; pax in corde vel conscientia; gaudium in Domino. Hæc quicumque habet, iam regnum Dei intra ipsum est. *Qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo: probatus hominibus* in iustitia, in pace verò bene habitans secum. Ex affectu ergo pacis, qua intus fruimur, foris *quæ pacis sunt sectemur*: & ex affectu iustitiæ, *quæ ædificationis sunt, custodiamus*. Quid autem euidentiùs exigit iustitia: quàm vt propter escam non destruam' in fratribus opus redemptionis Christi? *Omnia quippe munda sunt: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat*: quia interioris iustitiæ conscientiam sauciat; dum vnde ipse reficitur, anima fratris periclitatur. *Bonum ergo est homini non manducare carnem; neque bibere vinum: neque in quo frater tuus offenditur, scandalizatur, aut infirmatur.* Carnem & vinum alterum Deus concupiscentiæ humanæ permisit: alterum concupiscentiæ ipsius curiositas adinuenit. Neutrũ quippe naturale est. Vnde cùm Dominus homines illos satiaret in deserto; de potu nec sermo habitus est: cùm præsto esset, quod naturale est, iuxta mare Tiberiadis. Bonum ergo est temperare, maximè ab his, quę non tam vitæ necessitas, quàm carnalis requirit concupiscentia; & in quibus frater offenditur, perturbatus quasi à fide volens recedere, nesciēs quid teneat, aut scādalizatus contristatur, aut infirmatus in fide, nō quidem recedit, sed dubitare incipit. *Tu fidem habes, habe penes temetipsum*, vbi à nemine tibi tollatur: habe etiam Deo, qui eam approbat; nō coram infirmo, qui scandalizatur. Hoc enim modo quæ pacis sunt sectamur. Filij enim sæculi, dum singuli, quæ sua sunt quærunt, pacem insectantur: filij verò regni cœlorum etiam fugientem cum periculo, cum labore, cum damno rerum, & nonnumquam etiam famæ, sectantur. Fide quippe vera & certa vbi omnes gentes per agnitionem fidei à contaminatione mundātur; ibi & omnis cibus verbo & oratione purgatur: sed quia quod bonum est, malum fit per offendiculum manducanti; ab eo quod licet, sed non expedit, temperetur. Sequitur. *Beatus qui non iudicat semetipsum, in eo quod probat.* Quod vnum est, ac si dicat. Beatus qui sic agit bonum suum: vt ex eo alij non fiat scandalum. Semetipsum enim in eo quod probat iudicat, & iudicabilem & damnabilē constituit: qui cùm, quod approbat amplectitur; infirmi fratris salutē negligit. Quod hic euitari non potest. Si enim firmus in fide credit manducare omnia; infirmus autem exemplo firmi manducat omnia; nec tamen fidem eius capit, cujus actum imitatur, qui comedit non ex fide, damnatus est: qui suo ad hoc exemplo eum compulit, in facto suo iudicatus est. *Omne enim quod non est ex fide, peccatũ est.* Non enim omnis actus tantum: sed omnis infidelium vita peccatum est. Vbi enim deest agnitio incommutabilis veritatis: falsa virtus est etiam in optimis moribus. Nam, sicut iam dictũ est, & sæpe dicendum est, & firmiter credendũ est, optima opera fiunt ab homine; fides autem fit in homine, sine qua nulla bona opera fiunt ab vllo homine: quia peccatum est, quicquid ex fide non est. Peccat ergo, qui non cũ fide manducat: semetipsum verò ille iudicat, cujus exemplo infirm' peccat. In suo enim genere curandũ est; quod ad melius interim perduci non potest.

Vers. 18.

Vers. 19.

Quod sit cōtra conscientiam, peccatum est.

Vers. 21.

Ioann. 6.

Vers. 22.

Vers. 23.

Vers. 24.

Vita infidelium peccatum est.

Caput. 15. *Debemus enim nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*; non vt semper sint, sed vt suo ordine curetur. Melius enim est vlcus perniciosum prius vngendo & palpando, lenire, quàm temerario impetu exulcerare: donec sapientis patientia medici ad hoc perducatur, vt sine periculo exulceretur. *Et non nobis placere.* Merces placentium sibi, ait quidam homo Dei, est ipsũ placere sibi: cùm neglecta fratrum charitate, nō eis placere appetunt in bonum, sed sibi ad propriæ voluntatis arbitriũ. Vnde sequitur. *Vnusquisque nostrum placeat proximo suo in bonum, ad ædificationem. Etenim Christus* cùm tempus vidit vniuersalis salutis ædificandæ, ꝑpter bonũ publicũ priuato *sibi* amore *placere noluit*, dicens. *Pater si possibile est: trāseat à me calix iste. Verùm tamē non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Deinde etiã *improperia improperantium* Deo Patri de passione ejus, cũ dicerent, *liberet eũ nunc si vult, dixit enim, quia filius Dei sum*, ceciderũt super eum: cũ fecerunt in eũ quæcumq; voluerunt. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiã & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Ideo enim ad commemorationem fidei nostræ, ad consolationem spei, ad exhortationem charitatis, libros Propheticos & Apostolicos legimus, alterutris sensibus sibi concinentes, & hac concinentia tanquam cœlesti tuba à torpore mortalis vitæ nos excitantes; & ad palmas supernæ vocationis prouocantes. Denique attendens omnia bona quæ habere possumus, siue in natura, siue in institutis, siue in moribus, vel virtutibus, ex dono Dei esse, & non ex nobis; sic conclusit orans. *Deus autem patientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum: vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Sicut enim ipse salus nostra est, quia dat salutem; refugium, quia ad eum refugimus: sic & Deus patientiæ est, & solatij, quia ex ipso patientes sumus, & non nisi ab ipso consolationē expectamus. Non enim ex Scripturis patientia vel consolatio: licet aliquando per Scripturas. Non enim ex ipso tantum patientia; sed sicut dicit Propheta, ipse est patientia nostra, ipse consolatio, qui amantem se consolatur, non nisi de semetipso. Quando enim consolatur ipsum; nisi quando dat ei sapere ad ipsum? Cùm autem in inuicem sapimus idipsum: quid tam bonũ, quid tam jucundum? Nonne hoc est habitare fratres in vnum? Hoc autem secundum Iesum Christũ, qui dixit. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Qui etiam bonæ radicis succum ramis insertis infundens: *sicut*, inquit, *dilexi vos*. Absit enim à discipulis Christi carnalis affectio, & amor omnis, qui non tendit in idipsum. Hæc autem omnia, *vt vnanimes* corde credentes ad iustitiam *vno ore* confitentes ad salutem, *honoretis Deum* omnia creantem, & inueterata per Filium innouantem, & instaurantem. *Luceant*, inquit, *opera vestra bona coram hominibus: vt videant, & honorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Hic est honor, quo honorandus est à nobis Deus. Ipse verò honor noster est, cui dicit Propheta. *Nimis honorati sunt amici tui*, Deus. *Propter quod suscipite inuicem; sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei.* Non enim diligemus inuicem: nisi suscipiamus inuicem. Suscipimus enim inuicem: cùm videmus fratrem nostrum necessitatem pati, & non claudimus viscera nostra ab eo: sed suscipimus eum in sinum charita-

V. 2. & 3.

Matth. 26.

Matth. 27.

Vers. 4.

Vers. 5.

Psalm. 70.

Ioann. 15.

Vers. 6.

Matth. 5.

Psalm. 138.

Quid sit suscipere inuicem.

tis. Suscipimus inuicem; cùm non judicat Iudæus Gentilem, vel Gentilis Iudæum: sed vnũ corpus & vnus spiritus efficimur in honorem Dei: sicut & Christus suscepit nos, neutrum repellens, neutrum reprobans ob notam generis sui. Vtrumque Christum suscepisse ostendit dicens. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis, propter veritatem Dei, ad cõfirmandas promissiones Patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum.* Venit enim vnus paries ex circũcisione, applicans se ad lapidem angularem: sed ille lapis angulum non faceret, nisi alium parietem ex Gentibus susciperet. Paries ex Iudæis propriè pertinet ad veritatem: vnde & dicit, propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum: iste autem ex Gentibus pertinet ad misericordiam; de quo item dicit, *Gentes super misericordia honorare Deum.* Sic ergo in Christo misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Non autẽ debitũ erat panem filiorũ tollere, & mittere canibus: nisi canes humiliati ad colligendas micas, quæ de mensa Dñi cadebant, per ipsamhumilitatẽ exaltati, atq; homines facti, ad ipsam mensã mererentur accedere. Porrò gẽti Iudæorum tantũ prærogauit honorem: vt inhabitaret in terra eorũ præsentię ei⁹ gloria. Ibi natus, ibi conversatus est;& inde cœpit prędicare: quia ex Sion species decoris ejus. Inde & Apostoli ad illos primùm missi. Ibi Patriarchæ; inde Prophetæ. Ibi veniens de semine Abrahæ manifestatus est: illis missus, illorum Apostolus, sicut ipse dixit. *Non sum missus, nisi ad oues domus Israël:* propter quod & Apostolus dicit eum *ministrum circuncisionis*, id est Iudæorum: *Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est. Propter hoc cõfitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo cantabo.* Per me, inquit Filius ad Patrem, confitebuntur tibi Gentes: & bonis eorum moribus latiùs innotesces. Confessio hæc laudis est: quod autem ait, *cantabo*, canticum novum est: quod ipse cantat in nobis, cuius gratia nos cantamus. Vnde & alibi, *cantantes*, ait, *in cordibus vestris Domino.* Intus enim est hoc gaudium: vbi vox amoris & cantat & auditur ab eo, qui ab ipsa voce laudatur. Canticum enim hoc est; gratis amare, toto corde, tota anima, tota virtute. Et iterum dicit Spiritus sanctus in cantico Deuteronomij. *Lætamini Gentes cum plebe ejus. Et iterum. Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi. Et rursus Isaias ait. Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt.* Iesse interpretatur, est mihi. In adventu enim Christi dicit qui credit, est mihi: quia qui dicit ad Moysen. *Ego sum qui sum*, credenti adest in Deum. Exurget autem, vt & homo sit & supra hominem: non habens peccatum, nec veniens per peccatum communi lege nascendi, & tollens peccatum mundi. Vnde quia meritò Gentes in eum sperabunt: subjungit orando. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo; vt abundetis in spe, & uirtute Spiritus sancti.* Fidei, spei, & charitatis virtutem continere videtur hæc oratio; dum credenti imprecatur gaudium bene pacatæ conscientiæ, gaudiũ plenum, & abundantiam in spe, & in charitate, quæ propria est virtus Spiritus sancti. Deus autem noster, propriè Deus spei est: in quem credentes spes sua non confundit: omnes verò Dij Gentium dæmonia, & opera sunt manuum eorum. *Certus sum autẽ fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia: itaut possitis alterutrum monere.* Hic iam quasi in portu silentij vela laxantur; post tãtum profundorum sensuum pelagus: & peregrinæ mercis convectio commendatur: primũque suam eis commendat benevolentiam, qua apud eos inferebat, quibus eos abũdare sciebat: deinde etiam prædicat scientiæ apud eos & dilectionis plenitudinem, quæ admonere potiùs sufficiat, quàm indigeat admoneri. *Audaciùs autem*, inquit, *scripsi vobis, fratres, ex parte; tãquã in memoriam vos reducens, propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus: sanctificans Evangelium Dei: vt fiat oblatio Gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto.* Audaciùs omnino. Nisi enim ex inhabitantis in eo Spiritus sancti fiducia procederet; magna hominis erat audacia, tenebris caliginosæ hujus ignorantiæ commanentis, tam altos & profundos sapientiæ Dei sinus, quasi discutiẽdo voluisse attentare, de lege & gratia, de reprobatione Iudæorum, & vocatione Gentium, alijsque quampluribus, quæ scripsisse se dicit ex parte: quia quandiu sic sum⁹, vbi ex parte scim⁹, & ex parte prophetamus, taliũ sensuũ nulli plen⁹ conceditur intellect⁹. Sed sic sãctificabat, vel potiùs, sicut meli⁹ græcus habet, *sacrificabat* evangeliũ Dei: in quo etiã pontificale quoddã ministeriũ ostenditur: vt fieret *oblatio Gentiũ accepta, & sanctificata in Spiritu sancto.* Plurimũ enim cõfert auditoribus intellecta doctoris benevolẽtia & doctrina, tempore & modo suo dispensata. Vnde & adhuc addit, quasi ad commendandas merces, quas conuehit, *habet*, inquit, *gloriam ad Deum.* Et temperans quod dixit: *in Christo*, ait, *Domino nostro.* Nam licet bonum omne nostrũ illius sit gloria, cujus est gratia: gloriatur tamẽ, qui in Domino gloriatur. Vnde autem gloriatur? *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Iterum gratiæ commẽdatio. Non quæ ego nõ facio; sed quæ per me efficit Christus. Christus enim facit, sed per me facit. Christus in me facit: sed per me exteriùs apparere facit, hoc enim sonare videtur verbum efficit. Simul etiam intelligendum est: quia ad prædicandum plus conscientia sancti amoris ædificat, quàm exercitium sermonis: cùm, qui docet, intus legit quod dicit. *In obedientiam Gentium verbo & factis; in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.* Dicturus facta & virtutes signorum & prodigiorum, omnibus etiam verbo prædicationis suæ, præposuit obedientiam Gentium: plus eius merito, quàm suo labori adscribens omnia, quæ sequuntur: in fine verò ipsam Gentium obedientiam, & quicquid ejus merito suoque labore confectum est, virtuti Sancti Spiritus religiosa pietate assignans. Ad locum vnde exeunt, cuncta facit reuerti circũspectus gratiæ prædicator. Deinde etiam strenuitatem suam in Evãgelio cõmendans, subdit. *Itaut ab Ierusalẽ per circuitum vsque ad Illiricum repleverim quicquid interjacet, Evangelio Dei. Sic autem prædicaui illud, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est, quibus non est annunciatum, de eo videbunt; & qui non audierunt, intelligent.* Non enim alienos labores inuadere volebam: quin potiùs iacto vbique verbi semine secuturis messoribus terras præparabam. *Propter quod lo-*

Vers. 8. & 9.
Matth. 15.
Solam Iudæam Christus sua honora[v]it præsentia.
Matth. 19.
Vers. 9.
Psalm. 17.
Coloss. 3.
Vers. 10. 11. & 12.
Exod. 3.
Vers. 13.
Vers. 14.
v. 15. & 16.
Vers. 17.
Vers. 18.
Christus per sanctos facit bona, quæ ipsi faciunt.
V. 18. & 19.
Vers. 19. 20. & 21.

gius me circuitus impediebat plurimùm venire ad
v. 23. & 24. vos: cum non deesset voluntas. *Nunc verò vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis: cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, vt à vobis deducar illuc: si vobis primùm ex parte fruitus fuero.* Miranda doctoris Gentium providentia: qui cum in Romanis laborare desideraret, & promptum haberet; non promittebat, non ingerebat; offerebat tamen eis præsentiam suam, dicens se Romam venturum, non propter Romam, sed propter Hispaniam: ne scilicet verbũ Evangelij in ore eius esset minus pretiosum; si quasi improbus & importunus nolentibus supervenirer. Ex parte tamen, & quasi in transitu primum eis se fruiturum denuntians, suum eis affectum commendat: deinde verò ab eis deducendum se dicens, ipsorum etiam sibi amorem conciliat. Doctori enim Ecclesiæ, sicut omnimodis cauendum est, ne qua superbiæ similitudine auditores à se deterreat: sic etiam ne nimia humilitatis remissione verbum Dei in ore ejus vilescat. Vnde de Samuele dicitur, cùm ab omnibus requireretur; quia *erat sermo Domini pretiosus.*

Doctori superbia fugienda, & nimia dejectio

1. Reg. 3.

Vers. 25. & seq. *Nunc igitur proficiscar Ierusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquã facere in pauperes sanctorum qui sunt Ierusalem. Placuit enim eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare eis. Hoc igitur cum consummauero, & assignauero eis fructum hunc, proficiscar per vos in Hispaniam.* Fideles quippe ex Iudæis agnita veritate, & conuersi ad eum quem crucifixerant partim per inuidiam, partim per errorẽ: & veteris hominis desideria mortificãtes, & spiritualis vitæ novitate flagrantes, sicut præceperat in Evangelio Dominus, vendebant omnia quæ habebant, & pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponebant: vt ipsi distribuerent vnicuique prout opus erat: viuentesque in Christiana dilectione concorditer, non dicebãt aliquid suum: sed erant illis omnia communia, & anima vna, & cor vnum in Domino. Deinde etiam ipsi à Iudæis carnalibus ciuibus suis persecutionem passi sunt: vt latiùs Christus eorum dispersione prædicaretur. Apostolus ergo Ecclesias constituens per omnes gentes, quã Evãgeliũ seminabat, impensè præcipiebat, vt quoniam ipsi ex idolorum cultura venientes, & ad vnum Deum colendum rudes, non facile poterant perfectionis hujus culmen attingere; oblationes facerent in pauperes sanctorum, qui erãt in Iudæa: illos constituens tanquã milites, istos verò tanquam stipendiarios provinciales. Sequitur.

Vita primorum Christianorum. Actor. 4.

Vers. 29. *Scio autem, quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam.* Abundantiæ benedictionis Christi, quam veniens Apostolus Romanis intulit, totus mundus particeps est.

vers. 30. & seq. *Obsecro igitur vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus sancti, vt adjuuetis me in orationibus vestris ad Deum; vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa: & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierosolima sãctis, vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum.* Quod dicit in orationibus, Græcus magis agonem orationis habere videtur: vt & vitiorum nostrorum & spiritualium etiam nequitiarum impugnationes orationibus nostris numquã deesse sciamus. Quis autẽ de se securus esse poterit: Apostolo à discipulis orationum petente suffragia? Simul etiam aduerte, quanta ei de sanctis sit cura, quanta reverentia: qui securus sui, & salutis suæ, de obsequij sui oblatione tantummodo est sollicitus: vt eò perferatur, vt accepta sit sanctis. Sic enim & factum est. Consummato quippe in Ierusalem oblationis suæ obsequio, comprehensus à Iudæis, vinctusque Gentibus traditus est. Vnde & necessitate appellandi Cæsaris factã Romam perductus est.

Orationes à dæmone impugnantur.

Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen. In pace consummat, qui à pace incepit, dicens. *Gratia vobis & pax.* *Vers. 33.*

Caput 16. *Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est Cencris, vt eam suscipiatis in Domino dignè Sanctis, & assistatis ei, in quocumque negotio vestri indiguerit. Etenim & ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi. Salutate Priscã & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu, qui pro anima meâ ceruices suas supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cuncta Ecclesia Gentiũ: & domesticam eorum Ecclesiam. Salutate Ephenetum dilectum mihi, qui est primitiuus Asiæ in Christo Iesu. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis. Salutate Andronicum & Iuliam cognatos & concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis; qui & ante me fuerunt in Christo Iesu.* *v. 1. & seq.*

Forsitan arctiori vinculo spiritualis amoris cõjuncti erant Apostolo isti; propter quod appellat eos cognatos: & altioris meriti, propter quod eos appellat concaptivos: quos huius vitæ exilium & ærumnas molestè ferre sciebat amore cœlestis patriæ; ideoque ad consolationem eorum, se eorum dicit cõcaptivum. *Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. Salutate Vrbanum adjutorem nostrum: & Stachin dilectum meum. Salutate Apellen probum in Christo. Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. Salutate Triphenam & Triphossam, quæ laboraverunt in Domino. Salutate Persidam carissimam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus in carne, meam autem in spiritu. Salutate Asincritum, Phlegontiam, Hermem, Patroclum, Hermã, & qui sunt cum eis. Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & sororẽ ejus, & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt, Sanctos. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.* Acsi dicat. Quid sigillatim diuido salutantes & salutandos? Omnem, qui est in Ecclesia Christi, salutant omnes Ecclesiæ Christi. *v. 8. & seq.*

Rogo autem vos fratres, vt observetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab eis. Manifestum est ex offendiculis fieri dissensiones: ex dissensionibus diuisiones: ex quibus hæreses fiunt & schismata. Si autem præcipit Apostolus declinandũ ab eis, qui offendicula faciunt: quanto magis qui dissensionibus Ecclesiam diuidunt? *Vers. 17.*

Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri: non curantes cujus cor possint exinanire, dum suum ventrem possint implere. Videtur hic tangere aliquas hæresum pestes jam in Ecclesia pullulãtes: per dulces, sicut ipse dicit, sermones & benedictiones innocentium corda seducentes: ponentes secundũ Prophetam tenebras lucem & lucẽ tenebras; amarũ dulce, & dulce amarũ: ad dulce *Vers. 18.* *Isai. 5.*

placitum loquentes, vitijs adulantes: & in his omnibus, nonnisi quæ ventris sunt, quærentes. *Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est.*

Vers. 19.

Cauendum, ne mali astutia suæ simplices decipiant.

Hoc est, quod doctoribus Ecclesiæ vehementissimè formidandum est & cavendum: ne simplicium bonis malorũ astutia abutatur in malum. Ecce enim Romanorum laudabilis obedientia, si in hujusmodi incideret prædicatores, occultos ad decipiendum, astutos ad suadendũ, blandos ad suggerenda quæ carnis sunt, quid periculosius? Propter quod subdit. *Gaudeo igitur in vobis.*

Vers. 19.

Gaudeo in vobis, pro vestra obedientia: sed timeo vobis, pro astutia inimici. *Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Sapiens est in bono, qui bonum propositum statim quasi naturaliter sapit: simplex in malo, quẽ ipsam boni formam animo tenentem malorum duplicitas non decipit: quia forma mali quomodocumque aptata, formæ quam animo gerit, non potest coaptari.

Vers. 20.

Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Dictum est mulieri, vel potiùs serpenti, cùm puniret Deus peccatum primi hominis. *Ipsa tuum observabit caput: tu autem observabis ejus calcaneum.*

Genes. 3.

Obseruat ergo coluber tortuosus & Satanas calcaneum tuum, quando labaris à via Domini, vt cadas, & cadentem possideat: obserua tu primã ejus suggestionem, id est caput ejus. Si contempsisti promissum lucrum, propter animæ detrimentum: calcasti caput serpentis. Si sic sæpè egeris, aderit tibi pacem faciens Deus pacis; & incipiet serpens noxius sæpè calcatum caput nõ posse erigere: tu verò totum Satanam conteres sub pedibus tuis, cùm plenam de concupiscentia victoriam obtinebis: vt mandatum legis ad plenum impleas, quod dicit, *Non concupisces.* Felix, sed rara conscientia: quæ ad plenum hoc in præsenti vita meretur accipere. Hoc autem vnde fiat, subjungens dicit.

v. 20. & seq.

Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum. Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino. Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia Dei cũ omnibus vobis. Amen.

Vers. 25.

Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta Evangelium meum & prædicationem Iesu Christi, secundum revelationem mysterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei ad obediendum fidei in cunctis Gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Iesum Christum: cui honor & gloria per omnia secula seculorum, Amen. Hoc est. Ei qui potens est vos confirmare, soli sapienti Deo, gloria in sæcula sæculorum. Quod autem interpositum est, per Iesum Christum, vtrum soli sapienti Deo per Iesum Christum accipi debeat, vt scilicet solus Deus pater sapiens per Iesum Christum sapiens esse intelligatur, non participando, sed gignẽdo sapientiam, quod est Christus Iesus; an verò non per Iesum Christum sapienti, sed per Iesum Christum gloria soli Deo sapienti, videtur ambiguum.

Pater nõ est sapiens sapientia genita

Sed quis audeat dicere, per Iesum Christum fieri, vt sit sapiens Deus Pater; cùm secundum substantiam suam non dubitandum sit esse sapientem, potiusque sit substantia Filij per gignentem Patrem, quam substantia Patris per genitum Filium? Restat ergo, vt soli sapienti gloria sit per Iesum Christum, hoc est clara cũ laude notitia, qua innotuit Gentibus Trinitas Deus. Ideo autem per Iesum Christum: quia vt alia taceam, ipse præcepit baptizari omnes Gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: vbi præcipuè commendata est huius gloria indiuiduæ Trinitatis.

Matth. 28.

Gloria SS. Trinitatis in baptismo commendatur.

Deus itaque quod est ipsa Trinitas, propter ea solus sapiens rectè dicitur: quia solus secundum substantiam suam sapiens est, non secundum accidentem vel accedentem participationem sapientiæ; sicut sapiens est quæcumque rationalis creatura. Quod verò additũ est, *cui*, vt diceretur, cui gloria, cum sufficeret, si sic dictum esset, *ei autem gloria*, inusitatam nostræ linguæ designat locutionẽ: non sensum quem requiramus, vel de quo ambigamus, insinuat. Quid enim sensui deperit, si dicatur, ei gloria, cui per Iesum Christum gloria? Hoc est namque, ei per Iesum Christũ, cui gloria, quod, cui per Iesum Christum gloria. Sed horum alter inusitatus, alter vsitatus est ordo verborum.

Vers. 25.

Qui potens est, inquit, *vos confirmare, juxta Evangelium meum, & prædicationem Iesu Christi.* Evangeliũ Pauli & prædicatio Christi nihil dissonum, nihil habent diversum: cùm alterum ex altero procedat. *Secundum revelationem mysterij temporibus æternis taciti.*

Mysterium olim tacitũ est Incarnatio verbi.

Quod hoc est mysterium; nisi quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis? Siquidem ejus humiliatio nostra exaltatio facta est: illius infirmitate nos fortes facti sumus. Sed quæ sic tempora dixerit æterna, perquirendum est. Si enim æternitatem intelligi voluit, æternitatem vtique mysterium Christi nõ latuit: cujus ratio & modus in æternitate quæ Deus est, semper fuit, etiam priusquã tempus aliquod fuit. Tempus enim ante creaturam nõ fuit; quia nec vnquam essent tempora, nisi creatura esset, quam aliquid aliqua mutatione mutaret: cujus motionis aut mutationis, cũ aliud atque aliud, quę simul esse non possunt, cedit atque succedit, in breuioribus vel in productioribus morarum intervallis tempus sequetur. Alijs verò tacitum, sed soli sapienti Deo dicit cognitũ mysterium temporibus illis æternis, nunc autem patefactũ per Scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei in omnibus Gentibus. Sed & ad nomen hic *Dei* quid sibi vult *æterni* appositio? Forte præcepit æternus Deus, id est, ab æterno præcepit Deus, vt quod cæteris sæculorũ generationibus fuerat occultum tantum, nunc, id est, tempore gratiæ esset patefactum per Prophetarũ Scripturas: cùm Dominus aperuit sensum discipulis, vt eas intelligerent.

Luc. 24.

Tempora autem æterna, quibus tacitum hominibus mysterium Christi fuerit, non erit absurdum, si tota illa temporis dicatur prolixitas ante Christi adventum: in quo etsi aliquibus Patriarchis & Prophetis manifestatum est ex parte, & quasi in ænigmatibus & figuris: nulli tamen, sicut nunc patefactum est: maximè cùm in agnitione veritatis dicat alibi Apostolus, & Angelos per Evangeliũ profecisse: & principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformem Dei sapientiam innotuisse.

Quæ sint tẽpora æterna hoc loco.

Ephes. 3.

Quod autem soli sapienti Deo erat cognitum, tempore gratiæ per prædicationẽ Apostolorum est patefactum; vt prædicantibus illis in cunctis gentibus fidei obediatur.

FINIS.

DISPVTATIO



DISPVTATIO ANONYMI ABBATIS,

DISPVTATIO CATHOLICORVM PATRVM AB AVTHORE INSCRIPTA.

ADVERSVS DOGMATA PETRI ABAELARDI.

HANC Disputationem Andreas à Quercu, noster Manrique, & alij, Guillelmo à S. Theodorico tribuunt. Verùm, suprà Guillelmi legitimum partum vnico libro contentum protulimus, Gaufrido Carnotensi & S. Bernardo scriptum, quo errores Abaelardi nondum eis cogniti declarantur. Hoc autem alterum opus tribus libris distinctum & Præsuli Rothomagensi nuncupatum, editum est, postquam S. Bernardus Petri Abaelardi errores insectatus est; & hic se iniquè à sancto Patre impetitum in Apologia aduersus eumdem scripta mendaciter calumniatus est. Hic ergo noster Abbas Anonymus beatum Bernardum tuetur, & demonstrat verbis Abaëlardi adductis errores ei à sanctissimo Patre imputatos, verè ab ipso traditos & evulgatos. Horum autem Abbatum, Guillelmi scilicet & Anonymi hujus testimonijs, imò verbis Abaëlardi, quæ ipsi referunt, refutabitur calumnia eorum, qui B. Bernardum contra Petrum Abaëlardum disputantem, laruas dumtaxat & chymaras dicunt insectatũ, non doctrinam, quam ille tueretur. Quæ injuria in sedem Apostolicam, & in Concilium Senonense, coram quibus capitula librorum Abaëlardi lecta sunt, & ab eis damnata, redundat. Qui tanta facilitate S. Patrem ignorantiæ damnant, & Abaëlardum absoluunt, in tam prauum judicium forsan inducti sunt ex lectione Responsionis ejusdem Abaelardi, ante 30. annos cum alijs quibusdam ejus operibus edita, in qua errores sibi ascriptos damnat, & suos esse inficiatur. Verùm Responsio illa potius inscribenda erat, Retractatio errorum Petri Abaëlardi, *quàm* Responsio contra calumnias objectorum: *cùm Guillelmus, & Anonymus Abbas sententias eiusdem Abaelardi fusè referant, errores de quibus accusabatur apertissimè continentes. Nec quemquam moueat, quòd in operibus Abaëlerdi nuper editis non reperiatur illi errores; nam libri illi, qui hos continebant, non sunt typis excusi. Illi enim cæteris operibus, quibus admixti fuissent, perniciem certam attulissent. Porrò initium illius disputationis non edidimus. Primus enim quaternio deest exemplari, quod vnicum reperitur, & illud fuit olim Bibliotheca Clara-vallis, atque in ejus initio hæc verba jam olim scripta sunt,* Deest vnus quaternus, qui habuerit obedientiã librorum requirat. *At non solùm non repertus est ille quaternus, sed etiam codex ille è bibliotheca illa sublatus: quem Andreas à Quercu viuens possedit, & ego illum ipsum exscripsi. Aduerte, hunc Anonymum in tertio hujus operis libro illam Abaelardi sententiam refellere, qua statuebat, omnibus gratiam Dei offerri. Verùm hæc non Abaelardi propria est, sed Scholasticorum Doctorum communis, imò & Patrum; quam inter cæteros egregiè tuetur Prosper Augustini discipulus in libris de vocatione Gentium: qui etiã illam ad parvulos sine baptismo decedentes extendit. Sanè nec Guillelmus, nec S. Bernardus hanc sententiã in Abaelardo damnarunt; imò ipsi eã passim docent. Pelagianismi quidẽ Abaelardũ insimularunt; quòd diceret nos viribus liberi arbitrij posse bona agere, &c. Sed hac de re iterum in annotationibus nostris infrà.*



LIBER PRIMVS

Deest principium, vt jam monuimus: in eo autem quod superest, refutatur dogma Abaelardi, potentiam soli Patri, sapientiam Filio; benignitatem Spiritui sancto heretico sensu tribuentis.

Verba Abaelardi. SI *tam Evangelica quàm Apostolica dicta discutiamus; juxta ipsius locutionis proprietatem intelligimus, ea quæ ad potentiam pertinent, Patri specialiter adscribi: vt hinc quoque apertè colligi possit, vocabulo Patris omnipotentia ipsa specialiter designari. Ait quippe Filius;* quæ Pater posuit in sua potestate, *non quæ Filius & Spiritussanctus.* (*Acto 1.*) Et infra de eodem. *Cùm ait Apostolus, ipsum à mortuis resurrexisse per gloriam Patris, innuitur, magis ad personam Patris pertinere, juxta ejus, vt dictum est, proprietatem, ea quæ potentia sunt, ascribenda esse: sicut Filio, ea quæ ad animi rationem vel sapientiam pertinẽt, sicut judicare est, quod discretionis est. Vnde scriptum est.* (*Rom. 6.*) Pater omne iudicium dedit Filio: (*Ioann. 4.*) *quia sapientia cedit potentia in discussione judicij, vbi æquitas magis examinanda est, quàm vis potentia exercenda.* Et infrà. *Vt ex suprà positis jamdudum specialiter nomine Patris diuina potentia declaratur; sic nomine Filij diuina sapientia significatur. Est autem diuina sapientia quædam, vt ita dicam, potentia ipsius Dei.* Et infra de Spiritu sancto. *Benignitas ipsa, quæ nomine Spiritussancti demonstratur, non est aliqua in Deo potentia, siue sapientia, vt videlicet ipsum benignum esse, sit esse potentem, vel sapientem: sed hæc ejus bonitas magis secundum ipsum charitatis affectum vel effectum accipienda est.* Hæc autem eodem ordine verbis eisdem, licet locis diuersis, sicut hic posita sunt, ab antiquo serpente per eũ in diabologia illa euomita sunt. Quis vnquam Arrius, quis Eunomius, quis alius Hæresiarcha de Deo tam malè sensit, tam malè scripsit? Quid agitis, ô nostrates Philosophi? Cur oculos auertitis? O nobilissimi iuuenes, ô mundi flores, *Arrio & Eunomio consentit Abaelardus.*

ô aurea scientiæ sæcularis vasa; cur talia discitis cur dicitis, cur scribitis? Vtinam magistri vestri scripta vana tantummodò essent, non tam perniciosa. Apostolica sanctio est, *omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quid est ergo, quod destruit fidem? Sed ne diutius olidum cœnum remouentes nauseã incurramus, releamus superiora. Dicit, quòd Pater est omnipotentia. Verum est, hic nulla quæstio est. At quòd *specialiter* adiungit, suspectus mihi factus est, venenum portat. Vult enim, quòd Pater habeat omnipotentiam quandam, quam Filius non habeat; id est, quod Pater potest esse seipso, Filius non potest esse à seipso. Ad hanc fallaciam veridica responsione denodandam postea reuertemur. Dicit, quòd sapientia Patris, quæ est Filius, nõ est omnipotentia, sed aliquid de Patre; id est, quædam potentia de omnipotentia Patris. Id pluries replicat. Dicit, quòd benignitas ipsa, quæ est Spiritussanctus, non est aliqua in Deo potentia vel sapientia; quia aliud est, benignum esse; aliud, sapientem vel potentem esse Dicit, quia sapientiæ cedit potentia in discussione iudicij, vbi æquitas magis examinanda est, quàm vis potentiæ exercenda. Dicit, quòd Pater quædam posuit in sua potestate, quæ non posuit Filius, vel Spiritussanctus. His non tam argutijs, quàm mendacijs, sicut ordo propositionis requirit, & Deus, pro quo & de quo loquimur administrauerit; respondendum est. Ac primùm requiro, cur sanctæ religionis & magni nominis Abbaté insimulet falsa finxisse; quia in Theologia sua scripserit, Filium esse quandam potentiam, Spiritum sanctum nullam. Id enim in Apologia sua, quam contra Abbatem Petrus ipse dirigit, se dixisse denegat; scilicet, quòd diuina sapiẽtia quędam sit potentia Patris, non Filius; & quod amor Patris & Filij, sit nulla potentia, non Spiritussanctus, se dixisse profitetur, & verum esse pertinaciter contendit. Sed væ contentionibus hominum. Verè iuxta Ieremiam stultus est factus omnis homo ab scientia. Miror ego homullulus quidam famæ tenuis, & sciẽtiæ nullius, tam eruditum, tam celebrem magistrum, talibus nænijs tam turpiter inuolutũ fuisse. Non debuisset vel idiota quilibet aëriarum aranearum tam floccidis cassibus irretiri. Si enim sapientia Dei est filius Dei, & è conuerso; & amor Patris & Filij est Spiritussanctus, & è conuerso; sapientiam Patris quandam potentiam esse, & Filium non esse, & amorem Patris & Filij nullam potentiam esse, & Spiritumsanctum non esse, per me videre non possum Licet enim non Pater per Filium, sed Filius per Patrem sapiens sit; Pater enim à nullo, Filius à Patre est, quidquid est: ipse Petrus tamen qualiter de sapientia Patris agat, maximè in Apologia sua manifestat, vbi super hoc capitulum ita dicit. *Sicut ergo sapientia, quam filium ejus intelligimus, quadam potentia est, vel facultas omnia discernendi siue cognoscendi, ne per ignorantiam errare possit; sic amor ipsius, siue benignitas, quam Spiritum Sanctum dicimus, optima est ejus voluntas, potiùs quam potestas.* Expergiscimini, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, sapientiæ sæcularis amatores; & videte, quàm cœca sit præsumptionis audacia. Hic apertè dicit, sapientiam Dei, id est, Filium Dei, quandã Dei potentiam esse vel facultatem, omnia scilicet discernendi vel cognoscendi: tacet, (faciendi, ne omnipotentiam adscribat Filio, cùm scriptum sit, *Omnia per ipsum facta sunt:*) & amoré Dei, siue benignitatem Dei, id est Spiritum sanctum, optimam esse voluntatem, non potestaté. Quid amplius quæritis? Planum est. Dicit quidem, *Pater est omnipotentia, Filius quadam potentia, Spiritussanctus nulla potentia.* Cur igitur inuehitur pro capitulis his, velut ab eo factis, quẽ criminatorem suum appellat, in Abbatem? Nũc ergo, non voce Iudæorum, sed Orthodoxorum iudicio simul omnes exclamemus, *Reus est mortis.* At coluber ille tortuosus modò reflexus in gyros, modò secundum sententiã iudicis, gradiens supra pectus, quantũ potest erectus, latebrosissimæ ac obscurissimæ disputationis antrũ ingreditur, & velut in altissima rupe Parmenidis sibilat inaudita; per Apologiam suam Theologiam impeiorat, nouos veterib⁹ errores adjungit, & eos pertinaciter & contentiosè, quod hæreticum hominem facit, defendere contẽdit: nouitatum amatores, ac simplices auditores, sophisticis importunitatibus eludit; Abbatem literatissimum, & quod majus est, religiosissimũ, vocat inexpertum artis illius, quæ magistra est disserendi: quasi non legisset in Apostolo, quòd *sapientia mundi stultitia est apud Deum.* Sed & illud maximè de Apostolo, & in eodẽ Apostolo. *Videte, ne quis vos spoliet per Philosophiam & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, & secundum elementa mundi, & non secundum Christum: in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* His itaque, pro eo quod capitula illa Abbatem finxisse commemorat, excursis, jã nunc ratio nos cogit, vt ad præiacentia mendacia redeamus; & ea non viribus nostris, sed sanctorum Patrum patrocinijs discutiamus. Cunctis vera scientib⁹ liquet, quòd latet falsitas sub veritate; & quia per se turpis est, semper cõtegi nititur sub illius vmbraculo. Verum est enim, omnipotentia pertinet ad Patrẽ, quia pater omnipotens est, & à nullo est: & vt B. Dionysius Areopagita in Hierarchia sua dicit, *fons deitatis est Pater:* Filius verò naturaliter est de Patre suo, & Spiritussanctus de Patre & Filio: sed quòd omnipotentiã sic propriè assignat Patri, vt eam vitet assignare Filio vel Spiritui sancto, vt per id scilicet distinctionem personarum faciat, Patris per omnipotentiam, Filij per sapientiam, id est, secundum se quandam potentiam, Spiritussancti per nullam vel potentiam, vel sapientiam, quia per benignitatem solam, venenum est, error est, hæresis est; & vt verbis magistri sui, de quo plusiusto gloriatur, vtar, fallacia est. Neque enim habet aliquam omnipotentiã Pater, quã nõ habeat Fili⁹: quia quidquid habet Pater, habet & Filius: quia de omnipotẽte est Filius omnipotens. Alioquin verũ non est illud Euangelicum, vbi Filius dicit ad Patrem. *Omnia mea tua sunt; & omnia tua mea sunt.* Æqualis enim est Patri per omnia Filius secundum diuinitatem; licet quod est, de eo sit; quia de Deo Deus natus est, ꝙ ipse, non ipse: & vbi est naturalis æqualitas, ibi æqualis & naturalis est potestas. Videamus si assertioni huic Sanctorum Patrũ concinat authoritas. Hilarius ille splẽdidissimus Galliarũ sol, & hæreseos Arrianæ præcipuus & validissimus oppressor, in 7. libro de Trinitate dicit. [Non ambigitur, quin æqualitas nihil differat. Æqualitas verò numquam ibi esse contradicitur, vbi vnio est, nec tamen

Marginalia: Rom. 14. — Apologia Abaelardi aduersus S. Bernardum mendacijs & erroribus referta. — Verba Abaelardi. — Ioann. 1. — Abaelardus — 1. Corin. 3. — Coloss. 2. — Ioann. 17. — Laudes Hilarij.

illic reperitur, vt differat. Ita similitudinis æqualitas nec solitudinem habet, nec diuersitatē: quia omnis æqualitas nec diuersa, nec sola est.] Et in eodem paulò pòst. [Itaque Filius in natura Patris eadem est, cui omnia posse naturæ est.] Et noster Aristoteles B. Augustinus, similiter in 7. libro de Trinitate. [Ergo & Pater ipse sapiētia est, & ita dicitur Filius sapientia Patris; id est, vt quemadmodum lumen de lumine, & vtrumque verum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia, & vtraque vna sapientia. Ergo & vna essentia, quia hoc est ibi esse, quod sapere Quod enim est sapientiæ sapere, & potētiæ posse, æternitati æternū esse, iustitiæ iustū esse. Pater igitur & Fili⁹ simul vna essentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna sapientia, & vna omnipotentia.] Videtisne, ô Parisienses Academici, ꝙ propriè, id est, ad distinctionem personarum, omnipotentia soli Patri non debeat adscribi? Sed ne aliqua, vel paruissima dubitationis nebula remaneat, videte, quid in octauo ejusdem operis libro magister idem de re eadē prosequatur. [Ea, inquit, dicuntur propriè in illa Trinitate distinctè ad singulas personas pertinentia, quæ relatiuè dicuntur ad inuicem, sicut Pater & Filius, & vtrivsq; donum Spiritus sanctus. Non enim Pater Trinitas, aut Filius Trinitas, aut Trinitas donum· Quod verò ad se dicuntur singuli, non debet dici pluraliter, tres, sed vna ipsa Trinitas: sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: Deus bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus sanctus: & omnipotens Pater, omnipotens Filius omnipotens Spiritus: nec tamen tres Dij, aut tres boni, aut tres omnipotentes: sed vnus Deus, bonus, omnipotens; quod est ipsa Trinitas.] His attestationibus sufficienter, quantum arbitror, ostensum est, quòd omnipotentia propriè Patri soli non debet adscribi. Sed video quid Petrus hic velit, & in quibus dumetis opinionis nouæ se inferat, quātum Deus dat, intelligo. Profitens in superioribus quod verum est, quia æqualiter Patri Filius omnipotens est, quantum ad operationis effectum; idcirco tamen specialiter omnipotentia Patri attribuitur, quia non est æqualiter ei Filius omnipotens modo quodam, id est, quātum ad subsistendi modum. Id trahere videtur à quodam Maximo, quem puto Græcum fuisse, quem & Ioannes Scotus vsque ad hæresin imitatus est. Talibus hoc in loco Petrus verbis vtitur. *Quidquid ad omnipotentiam attinet, non solum quantum ad operationis effectum, verum etiā quantum ad subsistendi modum, Patri tanquam proprium debet attribui, vt tale sit scilicet, quod Maximus dixerit, quòd Pater per ingenitam Deitatem omnipotens sit* Acsi apertè dicat. Per hoc quod Deus est, & ingenitus, eum vtroque modo omnipotentem esse. Ergo & omnipotens est, qnantum ad operationis effectum, sicut & Filius, & Spiritus sanctus; & omnipotens est quantum ad subsistendi modum; quod non possunt esse Filius, nec Spiritus sanctus: quia Pater potest esse à seipso, quod Filius non potest, nec Spiritus sanctus. Diuersus ergo est, secundum te, in illa simplici essentia subsistendi modus. Subsistit enim Pater eo modo, vt habeat ꝓpriè hanc omnIpotentiam, quam non habeat Filius, vel Spiritus sanctus. Huic falsiloquio Senecæ scitum aptari potest. *Quidquid adinuentitium est, fundamento caret.* Si enim ita est, fallit vel

Verba Abaelardi.

fallitur, qui dicit in Evangelio. *Ego & Pater vnum sumus.* Ego, & Pater, & *sumus*, ad personarum proprietatem, *vnum* ad essentiæ pertinet vnitatem. Sed non fallit, quia veritas est; nec fallitur, quia sapientia est, & omnipotētia: non, qui Pater, sed quod Pater. Non est igitur in illa simplici essentia diuersus subsistendi modus, vbi ejusdem naturæ est, quidquid ibi est; & tantus Deus est solus Pater, quantus Pater & Filius & Spiritus sanctus: quia vnaquæque persona sigillatim perfectus Deus, & tota simul Trinitas non nisi vnus Deus. Augustinus in lib. 6. de Trinitate. [In rebus] inquit, [corporeis non tantum res vna, quantum tres simul; & plus aliquid sunt duæ, quàm vna res. Cæterum in summa Trinitate, quæ Deus est, tantū est vna, quantum tres simul; tantum est vna, quantum duæ, & in se infinita sunt. Ita & singula sunt in singulis, & singula in omnibus; & omnia in omnibus, & vnum in omnibus. Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum & in ænigmate, gaudeat cognoscens Deum, & sic Deum honoret, & gratias agat. Qui autem non videt, tendat ad vidēdum per pietatem, non per cæcitatem ad calūniandum etiam, quia vnus est Deus, sed tamen Trinitas.] Hæc Augustinus ad conterendos nouos fidei inimicos, & ad ostendēdam indiuiduæ vnitatis incomprehensibilem sublimitatem, fortiter atque fideliter disseruit. Claret igitur, nisi his, qui superbiæ & contentionis spiritu insipiēs & impœnitens cor habent, thesaurizantes sibi iram in die iræ & reuelationis justi iudicij Dei, claret, inquam, diuersum subsistendi modum ibi non esse, vbi principaliter & ineffabiliter vnum & verum est esse. Denique nihil aliud est rei essentia, quam res ipsa: & teste Augustino, Deus relatiuè non subsistit, sicut relatiue dominatur. Vt enim in 7. lib. de Trinitate dicit, [omnis res ad seipsam subsistit, quanto magis Deus, si dignum est, vt dicatur Deus subsistere.] Et quoniam in Deo nihil aliud est, sapientem esse, vel potentem esse, quàm esse, sicut in superioribus & ratione, & tanti Doctoris eruditione potenter & patenter declaratum est, inconveniens dictū est de Deo, & Pater potest esse à seipso: nā est à seipso, quod Filius non est, quia Filius à Patre est. Videte, quòd turbatus, vel turbare volens sit, qui de re etiam non simplici dicit. Res ista potest esse res ista. Sed ne verbos⁹ sim, & per me, præsertim talis in talibus, deficiam in me, ad præcellentissimū Doctorem, Augustinum dico, revertor. Homo ille Dei scribit ad Sanctum Evodium, qui eum de quibusdam rebus obscurissimis epistolis interrogauerat; in quibus, vt sibi videbatur, probauerat ratione, cogi Deum esse; & velut flumen repletum aquis in secunda epistola ad eundem Euodium prorupit in hæc verba. [Habes,] inquit, [in libro de vera Religione quem si recoleres atque prospiceres, nūquam tibi videretur ratione cogi Deum esse, vel ratiocinando effici, Deum esse debere: quando quidem in ratione numerorum, quam certè in vsu quotidiano habemus, si dicimus, septem & tria debent esse decem, minùs considerate loquimur. Non enim decem debent esse, sed decem sunt. De quibus itaque rebus rectè dicatur, quòd esse debeant, siue iam sint; siue iam non sint, satis, quantum æstimo, disputauimus in eis libris, quos commemoraui. Homo enim sapiēs esse debet: si est, vt maneat; si non est, vt fiat.

Ioann. 10.

Non est in Deo diversus subsistendi modus.

Aug. ep. 101.

Deus nō debet esse sapiens, sed est. Deus autem sapiens non esse debet, sed est.] Similiter potens non esse debet, sed est: sicque de omnibus. Omnia enim quæ in eo sunt, nihil aliud quàm ipse sunt: sed hic modus loquẽdi nostræ congruit infirmitati. Hinc Hilarius de Trinitate. [Per id quod habet Deus, ipsum illud significat habendo; quia non humano modo ex compositis Deus est, vt in eo aliud sit, quod ab eo habetur, & aliud sit ipse qui habeat: sed totũ quod est, vna est natura, perfecta scilicet & absoluta & infinita, & non ex disparibus constituta, sed viuens ipsa per totum.] Hæc Petrus non vidit, qui confidens in viribus ingenij, & in adinuentionibus suis sibi placẽs, (valde verò stulto homini placet, qui sibi placet,) Sanctorum Patrum per humilitatis ac fidei semitam gradiẽtium elimatam doctrinam contempsit: & ob id iusto iudicio Dei in huius obscurissimæ caliginis cæcam foueam projectus est; vt sentiret, doceret, scriberet, quatinus quoniam Pater à seipso esse potest, quod Filius non potest, ideò omnipotentiam debere Patri specialiter ascribi; Filio non ascribi; sed quandam potentiam; Spiritui sancto nullam, quia benignitatem solam. Stupeo, dum hæc scribo, & omnia viscera mea contremiscunt. Deum testor, & Angelos eius, quoniam qui mendacia hæc ob eruditionem legunt, nisi resipiscant, filij perditionis sunt: & eorum qui fabricatores mendacij, & cultores perversorum dogmatum fuerunt, sortem maledictionis elegerunt, & æternæ damnationis sibi acquirunt. Sed quoniam de falsiloquio hoc, quo suo suprà dicto modo Petrus omnipotentiam Patri specialiter ascribit, pijs lectoribus, vt arbitror, satisfactum est: fidei & authoritatis lumine præeunte inspiciamus & reliqua. Sequitur non minor perversitas, nec minoris pestilentiæ morbus, cũ velut ex sæculari fornace scholasticis suis furfuream scoriam ministrat, & vanitates euomit, imò insanias mendaces; mentiens de filio Dei, in quo est salus mundi. Dicit enim quòd sapientia Patris, quæ est filius Dei, non est omnipotentia, sed aliquid de Patre, id est quædam potentia de omnipotentia. Sed vt luce clariùs intueamur, quòd pessima, quòd detestanda doctrina hæc, imò fallacia, non doctrina sit, superiore disputatione debemus adiuvari, & luminosis authoritatibus eorum, qui Deum vidẽt, & cum eo regnãtes in perpetuas æternitates lucent, ad depellendas has tenebras adjuvari. Est etenim indissimilis & consubstantialis Patri Filius secundum diuinitatem per omnia; licet ex eo sit, quod est: quod nihil aliud est, quàm natũ esse vnum de vno, verum de vero, totum de toto, coæternum de æterno; & sic de ipso, quòd sit in ipso; vbi nõ est essentiæ diversitas, sed personæ proprietas. Non est igitur Filius quædam potentia de omnipotentia; imò est omnipotentia de omnipotentia. Non est inquam aliquid de Patre, quia licet sit alius quàm Pater, non tamen est aliud, quàm Pater. Hinc Hilarius in 7. lib. de Trinitate. [Deus,] inquit, [Filius qui est, non est aliud quàm Deus. Nam cùm audio, *Ioann. 1.* & Deus erat verbum, non dictum solum audio verbum, sed demonstratum intelligo esse, quod Deus est: & res significata à substantia est, cùm dicitur, Deus erat. Esse enim non est accidẽs nomen, sed subsistens veritas, & manens causa, & naturalis generis proprietas.] Idem in libro ejusdem operis tertio. [Patrem autem in Filio, & Filium in Patre esse, plenitudo diuinitatis in vtroque perfecta est. Non enim diminutio Patris est Filius, nec Filius imperfect' à Patre est.] Idem de eodẽ in 4. libro. Vnus est ergò ab vno, neque præter innascibilem Deum innascibilis Deus alius est: neque præter vnigenitum Deũ vnigenitus Deus quisquam est: ac sic vterque Deus: cùm inter vnum & vnum, id est ex vno vnum, diuinitatis æternæ non sit secunda natura.] Et in septimo. [Tenet itaque natiuitas eã, ex qua subsistit, naturã: & filius Dei non aliud quàm quod Deus est, subsistit.] Sed & hoc apertiùs in octauo. [Hoc,] inquit, [Ecclesia intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc philosophia non sapit, vnum ex vno, & totum ex toto Deum & Filium; neque per natiuitatem deesse, quod totus est, neque hoc ipsum totum non secum nascẽdo tenuisse.] Et in duodecimo. [Tu ares est, filius tuus, & vnigenitus tuus est, non portio, non protensio, non secundum efficientiarum opinionem nomen aliquod inane: sed Filius ex te vero Deo Patre Deus verus, & à te in naturæ tuæ ingenitæ genitus potestate.] Videtisne ergò, ô purpurati iuuenes, vel vos saltẽ, ô cucullati amici, qui thalami Salomonis secreta rimamini, videtis inquam, quàm deuius sit à vero, qui sapientiam Patris, id est filium Dei, dicit, non omnipotentiã, sed quandã potentiam de omnipotentia; vel aliquid ex Patre, cùm totus totum idem sit quod Pater naturaliter & æternaliter cum Patre; licet Deus filius natus sit ex Patre? Fides quæ supra firmam petram fundata est, inuadi quidem, sed moueri non potest. Sed ne tantorum multiplicitate verborũ sermo noster silvescat, & seueris vilescat judicibus, jã & nunc quod ejusdem perditionis præruptum teneat iter, de Spiritu sancto loquens, inexploratum non relinquam. *Benignitas*, inquit, *ipsa, quæ est Spiritus sanctus, non est in Deo aliqua potentia, vel sapientia: quia aliud est, benignum esse; aliud est, potentem esse; aliud sapientem esse.* *Verba Abaelardi.* Cur legitis hoc, ô insani? Quis nisi delirus hæreticus & à Deo traditus in reprobum sensum, audet talia dicere, præsertim defendere? Quis de cõsolatore orphanorum Christi, quis de vero Doctore Apostolorum Christi, quis de illuminatore sanctarum animarum, quas introducit in omnem veritatem, tam impiè mentitus est? *Qui dixerit blasphemiam in Patrem aut Filium, remittetur ei: qui autem dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* *Matth. 12.* Ad Spiritum namque Sanctum, quia donum est, pertinet propriè peccatorum remissio. At istud *propriè* non est Petri, sed Augustini: quia non est ad personæ distinctionem, sed ad ostensionem: quia quod Pater & Filius peccata dimittunt, per suam bonitatẽ, hoc est, per Spiritum sanctum dimittunt; id est non ex debito, sed gratuito dono. Apostoli vox est. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* *Rom. 11.* Quasi diceret. Ex Patre, per filium, in Spiritu sancto. Eorum enim & natura eadem est, & operatio. *Ex ipso*, namque *& per ipsum, & in ipso*, voces sunt vnã eandemque substantiam significantes, quod Apostolus clausula subsequenti patentissimè declarauit. *Ipsi*, inquit, non ipsis, *gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Emersit ab inferis nuper alter Macedonius, qui callidis disputationibus intẽtus prædicaret, Spiritum sanctum non esse Deũ. Si enim omnipotens non est, Deus non est: quia

si Deus est, omnipotens est: quippe qui vbi vult spirat, qui scrutatur arcana Dei, qui replet orbem terrarum, qui Apostolos inebriat, qui Ecclesiam fœcundat, qui peccata relaxat, qui vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult, charismata dispensat. Hæc non creaturæ, sed creatoris opera sunt. Igitur Spiritussanctus non creatura, sed creator est: quia quidquid est, aut creator, aut creatura est. Si igitur creator est, omnipotens est, omni-sapiens est, si ita dici potest: & quidquid in illa ineffabili simplicique natura intelligendum est; æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, viuus, sapiens, potens, sanctus, justus, bonus, beatus, creator. Augustinus in lib. de Trinitate 5. [Si], inquit, [quidquid in se manet, & gignit & operatur aliquid, principium est ejus rei quam gignit, vel ejus, quam operatur, non possumus negare Spiritum sanctum rectè dici principium: quia non eum separamus ab appellatione creatoris: & scriptum est de illo, quòd operatur, & vtique in se manens operatur. Non enim in aliquid eorum quæ operatur, ipse mutatur & vertitur] Et expositis his, quæ iuxta Apostolum operatur, idem Augustinus concludit sic. [Quis tanta potest operari, nisi Deus? Sicut igitur filius Dei semper de Deo natus, semper est Deus: sic & Spiritussanctus de Patre & Filio semper procedens, semper est Deus. Idem Augustinus in libro eodem de Trinitate. Semper procedit Spiritussanctus, & non ex tempore, sed ex æternitate procedit: sed quia sic procedebat, vt esset donabile, jam donum erat, & antequam esset, cui donaretur. Aliter enim intelligitur, cùm dicitur donum, aliter cùm dicitur donatum. Nam donum potest esse & antequam detur: donatũ autẽ, nisi datum fuerit, nullomodo esse potest.] Et in libro contra assertiones Arianorũ. [Inde Spiritussanctus audit, vnde procedit. Scit enim Dei verbum procedendo inde, vnde nascitur verbum, ita vt sit communiter spiritus & Patris & Verbi.] Et in lib. 6. de Trinitate. [Quapropter etiam Spiritussanctus in eadem vnitate & æqualitate substantiæ consistit. Siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas; siue ideo vnitas, quia charitas; & ideo charitas, quia sanctitas: manifestum est, quia aliquis duorum non est, quo vterque conjungatur, quo genitus à gignente diligatur, genitoremque suum diligat; sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicujus, sed suo proprio, seruantes vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Ita sunt illa tria, Deus vnus, solus, magnus, sapiens, sanctus, beatus, omnipotẽs, benignus.] Et infrà. [Spiritussanctus commune est aliquid Patris, & Filij, quidquid illud est. At ipsa communio consubstantialis & coæterna est. Quæ si amicitia conuenienter dici possit, dicatur: sed aptiùs dicatur charitas.] Et S. Hilarius in libro 12. de Trinit. [Creaturæ nomen ne in Sancto Spiritu quidem tuo patiar, ex te profecto, & per Filium misso.] Sanè sana doctrina præeunte satis in omnium in fide S. Trinitatis regeneratorum communi confessione, rationisque simul & authoritatis attestatione, liquidò propalatũ atque confirmatum est, Spiritum sanctum Deũ esse. At Deum esse, hoc est, vnum esse, simplex esse, verum esse, imò esse. Sic enim Moysi jubetur. *Hæc dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos.* Mentitur ergo in caput suum, & justæ sibi damnationis parit interitum, qui in illo æternaliter, veraciter, simpliciter ineffabiliter vno esse, dicit aliud benignum esse, aliud sapientem esse, aliud potentem esse. Augustinus in libr. 5. de Trinitate. [Hoc est Deo esse, quod est, magnum esse.] Eadem causa nec tres magnos dicimus, sed vnum magnum: quia nec participatione magnitudinis, sed seipso magnus est: quia ipse est sua magnitudo. Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia, & de sapientia Dei dictum sit. Et in 6. [In Deo eadẽ bonitas quæ sapientia, & omnipotentia, & magnitudo, & eadem veritas est illa omnia: & non est ibi aliud, beatum esse, aliud omnipotentem esse, aut magnum esse, aut sapientem esse, aut verum aut bonum esse, aut omnino esse. Nec quoniam Trinitas, ideo triplex putandus est.] Hæc ille cœlestis seminiverbius in libris illis; & in alijs operibus suis multifariè prosecutus est, quæ nos breuitati seruientes prætérimus ex industria. Verumtamen ne videar inuehi vehemens in Petrum, cui strictissima familiaritate cõjunctus fui; quàm ferreo falsitatis cuneo veritatis viscera dissecare nitatur, videatur. In Apologetico, id est excusatorio, secundùm se; secũdùm quod verum est, accusatorio suo, ventilat istam sententiam, de qua loquimur, his verbis. *Amor itaque Dei, inquit, siue bonitas, est optima ejus voluntas faciendi optimè, vel disponendi, vt diximus, omnia, non potentia faciendi vel disponendi illa. Nusquam enim, siue in nobis, siue in Deo, amor vel benignitas debet dici potentia: cùm nequaquam amare vel benignum esse, sit potentem esse: cùm sæpe hi qui magis diligunt, vel benigniores sunt, minùs possint implere quod volunt; & minùs sint potentes, qui plus sunt beneuoli: diuites affectu, pauperes effectu.* Arreptitij verba sunt hæc. Quid enim de nobis ad illam eminentiam? An diuinitatis incomprehensibilis immensitas comprehensibili creaturæ parvitate poterit includi? Sed bene, quòd me non latet, quòd se non contegit. Dicit apertè. *Nusquam enim, siue in nobis, siue in Deo, amor vel benignitas dici debet potentia.* Quàm absurdissimũ sit id de Deo sentire, superiora proclamant, & alia quàm plurima, quæ nunc huc inducerem, nisi tædium lectoribus ingerere pertimescerem. Nullus antecessorum suorum tam miserabilis pestilentiæ morbo laborauit. Nec hoc solùm contentus est, vt de diuina mentiatur essentia, nisi & de operatione Trinitatis ejusdem noxijs inuoluatur erroribus. Versatur circa idem, & sæpius ebullit, vt omnipotentia specialiter ascribatur Patri, quia quædam Pater posuit in sua potestate, quæ non ipse Filius, vel Spiritussanctus. Hoc trahere videtur à libro actuum Apostolorum, vbi interrogantibus discipulis, quando Dei filius restitueret regnum Israël, respondit. *Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate:* quasi diuinæ Scripturæ non sit consuetudo notissima his qui Deum diligunt, & pane hyperousio, id est supersubstantiali, cibo videlicet Euangelico, qui non perit, animas suas pascunt, vt quod facere dicitur vna persona, faciat simul tota Trinitas sancta. Apostolus dicit, quòd Pater *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Numquid & Filius non tradidit seipsum? Tradidit planè. Nam idem Apostolus de Filio dicit. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Rursus

Spiritussanctus est omnipotens.

Exod. 3.

Auctor olim Abaelardo familiaris.

Verba Abaelardi.

Act. 1.

Rom. 8.

Galat. 2.

Ioann. 2. Filius dicit ad Iudæos. *Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Numquid non Pater suscitauit Filium? Sed Apostolus testatur, quod Pater suscitauit Filium. Et Petrus in Actibus Apostolorum dicit. Quomodo *eum Deus suscitauit à mortuis, solutis doloribus inferni.* Act. 2. Et quod Spiritussanctus vbi vult spirat, non est extraneũ à Patre & Filio; quia quidquid Spiritussanctus potest, à Patre & Filio potest: à quibus esse habet, quod est. Quorum igitur vna essentia est, eorum vna potestas est, vna voluntas & operatio. Augustinus in lib. 13. de Trinit. [Omnia ergo,] inquit, [simul & Pater & Filius & amborum spiritus pariter concorditer operantur. Hoc fide, hoc orthodoxorum authoritate proclamatum est.] Sed dicet, quia Christus dicit in Euangelio, quòd diem judicij neque Angeli, neque filius hominis scit, sed Pater solus. Ita maxima fuit Arianorum hæreticorum calumnia, ne Filius haberet cum Patre æqualitatem, cum quo non haberet æqualem scientiam. Quorum Dominici gregis pastores optimi, qui circa caulas ouium suarum sagaciter ac fortiter excubabant, omnia cornua confregerunt, & vespertinorum luporum ora viriliter obturauerunt. Sanctus Hilarius multò subtilior & acutior cæteris disputatoribus Ecclesiasticis in libr. 9. de Trinit. hujus occasione quæstionis multa prolixiùs exequitur, de quibus hic pauca supposita sufficiunt. [Loquitur,] inquit, [Deus ad Abraham dicens. Clamor Sodomæ & Gomorrhæ impletus est, & peccata eorum magna valde. Descendam ergo & videbo, si secundum clamorem eorum venientem ad me consummabũtur; sin autem, vt sciam. Genes. 16. Habes ergo nescientem Deum, quod tamen non nesciebat. Nam cùm peccata magna valde sciat esse, & rursum descendit, an consummata sint, & si nondum consummata sint, vt sciat, intelligimus eum scire quæ nesciuit; sed tamen scire, cùm tempus sit ad agendum. Scire ergo Domini, non est ignorantiæ demutatio, sed temporis plenitudo. Expectatur enim adhuc, vt sciat. Et cùm non possimus id de eo intelligere, vt nesciat, cùm tamẽ adhuc expectetur vt sciat, necesse est, vt quod sciens nescit, & nesciens scit, nihil aliud quàm vel loquendi dispensatio sit, vel agendi.] Et de eodem in fine libri ejusdem. [Non ergo quia nescire se diem & momentum Filius dicit, nescire credendus est; sicut neque cùm secundum hominem flet aut dormit, aut tristis est, Deus obnoxius esse aut lachrymis, aut timori, aut sõno, confitendus est. Sed sicut salva vnigeniti in se veritate secundum carnis infirmitatem, fletũ, somnum, inediam, sitim, lassitudinem, metum, pati, necesse est; sic secundum hominis naturã, diei atque horæ professus esse intelligatur inscitiam.] Et Ambrosius in lib. de fide, ad Gratian. Imperatorem. Ergo, inquit, [qui fecit omnia quæ futura sunt, eo genere quo futura sunt, cognoscit: si hoc de sæculis, multò magis de judicij credendum est die: eo quòd cognitionem ejus habeat Dei filius, tamquam à se jam factæ. Sed si quærimus, qua ratione momenta designare noluerit, inueniemus non ignorãtiæ esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat, vt dum certa in Deo momenta futura nescimus, tamquam in excubijs constituti, & in quadam specula collocati peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini comprehendat.] August. in lib. de Trinit. 1. [Secundùm formam serui non est doctrina ejus, sed ejus qui misit illum; & de die & hora nemo scit; neque Angeli in cœlo, nec Filius, nisi Pater. Hoc enim nescit, quia nescientes fecit, id est, quod non ita sciebat, vt tunc discipulis indicaret, sicut dictum est ad Abraham, nunc cognoui, quoniam tu times Deum: id est, nunc feci, vt cognosceres; quia ipse scilicet Abraham in illa tentatione probatus innotuit.] Genes. 22. Hieronymus super Matthæum, de eodem capitulo. [De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi Pater solus. In quibusdam latinis codicibus additũ est, neque Filius, cùm in Græcis, & maximè in Adamantij & Pierij exemplaribus hoc non habeatur ascriptum. Hiero. in Matth. 12. Adamantius est origenes. Sed quia in nonnullis legitur, videtur disserendum. Gaudet enim Arius & Eunomius, quasi ignorantia magistri gloria discipulorum sit: & dicunt, non potest esse æqualis, qui nouit, & qui ignorat. Sed cùm omnia tempora fecerit Iesus; hoc est Verbum Dei, Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Ioann. 1. in omnibus autem temporibus etiam dies judicij sit, qua consequẽtia potest ejus partem ignorare, cujus totum nouerit? Denique major notitia Patris, quàm diei judicij, & ipse filius dicit. Omnia quæ Patris sunt, mihi tradita sunt. Matth. 11. Si igitur omnia quæ Patris sunt, Filij sunt, qua ratione vnius sibi diei Pater notitiam reseruauit, & noluit eam communicare Filio? Igitur quia probauimus, Filiũ non ignorare consummationis diem, causa reddenda est, cur ignorare dicatur. Apostolus super Saluatore scribit. In quo omnes sunt sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi. Coloss. 2. Sunt ergo omnes thesauri in Christo sapientiæ & scientiæ, sed absconditi sunt. Quare absconditi? Post resurrectionem interrogatus ab Apostolis de die, manifestiùs respondit. Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Act. 1. Quando dicit, Non est vestrum scire, ostendit quòd ipse sciat, sed quod non expediret nosse Apostolis: vt semper multi de aduentu Iudicis, sic quotidie viuant, quasi die alia iudicandi sint. Denique & consequens Euangelij sermo idipsum cogit intelligi. Dicens quoque solum Patrem id nosse, in Patre comprehendit & Filium. Omnis enim Pater Filij nomen est.] Harum ergo, post primitias, secundarum colũnarum doctrinis & præsidijs, puta puerorum Christi fides suffulta constanter asserit, non ex ignorantia, sed ex prouidentia & dispensatione salutis humanæ Dominum Iesum dixisse, quòd diem judicij nesciret. Cùm igitur essentiæ ejusdem, potentiæ ejusdem, sapientiæ ejusdem, sint Pater & Filius & Spiritussanctus, non Pater posuit quædam in sua potestate, quæ Filius & Spiritussanctus non posuerit: quia non est vera aliqua diuersitas, vbi est & in voluntate & in potestate & in operatione vera vnitas. Vitandus ergo, & à societate fidelium segregandus, qui tot & tanta fidei nostræ contraria dogmatizat. De propositis autem superioribus vanitatibus & insanijs falsis restat extremum peruersitatis incommodum, quo dicit, quia sapientiæ cedat potentia in discussione judicij, vbi æquitas magis examinanda est, quàm vis potentiæ exercenda. Hac in disputatione tam profundo somno soporatus, ac veluti lethargico morbo sepultus stertit: vel ego sic nescio cujus imprecatio-

nis infortunio fascinatus & infatuatus sum, vt quæ sentit, plenè inuestigare non possim. Sic enim recens adinuentio & prophana vocũ nouitas est, vt huic calumniæ nemo Sanctorum Doctorum respondisse per me valeat reperiri. Nec mirum. Non enim præcauerunt, quòd vnquam exoriri posset, qui diceret in discussione extremi judicij, in Domino Iesu Christo, qui est sapientia, & ipsa potentia, & æquitas, & veritas, quòd sapientiæ potentia cederet; quasi illa recederet, & ista succederet; & quòd in illo iudicio magis æquitas examinaretur, quàm vis potentiæ exerceretur. Vtrumque namque in judicio illius erit, id est æquitas examinabitur, vel vt magis catholicè dicam, manifestabitur, & vis potentiæ exercebitur, de quo scriptum est. *Parauit in iudicio thronum suum, & ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia.* Et, *Iudicabit orbem terræ in æquitate; & populos in veritate sua.* Non enim in judicio sapientia Dei, vel scientia proficiet, cùm libris cõscientiarum vniuscujusque apertis liber vitæ apertus fuerit, id est diuina præscientia, quæ nouit omnia simul ante constitutionem mundi. Ibi Deus homo, Deus virtus & sapientia, mundum judicabit: iustos coronans, reprobos condemnabit. An non erit ibi potentia, quando qui venit agnus in primo, leo veniet in aduentu secundo? Leo rugiet, quis non expauescet? Leo rugiet in peccatorum discussione, qui tacuit agnus in sua passione. *Tacui*, inquit per Isaiam, *semper silui, quasi parturiens loquar.* Et per Dauid. *Ignis in conspectu ejus exardescet; & in circuitu ejus tempestas valida.* Et per Moysen. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Pro furore isto clamabat tremebundus ille in Psalmo, qui inscribitur, *Pro octaua.* Domine, *ne in furore tuo arguas me.* Sicut ergo per humilem sapientiam, & sapientem humilitatem facta fuit humana redemptio; sic per sapientem potentiam, & potentem sapientiam fiet extrema discussio. Non enim in Christo Iesu sapientia vel potentia accidentia sunt, cùm ipse Christus sit ipsa sapientia, ipsa potentia, ipsa veritas, ipsa æquitas, vita viuorum, & resurrectio mortuorum. Potentia igitur Christi, quam Petrus remouet à discussione judicij, maxima tunc erit, cùm venerit Christus in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum; cùm virtutes cœlorum commouebuntur; cùm elementa calore soluentur: cùm omnes astabunt ante tribunal iudicis, reddituri rationem de eo quod vnusquisque gessit per corpus, siue bonum, siue malum: cùm videbunt in quem pupugerunt: cùm tolletur impius, ne videat gloriam Dei: cùm plangent super se omnes tribus terræ; cùm dicet montibus, *cadite super nos: & collibus, operite nos:* cùm audient hœdi, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus:* cùm potentes potenter tormenta patientur: cùm vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: cùm caput iniquorum potestate seducendi penitus euersa suis tormentis subjectus perenniter incarcerabitur: cùm de damnatione impiorum electi purgabuntur. Claret igitur, quod in iudicio potentiæ vis exercebitur. Veraciter ergo potest concludi, quoniam qui hoc cõtradicit, mentitur. At quoniam diu est, quòd harum blasphemiarum contradictionibus inhæsimus, relinquamus arbitrio legentium, quæ non per nostram scientiolam, sed per Sanctorũ Patrum doctrinam disputata sunt: siquid verum diximus, de Deo; sin secus, de nostro est. De erratis ergo non timeamus reprehendi. Nullus enim reprehensor metuendus est veritatis amator. Etenim aut amic⁹ aut inimic⁹ reprehẽsurus est. Si ergo inimicus insultat ferendus est. Amicus autem si errat, docendus: si docet, audiendus est. Sed quæ sequuntur, alterius tomi sumantur exordio.

Psal. 9 & 95.

Isaiæ 42.
Psalm. 49.
Deuter. 32.
Psalm. 6.

Luc. 23.
Matth. 25.

LIBER SECVNDVS

SCIO, Pater optime, quàm immane, quàm profundũ, & quàm proximum sit præcipitationi præcipitium: & quod nullatenus euadere possit impunita stultæ præsumptionis audacia. Hoc & sapientiũ doctrinis, & antiquorum exẽplis, & præsentium, satis exclamatum est. Cumque sit semper & vbique noxia; illa tamen longè præ cæteris infestior habetur atque detestabilior, quæ suis viribus nitens, de rebus diuinis abdita præsumit inquirere: & sæcularis scientiæ fastu non plena, sed tumida, lumen fidei sequi, & Sanctorum Patrum vestigia contemnit imitari. Non enim per inanẽ philosophiam, quæ de terra est, vt testatur Apostolus, sed per eam sapientiam, quæ iuxta Iacobum desursum est, primum quidem pudica deinde pacifica, Christianæ religionis, id est, veritatis, reserantur arcana. Cuius sapientiæ per Spiritum sermo datus velociter currit, vivus & efficax, penetrabilior omni gladio, & simplicis credulitatis corusco vibramine terrenam tenebrosamque spissitudinẽ dissecat errorum; non artificio humano, sed potentatu diuino. Deus enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Ad aperiẽdam regiã paradisi, non auream, non argenteam, sed ligneã clauem summi fabri filius malleis passionum in crucis incude fabricauit. Viam, quæ sola est itinerantibus in Ierusalem cœlestẽ, quæ sursum est, quæ est mater nostra; quæ ædificatur in idipsum; in qua non auditur malleus vel securis; in quam non ingreditur hostis; de qua non peregrinatur ciuis; in qua neque sol, neque luna, sed Christus lucerna est: pretiosissimis virtutum lapidibus Saluatoris humilitas strauit. Hæc idcirco dixerim, quoniam dum Ecclesiastica sacramenta tractantur, dum de eis tractatur, scientia Platonis, & Aristotelis fatiscit argutia, infatuatur ominum peritia prudentium ad illã Scripturam, cujus altitudine superbi irridentur, profunditate attenti terrentur, veritate magni pascuntur, affabilitate parui nutriuntur. Hac duce vera de Deo novit, qui verè credit. Argumentum mihi est, quod impulsione nulla nutare potest, quidquid veritas dicit in Propheta, in Evangelio, in Apostolo. Vitans igitur præsum-

Colos. 2.
Iac. 3.

1. Petri 5.
& Iac. 4.

ptionis periculum, non in humanis adinuentionibus, non in meis viribus fiduciam habeo; sed lucis illius ducatu regi volo, de quo dicitur, *Psalm. 118.* *Lucerna pedibus meis verbum tuum* Domine: dãte Deo, cuius spiritu & fundata & illuminata est. Concipiens ergo ex suprà dictorum Catholica prosecutione bonam spẽ, in Domino Deo meo fiduciam habeo, quia quod cœpit in nobis, perficiet, solidabitque. Exhibitio enim præteritorum, futurorum est certitudo. Securior ergo & alacrior errorum latebras inuadam: & eos non meo sensu, sed diuinis oraculis, id est orthodoxorũ verbis *refellam.* Vox enim hominis, quod Seneca dicit, de Deo vera loquentis diuinum oraculum est; ac per hoc pestiferos errores & improbandos fideliter expediã, si dederit effectũ, qui dedit affectũ. Nec id faciã eo ordine quo positi sunt; sed eo quem mihi suggerere dignabitur diuina propitiatio. Post tractatum igitur Sanctæ & individuæ Trinitatis, in qua summa nostra beatitudo est, qualiter de Incarnatione Diuini Verbi Petrus sentiat, ipsius verbis aperiam: per quam solam, Incarnationem Christi dico, reconciliati in sanguine filij Dei accessum habemus ad Patrem suũ, & Patrem nostrum, & Patrem luminum. De ea in Theologia sua sic agit, per hæc eadem verba. *Homo*, inquit, *res corporea, & mẽbris composita est & dissolubilis est. Deus verò nec corporea res est, nec membris constat, vt dissolui possit. Deus ergo nec homo, nec caro propriè dicendus est. Alioquin & homo è conuerso propriè Deus esset dicendus. Vnde aliquid creatum, vel quod non semper fuit, concedi oporteret; Deum esse, cùm videlicet constet, hominem creaturam esse, atque habere initium.* Profitetur hic ore prophano Nestorianæ hæreseos inuolutus errore, quod Iesus Christus, secundum quod homo est, non est in Trinitate persona; quia jam aliquid creatum, vel quod non semper fuit, concedi oporteret esse Deum; cùm constet hominem creaturam esse, & habere initium. Abhorret ergo, hominem illũ Deum esse, quia creatura est, & habet initium. Nam si in Trinitate non est, Deus non est. Sicut enim quidquid est in Trinitate, Deus est, quod nihil est aliud dicere, quàm Deũ Trinitatem esse, vel Trinitatem Deum esse; sic quidquid in trinitate non est, Deus nõ est. *Vnus autem*, vt Apostolus prædicat, *Deus* Pater, *ex quo omnia*; & vnus Dominus Iesus Christus, *per quem omnia*; & vnus Spiritussanctus *diuidens singulis prout vult*, spirans vbi vult, introducens Sanctos in omnem veritatem, quomodo vult. Hic est Rex sæculorum, immortalis, invisibilis, solus, Deus vita æterna. Quisquis aliquid præter hũc colit vel adorat, eo cultu, qui apud Græcos latria dicitur, idolatra est, serviens creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus in sæcula. Si igitur Petrus totum Christum adorat, id est, & secundum quod homo est, & secundùm quòd Deus est; quia Christus, quem Petr⁹ sibi fingit, secundùm quod homo est, in Trinitate non est: qui talem adorat, quoniam creaturam adorat, Petrus idolatra est. Si totũ Christum non adorat, idest, & secundum quod homo est, & secũdum quod Deus est, Petrus Christianus non est. *Psalm. 98.* Christus enim diuisus non est, & scriptum est. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*, id est terram, id est carnem ejus. Sed immoderato feror impetu, & nimis præceps sum. Hæc enim paulò pòst inuestigatione diligentiori perscrutabimur. Oportet enim priùs impietatis hujus virus curiosiùs exprimere, & pòst ex gazophylacijs eorum qui expectant mortem, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehemẽter, cùm sepulchrum inuenerint, antidotũ apponere. Sed antequam veniam ad expressionem illã, pedicam, quam more suo prætendit, si potero relaxabo. Pret⁹ enim amicitia familiaris suæ, artis disserẽdi, quæ iuxta Marcianum sub hamata chlamyde colubrum portat, suum quo superiùs vsus est, *propriè* non obliuiscitur: per quod cisternas has, in quibus non aquam, sed solum lutum est, aperiat; & in quas stulta ac devia cadãt animalia, & moriantur. Hæc siquidem illi consuetudo est, vt in propositione aliquid quod nouum & velut acutũ sit, apponat; quo concesso, velut admirabilis & incomparabilis artifex Ecclesiasticæ locutionis vsum destruat. Sicut enim superiori disputatione per hóc *propriè* omnipotentiam Patri, sapientiam Filio, benignitatem Spiritui sancto adscribit, vt per hæc vocabula, quæ ibi substantialia sunt, personarum faciat distinctionem, quod minimè fieri potest: sic & hic, cùm dicit, homo non est propriè Deus dicend⁹, quia jam è conuerso propriè diceretur Deus homo, laqueum parat, quem fraude contegit. Videtur namque seruare naturarum proprietatẽ, quod bonum est; quia nec diuinitas in humanitatem, nec humanitas versa est in diuinitatẽ. Sed eos, qui illuminatos cordis oculos habent lumine, in quo videtur lumen; (qui enim Filium videt, videt & Patrẽ,) nõ fallit. Nititur enĩ ad hoc, vt per suum *propriè* concludat, quia Christus Iesus secundum quod homo est, in Trinitate non sit: quod esse falsissimum sequens sermo declarabit. Non nescius sum, quantum aliter, quia sapiẽter, hoc vocabulo *propriè* beatus vtatur Augustinus in Tractatu de Trinitate. Duodecimo enim libro sic dicit, [Sicut ergo vnicũ Dei verbum propriè vocamus nomine sapientiæ, cũ sit vniuersaliter & Spiritussanctus & Pater ipse sapientia: ita spiritus propriè nuncupatur vocabulo charitatis, cùm sit Pater & Filius vniuersaliter charitas.] Quàm circumspectè ista Augustinus dicit. Veraciter dicere potest cùm Apostolo. Nam *arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei.* 2. *Cor.* 10. Cùm enim dixisset sapientiæ nomine Filium, charitatis verò propriè Spiritum sanctũ nuncupari: ne per id distinctionem personarum fecisse videretur, solerter adiũgit, quod vniuersaliter dicatur sapientia & charitas, Pater & Filius & Spiritussanctus: hoc est ipsa sancta & vna Trinitas, & trina vnitas. His itaque dictis, ne suum *propriè* relinqueremus indiscussum: jam nunc ad perforandam latentem putredinem & virus exprimendum, vulneri stylus, animus, manus apponenda sunt. In apologetico suo respõsione sua super hoc capitulum furijs exagitatus Petrus insanit; & sic nimis intemperanter inuehitur in hominem Dei, vt non eum loqui quæ loquitur, sed per eum Satanam, qui transformat se in Angelum lucis, asseueret. Ibi post venerabilis Abbatis exprobrationem; per hæc eadem verba, quod gestabat in pectore venenũ, effudit. *Cùm me arguis*, inquit, *quòd non dico, quia Deus & homo vna sunt in Trinitate persona, patẽter te id sentire profiteris. Quod quantum sanæ fidei contrarium sit, volo tuum errorẽ recognoscere.*

Non

Margin notes: *Verba Abaelardi.* — *Abaëlcum Nestorio sentit.* — *1. Timot. 2.* — *Rom. 11.* — λατρεία — *Rursus particulâ propriè abutitur Abaelardus.* — *Verba Abaelardi.*

Non enim Deus & homo dua ista natura, siue singula, siue simul accipiatur, vna dici possunt in Trinitate persona. Et infrà. *Non igitur homo ille à Verbo assumptus aliqua de tribus illis in illa æternitate personis dicendus est; sed verbum ipsum, cui est vnitus. Si autem de Deo & homine singulis non est dicendum, quòd sint ibi aliqua persona, multominus de illis duabus simul naturis dici conuenit. Non enim illa dua natura aliquid æternum possunt esse, cùm vna earum careat æternitate.* Et infrà. *Id solù, quod semel fuit in illa Trinitate, semper in eadem permanet persona, & nihil nouum in eandem Trinitatem incidit: quia nec recentem Deum fas est existimari.* Hæc pluries replicat, & verba multiplicat vsque ad tædium. Et se iudice superior, dũ pueriliter insultat, non cauet præcipitium. Denique dum epilogat, non celat timorem, propter quem irreligiosè pauidus incidit in errorem. Sic enim dicit. *Modis omnibus cauendum est,* (Verba Ab.) *ne tale quid ibi astruamus esse, quod semper ibi non fuerit, nec aliquid temporale in illa constituamus esse, quod semper ibi non fuerit, nec aliquid temporale in illa constituamus æternitate: nec aliquid compositum in illa simplicitate: nec aliquid corporeum in illa incorporalitate, nec aliquid nouum in illa antiquitate.* Ecce in quantam perfidiæ voraginem ductu suæ familiaris in præceps abijt: qui sic in Christo videt naturarum proprietatem, vt non attendat personæ vnitatem: & Nestorianam fæcem sequens, sic diuidit Christum, vt secundum id solum quod Verbum est, in Trinitate sit: secundum id quod homo, nullomodo sit. Hæc est illa scientiæ sæcularis altitudo, extollens se aduersus humilem scientiam Dei: quæ armis non carnalibus, sed potentibus Deo destruetur, & præcipitabitur in profundũ inferni. De talibus scriptum est. *Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* (Psalm. 80.) Est enim non solum vana, sed etiam prophana noua hæc adinuentio: ac fundatissimam Catholicam fidem pro posse suo penitus euertit, qui dicit: *Christus, secundùm quod homo, non est in Trinitate;* quòd nõ est aliud, nisi, secundùm quod homo est, non est in Deitate. Nihil est enim illa summa Trinitas, nisi vera deitas: & illa vera Deitas, nisi illa summa Trinitas. Totus ergo Christus, quia diuidi non potest, in illa Trinitate, quæ Deus est, vna persona est: sed modus considerandus est; id est, non mutatione naturæ, sed vnione personæ. Nec aliquid noui accidit Deo Christo: quod in seipso æternaliter habuit, in seipso temporaliter exhibuit, & quãdo voluit, & quomodo voluit. Deus enim semper fuit, nec quòd erat minuit, dum quod non erat, se fecit. Neque est alius Dei filius, & alius hominis filius: licet aliud sit, secundum id quod filius Dei est; & aliud secundum id, quod filius hominis est. Hinc Leo Papa magnus ad Iulianum Episcopum contra Eutychen. [Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata est; sed vtrumque in vno, & Deus in vtroque est; non diuersitate diuisus, non permixtione confusus, nec alter ex Patre, alter ex matre; idem ante principium, idem in fine sæculorum.] Sic fuit ab æterno in Dei præscientia antequam mundum faceret, quando faceret, & qualiter faceret; & quando per mortem vnigeniti filij sui eum reficeret: hoc est in æterno Verbo suo erat æternaliter, quando & qualiter Verbum homini, & homo Verbo vniretur temporaliter, ita vt Deus veraciter & Catholicè dici posset homo, & homo Deus: non humanitate in diuinitatem consumpta, sed à diuinitate personaliter assumpta: propriè, id est propria locutione dici posset, quia non phantastica opinione, sed veraci confessione, Ecclesia sancta corde crederet ad iustitiam, ore autem confiteretur ad salutem, & prædicaret ad prædestinatorum vtilitatem, quia Christus & Deus & homo est, & homo & Deus est: & totus quia diuidi non potest, vna in Trinitate persona est. Verum est enim, quod ille homo fecit cœlum & terram, qui pependit in ligno, & mortuꝰ est in ligno: & verum est, quia Dei filius, de Deo Deus, & Patri coæternus pependit in ligno, & mortuꝰ est in ligno. Hæc est firma, & ab ipso Christo laudata Petri confessio. *Tu es,* inquit, *Christus filius Dei vini.* Et Centurio clamat ante crucem. *Verè filius Dei erat iste.* (Matth. 16. & 27.) Augustinus de hoc in 1. Libr. de Trinit. [Apostolus Paulus dicit. Si cognouissent, nũquam dñm gloriæ crucifixissent. Ergo secundũ formã serui crucifixus est; & tamen Dñs gloriæ crucifixus est. (1. Cor. 2.) Talis enim erat illa susceptio, quæ Deũ faceret hominẽ, & hominem Deum.] Quid tamen, propter quid, & secundum quid dicatur, Deo iuuante prudens & diligens & pius lector intelligat. Homo igitur Deꝰ, & Deus homo est dicendus, quod Petrus dicere reformidat. (Petrus Abailardus non audet Deum dicere hominẽ) Ad hoc enim Deꝰ homo factus est, vt homo Deus fieret. Sic enim noster magister dicit, quòd talis illa susceptio fuit, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Verbum enim caro factum est, vt qui erat in veritate diuinitatis sine tempore, idem esset in veritate humanitatis in tempore; totꝰ vna in Trinitate persona, quia totus ex duabus & in duabus naturis vna substantia. Non enim propter scandalum infirmorum, & minùs locutionis Ecclesiasticæ modos intelligentium audeo dicere, quod hic Hieronimus dicit, * substantia, sed oculos habens in thesauris domus Domini, vbi iuxta Prophetam, salus nostra est, doctrinis dico Sanctorum Patrum, qualiter ipsi sequentes intelligibilem David, hostes fidei fundæ lapidibus obruãt, diligentiùs explorabo. (* Deest aliqua particula.) Hilariꝰ ille mirabilis, qui ob constantiam Catholicæ fidei à Constantio Augusto magni Constantini filio Arrianissimo Imperatore apud Phrygiam exilio relegatꝰ fuit, subtilitatis immensæ, & post Canonicam Scripturam vtilitatis incomparabilis libros duodecim de Trinitate composuit: in quibus velut nostra periculosa tempora prospiciens, multa de causa hac, quã tenemus in manibus, copiosissimè disseruit, sed vt de abundantia diuini fontis illius nostra refocilletur inopia, pauca hic excipienda sunt. In lib. 9. operis illius sic dicit. [Verbum caro factum Deus & homo Iesus Christus Dominus maiestatis, mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, illo ipso inter Deum & homines mediatoris sacramento, vtrumque vnus existens est: dum ipse ex vnitis in idipsum naturis naturæ vtriusque res eadem est.] Idem de eodem in lib. eodem. [Non assumptio nostra Deo profectus est, sed contumeliæ suæ voluntas nostra prouentio est, dum nec amittit ille quod Deus est, & homini acquirit, vt quod Deꝰ est, sit homo. Natus est igitur vnigenitus Deus ex Virgine, homo secundum plenitudinem temporum in semetipso prouecturus in Deum hominem, locutus & gerens homo vniuersa quæ

Dei sunt; loquens deinde & gerens Deus vniversa quæ hominis sunt. Hæc autem iam ante constitutionem mundi sacramenta sunt cœlestium mysteriorum constituta; vt vnigenitus Deus homo nasci vellet, mansuro Deo in homine in æternum.] Item. [Confessio itaque hęc erit, Iesum in gloria Patris, & natum hominem jam non in infirmitate nostri corporis manere, sed in Dei gloria: & hoc omnis lingua confitebitur.] Horum verborum attestationibus planum est, quòd Dominus Iesus, secũdum etiam quod homo est vnitus Verbo, in Trinitate est: non absumptâ, sicut superiùs dictum est, naturâ in naturam, sed assumpta per vnitatem personæ in Dei gloriam. Audite, quomodo idipsum sermo sequens explicet. Idem in eodem. [Deo naturale est, quod viuit: & per id nos corpori nostro mori oportet, vt Deo viuamus in Christo Iesu, qui peccati nostri corpus assumẽs totus jam Deo viuit, naturæ nostræ societate in communione diuinæ immortalitatis vnita.] Et infra in eodem [Summa disputationis hæc erat, vt totus nunc filius, homo scilicet & Deus, per indulgẽtiam paternæ voluntatis vnitati paternę naturæ inesset; & qui manebat in virtute naturæ, maneret quoque in genere naturæ. Id enim homini acquirebatur, vt Deus esset, sed manere in Dei vnitate assumpt⁹ homo nullo modo poterat, nisi per vnitatem Verbi in vnitatem Dei naturalis evaderet: vt per hoc quod in natura erat Deus Verbũ, Verbum quoq; caro factum rursum in Dei natura inesset.] Sic ille. Sufficienter inueni, quod quærebam: hominem nostrum in Christo Deum esse, & vnitum Dei Verbo vnam Trinitatis in Trinitate personam esse. Sed quoniam legis & Evangelij testimonijs sancitum est, quòd in ore duorũ vel trium testium stat omne verbum, quid eodem spiritu repleti sentiant alij, inquirendum est. Augustinus ille Domini gallus succinctus, alis contemplationis & actionis corpusculum percutiens, optimè canorus ad effugandos nocturnos lemures, sicut jam superiùs prælibatum est, dicit, quod illa susceptio talis fuit, quæ Deum hominem, & hominem faceret Deum. Dicitur igitur, quòd & Deus homo est, & homo Deus. Vnde idẽ in lib. 4. de Trinit. [Ita sanè factum est, vt ibi sit non tantum Verbum Dei hominis caro, sed etiam rationabilis hominis anima; atque hoc totum & Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem.] Idem in Enchir. [Gratia, inquit, Dei nobis sine vllis præcedentibus meritis in homine Christo commendatur: quia nec ipse vt tanta vnitate Deo vero conjũctus vna cum illo persona filius Dei fieret, vllis meritis est assecutus: sed ex quo homo esse cœpit, ex illo est etiam Deus.] Idem in lib. contra Assertiones Arianorum. [Vnam quippe ostendit esse personam in vtraque natura: ne si duas faciat, quaternitas incipiat esse, non Trinitas.] Hæc ille. Igitur cur sophisticè loqueris hic, ô belle magister? Si igitur, non quaternitas, sed Trinitas in Deo est, quia Deus & homo vna persona in Christo est: ergo Pater & Filius totus, id est Deus & homo, & Spiritus sanctus, vna Trinitas est. Idem in lib. eodem. [Si quæramus, inquit, quis est ille, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, respondetur voce Apostolica, Christus Iesus. Ergo & illa diuinitas huius humanitatis nomen accepit. Item si quæramus, quisnam sit factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis, rectissimè respondetur, ille, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitrat⁹ est, esse se æqualem Deo. Ergo & ista humanitas illius diuinitatis nomen accepit.] Sic affectus, sic acerrimè talibus intentus est, vt Nestorianam iugulans perfidiam, Eutychetis videatur juvare improvidis lectoribus insaniam. Nestorius enim duas in Christo personas, Eutyches autem vnam prædicabat naturam: diuersis hæresibus inconsutilem vestem Christi, prout in ipsis erat, diuidentes. In 5. libro de Trinit. quod opus, vt ipse testatur, iuvenis incœpit, & senex edidit, ad expressionem ex duabus naturis vnionis in Christo, verbo cõmixtionis etiam vtitur hoc modo. [Spiritus mediatoris nulla pœna peccati vsque ad mortẽ carnis accessit; quia non eam deseruit inuidus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit: quippe Dei Verbo ad vnitatem commixtus. Hinc ait. Potestatem habeo ponẽdi animam meam, & iterum sumendi eam.] Et in Epist. ad Volusian. [Sicut in vnitate personæ anima vtitur corpore vt homo sit; ita in vnitatę personæ Deus vtitur homine, vt Christus sit. In illa verò persona mixtura est animæ & corporis: in hac persona mixtura est Dei & hominis.] Sed vide, quàm media & trita via gradiatur, & catholicæ prouideat doctrinæ. Subjungit. [Si tamen,] inquit, [recedat auditor à consuetudine corporum, quo solent duo liquores ita misceri, vt neuter servet integritatẽ suã: quãquam & in ipsis corporibus aëri lux incorrupta miscetur.] Et Hilarius in lib. 2. de Trinit. [Deus homo factus ex Virgine naturã in se carnis accepit, vt per huius admixtionis societatem sanctificatum vniuersi generis humani corpus existeret. Ast hæc, vt ex his ipsis verbis pijs lectoribus elucet, admixtio, vel commixtio, non est naturarum confusio: sed ex ipsis naturis vera in Christo personalis vnitio, vel etiam vnio. Inde canit Ecclesia. ***Deus homo factus est, non cõmixtionem passus, neque divisionem.*** Commixtionẽ contra Eutychen, diuisionem cõtra Nestorium. Iam verò nunc alius id est tertius testis, intromittendus est. Sanctus Hieronymus veluti nostri temporis prævidens argutias, nescio si dicã, vel ineptias, cæteris omnibus authoribus audacior in hac causa, & commixtionem nominat, & hominem illum in Christo Deo coæternum in vnitate personæ cõfirmat. Verba illius in Sermone de Assumptione B. Mariæ, qui est, *Cogitis me, ô Paula & Eustochium*, hæc eadem sunt. Hoc, inquit, Verbum, quod erat in principio, & apud Deum erat, & Deus erat verbum, ipsum verbũ genuit nobis beata & gloriosa Virgo Maria, ex se carnẽ factũ. Et paulò pòst. Scit enim õnia Deus, & potest. Propterea quia ita est, sciuit se, ac potuit in vtero virginis sine sui corruptione misceri atq; vniri: vt vnus esset Christ⁹ De⁹ & homo, vna persona, vnaq; substantia. Et infrà Beata & gloriosa virgo semp Maria incõparabilis vniuersis virginibus decẽter potuit in se suscipere diuinitatis admixtionẽ, salua vtraq; natura.] Et adhuc. [Constat tẽpus non præjudicasse sacramentũ vniti Dei & hominis: ita vt jã esset in illo per vnitatẽ personæ ab initio sæculi, qui necdum erat natus ex Maria virgine: q multis Scripturæ declaratur locis.] Id dũ diutiùs testimonijs Scripturarũ approbauit, sic concludit.

Deus & homo vna est in Trinitate persona.

Gratia Christi hominis ex nullis meritis.

Nestorij & Eutychis hæreses.

Ioann. 10.

Sermo Hieronymo olî ascriptus.

[Et ideo Christus jam erat in Filio, qui populum educebat, & Christus in eo tentabatur; quoniam semper per sacramenti vnitatē in Deo fuisse non dubitatur. Alioqui nisi ita credideris, aut Christus Deus non erit omnino, aut contra Prophetam, Deus recens esse videbitur.] Idem post pauca. [Vnus siquidem Christus in carne sua, vnus in spiritu, vnus in sacramento est: nec admittit omnino, vt alius filius hominis, alius filius Dei intelligatur, qui nec tempore præscribitur, nec passione separatur: sed totus in Christum, & Christus in Deum transit, vt quidquid Dei filius est, Christus dicatur; & quidquid in carne Christus pertulit, id Deus pertulisse credatur. Quapropter nec nos hominem seorsum colimus, quod fas non est, nec adoramus: quia nihil in se pro assumpto homine est adauctus; nihilque quòd Verbum caro factum est, immi-rutus vel immutatus.] Ampliùs idem de eodē. [Gratia Dei est in Christo Iesu, in quo est Deus & homo sic vnitus in vna eademque persona, vt legatur quàm sæpe in divinis literis homo Deo coæternus propter vnionem substantiæ, ac deinde Deus videatur homini compassus: cùm nec ininitiabilis sit homo, nec passibilis Deus.] Quid dicitis hic, viri cordati? Miraculum mihi est, quod animus hominis hujus sic diuinitus inspiratus est, vt itinere directo securus velificet inter Syrtes atque Charibdin; vt nec Nestorianæ hæreseos nauē impingat in periculum, nec Eutychianæ perfidiæ incurrat naufragiū: ex vtrisque & in vtrisque naturis vnitate personæ commendata, & in ipsa vnione personæ vtriusque substantiæ veritate confirmata. Miraculum mihi est, quòd à tam longo tempore, & à tantis viris, quorum doctrina fulget Ecclesia, vt sole luna, nostro Abaëlardo responsum non est, qui criminatur Abbatem, quod dicat, Deum & assumptum à Deo hominem vnam esse in Trinitate personam: cùm homo res corporea, & mēbris composita, & dissolubilis sit: Deus verò nec corporea res sit, nec membris constans, vt dissolui possit. Vnde nec Deus homo, nec homo Deus dicendus est: ne aliquid secundum se creatum vel quod non semper fuit concedi oporteret Deum esse. Vnde infert, illas duas naturas nec singulas, nec simul junctas, vnā esse in Trinitate personam. Quænam mens vnquam meditari, quæ lingua loqui, quæ manus scribere tantum nefas potuit: quæ terra veneficij hujus mortifera pondera sustinere præualuit? Schismatici veteres Dathā & Abiron non tantum deliquerunt, quos telluris hiatus viuos absorbuit. Cur enim Christiani sumus, si ita est, vt Petrus asserit? Quomodo iuxta Apostolū, *Corpus Christi*, quod est Ecclesia, *crescit in augmentum Dei?* Si Christus Deus & homo non est vna in Trinitate persona, Christus non est vna persona: quia si Christus est vna persona, Christus est vna in Trinitate persona. Sed Christus Deus & homo vna persona est. Licet ex duabus vel in duabus naturis sit, vna tamen res est, ita vt iuxta Hieronymum, vna substantia sit, id est vnum quid indiuiduale per se subsistens, propter vnionem, quæ ibi & non alibi talis est. Quid enim est persona, nisi rationalis & indiuidualis substantia? Vbi illa est, nō deest; & vbi est, tota est. Si enim diuisa est, illa non est. Sicut autem Deus de Deo Christus cum eo, & non vnus, sed vnum est: sic è conuerso Deus vnitus homini, vnus quidem, sed non vnū est, quia Deus & homo est: & quia vnus est, nulla potest diuisione sejungi. Dic ergo, dum Christus moreretur in cruce, erat cum eo Deus, aut non erat. Si non erat, cur ergo dicitur, Dominus gloriæ crucifixus ab Apostolo? Sed erat. Si ergo Deus erat in homine moriente, morte crucis reconcilians sibi mundum, & præuaricationis chirographum affigens cruci, potestates aërias amplificans, quia non potest diuidi, cur non idem ipse homo qui mortuus fuerat ex infirmitate nostra, & resurrexerat ex virtute Dei vnitus Verbo Dei, non erit in gloria Dei, propter eandem causam, quia non potest diuidi? Quis enim alius est fructus passionis, nisi per gloriam resurrectionis & ascensionis, beata & immortalis excellentia deificationis? Alioquin abolita est promissio, exinanita est fides nostra; fallax est Apostolica doctrina, quæ dicit. *Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia.* Sed quis est, qui impleret omnia, nisi qui fecit omnia? Et quomodo ascēdit & descendit, qui verè est, nisi in homine assumpto, vnito, clarificato, Deificato? Et manifestè, vt ipse dicit ad Timotheum, *magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, viuificatum in spiritu: apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Dicat & ipse, qua gloria. Christus, inquit, *factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis? Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium terrestrium & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Id dici de Domino Iesu, secundum hoc quod homo est, Apostolica probat hæc assertio. Nam secundū quod Deus est, erat in gloria Dei Patris ante mundi constitutionē. Vnde & in Epistola ad Hebræos. *Eum*, inquit, *qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem crucis gloria & honore coronatum: ita vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Et infrà. *Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternū sedet in dextera Dei.* De qua gloria sermo sit, ipse Christus protestatur in Evangelio loquens ad Patrē sic. *Clarifica me Pater, claritate quam habui, antequam mundus esset, apud te.* Sed melius id Sanctorum Patrum verbis, quàm meis, explanabo. Hilarius in lib. 9. de Trin. [Filius hominis glorificatur, & glorificatur in eo Deus, & Deus glorificatū Deum in homine glorificauit in sese.] Item in eodem. [Christum natum hominē Deus, glorificauit in sese. Numquid extra se est, quod glorificat in sese?] Idem in 11. [Quia glorificatus in Christo Deus est, ideo glorificauit eum in sese Deus, vt quia jam regnat in gloria, quæ Dei gloria est, ipse exinde in gloriam Dei transeat. In se enim eum Deus glorificauit, id est, in ea natura, qua Deus est id quod est, vt sit Deus omnia in omnibus, & toto jam Christo in Deo ex ea dispensatione qua homo est, mansuro.] Dormis, an vigilas hic, optime ô Petre? Si dormis; euigila, quia hora est jā nos de somno surgere. Iam tertiani nostri vino deificationis inebriantur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potati rerum nouitate stupido mundo, magnalia Dei loquuntur. Si vigilas, intentis auribus quid cœleste sonet oraculū, ausculta. [Ipse Christus homo ex ea dispensa-

Theologos sui aeui hic intelligit author.

Error Abaëlardi.

Ephes. 4.

1. Timo. 3.

Philip. 2.

Hebr. 2.


Hebr. 10.

Ioann. 17.

tione qua homo est, totus in Deo manet.] Non ego, sed Hilarius est, cujus hæc verba sunt, Ecclesiæ firmissima columna, doctor insignis, hæreseon oppressor, verborum contumelias, inimicitias Regum, exilij squallores & vincula pro Christo passus, fidei sanctitatis, doctrinæ prærogatiua præcipuus. Hoc solo molari lapide tota tuæ artis machina subuertitur. Christus igitur totus, id est, etiam secundùm quod homo est, glorificatus in Deum, vna est in Trinitate persona. Sed & Leo Papa stannei lapidis ictu, de quo legitur in Zacharia Propheta, idolum hujus tuæ superioris adinuentionis confregit & comminuit: contra Eutychen scribens in hunc modum. [Quàvis vnus sit Dominus Iesus Christus; & veræ diuinitatis, & veræ humanitatis in ipso vna eademque persona sit, neq; hujus vnionis soliditas vlla possit diuisione sejungi: exaltatione tamen qua illũ exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat glorificationis augmẽto. Forma namque serui, per quam impassibilis Deitas sacramentum magnæ pietatis impleuit, humana humilitas est, & in gloriã diuinæ pietatis inducta est, in tãta vnitate ab ipso cõceptu Virginis deitate & humanitate connexa, vt nec sine homine diuina, nec sine Deo ageretur humana. Propter quod sicut Dñs maiestatis dicitur crucifixus: ita qui ex coæternitate æqualis est Deo, dicitur exaltatus. Nec interest, ex qua substantia nominetur Christus, cùm inseparabiliter manente vnitate personæ idem sit & totus hominis fili⁹, propter carnem; & totus sit Dei filius, propter vnam cum Patre deitatẽ.] Idem in sermone de jejunio septimi mensis. [Veri Dei filius Deus verus, vnitatẽ & æqualitatem habens cum Patre & cũ Spiritu sancto, idem verus homo esse dignatus est, sic humanitatẽ sibi vniens, vt Deus incommutabiliter permaneret: sic deitatem homini impartiens, vt eum glorificatione non cõsumeret, sed augeret.] Idem in sermone de Ascensione Domini, [Ad sananda infidelium cordium vulnera, clauorum & lanceæ erant seruata vestigia, vt non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris consessurã throno, quæ jacuerat in sepulchro.] Et infrà. [Humani generis natura, in Christo vltra Archangelorum altitudinem eleuata est, nullis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in filio.] Et in alio sermone. [Naturæ nostræ humilitas in Christo super omnem cœli militiam, supra omnes ordines Angelorũ, & vltra omnium altitudinẽ potestatum ad Dei Patris est prouecta consessum.] Idem in ser. de Pentecoste. [Dominus supra omnem cœlorum altitudinem ad dexteram Dei Patris consessurus ascendit.] Hieron. ad Hedibiam. [Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meũ: & est sensus. Quem mortuum quæris, viuentem tangere non mereris. Si necdum me putas ascẽdisse ad Patrem, sed hominum fraude sublatũ, meo tactu indigna es. Hoc autem dicebat, non vt studium quærentis obtunderet: sed vt dispẽsationem carnis assumptæ in diuinitatis gloriã sciret esse mutatam] Et Augustinus contra assertiones Arrianorum. Ipse, inquit, [vnus est Christus & Dei filius natura, & hominis filius ex tempore assumptus gratia. Repulsis igitur filijs diffidentiæ superiorum errorum defensoribus, Ecclesia sancta sponsa Christi, quæ est sine macula & ruga, quia lauit eam Christus sanguine suo, ne haberet maculam; & extendit eam agnus fullo in cruce ne haberet rugam, Ecclesia inquam fideliter firmiterque, quod credit, prædicat, adhortatur. Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Adoramus quippe scabellum pedum eius, sed quia sanctum est: id est carnem eius, non quia creatura est, sed quia Verbo Dei personaliter vnita est, id est cum mẽte & diuinitate vna persona est, id est vnus Christus Dei filius & hominis filius; faciens diuina, patiens humana. Ambrosius in lib. de Fide ad Gratianum Imperatorem. [Et adorent eũ omnes Angeli ejus. Adorant autem non solum divinitatem, verumetiam scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est: quia in Christo Incarnationis etiam adoranda mysteria sunt; in quibus velut vestigia quædã diuinitatis sunt impressa.] Et paulò post. [Per scabellũ terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie in mysterijs adoramus, & quam Apostoli adorauerũt. Neque enim diuisus est Christus, sed vnus: neque dum adoratur tamquam filius Dei, natus de Virgine negatur.] Augustinus in expositione Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniã sanctum est.* Anceps factus sum. Timeo adorare terram: ne damnet me, qui fecit cœlum & terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedũ eius; & dicit mihi Scriptura. Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & inuenio, quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro terra est, & de carne Mariæ carnem assumpsit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illã carnem manducat, nisi priùs adorauerit, inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini; & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Et de eodem Cassiodorus Senator in expositione Psalmorum. [A Verbo Dei corpus assumptum quãvis gloriosum, quamvis magnũ, quamvis adorabile sit, tamen propter humilitatem humanitatis scabellum pedum Dei competenter accipimus. Nam cùm ipse dicat, Cœlum mihi sedes est, terra autem autem scabellum pedum meorum, corpus terrenum quod de Maria Virgine sumpsit, bene dicitur, opinor, scabellum pedũ eius, & eadẽ similitudine probatur intelligi, vt scilicet corpus eius à Deitate mentis contemplatione nõ discerneres, sed ad vnam personã referres, id est ad Verbum quod caro factum est, & habitauit in nobis.] Non igitur recentem Deũ colimus, qui carnem Chrsti adoramus, qui credimus Christum in carne venisse ex semine David secundũ Evangelium Pauli; nec introduci m⁹ in illã simplicitatẽ verã aliquid cõpositũ, nec in illam antiquitatẽ aliquid temporaneum; qui non dicimus naturam in naturam mutatam, sed exaltatam in Dei gloria humanitatem, per mirabilem & ineffabilem personæ vnitatem: per quã & Deus homo, & homo Deus est, quod qui negat hæreticus est. Euectiam nunc per Sancti spiritus gratiam contra spem & meritum de

S. Hilarij encomium. *Zachar. 4.* *Ioann. 20.* *Psalm. 98.* *Heb. 1.* *Psalm. 98.* *Isa. 66.* *Isa. 66.* *Rom. 1.*

fragosissimis locis tempestuosatum ac periculosissimarum quæstionum, cursum sistimus paulisper ad quietem, alia quæ sequuntur, aliō prosecuturi rursus exordio.



LIBER TERTIVS

Iam libri tertij labor occurrit mihi, Sanctæ Trinitatis tractatores, & cultores solis iustitiæ tertia die resurgētis, imitanti; qui diuinitus impleuerunt cum Abraham Dei præceptum, quo iussum est ei, *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*; & cum Moyse duce gentis Hebrææ sublatis vasis aureis & argenteis cum omni familia sua triduo recesserunt ab Ægypto, vt liberè sacrificare Domino possent Ægyptiorum abominationes in deserto. Diuinæ siquidem dignationis ex indulgentia processit, non ex merito, quòd acutissimo viro, sapientissimo, famosissimo, hebes, insipiens, ignotusque, superioribus veridicis prosecutionibus potui respōdere: & pertractata perspiciens, meque per semitas Orthodoxorum incedere non ambigens, sub Patre orphanorum, & iudice viduarum securus sum, quia catholici brauij non priuabor donatiuo. Illius igitur ipsius ope, cuj⁹ suprà dicta explanata sunt, sequentium quædā perscrutabor, non omnia: ne tibi Domino meo, cui talia præcipuè scribo, alijsque seueris viris, tædio sim: ô clarissima Rothomagensium lucerna, & nostri temporis stella matutina, qui catholico pectore de Deo tuo sentis, catholico ore loqueris, & catholica manu cæteris excellentiùs scribis. De multis ergo prophanis & mortiferis nouitatib⁹, quæ adhuc restant; quas stultè Petrus in Theologia sua, stultiùs in apologia sua delirans profudit, tria tantum sequestraui, quæ & rempublicam nostram grauiter infestant, atque bonis æmulatoribus excitant majorem zeli, qui candet in domo Dei, feruorem. Vnum est, quòd filius Dei semper de Deo nascitur. Secundum est, quòd Deus facere nō potest, nisi quod facit, nec alio modo, nec alio tēpore; nec dimittere, quin faciat, quod facit. Tertium, quòd gratia illa quā saluantur electi, communis est omnibus hominibus. His ex ordine respondendū est, sed priùs verba illius, sicut superiùs feci, ipsa quidem, sed quàm breuiùs potero, ponam: atque quod authoritas & ratio suggesserit, Domino iuuante supponam. Non enim apud nos ratio præcedit, sed subsequitur authoritatem, sicut in Sententijs Prosperi legimus, quas ex verbis B. Augustini diligenter excerpsit, & quasdam earum decenter metrificavit. Petri verò de proposita sententia in Theologia sua verba sunt hæc, breuia quidem, sed magnum pondus habentia. In hoc, inquit, *quod per Prophetam dicitur, ego hodie genui te, ostenditur, filium Dei semper de Patre nasci, & semper natum esse*. Ac primùm quidē quę conuenientia possit esse verborum horū, semper nasci, & eandē rem semper, id est, ab æterno, natam esse, non video. Non enim idē est, nasci, & natū esse, q beati Augustini attestatione meliùs in consequentibus ostendetur. Nec tamen nescius sum, plerosq; viros magni nominis & esse, & fuisse, qui quod Dei filius semper nasceretur, senserunt, & suis scriptis reliquerunt. Sed quia simpliciter gradiebantur, & non ingrediebantur pompaticè domum Domini, nō sunt excussi à gremio matris Ecclesiæ, quia filij & heredes Sanctorum erant pro Christo grauiter excussorum. Et vt Augustinus in libro de hæresibus ad Quod vult Deum Diaconum Carthaginensem dicit, *error non facit hominem hæreticum, sed erroris defensio*. Quòd autem ita de filio Dei senserunt vel sentiunt, reor ex hoc accidisse, quia vera fidei confessio profitetur, quod illa iuxta Isaïam inenarrabilis filij Dei de Patre generatiō nec cœpit esse, nec desijt; quia nec habuit initiū, nec finem habebit. Hujus occasione sententiæ Arriani spiritu superbiæ damnabiliter excœcati Catholicos infestabant: & quasi eos cornibus ventilantes, impingebant in eos: his vtentes argutijs. Si Dei Filij de Deo Patre generatio, secundum vos, nec initium habuit, nec finem habebit: ergo Pater semper gignit Filium: si semper Filium gignit, semper à Patre Filius gignitur. Si semper à Patre Filius gignitur, adhuc à Patre Filius gignitur. Si semper à Patre Filius gignitur, imperfectus est Filius, qui adhuc à Patre gignitur. quod enim adhuc gignitur, imperfectum esse non dubitatur. Ad hoc namq; omnis eorum error intendebat, vt Filius Patri non esset coæternus, sed perfectissima omnium creaturarum creatura, de non extantibus factus, non de Deo genitus. Indissolubilis certè prorsus hæc eorum esset argumentatio, si Christi generatio aliqua foret actio. Nam actio respicit ad creaturam, quam Deus, quando voluit, & quomodo voluit, egit, idest fecit: & antequam eam faceret, nihil egit. At Filij generatio non est actio, quia omnem excedit actionem, omnem supergreditur creationem: quia ipse semper, idest ab æterno à Patre genitus est, totus de toto, verus de vero, æternus de æterno, perfect⁹ de perfecto, Deus de Deo. Omnia enim per ipsum facta sunt: quod verum non esset, si factura Christus esset, non enim per se factus esset. Nihil enim creatum per se factum est. Cùm ergo dicitur, Christi generatio nec cœpit esse, nec desijt, nec initium habuit, nec finem habebit: non ad hoc dicitur, vt filius Dei semper gigni dicatur; sed vt illius generatio sempiterna monstretur. Et ideo semper genitus dicitur, vt per *semper* æternitas, per *genitum* perfectio designetur. In generatione namque illa nihil tēporale est; quia nihil prius, aut posterius, nihil maius aut minus, nihil diuersum. Prius ac posterius excludit æternitas; diuersum identitas, id est consubstantialitas; quod est græcè ὁμοούσιον. Non igitur semper gignitur Filius, quia si semper gignitur Filius, modo gignitur Filius. Si modo gignitur Filius, ergo tēporalitatis & imperfectionis non euadit angustias. Sed intemporalis & perfectus sicut Pater, de quo est, Filius est. Semper ergo, id est ab æterno, hoc est sine principio, sine fine est, quia semper genitus est. Hoc est enim genitum esse, quod Filium esse, quod Deum esse, quod semper de Patre esse. Sed vt sermonis hujus ratio firmior fit, jam nunc audi-

Genes. 12.

Tres Abaelardi sententia hic impugnanda.

Verba Abaelardi.

Augustini verba.

Isa. 53.

Arrianorū in Catholicos argutiæ.

amus, quid hinc diuina prædicent oracula. Hilarius cæteris excellentior in talibus, in lib. 11. de Trin. Deus, inquit, [Dñs noster Iesus Christus, non ab aliquo, neque per aliquid Deus est, sed Deus nat⁹ est: & qui ex perfecta generatione perfectus Deus est, non post natiuitatem in Deũ per causam proficit: sed in eo quod natus est, nihil aliud nascendo, quàm Deus.] Idem in ejusdem operis lib. 12. [Ab æterno Patre æterna natiuitas est. Deus autem quod semper est, etiam æternum: sed tamen non omne quod æternum est, innatum est: quia quod ab æterno natũ est, habet æternum esse, quod natum est. Quod enim ex æterno natum est, id si non æternum natum est, jam non erit & Pater æternus. Item si semper Patri proprium est, quod semper est Pater, necesse semper est Filio proprium esse, quod semper est Filius.] Hinc securus infero. Ergo proprium est Filio, quod semper est natus. Hoc etiam in eodem libro explanat. [Qui inquit, ab æterno & semper fuit, necesse est, sine natiuitate non fuisse: dũ & semper fuisse supra tempus est, & natum semper esse, natiuitatem est sempiternam esse. Natum itaque vnigenitum Deum, sed natum ante æterna tempora confitemur.] Et ego. Ergo & tu, & socij tui, in quibus est Christus vnus, nec recens, nec confusus, nec diuisus, quibus est cor vnum & anima vna in Domino, qui habitatis vnanimes in domo Domini, filium Dei semper natum confitemini. Si enim ante tẽpora æterna natum, ergo semper natum. Et ille quasi cuneum figens, pijs adhuc cœptis instat. [Quod, inquit, ante tempus natum est, semper natum est: quia id quod est ante æternũ tempus, semper est. Item ante omnia sæcula & tempora æterna, & ante sensum omnium natus confitendus est esse; quia per id quod ita natus est, semper est. Natus itaque semper est, quia nihil aliud de se patitur intelligi, & dici posse, nisi natũ esse.] Et ego. Non igitur adhuc nascitur filius Dei. Nam qui semper nascitur, numquam natus erit; semper ergo imperfectus erit. At imperfectus non est. Natura enim Filij, natura Patris est. Hinc Leo Papa dicit. [Natura vnigeniti natura est Patris, natura est Spiritussancti.] Et Hilarius in 11. de Trinitate libro. [Vnigenitus Deus habet in se naturam Dei omnipotentis, dum natus ex Deo est, & perfecti hominis absolutionẽ, dum ei est partus ex virgine, & cũ veritate corporis subsistens in natura Dei; & cum Dei natura manens in corporis veritate] Habes igitur hic, quòd natura Dei naturam hominis accepit: quia perfectam hominis absolutionem, id est totam absolutam hominis naturam. Vbi sunt ergo, qui magistrum erroris sequentes, perstrepũt in scholis dicentes: non natura personã, quòd verum est, nec persona personam, quod item verum est, nec natura naturam, quod falsum est, suscepit? Tota enim natura diuinitatis in Filio Dei est; & totus Dei filius totum hominem suscepit. Tota igitur natura diuinitatis totam suscepit naturam humanitatis. Solus tamẽ Filius incarnatus est: & in solo Filio tota plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Ad hujus rei manifestationem haberemus etiam alios testes, nisi vitaremus fastidium. Igitur vt redeamus ad rem, qui de Deo toto totus Deus alioquin non esset Deus, natus est ab æterno, semper est natus. Ad hujus assertionis confirmationem S. Hilarius concludit sic. [Vt igitur Patri proprium est, sine natiuitate esse, ita Filio proprium est, per natiuitatem esse: hoc est propriũ, quod facit distinctionem personarum.] Hæc Hilarius, & Beatus Augustinus Catholicæ fidei loro deducitur in hunc sensum. Sic enim dicit in lib. de Trinitate nono. [In Deo nihil quidẽ secundum accidens dicitur: quia nihil in eo mutabile; neç tamẽ omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem. Quod non est accidens: quia & ille semper Pater, & ille semper Filius: & non ita semper, quasi ex quo natus est Filius, aut ex eo quod nunquam desinat esse Filius, Pater non desinat esse Pater: sed ex eo quod semper est, natus est Filius.] Gravi siquidem somno temporanei nostri premuntur, si verbis his excitati non evigilauerint, in quibus B. Augustinus paternitatis & filiationis omnem excludit corporalitatem, & dicit, quia ideo semper natus est Filius, quia sicut semper, id est ab æterno Pater est; ita & Filius semper, id est ab æterno est Filius. Igitur aut perfectum genuit Pater Filium, aut imperfectum. Si imperfectum, ergo aut noluit, aut non potuit generare perfectum. Si noluit, inuidus est: si nõ potuit, omnipotens non est. Perfectum ergo genuit. Semper ergo perfectus est, & semper natus est. Qui semper natus est, non fuit Filius ante vel natus. Igitur non semper nascitur, quia imperfectus esse videretur, si semper nasceretur.

In Deo nihil secundũ accidens dicitur.

Non mihi tamen ambiguum est, quòd sint quidam diuinę diuinę lectionis etiam amatores, qui putent B. Augustinũ huic sententiæ concessisse, quòd Filius Dei semper nascatur de Patre. Scribens enim ad Pascentium Comitem Arianum, sic dicit. [Quid ergo dicimus? Si natus est Filius Dei de Patre; jam Pater destitit gignere. Et si destitit, cœpit. Si autem cœpit gignere, fuit aliquando sine filio. Sed numquam fuit sine Filio; quia Filius sapientia eius est, quæ candor est lucis æternæ. Ergo semper gignit Pater, & semper nascitur Filius.] Audis, inquiunt, quia concludit & dicit. Ergo semper gignit Pater, & semper nascitur Filius. Quid igitur habes remedij, qui filium Dei negas semper nasci? Ast aliter est. Qui taliter namque sentiunt, non subtiliter intuentes quod dicitur, qualiter dicitur, obscura verborum complexione falluntur. Et primùm quidem oportuisset homines eductos de fornace ferrea Ægypti, & euntes ad ciuitatem habitationis absque dubitatione sentire, virum hunc tam acris ac præclari ingenij, tam eruditi ac spiritualis animi, tam catholici pectoris, præsertim de causa Dei, nũquam posse sibi dissentire. Deinde Arrianæ perfidiæ fallaciam, & sapientiam rescribentis animadverte. Non enim illatio hæc. Ergo semper gignit Pater, & semper gignitur Filius à concessis oboritur, sed ab adversario, quasi malo verborum aucupatore jaculatur. Nullus enim Catholicus & eruditus scriba in Regno Dei primæ consequentiæ consentit. Falsissima enim est, quæ dicit. Si natus est filius Dei de Patre, jã Pater destitit gignere. Scientibus loquor, & callentibus artem differendi. Clamavimus in scholis, adhuc etiam pueri; clamant & alij, vt arbitror, nunc quoque, verum est antecedens, & falsum consequens. Verum est enim, quod natus est filius Dei de Patre: & falsum est, quod Pater destitit gignere. Non enim vmquam destitit, qui nũquam cœpit, sicut

Augustinus an dixerit Filium semper generari

in superioribus dilucidè fuit ratiocinatũ. Quæ ergo sequuntur, si destitit, cœpit; & si cœpit, fuit aliquando Pater sine Filio, telæ aranearum hæticæ prauitatis fallacijs intexuntur. Assumptio verò que sequitur, sed numquam fuit Pater sine filio, quia filius eius sapientia eius est, quæ candor est lucis æternæ, verissima est. Sed enim id imponitur, vt falsitas hæc inferatur. Semper ergo gignit Pater, & semper gignitur Filius, quod minimè procedit: quia illa generatio non fuit nec est actio. Ad hoc enim nitebantur Arriani, vt probarent Dominum Iesum, vel non semper natum, & ideo Patri non coæternum, qui aliquando nasci cœpisset & desijsset: vel si natus semper esset, semper nasceretur, & ideo imperfectus videretur. Per *semper* enim, quasi cujusdam actionis intelligebant continuationẽ. Sed *semper* hic non nominat continuationem temporalem, sed intemporalem sempiternitatem, id est æternitatem, quæ nec habuit initiũ, nec habebit finem. Falluntur ergo, qui B. Augustini putant hanc esse conclusionem: hoc ipse declarat versu siue interpretatione sequenti, sic inquiẽs. *Hoc rursus timendũ est, ne putetur imperfecta generatio, si nõ dicamus, natum esse, sed nasci.* Sed quare nõ vibramus pilum, quod tadiu tenemus manu, quod magister hic fabricauit & elimauit, & ora contradicẽtium opilauit? Iste namque sãctus vir incomparabilis prudentiæ, & egregiæ simplicitatis, jã senio fractus, & sua Sunamitide calefactus, libros suos retractauit: & tractauit ibi diligentissimè sententiam istam his verbis [Est & inter illa quæ scripsimus, quoddã prolixum opus, qui tamen vn⁹ deputatur liber, cuius est titulus. De diuersis quæstionibus octoginta quinque,] Et paulò pòst. [Has jam Episcopus collegi, & vnum ex eis librum feci. Harum verò trigesima septima est, cui titulus est, de semper nato] Sententia verò, quam pilum superiùs appellaui, & quæ subsequitur, his eisdẽ verbis exprimitur. [Melior est sẽper nat⁹, quàm qui semper nascitur. Quia qui semper nascitur, nondum est natus, & numquam natus est, aut numquam erit, si semper nascitur. Aliud est enim nasci, aliud natum esse: ac per hoc numquam filius, si numquam natus. Filius autem quia natus, semper filius, semper igitur natus.] Huic igitur assertioni obniti, hominis est sui iuris, & cui dicitur. *Si quis contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Addatur etiam tertius testis, qui tam veris & manifestis vtitur verbis, vt ei debeat omni subiectione consentiri. Gregorius ille magnus, qui iuxta nominis sui proprietatem vigilavit in Christo, & nobilitate, scientia, fide, sanctitate, sede, alijs eminuit, vicesimum nonum librũ de Moralibus, sic incipit. [Dominus noster Iesus Christus, in eo quod sapientia & virtus est, de Patre ante tempora natus est. Vel potiùs, quia nec cœpit esse, nec desiit, dicamus veriùs, semper natus. Non enim possemus dicere, semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. At verò vt æternus designari valeat & perfectus, & natus, & semper, dicamus: quatenus & natus ad perfectionem pertineat, & semper ad æternitatem: vt quoquomodo illa essentia sine tempore temporali valeat designari sermone: quamvis hoc ipsum quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis perfectione deviamus: quia quod factũ non est, non potest dici perfectum.] Tantorum virorum talibus assertionibus obniti, nõ est eorũ, quibus Deus dexterã suam notã fecit, & per eum eruditum cor habent in sapientia. Et quoniam satis ostensum est, quòd filius Dei semper natus sit, nec semper nascatur de Patre, imminet vt discutiamus, quidnam sit, quod Petrus dicit, quod Deus non potest facere, nisi quod facit, nec alio tempore. Sed priùs sicut consueuimus, ipsius verba ponenda sunt, ac pòst falsitati veritas opponenda. His verbis in Theologia sua, veræ simplicitatis ac simplicis veritatis oppressor insanit. *Si quod facit*, inquit, *Deus eum facere oportet; iustum est vtiq; vt faciat quidquid facit, aut sine dubio, quidquid facere debet. Quod si debet, non potest profectò dimittere, quin faciat. Omne quippe quod iustum est, iniustum est dimitti. Et quisquis hoc non facit, quod ratio exigit, æquè delinquit, ac si id faciat, quod rationi minimè concordat.* Et paulò pòst. *Si illud solum quod facit Deus, fieri ab eo bonum est: profectò illud solũ quod facit, facere potest, qui facere nihil potest, nisi quod ab eo fieri bonum est. Hac itaque ratione id solum posse facere videtur Deus, quod facit; vel dimittere, quod dimittit: cùm videlicet in singulis faciendis vel dimittendis rationabilem habeat causam, cur ab eo fiant vel dimittantur: ne ipse quidquam, qui summa ratio est, contra id quod rationi congruit, aut velle, aut agere debeat.* Ac deinde. *Ex his*, inquit, *tam de ratione quàm de scripto collatis, constat, id solùm posse facere Deum, quod aliquando faciat.* Dein ingenij sui, non Ezechiẽlis sartaginẽ positis opponit, & quæ fabricauerat, quasi nititur & videtur obruere: ea calliditate, vt rursus ea meliùs confirmet, omnibus annullatis, quæ priorib⁹ videbantur obuiare. Sic enim concludit. *Prædictis rationibus vel obiectorum solutionibus liquere omnibus reor, ea solummodo Deum posse facere, vel dimittere, quæcumque facit vel dimittit, & eo modo quo facit vel dimittit, & illo tempore, quo facit tantùm, non alio.* At in apologia sua multò vehementiùs spiritu vertiginis abducitur, ac infeliciùs ægrotat. Diligentiore siquidem tractatu, & quasi viribus in vnum collectis hoc capitulũ cæteris diffusiùs exequitur: & ad hujus nouæ adinuentionis, imò noxij erroris confirmationem totus incumbit. Ponit enim in cœlum os suum, & ad diuinæ incommutabilitatis altitudinem transcendit, & voluntatem Dei ac potestatem idem esse ostendit, dicens. *Generaliter*, inquit, *& indubitanter tenendũ est, quod quidquid boni Deus in se habeat, nullatenus in ipso vel crescere vel minui potest. Cui profectò sicut potentia ejus vel sapientia coæterna est, ita voluntas quam habet in quibuscumque faciendis vel disponendis, ipsi coæterna est.* Verum dicit: sed & laqueũ more suo prætendit. *Non est enim in Deo aliud potentem esse, aliud bene volentem esse, cui est id ipsum esse, & Deum esse, quod superiora declarant; & voluntas ejus & potentia ejus nihil aliud est, quàm ipse.* Augustinus in septimo libro Confessionum. [Non cogeris,] inquit, [inuitus ad aliquid, quia voluntas tua non est major quàm potentia tua. Esset autem major, si teipso tu ipse major esses. Voluntas enim & potentia Dei De⁹ ipse est.] Ecce quàm vera Petrus pponit: sed in hoc vitandus est, quòd ex veris falsa concludit. Sic enim dicit. *Si ergo id solùm facere potest, quod eum facere seu velle conuenit, profectò id solùm facere, atque velle facere potest, quod quandoque facit; & eo modo tantum, & eo tempore similiter, quo*

Filius semper natus.

Liber quæstionum 85. Augustini.

I. Cor. II.

Verba Abælardi dicẽtis, Deum non posse facere, nisi ea quæ facit.

Verba Aba.

Verba Aba.

Conclusio falsa Abælardi.

facit: quia videlicet nec aliomodo nec alio tempore conuenit, vel hoc eum facere, vel velle etiam facere. Hoc inculcat, hoc longa verbositatis prosecutione, imò curiositate, multiplicat. Sed quid agis, ô infelix anima mea? Ergo sic intemperanter exæstuas? Cur lectionis & orationis tempora perdis? Cur talia meditando tabescis? Cur quantulumcumque acumen ingenij velut ad saxum elidens grossescere facis? Quis Augustinus, quis Gregorius, vel aliquis talium in horum ruderũ horrendã spissitudinem te proijcit? Nullus eorũ hoc dicere ausus fuit; Deus nõ potest facere, nisi quod facit. Si hoc etiam verum esset, melius erat vt taceretur, quàm diceretur, nedũ scriberetur. Sed jam, quę dante Deo video, nodus enodand⁹ est. Diuerso modo agit de voluntate Dei: modò secundùm id, ꝙ est, modò secundũ id quo se ad res conditas habet: id est aliquando secundũ essentiam, aliquando secundum actionem, id est, rerum conditionem. A conditione enim rerum cœperunt & spatia locorum, & cursus temporum. Mansit igitur incommutabilis in se dum commutabilia faceret, manet semper incommutabilis, regens & faciẽs vniuersa. Non ei aliquid noui accidit: quoniam non ea quia sunt, nouit; sed ideo sunt, quia nouit: nec se, quia lumen incircumscriptum est, in creatura sua conclusit. In filio quippe suo totus naturaliter inest; quia nõ eum fecit, sed ex se genuit æternaliter. *Ex vtero,* inquit, *ante Luciferum genui te*, id est, ex mea substantia ante initium, hoc est sine initio. In creatura verò sua non inest: quia non eam de se genuit, sed eam de nihilo fecit. Extra eum igitur sunt omnia quæ fecit; quia licet ex ipso, & per ipsum, & in ipso sint; ipse tamen est super omnia, & non includitur in aliqua creatura: licet inhabitet in sanctis Angelis, & in electis suis, nõ per naturam: sed per gratiam. Augustinus ad Dardanum. [Deus ergo vbique præsens, & vbique totus præsens est, nec tamen vbique habitans, sed in templo suo, cui per gratiã benignus ac propitius est.] Et infrà. [Ideo enim vbique esse dicitur: quia nulli parti rerum absẽs est. Ideo totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, & alteri parti alteram partem, æquales æqualibus, minori verò minorem, maiori maiorem. Sed non solum vniuersitati creaturarum, verum etiam cuilibet parti ej⁹ totus adest.] Vt igitur magni doctoris huius probat assertio, Deus præsens est vniuersitati rerum, nec concluditur vel in parte vniuersitatis rerum, vel in vniuersitate. Major ergo non mole, sed potentia, sed sapientia, sed bonitate, sed æternitate, Deus vniuersitate rerum. Excedit igitur & voluntas eius & potentia eius, quæ nihil aliud sunt, quàm essentia eius, vniuersitatem rerum. Mendax est igitur, & fallax, qui voluntatem Dei, vel potestatem eius, id est Deum, intra creaturam includit: sicut ille facit, qui dicit, Deũ de creatura sua non posse facere, nisi quod facit; cùm voluntas Dei sit ante vniversitatem rerum, & causa sit vniuersitatis rerum. Hinc idẽ Doctor super Genesi contra Manichæos. [Voluntas,] inquit; [Dei causa est omniũ quæ sunt. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere Quisquis ergo dicit, quare fecit De⁹ cœlũ & terram, respondendũ est illi, quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli & terræ; & ideo maior est voluntas Dei, quàm cœlum & terra. Qui autem dicit, Quare voluit Deus facere cœlum & terram: maius aliquid quærit, quàm est voluntas Dei. Nihil autem maius inueniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id quod non est, non quærat; ne id quod est, non inueniat. Qui ergo voluntatem Dei nosse desiderat, amicus Deo fiat.] Hæc, vt arbitror, mirabilis ille philosophus non legerat. Si enim hæc legisset, sentire non audeo, quod postea talia, tam noua, tam noxia docuisset. Dicit enim quòd in faciendis vel dimittendis rationabilem habeat Deus causam, cur ab eo fiant, vel dimittantur. Sed, Augustino teste, ratio contradicit, & dicit, quia in rebus agendis vel dimittendis voluntate Dei nulla causa superior sit; & errat, qui superiorem quærit. Potens igitur est Deus de rebus multa facere, quæ non facit. Nec accepit, nec accipit Deus à rebus causam, quando, vel quomodo faceret, vel disponeret, vel eas gubernaret: quia ipse est causa omnium, vt sint; & in se habet scientiam & potentiam, qualiter omnia ordinata sint. Ipse namque est & creator, & gubernator, & ordinator omnium, non solum bonorum, quæ omnia ab illo sunt, sed & malorum, quæ omnino ab illo non sunt, & ideo nec verè sunt; quia non res, sed rerum priuationes; vel si melius dicitur, corruptiones sunt; & sunt in natura ex natura. Nulla enim mala sunt, nisi in bonis, quamvis multa bona sint sine malis. De talibus non dubitant, qui summi nostri disputatoris, Augustini dico, verbis exercitati sint. Quæ quia multa sunt huic assertioni fidem facientia, gratia breuitatis prætereo. Ad hoc autem hoc toto labore desudatur, vt veraciter ostendatur, quòd voluntas Dei, vel eius potentia, legi creaturæ supposita, vel in ea inclusa non sit: & ideo Deus de ea multa potest facere, quæ non facit. Mentitur igitur, qui hæc dicit, quod non possit. Cùm ergo dicitur, Dei voluntas vel potestas augeri vel minui non potest; verum dicit, quia secundum essentiam dicitur, quæ Deus est, quæ augeri vel mutari non potest. Et cùm dicitur: Deus malum facere non potest, verum dicitur, quia malũ nihil est: non enim res, sed rei corruptio est; & Deus qui incõmutabilis est, non bonus esse nõ potest. Et hæc ejus impotẽtia omnipotentia est. At cùm dicitur, Deus non potest pluere, nisi quando pluit; vel de creatura sua facere, nisi quod facit, fallacia est. Non enim jam de voluntate aut potestate Dei, eo modo quo superiùs agitur, id est simpliciter, id est secundũ essentiam, quod est secundum id quod est, sed etiam secundum actionem, id est secundum effectum rerum: quod est secundum id quod se habet ad aliquid: hoc est creator ad creaturam. Creator enim creaturæ creator est: & creatura creatoris creatura est. Et aliter intelligim⁹ & loquimur de re, secundum id quod est: aliter intelligimus ac loquimur de re, secundũ id quod se ad aliud habet: licet res eadem sit. Hoc ille Aristoteles acutissimus prædicamentorum inuẽtor, dispositor, ac disputator, diligenter legentibus & sapienter intelligentibus ostendit; qui de singulis prædicamentis agens, eorum proprietates subtiliter ac sigillatim exposuit. Quia igitur vniuersitas rerum subdita est creatori, & ejus voluntati vel potestati resistere non potest, potest Deus de ea multa facere, quæ non facit, qui nihil contra voluntatem suam facit. *Omnia enim quæcumque voluit, in cœlo & in terra facit.* Augustinus

Psalm. 109.

Aug. ep. 57. ad Dardan.

Voluntate Dei nulla causa prior est.

Nulla mala sunt, nisi in bonis.

Psalm. 134.

Augustinus in Euchiridio. [Et vbi est potentia, quæ in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, si colligere filios Ierusalem voluit, & non fecit? An potiùs & illa quidem ab illo filios suos colligi noluit: sed ea quoque nolente filios eius collegit ipse, quos voluit? Quia in cœlo & in terra non quædam voluit & fecit; quædam verò voluit & non fecit: sed omnia quæcumq; voluit fecit.] Cùm ergo & voluntas & potestas Dei idem sint in eo, diuerso tamen modo se habet rerũ effectus: quia multa potest facere, quæ facere nõ vult, qui facit in cœlo & in terra, quæcumque facere vult. Potens est enim de lapidibus istis suscitare filos Abrahæ: id est, de vasis iræ facere vasa misericordiæ: & tamen de omnibus non facit. Sed cur de illis faciat, de illis non faciat, secretum est, penes ipsum est, abyssus est. *Iudicia enim Dei abyssus multa.* Et quoniam, vt Augustinus in lib. super Genesi ad literæm longiusculè disserit, bipertitũ est opus diuinæ prouidentiæ; quædam namque causæ sunt in Deo æternales & incommutabiles, quædam verò rebus insitæ sunt originaliter, primordialiter, causaliter, ab eo qui viuit in æternum: & iuxta Prophetam, creauit omnia simul: secundum superiores inconvulsum est, quidquid statutũ est; secundum inferiores multa possunt fieri & non fieri, quæ contingit fieri vel non fieri. Secundũ inferiores de vua vinum exprimitur, & de farina panis efficitur: secundum superiores aqua in vinum mutatur, & nunc quinque millia hominũ quinque panibus saturantur hordeaceis, nunc quatuor milia septem panibus triticeis, per eum, qui veteris ac noui testrmenti pabulo reficit esurientes ac sitientes iustitiam. Sed meliùs eruditissimi ac dulcissimi Doctoris B. Gregorij verbis hujus profunditatis sinus explicabo. Sic enim dicit in lib. 9. Moralium, dum capitulum illud exponit. *Deus, cujus ira nemo potest resistere.* Mirum, inquit, [valde est, quod iræ Dei nemo resistere dicitur, cùm multos indignationi supernæ animaduersionis obuiasse eloquia diuina testentur.] Et facta mensione de Moyse & Aaron, & Phinees, David, & Elia, post aliquanta sic concludit. [Iræ igitur Dei resisti potest, quãdo ipse qui irascitur opitulatur; & resisti omnino non potest, quando se & ad vltionẽ excitat, & ipse precem, quæ ei funditur, non aspirat. Quod ergo iræ Dei resisti potest, secundum inferiorem causam dictum est, sicut sermo diuinus dicit ad Ieremiam. *Si autem mutaverit gens illa aut regnum illud malitiam suam: & ego non inducũ super eam malum, quod locutus sum, dicit Dominus.* Non enim à Chaldæis destrueretur Ierusalem, si mutasset bonitate malitiam. Nam Deus manens incommutabilis in se, mutasset etiam ipse damnationis illius sententiam. Non fecit igitur Deus, quod facere potuit: quia nec se creaturæ angustijs, nec liberum arbitrium lege necessitatis astrinxit. Quòd verò iræ ejus resisti non potest, secundum superiorem causam est, sicut rursum ad ipsum Ieremiam dictum est. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & noli assumere proeo laudem & orationem, quia non exaudiam te.* Et rursus. *Si steterint Moyses & Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum.* Defixum ergo erat apud ipsum vt Ierusalem & populus eius destrueretur. Et quod apud eum defixum erat, vt fieret, secundum superiorem causam necesse erat vt fieret: quia præscientia eius falli nõ poterat. Et quid faceret de Ierusalem, ipse ante sæcula nouerat. Secundùm inferiorẽ verò causam necesse non erat; quia si illa mutasset malitiam, & ille sententiam. Habebat enim illa in se, vt hoc facere posset, si vellet. Sed & ipse nouerat ante constitutionẽ mundi, quòd illa nollet.] Idem doctor in eodem opere lib. 12. in expositione sententiæ illius, *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Statutum est quoque, inquit, [homini, quantum in ipsa vita mortali viuat. Nam etsi annos 15. Ezechiæ Regi ad vitam addidit omnipotens Deus, tunc eum mori permisit, cùm eum præscivit esse moriturum. Nec Propheta igitur mẽdax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur: nec dominica statuta convulsa sunt: quia vt ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque quod ante sæcula præfixum fuit, atque spatium vitæ, quod inopinatè foris additum est, sine augmento præscientiæ fuit intus statutum.] Sic ille. Patet igitur his, qui contentionis spiritum non habent, quòd secundũ inferiorẽ causam dictũ est, *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives,* quia sic meruerat: & anni additi sunt secũdum superiorẽ causã: secũdũ quã verũ erat, necesse est Ierusalem à Chaldæis destrui: secundum inferiorem non erat verum, necesse est Ierusalẽ à Chaldæis destrui. Vera est enim hæc hypothetica. Si præscitum est à Deo Ierusalem à Chaldæis destrui, tunc necesse est Ierusalem à Chaldæis destrui. Omne enim quod à Deo præscitum est, vt fiat, necesse est fieri; alioqui præscientia eius falleretur, quod abhorret à vero. Nec tamen ideo vera est hæc categorica per se. Necesse est Ierusalem à Chaldæis destrui. Posset enim Ierusalẽ mutare malitiam, si vellet: & illam, quæ sub cõditione posita erat, mutaret sententiam. De natura igitur Dei loquor secundum superiorẽ causam; de natura verò rerùm secundum inferiorẽ: veluti cùm dico. Si David & Petrus prædestinati sunt ad vitam æternam, David & Petrus damnari non possunt: sed hoc non ab ipsis, sed ab ipso Deo est, cujus prædestinatio falli non potest. Item verum est, si David in adulterio, Petrus in negatione morerentur, quod bene secũdum inferiorem causam contingere posset, David & Petrus damnarentur; sed hoc non à Deo, sed ab ipsis est. Rebus igitur non incumbit necessitas, sed relatio de rebus ad providentiam facit conditionalem necessitatem. Et de hoc luculentissimus ac acutissimus Doctor Boetius in 6. de Consolatione Philosophiæ; & nos quamvis maximè ad hoc nihili simus, in tractatu de rebus vniuersalibus ad Magistrum Theodoricum, pro modulo nostro diffusiùs egimus. Vniuersitas igitur rerum, vt ratio probat, & authoritas approbat, voluntati creatoris subdita est, à quo de nihilo facta est. Et ideo ipse de illa secundum inferiorem causam multa facere potest, quæ non facit, qui tamen contra id quod apud ipsum præfixum est nihil facit. Et hic est diuersus intelligẽdi respectus, & diuersus loquendi modus: id est, secundum Dei voluntatem, potestatem, prouidentiam, hoc est, eius essentiam. (non enim aliud est eius essentia, aliud in eo illa:) & secundum id quod se, nescio si dicam, habet vel habent, ad naturam rerũ, vel effectus earum. De quo conjunctim agens nouitatum amator, ac subtilissimus temporis Academicus, pedicam tendit ad capiendas animulas vanitati deditas, minùs le-

Psal. 35.
Eccli. 18.
Iob 9.
Ierem. 18.
Ierem. 7.
Ierem. 15.
Gregorius 12. Moral. Iob 14.
Isai. 38.
Necessitas hypothetica
Boetius.

gentes, & minùs quæ Dei sunt intelligentes. At contra hanc adinuentionem quæ de Deo malè loquebatur, hæc dicta sint. De propositis igitur restat extremum, quod videndum est, & tali fine finietur hoc opus. Petrus hic Abaëlardus, cótra cujus commentitia figmenta scribimus, vestris orationibus & præcepto sanctitatis vestræ roborati, Pater optime Hugo: quibusdam viris nobilitate, studio, scientia fulgentibus, & inter illos alijs magis curiosis quàm studiosis, per vanam & inanem philosophiá placens, de his quæ ad Deum pertinent, non tam catholicè quàm philosophicè tractauit; ac per hoc longe factus à populo, de quo legitur, *In populo graui laudabo te*, vento subtilitatis errauit, nostræ fidei simplicitati turpiter obuius, & veritati damnabiliter contrarius. In fornace namq; Ægyptia operum suorum vascula fabricauit, ac philosophos Platonem, Virgilium, Macrobium, intonsos & illotos ad conuiuium summi Regis introduxit. Sic enim Platonem maximè sequens in Theologia sua dicit. *Nunc verba Platonis de anima mundi diligenteter excutiamus, vt in eis integerrimè Spiritum sanctum designatum esse agnoscamus.* Et infrà. *Illud quoque, quod ait Plato animam locatam esse à Deo in medietate mundi, eamque per omnem globum totius orbis æqualiter porrigi, pulchrè designat gratiam Dei omnibus communiter oblatam, iuxta illud. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Huic etiam inuolucro, de positione scil. animæ in medio mundi locatæ, hoc est de gratia Dei omnibus cómuniter oblata diuina facta concordant: quia Dominus noster Iesus Christus Rex operatus est salutem in medio terræ.* Quòd autem temporalitatis hujus cursum vocat inuolucrum, Ioanné Scotum sequitur, qui frequentiùs hoc inusitato vocabulo vsus, & ipse pro sua subtilitate de hæresi notatus est. Cunctis autem hæc legentibus & vera scientibus liquet, quod ex philosophica disciplina animam mundi Spiritum sanctum dicit; cùm secundum ipsos Philosophos anima mundi multú differat à creatore & mente diuina, quam νοῦν appellant: & secundum veram fidem & Ecclesiasticam doctriná idem Spiritussanctus Patri & Filio consubstantialis sit, & in nullo differat, & coæternus sit ambobus. Dicit itaque, gratiam Dei, quam Spiritum sanctú vocat, omnibus esse communiter oblatam. In apologia verò sua primùm quidé se strenuè defendit, & Pelagianam anathematizans hæresin, de gratia Dei catholicè sentit & scribit: sed postea more suo subtilis, ac velut alter Protheus, lubricus elabitur, & reuertitur in idipsum. Verba illius hoc melius probabunt. Hæc prima sunt, *Ego, inquit, gratiam Dei voco, quidquid ad salutem hominis de ipso Deus disponit, vel ei confert, quod ipse non meruerit. Ait quippe Apostolus. Reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem ex gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia. Gratia igitur Dei est in electis suis, quòd eos ab æterno prædestinauerit, quòd & fidem eis inspirauerit, quæ vtique nostra præcedunt merita, & sine quibus eum diligere non valemus, vt saluari mereamur. Ipsa enim dilectio, quam ipse per ea, quæ dicta sunt, primò in nobis efficit, effectus ipsius Dei, siue donum ejus est: & ejus imputanda est gratia, ante quam etiam nihil salutis possumus promereri. Vnde & Apostolus. Quid, inquit, habes, quod non accepisti?* Hæc à Paulo dicta de Dei gratia, magis veritatis quàm Petri verba sunt. Quid enim verius, quid elimati', quid salubrius dici potest? Sed sta hic quæso mecú. Familiaris tibi fui, quantum potui. Vt fraternæ dilectionis norma jubet, hominem nó persequor, sed errorem. Nisi me fallas, istius ipsius assertionis tuæ funibus alligatus es. Dicis enim, quòd gratia Dei est, quidquid ad saluté hominis Deus disponit, quòd secundum Apostolum electio ex gratia est, alioqui gratia já non est gratia: quòd per eam electos suos ab æterno prædestinauerit; quòd per eam fidem eis inspirauerit: quod ipsa dilectio, quam ipse in nobis efficit, & sine qua nemo potest salvari, gratiæ Dei imputanda est. Secúdum igitur hanc ipsam tuam definitionem loquor tecum de gratia Dei. Dic, oro te, gratia sic accepta, estne communis omnibus hominibus? Prædestinat Deus omnes homines ad salutem, inspirat in omnibus fidem, & eam, per quá salventur, dilectionem? Subtilissime, famosissime, lepidissime magister, erudi me; si non insanis, respondebis, non est. Non est igitur hæc gratia communis omnibus. Nam si esset, omnes salvarentur, quod minimè concedes: alioqui Dei dispositio, prædestinatio, fidei, & ipsius dilectionis inspiratio, falleretur, Dei donum frustraretur; quod de Deo sentire, sacrilegum est. Si autem, (quod minimè credo,) respondebis, est; arguit te ratio, catholica prædicatio, authoritas Patrum, effectus rerum. Hæc enim gratia numquam inanis esse potest. quæ de corde lapideo cor carneum facit, de animali spirituale, de cœco illuminatum, de infirmo sanum. Per hanc Spiritussanctus non omnes, sed quas vult, animas inarrhat. Hanc solam prædicator egregius gratiá appellat: hanc in epistolis suis, & maximè in ea quæ est ad Romanos, defendit & prædicat. Per hanc de blasphemo & persecutore & iniurioso, benignus, mitis, discipulus effectus est, de lupo agnus, de Saulo Paulus. Per hanc Deus vocat quosdam electos ante constitutionem mundi, quorum certus est numerus, qui perire non possunt, quod non ex ipsis, sed ex Deo est: quia præsciuit illos, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Alteram non nouit Paulus, de alia non disputat Augustinus. Licet ex dono Dei sit, quòd sumus, quòd viuimus, imò quidquid in nobis, & in óni creatura est. Quod enim omnis creatura est, & quidquid boni in ea est, ex dono Dei, id est ex bonitate eius est. Sed quia Pelagianistę hęretici oppugnatores diuinę gratiæ ad hæc confugiebant, & quod modo supra dicto verum est, dona naturæ Dei gratiam vocabant, bene, subtiliter, vtiliter, à catholicis tractatoribus distinctum est inter dona naturæ & dona gratiæ: quia dona naturæ communia sunt & electis & reprobis: dona verò gratiæ omnibus electis, reprobis nullis. Sicque gratiam Ecclesiasticæ consuetudinis vsu vocauerunt illius electionis effectum, per quæ ille qui habet ventilabrum in manu sua, & purgat aream suam, separat grana à paleis, & ea mittit in horreú suú. At Petrus breui mutat vult' suos, & ad solita rediens, nobis efficitur alienus. Adjuvate nunc, quæso, fratres, fortis est, vincula dirumpit, magisterio fulget, eum retinere non possum. Dicit nullis interpositis, quod mihi magni miraculi res est. Ergo, inquit, *& ipsum liberum arbitrium quia bonum est, diuina gratiæ est donum: & ipsa ratio, in qua ipsum consistit.* Verum est, sed aliter

Psalm. 34.

Verba Abaelardi.

Inualida est hæc argumentatio, vt in Notis ostendam.

Dona naturæ diuersa à donis gratiæ

Verba Abaelardi.

Verba Abaelardi.

agis. Nam & liberum arbitrium, & ratio in qua illud consistit, communia sunt & electis & reprobis. Obloqueris, & sophisticus es, non sic agebamus de gratia. Sed vehementior efficitur in sequentibus. Nam dicit. *Cùm igitur Dominus tam electis quàm reprobis rationem tribuat, & viā ostendat, quā perueniendum sit ad beatitudinem: & ad hanc percipiendum, quam omnibus offert, praeceptis & exhortationibus suis nos iugiter inuitet: alij super hac eum audiunt, & praeceptis obtemperant, bene viuendo, vt oblata percipiant praemia: alij contemnunt, & in sua remanentes ignauia, obedientiae laborem refugiunt* Miror, si vigilabat, qui talia scribebat, tam sibi dissentiens de re eadem penè loco eodem. En quò validus concionator, & diuinae gratiae defensor, citiùs quàm sperabā, euanuit, & contempto disputationis ordine legitimo, tritas familiaris suae semitas deseruit. Ponit namque rete mendacij, dum asserit, quòd ad percipiendam beatitudinem, quam secundū se offert omnibus Deus, praeceptis & exhortationibus, omnes inuitet. Transeo de pueris recēs natis, tā de Gentibus quā de Christianis parentibus procreatis, non baptizatis, & morte praevētis: transeo de pluribus in pluribus locis nunc degentibus; qui praedicationem Christi non audierunt, sine qua nemo potest peruenire ad verā beatitudinem. Respondeat si potest de Gentib' innumeris ante Saluatoris aduentum penè toto orbe cultui idolatriae deditis: notus enim tantum erat in Iudaea Deus. Cur, sicut legitur in Actis Apostolorum, permisit illas Deus ingredi vias suas; quasi diceret, vias eorum, non vias mandatorum Dei, ne peruenirent ad salutem, nisi occulto, sed numquam iniusto iudicio? Quaerit iā nunc, quia sic placet ei, qui philosophiae abyssi puteos exhausit, & modò non audiens, *Altiora te ne quaesieris, & maiora te ne scrutatus fueris;* inscrutabilia Dei iudicia temerarius inuestigator cum Porphirio philosopho: quaerit inquam cum Iuliano Augusto Apostata, (qui in expeditione contra Euangelia Christi libros scripsit octo,) cur Deus Christianorum, qui secundū eos mundi saluator erat, in nouissimis temporibus ortus est, & innumerabilibus iam damnatis in inferno tam tardè salutē operatus est. Audiat à Propheta. *Iudicia Dei abyssus multa.* Audiat ab Apostolo. *O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia ejus, & inuestigabiles viae ejus!* Quid ergo restat, nisi, vt aut tot tantisq; testibus decredat, & Christian' non sit; aut si credit, scrutari desinat inscrutabilia, & quietus sit. De hac tamen profunditate, qui fideliter inquirere voluerit, legat secundum capitulum, quod est de tempore Christianae religionis, libelli illius, quē composuit B. Augustinus ad Presbiterū, qui vocabatur, Deo gratias. At Petrus domi cum Iacob habitare simplex dedignatur: sed fortis venator vt Esau siluas ingreditur vmbrosas; & ex arcu peruerso quem diutius extenderat, conditionis huius toxicatam sagittam emittit. Sic enim, inquit. *Ad bene viuendum reprobos praeparari, sicut electos, id videlicet dicendo & admonendo, & facultatem praebendo, vt nulla iam superfit excusatio.* Et loquens cum aduersarijs, adiungit dicens. *Sed dicis, quia Deus bonam voluntatem in reprobis non fecit, sicut in electis.* Et qui catholicae firmitudinis fundamentum modis omnibus destruit, & more suo de suo loquens sic destruit. *Culpandi*, inquit, *reprobi nō sunt, si rectè non viuunt, sicut electi; cùm ad rectitudinem vitae illis fit illa negata gratia, sine qua rectè viuere nullatenus possunt.* Haec est vetustissima Pelagianorum haereticorum argutio: hac machina gratiae singularis excellentiam oppugnabant, sed non expugnabant. Et ad hoc vsque haec falsa beneuolentia eos trahebat, quatenus infantes sine originali peccato nasci perhiberēt; & sine baptismo in regno coelorum eos ingredi praedicarent. Sed quantum ista falsa sint, latet neminem, qui catholica doctrina, & maximè beati verbis Augustini eruditus sit. Petrus ergo, qui superiùs Pelagianam haeresin anathematizauerat, & contra eam fortiter, veraciter, catholicè, disputaverat, nunc talibus obligationibus erroris inuoluitur, vt patenter asserat, ad illam suam communiter omnibus, id est, & electis & reprobis, oblatam gratiam, nullam cordis à Deo praeparationem fore necessariam: sed hanc ex libero arbitrio omnibus inesse, quod eā quisque potest recipere; & quòd Deus bonam volūtatem non faciat in electis suis, sicut nec in reprobis; qui tamen si id faceret in electis, & non similiter faceret in reprobis, bene de rectitudine vitae reprobi se possent excusare. Ecce ad quantas faeces liberi defensor arbitrij delaps' est, cùm Apostolus dicat, *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere:* quia illa gratia, quam praedicamus, talis est, vt faciat hominem, quod nolebat, bene velle: & quòd non poterat, posse. Nō enim sic collata est, vt vacās sit: quia diuinae propitiationis inspiratio est, & erigit iacētes, & caecos illuminat, & infirmos fortes facit, & mortuos suscitat, & quoscumque praedestinauit, ad vitam aeternam perducit. Non est impotens, nō fallit, non est omnibus communis. Eorum praecordijs à Deo infunditur, quorum certus est numerus, quorum nemo perit, quia nemo potest rapere oues Christi de manu Patris Christi. Hoc assertionis nostrae munimentum Sanctorū Patrum testimonijs firmandum est, vt sic liberū praedicetur arbitrium, ne gratia negetur: & sic gratia confirmetur, ne liberum destruatur arbitrium. Augustinus in epist. 1. ad Valentinū Abbatem. [Dominus Iesus,] inquit, [non priùs venit, vt judicaret mundum, sed vt saluaretur mundus per ipsum: postea judicabit ipse mundum, quādo venturus est judicare viuos & mortuos. Si ergo non est Dei gratia, quomodo saluat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mūdum?] Et infrà in eadem. [Cauete ergo, quod tantus Apostolus tam terribiliter dicit, & vbi sentitis non vos intelligere, interim diuinis eloquijs credite, quia & liberū arbitriū nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo.] Idem in 2. epist. ad eundem. [Fides Catholica liberum arbitrium nō negat, siue in malum, siue in bonum: neque tantum ei tribuit, vt sine Dei gratia valeat aliquid, siue vt ex malo cōvertatur ad bonum, siue vt in bono perseueranter proficiat, siue vt ad bonum sempiternum perueniat.] Idem ad Iulianam. [Liberum arbitrium, nisi gratia Dei iuuetur, nec ipsa bona voluntas in homine esse potest.] Et in lib. de verbis Domini. [O malum liberum arbitrium, nisi Dei gratia iuuetur.] Et ad Optatum. [Meritò videretur injustum, quòd fiunt vasa irae ad perditionem, si non esset ipsa massa vniversa ex Adam damnata. Quod ergo fiunt nascendo vasa irae, pertinet ad debitam poenam, quòd autem

Verba Abaelardi.

Psalm. 75. Acto. 14.

Eccli. 3.

Porphirius & Iulia scripserunt adversus Euāgelium.

Psalm. 35. Rom. 11.

Aug. epist. 49. quaest. 2.

Abaelardi verba.

Philip. 2.

Nec gratia, nec liberum arb. destruendum.

fiunt renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam.] Item ad eundem. [Non solùm justus, sed & misericors figulus alia vasa in honorem, secundùm gratiam, non secundũ debitum, facit, dum & parvulis subvenit, quorũ nulla merita dici possunt: & majores præuenit, vt habere aliqua merita possint.] Idem in libro de Ciuitate Dei. [Dicitur etiam voluntas Dei, quam facit in cordibus obedientium mandatis ejus: de qua dicit Apostolus. *Deus est enim, qui operatur in vobis velle.*] Vbi est ergo Petrus & sequentes ejus, qui confidentes in virtute sua, & in simulachris mendaciorum suorum, dicebant, nõ est hominibus necessaria cordis præparatio à Deo: non facit Deus bonam voluntatẽ in electis suis? Resistitisne adhuc? Audite, quid gratia faciat in homine. Augustinus in Enchiridio. [Sola gratia secernit à perditis, quos concreauerat in eadem massa perditionis ducta ab origine causa communis.] Et in lib. de perfectione justitiȩ hominis. [Si per seipsum potest esse homo sine peccato, ergo Christus gratis mortuus est. Non autem gratis Christus mortuus est. Non igitur potest homo sine peccato esse, etiamsi velit, nisi adjuvetur gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.] Et in lib. de natura & gratia. [Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjuvetur, non potest cernere; sic & homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ diuinit⁹ adjuvetur, rectè nõ potest viuere.] Itẽ in eodẽ. [Charitas Dei diffusa est in cordib⁹ nostris, nõ naturȩ possibilitate, nec libero arbitrio, quod est nobis; sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.] Audite, quod etiam volũtas à Domino prȩparatur. Augustinus in lib. de Corrept. & gratia. [Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat, voluntas deficeret: & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia sicut scriptum est, *preparatur voluntas à Domino Deo*; ideo pro illo Christi non potuit esse inanis oratio.] Item audite, ꝙ gratia bonã voluntatẽ faciat in homine. August. in lib. de grat. & libero arbitrio. [Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera, quando seruit peccato, & tunc est mala; aut à peccato libera est, quando seruit iustitiæ, & tunc est bona. Gratia verò Dei semper est bona: & per hanc fit, vt sit homo voluntatis bonæ, qui priùs fuit voluntatis malæ.] Audite, quòd gratia inanis non fit. Prædestinatio enim, vt Augustinus definit, *est gratiæ preparatio*, gratia verò est *prædestinationis effectus*. Prædestinatio verò falli non potest, nec gratia frustrari, quæ non solùm bonum infundit, sed etiam primitus malum expellit. Augustinus ad Prosperũ, & Hilarium, qui eum suis epistolis de talibus interrogauerãt, in lib. de Prædestinatione Sanctorum. [Hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primit⁹ auferatur. Quando ergo Pater intus auditur & docet, vt veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum.] Audite, quòd gratia communis non fit. Augustin⁹ ad eosdem in eodem libro. [Non omnium est fides, cùm fidem posse habere sit omniũ. Non autem ait Apostolus, quid autem potes habere, quod non accepisti, vt possis habere: sed ait, *Quid autem habes, quod non accepisti?* Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatẽ, naturæ est omnium hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium.] Idem ad Valentinum libro de gratia & libero arbitrio. [Hoc etiam Pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse ipsam naturam in qua creati sumus; vt habeamus mentem rationalem, qua intelligere possimus, facti ad imaginem Dei. Sed non est hæc gratia, quam commendat Apostolus per fidem Iesu Christi. Hanc enim naturam etiam cum impijs & infidelibus certum est nobis esse communem. Gratia verò Iesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides, id est, electorum: non enim omniũ est fides. [Idem de eodẽ super psalmũ 77. [Cùm essent, inquit, antiquis Patribus communia omnia sacramenta; non communis erat omnibus gratia, quæ sacramẽtorum virtus est; sicut & nũc jam reuelata fide, quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris & Filij & Spiritussancti baptizatis cõmune est lauacrum regenerationis: sed ipsa gratia, cujus ipsa sunt sacramenta, qua mẽbra corporis Christi cum suo capite regnatura sunt, non communis est omnibus.] Sentit idem Sanctus Innocentius Papa, & Petri cathedram defendens ab errore, ad eũdem & cæteros Afros Episcopos, qui de Concilio Mileuitano scripserant, eis loquitur in hunc modum. [O prauissimarum mentium peruersa doctrina, Adverte tãdem, quòd primum hominem libertas ipsa ita decepit, vt dum indulgentiùs frænis ejus vtitur, in præuaricationem præsumptione conciderit: nec ex hac possit erui, nisi ei per prouidentiã regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformaret aduentus.] Videte, qui legitis, & intelligitis, si districtiùs dictum est alicubi à B. Augustino, sicut hic ab Innocentio, ad quid valeat libertas arbitrij, si non adjuuetur gratia Dei. Cùm enim, vt Augustinus dicit in Enchiridio, [primus homo peccauit, & se, & liberum perdidit arbitriũ. Aliter enim habuit liberum arbitrium ante peccatum, aliter post peccatum; aliter per gratiam, aliter habebit, cùm habebit vitam æternam. Ante peccatum sic liberum habuit, vt in bono stare posset, si vellet: post peccatum sic debilitatum, vt de malo per se nũquam surgere possit; sed per gratiam nõ communiter omnibus oblatam, sed tantummodo in cordibus electorum per Spiritum sanctũ diffusam sic melioratum, vt bonum agere & velit & possit.] Sed alterius temporis hæc disputatio est. Beatus denique Gregorius hæc eadem confirmat, dicens, ita libro 27. Moralium. [Dum ergo prædicatores sancti & vocantur ad Macedoniam, & ab Asia prohibentur; istinc occultarum mẽsuratum linea ducta est, hinc reducta. Illinc tenditur, vt Macedonia intra Sanctæ Ecclesiæ spatia colligatur: hinc attrahitur, vt ad fines fidei Asia relinquatur.] Et infra in eodem. [Istæ mensuræ & lineæ occultorum judiciorum Dei tendebantur, cùm sicut legimus in Euangelio alius secuturum se promittit & repellitur: alius relaxandum se postulat, & retinetur.] Et in 29. ejusdem operis. [Quia omnipotens Deus sanctos suos de impijs elegit, & quàmmultos electos adhuc intra prauorum vitam repositos habeat, nouit, aptè in niue vel grandine thesauros habere se perhibet. Thesauri quippe ἀπὸ τῆς θέσεως, id est à positione nominãtur, & plerosque in vitæ frigida diu latentes respicit, quos ad me-

Philip. 2.

Iustificatus indiget gratia ad bene viuendum.

Prædestinationis definitio.

1. Corin. 4.

Pelagiani per gratiam intelligebãt naturam.

Liberum arb. quale ante & post peccatum.

Act. 16.

dium cùm jubet producit: justitiæ nitorem candidus per supernam gratiam facit.] Et hæc Catholicorum disputatorum de gratia testimonia sufficiant. Scripsit autem idem Petrus aliud opusculum, quod. *Scito teipsum*, intitulauit; & suam, ni fallor, Ethicam appellauit. In eo, sicut & in supradictis sua vocum acceptione nouitatis incude vana & animarum saluti noxia cudês, plurima de moribus contra morem Ecclesiasticum disputauit. At vt ei contradicant, alijs relinquimus, qui dignitate loci, & acrimonia ingenij & labore studij, & feruore belli, mihi abjecto in domo Dei mei, meique similibus, incomparabiliter præferuntur. Cæterùm, quoniam propitia diuinitate profundissimarum quæstionum naufragia incolumi naue, non ingeniolo meo, sed Sanctorum Patrum remis euasi: stylo theca reposito quieto lectionis & orationis portu lætus ac securus excipior, Christo Deo meo, vestræque Excellentiæ grates accumulatissimas agens; quorũ, illius scilicet inspiratione, vestraque iussione, præsens opus expleui.

RESPONSIO,
Petri Abaëlardi contra calumnias objectorum.

HÆC *responsio potiùs inscribenda fuit*, Retractatio calumniosa errorum Petri Abaëlardi. *Constat enim ex disputationibus suprà relatis Guillelmi Abbatis S. Theodorici, & alterius Abbatis anonymi, errores, qui in hac responsione damnãtur, à Petro Abaëlardo fuisse propugnatos & scriptos; vt ex ipsiusmet verbis, quæ illi authores retulerunt, manifestum est. Quòd si nihil horum docuisset, quid ex ejus libris in Consilio Senonensi lectis, vt in vita S. Bernardi habetur, decerpi potuisset, quod aures Prælatorum læderet? Cur ibi non probauit, se nihil eorum, quæ objiciebantur, docuisse, aut in scriptis suis reperiri posse? Calumniosa ergo est hæc responsio, & verè docuit errores Abaëlardus, qui hic, siue ab ipso, siue ab alio, ejus nomine damnantur.*




NIVERSIS sanctæ Ecclesiæ filijs, Petrus ex eis vnus, sed in eis minimus. Notum proverbium est, *nihil tam bene dictum, quòd non possit depravari:* & vt meminit beatus Hieronymus, *qui multos scribit libros, multos sumit Iudices.* Ego quoque cùm scripserim pauca vel ad comparationem aliorum nulla; reprehensionis notam effugere nõ potui: cùm tamen in ijs, de quibus grauiter accusor, nullam, sciat Deus, meam recognoscam culpam: nec siqua fuit, procaciter defendam. Scripsi fortassis aliqua per errorem, quæ non oportuit: sed Deum testẽ atque Iudicem in animã meam inuoco; quia de ijs, de quibus accusor, nihil per superbiam, aut per malitiam præsumpsi. Multa in scholis multis locutus sum; nec aquam furtiuam, vel panem absconditum habuit doctrina mea. Palam locutus sum ad ædificationẽ fidei infirmorũ, quod mihi salubrius visum est. Et quæcumque scripsi, omnibus libenter exposui: vt eos iudices, non discipulos, haberẽ. Quòd si vspiam per multiloquium excessi, vt scriptum est, *In multiloquio non effugies peccatum*, numquam importuna defensio me fecit hæreticum; paratum semper de malè dictis meis corrigendis, siue delendis. In quo certè proposito vsque in finem perseuerabo. Sed sicut malè dicta mea, siqua sunt, vellem corrigere: sic crimina non rectè mihi obiecta propulsare me conuenit. Cùm enim dicat beatus Augustinus, *Crudelis est, qui famam suam negligit:* ac iuxta Tulliũ, *taciturnitas confessionem imitatur;* cõsciptis contra me capitulis æquum duxi respondere: ea videlicet ratione seruata, quam circa detrahentiũ linguas beatus Gregori⁹ fideles his instituit verbis. *Sciendum est, quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare; ne ipsi pereant, ita per malitiam suam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat: aliquãdo autem compescere, ne dum mala de nobis disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant.* Agnoscat ergo fraterna charitas, me qualemcumque filium Ecclesiæ, cum ipsa me recipere integrè cuncta quę recipit, respuere, quæ respuit: nec me vmquam veritatem fidei scidisse, cùm impar sim cæteris morum qualitate. Quod mihi igitur per malitiam aut per errorem impositum est; quod de *Deo* scripserim, quia Pater est plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritussanctus nulla potentia: hæc ego verba, non tam humana, quàm diabolica, sicut justissimum est, abhorreo, detestor, & ea cum authore suo pariter dãno: quæ si quis in meis reperiat scriptis, non solùm me hæreticum, sed etiam Hæresiarchã profiteor. Tam Filium, quàm Spiritum sanctum, ex Patre profiteor esse; vt ejusdem sint cum Patre substantiæ, ejusdem voluntatis penitus atq; potentiæ: quia quorum est eadem essentia, nulla potest vel voluntatis diuersitas esse, vel potẽtiæ inæqualitas. Quisquis autem me scripsisse asserit, quòd de substantia Patris & Filij Spiritus etiam sanctus non sit; malitiæ id vel ignorãtiæ maximæ fuit. Solum Filium Dei Incarnatũ profiteor, vt à seruitute peccati, & à jugo diaboli nos liberaret, & supernæ aditum vitæ morte sua nobis reseraret. Ipsum Christum sicut verum & vnicum Dei Filium ex substantia Patris ante sæcula genitum, ita in Trinitate tertiã personam Spiritum quoq; sanctum tã ab ipso Filio, quàm à Patre, procedentem, & credens assero, & asserens credo. Gratiam Dei ita omnibus necessariã dico, vt nec naturæ facultas, nec arbitrij libertas, sine illa sufficere possit ad salutẽ. Ipsa quippe gratia nos præuenit, vt velim⁹: ipsa subsequitur, vt possimus: ipsa nos conseruat, vt perseueremus. Deum ea solummodo facere credo, quæ ipsum facere conuenit: & quòd multa facere posset, quæ non facit. Multa quoque per ignorantiam facta culpæ sunt ascribenda: maximè cùm negligentia nostra contingit nos ignorare, quod nobis necessarium erat nosse: qualis ille fuit, de quo Psalmista, *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Mala Deum frequenter impedire fateor; quia non solùm effectum malignantium præuenit, ne quod volunt, possint; verum etiam voluntatem eorum immutat, vt à malo, quod cogitauerunt, penitus desistant. Ex Adam, in quo omnes peccauimus, tam culpam quàm pœnam nos contraxisse assero: quia illius peccatum no-

strorum omnium peccatorum origo extitit atq; causa. Crucifixores Christi in ejus crucifixione grauissimum peccatum fateor commisisse. Multa de Christo dicuntur, quæ non tam secundùm ipsum caput, quàm secundū corpus ipsius, quod est Ecclesia, sunt accipiēda: vt ille spiritus timoris, qui est initium sapientiæ, quem videlicet timorem perfecta charitas foras mittit. Hujus spiritum timoris in anima Christi, quæ perfectissimam habuit charitatem, nūquam fuisse, credendum est: qui tamen inferioribus ejus membris nō deest. Tantæ quippe perfectionis & tātæ securitatis anima illa extitit per ipsam verbi vnionem; vt sciret, nihil omnino posse committere, vnde pœnas incurreret, vel Deum offenderet. Castum ergo timorem in sæculum sæculi permanētem, qui propriè reuerentia charitatis dicitur, tam ipsi quidem animæ Christi, quàm electis Angelis ejus semper recognosco. Vnde de supernis spiritibus scriptum est. *Tremunt potestates.* Potestatem ligandi atque soluendi omnibus successoribus Apostolorum, æquè vt ipsis Apostolis, concessam esse profiteor: & tam dignis quàm indignis Episcopis, quamdiu eos Ecclesia recipit. Omnes in dilectione Dei & proximi æquales, æqualiter bonos profiteor, & merito pares: nec quidquam apud Deum meriti perit, si bonæ voluntatis affectus in suo præpediatur effectu. Non enim Angelus, cùm à Deo missus, quod facere vult, impleuerit, aut ipsa anima Christi melior efficitur, cùm suæ voluntati effectum addidit: sed æquè quilibet bonus permanet, siue tempus operandi habeat, siue non: dummodo bene operandi æqualem volūtatem habeat. Deum Patrem æquè sapientem, & Filium æquè benignum, vt Spiritum sanctū, confiteor: quia in nulla boni plenitudine, in nulla dignitatis gloria differre vna persona potest ab alia. Adventum Filij in fine sæculi posse attribui Patri, numquam, sciat Deus, in mentem meam venit, nec se verbis meis inseruit. Sic animam Christi non per se ad inferos descendisse, sed per potentiam, omnino à meis verbis & sensu remotum est. Nouissimum capitulum scripsisse criminor; quòd neque opus, neque uoluntas, neque concupiscentia, neque delectatio, quę mouet eam, peccatum sit: nec debemus eā velle extingui; nec minùs à meis dictis quàm scriptis alienum est. Quod autem capitula contra me scripta tali fine amicus noster concluserit, vt diceret, *Hæc capitula partim in libro Theologiæ, partim in libro sententiarum ejusdem, partim in libro, cui titulus,* Scito teipsum, *reperta sunt,* non sine admiratione maxima suscepi: cùm nūquam aliquis liber, qui sentētiarum dicatur, à me scriptus reperiatur. Sed sicut cætera contra me Capitula, ita & hoc quoque per malitiam & ignorantiam prolatum. Siquid igitur consolationis in Christo Iesu, si qua viscera pietatis, fraternā charitatem vestram exoro, vt innocentiam, quā à culpa veritas liberat, infamiæ veneno respergendo, non delinquat, Charitatis quippe est, opprobrium non accipere aduersus proximum: & quæ dubia sunt, in meliorem partem interpretari: & illam semper Dominicæ pietatis sententiam attendere. *Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.* *Luc. 6.*

PRÆCLARA *est hæc fidei professio, hoc excepto, quod Abaelardus oppositos errores se docuisse aut scripsisse inficiatur, & S. Bernardum, aliosque, qui prædictos errores ei obiecerunt, ignorantia aut malitia insimulat. Vt autem magis conuincantur, qui hoc mendacio Abaelardi persuasi sunt, vt dicerent Sanctum Patrem & alios sapientissimos viros contra larvas pugnasse, Abaelardum impugnantes, disputationi Abbatis anonymi aduersus eūdem Abaelardum attexere visum est testimonium vnius ex discipulis eiusdem. Hic est Gaufridus olim S. Bernardi notarius, & qui tres vltimos vitæ ejus libros scripsit, eique in regimine successit, quarto loco Clara-vallensis Abbas creatus, qui priùs discipulus & auditor Petri Abaelardi fuerat. Is vnum ejus errorem occasione materiæ quam tractabat, verbis sequentibus refellit.*

Gaufridus Sermone 8. *de Resurrectione Domini, in illud,*
Expurgate vetus fermentum, *&c.*

IAM verò in his Paschalibus epulis non nobis est prætereundum, quòd eiusdem agni caput cum pedibus & intestinis vorare præcipimur: nec rite Pascha celebrat, qui ista omnia non vorat. Pedes eius non inconuenienter accipimus operum exempla: quos fideliter vorat, qui efficaciter eadem imitatur. Intestina eius affectio intimæ charitatis, quā nobis tantam exhibuit, vt animam poneret pro amicis. Infelix nimium, qui illa non vorat, cui illa non sapiunt: qui non reficitur, non satiatur, non saginatur, ruminando & redamando. Cæterùm, ego mihi aliquando magistrum fuisse recordor; qui cum pedibus & intestinis nil amplius de agno Paschali aut ipse vorans, aut discipulis exhibens, & se pariter & suos non modica eius parte fraudabat. Siquidem pretium redemptionis evacuans, nil aliud nobis in sacrificio Dominicæ passionis commendabat, nisi virtutis exemplum, & incentivum amoris. Quod enim Scripturæ perhibent de potestate diaboli pretioso sanguine humanum genus esse redemptum; in eo solo constare dicebat, quòd exemplum nobis exhibitum est vsque ad mortem pro iustitia & veritate certandi: & adhibitum velut quoddam incentivum amoris; cùm pro impenso amore occasio data est redamandi. Et quidem magna hæc & vera, sed non sola. Benedictus Dominus, qui mihi simul & vobis magistrū postea dedit meliorem, per quem prioris redarguit ignorantiam; insolentiam confutauit. Ille enim tamquam verus Hebræus auidè prorsus vorabat, & vorandum nobis solicitè commendabat caput cum pedibus & intestinis: sic imitandum prædicans Dominum patientem, sic redamandum amantem; vt principalem hujus sacrificij causam velut Agni caput redemptionem in eo profiteretur & adoraret humanam. *Hæc Gaufridus in prædicto Sermone, propter quæ aliqui existimarunt eum scripsisse librum aduersus Petrum Abaelardum; ex quo sumpta sint prædicta ejus verba. Sed nihil aliud scripsit in eum, nisi verba relata in sermone prædicto.*



TRACTATVS DOMINI

IACOBI DE THERMIS ABBATIS CAROLILOCI, CISTER. Ordinis: contra Impugnatores Exemptionum & Priuilegiorum, Editus Viennæ tempore Concilij Generalis.

Respondet potissimum libro Ægidij Romani, contra exemptiones Religiosorum scripto.



Ezech. 34. SALVABO *gregem meum, & non erit vltra in rapinam; & iudicabo inter pecus & pecus: & suscitabo super ea pastorem vnum, qui pascat ea, seruũ meum Dauid* Rectè principans in qualibet ordinata politia sic perfectus existens, vt eius comparatione multitudo sibi subdita grex dicatur, sicut debet finale bonum communitatis intendere, in quod subditi ad suam politiam pertinẽtes principaliter ordinantur; sic debet contraria remouere, per quæ possent sui ciues ab assecutione finis intenti damnabiliter impediri; & prouidere media, per quæ possint finem hujusmodi perfectiùs & commodiùs, & efficaciùs adipisci: & quantò est politia nobilior, & ad finem altiorem ex intentione principantis immediatiùs & principaliùs ordinata, tantò debet in talibus cura solicitior adhiberi. Per hunc modũ summus princeps & pastor, vnigenitus Dei fili⁹, Mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus, fundator & rector, caput & principium ac finis totius politiæ Christianæ, tamquam princeps excellentissimus, inflammatus ardentissima charitate, ciues hujusmodi politiæ Ecclesiæ militantis, in finem supremũ & altissimum æternæ beatitudinis, quæ in Christo vna cum Patre & Spiritu sancto objectiuè consistit, ipso dicẽte in Ioanne, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum,* &c. voluit ordinare, secundùm exigentiam dicti finis; & impedimenta remouit, & media conuenientissima prouidit, ad eius assecutionem faciliùs & efficaciùs obtinendam. Vnde & vt Ecclesiam, cui comparatur, non solùm sicut sponsus ad sponsam, verumetiam sicut pastor ad gregem, in vberrimis pascuis felicitatis æternæ collocaret, tamquam bonus pastor animam suã pro ouibus suis posuit: ipsas redimens suo sanguine pretioso, ipso dicente. *Ego sum pastor bonus, & animam meam pono pro ouibus meis.* Et infrà quantùm ad mediorum prouisionem, impedimentorum remotionem, & finis assecutionẽ, subiungit. *Oues meæ vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me: & vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Verùm, quia præsciuit, quòd oues sine pastore faciliter disperguntur, peracto nostræ redemptionis mysterio, post suã resurrectionem tamquam homo peregre proficiscens, ascendens in altum, suas oues tam carè & pretiosè redemptas adhuc peregrinantes in hoc mundo, sine pastoris conuenienti regimine relinquere nolens, primum ministerialem vicarium, hierarchum & monarcham super omnem Ecclesiam Petrum constituit, dicens ei per se & suis successoribus. *Pasce oues meas.* In quo verbo absque determinatione horum vel illorum, sed absolutè dicendo, *Pasce oues meas*, sibi suisque successoribus omnium ouium ad gregem Christi pertinentium curã commisit, eique duas claues sub typo duorum gladiorum tradidit: vt sic daret intelligi, quòd ad ipsum, suisq; successores regimen vniuersalis Ecclesiæ, tam in spiritualibus quàm in temporalibus pertineret, in his potissimè quæ pertinent ad salutem animarum: vt sic potissimè per connexionem ciuium Ecclesiæ ad vnum finem, fieret vnum ouile, & vnus pastor: quod clarè quantum ad omnia prædicta datur intelligi in verbis præassumptis, cùm dicitur. *Saluabo gregem meum,* &c. Saluabo gregem meum, inquam, quantum ad præstitutionem & largitionem supernaturalium præmiorum. 2. ad Timot. 4. *Liberauit me Dominus ab omni malo, & saluum faciet in regnum suum cæleste. Et non erit vltra in rapinam*, quantum ad remotionem impedimentorum. *Et iudicabo inter pecus & pecus,* quantum ad discretionem meritorum. *Et suscitabo super ea pastorem vnum*, quantum ad regimen conuenientem subditorum. Per istum pastorem summus Pontifex congruè designatur. Nam cùm omnis multitudo participet aliqualiter vno, si esse debeat ordinata, secundùm Proclum, sequitur secundùm Philosophum illum, quòd vbicumque aliqua plura vnum commune constituunt, sit inuenire principans & subjectum: sicut in mixto est vnum elementũ prædominans, & in homine anima cordi, & intellectus appetitui sensitiuo, & in exercitu dux militibus, & in domo vir vxori; & vniuersaliter masculus feminæ, & homo bestijs dominatur: vt exemplificatur ibidem, iuxta illud 7. q. 1. *In apibus princeps vnus; grues vnam sequuntur ordine literato.* Cùm igitur vna sit Ecclesia, vna sponsa, vnus grex ouium Christi, vnus fidelium populus, vna fides, vnum baptisma, vnum corpus Christi mysticum; necesse est, ad hoc quòd per debitam connexionem in Ecclesiastica hierarchia fiat ordinata reductio, quòd ibi sit vnus monarcha, vnum caput, habens super omnes & singulos ad hierarchiam Ecclesiasticam pertinentes, claue non errante, plenitudinem potestatis: à quo dependeat non solùm omnis spiritualis potestas in alijs, sed & temporalis, quantum ad ea, quæ pertinent ad salutẽ: sicut quantum ad mores, inquantum est ibi ratio virtutis vel vitij, quantum ad articulos fidei, & quantũ ad Ecclesiæ sacrament. Ista enim sunt media perueniendi ad salutem felicitatis æternæ: ad cujus felicem assecutionem, pro se & pro grege sibi commisso Papalis potestas, vt Papalis, præcisè & principaliter ordinatur. Et secundùm hoc debet intelligi illud, quod dicitur 22. d. c. *Omnes.* Romanam Ecclesiam solus ipse fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni

Ioan. 17.

Ioan. 10.

Papa est monarcha Ecclesiæ.

Pontifex per Pastorẽ vnum designatur.

simul & cælestis Imperij iura commisit: vt de isto vno pastore possit exponi illud [. Pastor
Ezechi. 37. vnus erit omnium eorum, qui in judicijs meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea, & habitabunt super terrā, quam dedi seruo meo Iacob.] Ex quibus omnibus euidēter colligitur, quòd summus Pontifex immediatus pastor est, & prelatus ordinarius cujuslibet Christiani: vt sic modi diuini, ratione plenitudinis potestatis sibi traditæ, aliqualiter imitator in regiminæ vniuersalis Ecclesiæ, non solùm sit ordinarius generalis, sed etiam specialis cujuslibet Christiani. Sicut Deus non solùm est causa vniuersalis, sed etiam propria cujuslbet entis creati, quod aliquam participat entitatem. Alij autem Pastores & Prælati specialium Ecclesiarum in partem solicitudinis sunt vocati. Ex quo sequitur, quòd nullus Christianus potest eximi ab ejus ordinaria potestate; licet per Papam ipsum, cui cura & ordinatio regiminis Ecclesiastici principaliter est commissa, certis ex causis à iurisdictione aliorum propriorum Prælatorū aliqui, vt in prosequendo patebit, rationabiliter eximantur. Et hoc primò propter boni Religionis maiorem promotionem, quantum ad Ordines generales vbique terrarum diffusos, habentes in suis statutis connexionem ad inuicem, quantum ad obseruantias regulares, quibus competit exemptio: dato quòd Prælati vel diœcesani in nullo excederent contra ipsos. Secundò propter impedimentorum & grauaminum amotionem; quæ à diœcesanis Religiosis plerisque multipliciter inferuntur. Decet enim summum Pontificem Christi vicariū, illos specialiori fauore prosequi, immediatiùs & soliciriùs protegere, & præ alijs hon orare; qui Christi vestigia non solùm quantum ad præcepta, verum etiam quantum ad consilia perfectiùs imitantur: præsertim cùm Christus suis præcipuis sectatoribus relinquentibus pro ipso temporalia & caduca, ac per hoc dicentibus cum Petro, cujus est Papa successor, *Ecce reliquimus*
Mat. 19. *omnia, & secuti sumus te*, promisit in futurum super duodecim tribus Israël judiciariā potestatem. Licet enim Christus ad regimen Ecclesiæ in partem solicitudinis vocauerit Apostolos & Pastores, quibus succedunt Episcopi, habentes in determinatis partibus ordinariam potestatē: quia tamen præuidit quamplurimos ipsorum à regimine pastoralis officij multipliciter deuiare, pascentes semetipsos, & gregem dominicum relinquentes, ac per hoc regimen politiæ Ecclesiasticæ peruertentes, juxta illud 3. Politicorum. Quæcumque politiæ intendunt, quod communiter conferens, ipsæ quidem rectæ, secundùm id quod simpliciter iustum: quæcumque autem ...& omnes sunt transgressiones rectarū politiarum. Huic morbo salubriter prouidendo per Ezechielem Prophetam iamdiu antè dixit, quòd quantum ad Religiosos suos præcipuos sectatores, regimen ab eis, demeritis eorū exigentibus, auferetur, & deuoluetur ad immediatum regimen summi Pontificis vicarij Iesu Christi, iuxta illud Ezechielis 32. *Ecce ego super pastores requiram gregem meum: de manu eorum, & cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregem meum: nec pascant ampliùs pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum; & non erit vltra eis in escam.* Ex quibus patet ratio eorū, quæ priùs tangebantur in themate præassumpto, vt dicat mediator Dei & hominum, qui vult omnes homines saluos fieri 1. ad Timot. 2. *Saluabo gregem meum*, sibi finem supernaturalem præstituendo & largiendo, *& non erit vltra in rapinam*, ipsum à iurisdictione diœcesanorum, propter eorum rapinam, per exemptione vel priuilegia liberando. Quia tamen inter Religiosos est gradus, ideo *Iudicabo inter pecus & pecus*, eorum merita discernendo. In hoc enim patiuntur ciuitates multæ, quòd vir bonus & promptus ....

........, vt dicit Eustatius super prologo Ethicor.; per quod datur intelligi, quòd illi qui magis vigent in actibus contemplatiuis, diuino seruitio, ac regularibus obseruantijs feruentiùs & perfectiùs insistendo, tales debent præ alijs contra infestationes Prælatorum, ne ipsos contingat in prædictis actibus cōtemplatiuis impediri; & vt possint de bono in melius promoueri: exemptionum & priuilegiorum libertatibus præmuniri. Sequitur. *Et suscitabo super eam pastorem, qui pascat ea*, dictos Ezech. 34.
Religiosos immediatè subiectioni summi Pontificis supponendo, *qui pascat ea*, vel per se immediatè, vel de alijs Pastoribus Ordinis eorum; sicut Abbatibus & alijs, eorum magis expertis & solicitis, prouidendo. Caueant ergo, qui super Religiosos tyrannizare cupientes, exemptiones & priuilegia extinguere moliuntur: ne cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, contra se habeant tam Iudicem, quàm Iudicis Assessores. Quia tamen contra prædicta quidam modum exemptionum & priuilegiorū libertates deliberatione prouida datas & confirmatas à sanctis Patribus summis Pontificibus, qui sedi Apostolicæ præfuerunt, nituntur quibusdam subtilibus philosophiæ verbis & argumentis superficialiter apparentibus impugnare, ideo est primò rationibus ostendendum, exemptiones hujusmodi & priuilegia statui Religionis, ac statui & authoritati summi Pontificis ac vniuersalis Ecclesiæ multipliciter expedire. Secundò erit ad rationes, quæ in contrarium inducuntur, per ordinem respondendum.

Ad declarationem igitur dictorum & dicendorum circa exemptionum & priuilegiorum naturam, tria sunt per modum præambuli præmittenda. Primò est de Ordinibus & Religionibus distinguendum. Secundò ostendetur, qualiter, & quibus de causis exemptiones & priuilegia expediunt: & quòd rationabiliter à summis Pontificibus conceduntur. Tertiò respondebitur ad rationes, quæ ab alijs in contrarium inducuntur. Quantùm ad primum, intelligendum est, quòd sunt quidam Ordines vbique terrarum diffusi in omni natione, vbi colitur & creditur Deus: habentes connexionem ad invicem secundùm subjectionem & superioritatem, quantum ad sanctas obseruantias regulares; habentes vnum caput in illo Ordine, quo mediante in summum Pontificem reducuntur. Summus enim Pontifex mediatè & immediatè se habet diuersis respectibus ad subditos Religionis Christianæ, quantùm ad jurisdictionis ordinariam potestatem. Nec ista duo repugnant, imò de necessitate ad connexionem & convenientiam debitam, & ad salutem Christiani populi in regimine Ecclesiastico requiruntur. Exemplum autem hujusmodi Ordinum poni potest de Ordine Cisterciensi, Cluniacensi, Præmonstratensi, Prædicatorum,

catorum, Minorum, Augustinienſium, Carmelitarum, & ſic de alijs: & ad hos Ordines generales, quantùm ad rationem generalitatis & diffuſionis, reduci poſſunt aliquæ Abbatiæ ſingulares: quæ licet non habeāt matrem Abbatiam, ſeu patrem Abbatem in eodem ordine, à quo correctionem & confirmationem recipiant: habent tamen Prioratus Conventuales in diuerſis regnis & prouincijs conſtitutos: quorum Priores hujuſmodi Prioratus tenentes, vel in ipſis commorantes, habent à dictis Abbatibus viſitari & corrigi; conſtitui & deſtitui: ſecundùm ordinis inſtituta, quantùm ad obſervationes regulares. Secundò ſunt alij Ordines, ſiue ſub alia, ſiue ſub eadem regula cum prædictis, Domino militantes: quorum Abbatiæ vel Abbates nullam connexionem habent ad inuicem, quantùm ad aliquam juriſdictionem, ſecundùm obſeruantias regulares: & cum hoc tales ſingulæ Abbatiæ ſeu collegia quantùm ad corpus principale, & quantùm ad membra ſecundùm ſui totalitatem, ſub vna diœceſi vel provincia continentur: licet habeant ſingulis annis Capitula prouincialia, prout in Conſtitutione Innocentij tertij continetur. Secundò eſt intelligendū per modum præambuli, quòd exemptiones & privilegia ad duo principaliter ordinantur. Primò ſcilicet ad majoris boni ſpiritualis, tam Religionis, quàm vniuerſalis Eccleſiæ promotionem, vt in proſequendo patebit: & hæc eſt cauſa poſitiua, quare priuilegia & exemptiones hujuſmodi conceduntur: ita vt licet per comparationem ad remotionem ſubjectionis à juriſdictione Epiſcoporum exemptio dicat aliquid priuativum: per comparationem tamen ad finem ad quem ordinantur, & ad motivum concedentis, dicunt aliquid poſitivum; vt videlicet actibus cōtemplatiuis, ac diuino ſeruitio, quietiùs & liberiùs inſiſtatur; vt in proſequendo patebit. Secundò ordinantur exemptiones & priuilegia ad remouendum prohibens, ſcilicet multa grauamina Prælatorum; quæ Regioſis ante eorum exemptionem ſeu priuilegia multipliciter inferebant. Tertio eſt intelligendum per modum præambuli, quòd Epiſcopi prælati per comparationem ad Religionem ſeu Religioſos conſiderari poſſunt, vt rationabiliter & ſecundùm diuinas Regulas ſe habentes ad dictos Religioſos; vel vt oppoſitum facientes, quod etiam de facto frequenter contingit, prout rei euidentia manifeſtat. Quartò per modum præambuli præmitto, quòd de exemptionibus loquor & intelligo, prout ſe extendunt ad literatas perſonas, & ad literata collegia, & ſpecialiter ad Religiones vbique terrarum diffuſas: in quibus præficiuntur & homines literati, & ſpirituales; qui poſſunt iudicare de alijs; & de ijs quæ ad ſalutem pertinent animarum, ſalubriter ordinare.

Exemptiones ad duo ordinantur.

Secundò principaliter eſt videndum, qualiter, & quibus de cauſis, & quibus perſonis priuilegia & exemptiones expediant: & per cōſequens per quem modum à ſummis Pontificibus rationabiliter concedantur. Circa quæ quinque sūt per ordinem declaranda. Primum eſt, quòd dato, quòd Epiſcopi erga Religioſos non excederent, nec ipſos aliqualiter infeſtarent; quòd loquendo de Religioſis & Ordinibus communibus vel generalibus primò dictis, & vbique terrarum, vbi creditur & colitur Deus, diffuſis, ipſis, & ſtatui ſummi Pontificis, ac vniuerſalis Eccleſiæ, expedit dari exemptiones & priuilegia: & datas ſeu data à ſummo Pontifice conſeruari; prout ordinantur libertates hujuſmodi ad majoris boni ſpiritualis, tam Religionis, quàm vniuerſalis Eccleſiæ, promotionem. Secundò declarandum erit, quòd ſuppoſito malo regimine, & defectu experientiæ, non ſolùm prædictis ordinibus ſic cōmunibus, ſed etiā Abbatijs & Collegijs particularibus, dari & concedi expedit libertates prædictas, & datas confirmari. Tertio oſtēdetur, quod prædictas libertates dari & cōcedi præfatis Religioſis, & datas confirmari, expedit, ſummi Pontificis, item Collegij Cardinalium, authoritati, ſtatui, & honori. Quartò oſtendetur, quòd hujuſmodi libertates modo dicto datæ & confirmatæ expediūt ſtatui & cōnexioni vniuerſalis Eccleſiæ ac exaltationi & promotioni totius fidei Chriſtianæ. Quintò oſtendetur, quòd ſuppoſito bono regimine Prælatorum, non expedit particulares Abbatias ſeu collegia, potiſſimè diſtantes vel diſtantia à Sede Apoſtolica, ita paſſim & regulariter eſſe exemptas vel exempta; ſicut Ordines ſic communes vbique terrorum diffuſos; qui in proprijs ordinibus ſufficientes habent intrinſecos correctores: niſi Capitulis provincialibus vel diffinitoribus eorūdē, de quibus aliqualiter proviſum fuit per Innocentium 3. daretur major authoritas puniendi delinquentes, tam monachos, quàm Abbates. Nec tamen dico, quod ſummus Pontifex nō poſſit aliquas particulares Abbatias ſeu Collegia Canonicorum ſæcularium eximere, ex aliqua rationabili cauſa, & prærogatiua & gratia ſpeciali. Sed hoc dico, quòd non expedit, niſi conditione prædicta appoſita: quòd dictæ exēptiones ſeu priuilegia talibus particularibus Abbatijs ſeu Collegijs ita paſſim & regulariter, ſicut alijs prædictis communibus Ordinibus, concedantur. Nunc ſupponendum eſt, quòd S. & ſummi Pontifices ſanctè & rationabiliter moti fuerint, hujuſmodi exemptiones & priuilegia conferendo. Primum, ſcilicet, quòd tales Ordines ſic generales & connexiones habentes, deceat & congruat per priuilegia & exemptiones eximi à iuriſdictione Epiſcoporū, & immediatè ſub ſummo Pōtifice contineri, declaratur ex tribus principaliter. Primò ex prædictorum Ordinum majori & perfectiori connexione. Secundò ex eorumdem in ſummum Pontificem conuenientiori & poſſibiliori, ſeu faciliori reductione. Tertiò ex multiplici fructus conſecutione. Prima ratio talis eſt. Quia id decet Ordines ſic cōmunes, & ſic congruit, per quod perfectiùs & fortiùs, illi qui ſunt vnius multitudinis, inter ſe & in ordine ad vnum caput ejuſdem ordinis, quantum ad perfecta opera, & ſtatuta ſancta & regularia, cōnectuntur. Sed per priuilegia & exemptiones perfectiùs & meliùs habetur hujuſmodi connexio, quàm ſi carentes hujuſmodi eſſent immediatè ſub juriſdictione Epiſcoporum. Ergo, &c. Maior patet, quia virtus vnita fortior & infinitior eſt ſeipſa diſperſa, ſicut dicit Author de cauſis; & operatur operationes excellentiores & mirabiliores. Si autem ſit diſperſa, operatur operationes viles, vt dicitur in Commento ejuſdem propoſitionis. Et poteſt poni exemplum de exercitu: qui ſi ſit bene vnitus, ordinatus, & connexus, habet virtutem defenſiuam, expugnatiuam, ſeu debellatiuam; ſi autem ſit diſperſus, ſequitur è contra,

Quibus, & quas ob cauſas, exemptiones ſint cōcedendæ.

1. Ratio, cur expediat exemptiones concedi.

Exemplum tertij Regum 22. vbi Michæas Propheta vidit Israël dispersum in montibus, &c. Minor declaratur. Quia non potest esse perfecta connexio alicuius multitudinis seu principatus, nisi per reductioné ad vnum: quia tantò debét esse media pauciora, quantò sunt propinquiora illi vni. Isto modo probat Philosophus 12. Metaphysicæ connexionem vniuersi; reducendo corpora inferiora in corpora cœlestia & superiora, & illa in intelligentias motrices; & illas in vnam intelligentiam primam, à qua dependet cœlum & natura. Et in fine, ex eo quod entia non volunt malè disponi, sed bene, concludit vnum principium, dicens. Vnus ergo princeps. Nec propter hoc intendo arctare numerũ Angelorũ; sed solùm modum connexionis eorum inter se, & in ordine ad primum motorem, qui est Deus; cujus virtute mouent, & cui assimilari intendunt in mouendo; & in quem tendunt, sicut in finem: cùm moueat in ratione amati & desiderati, vt habetur ibidem. Modò certum est, quòd quilibet Ordo sic generalis habet vnũ caput illius multitudinis, cui omnes vnius eiusdem Ordinis subsunt, vel mediatè, vel immediatè: sicut est in Ordine Cisterciensi, Cluniacensi, &c. Nec potest poni aliquis Episcopus, vel Archiepiscopus, vel Primas, citra summum Pôtificem, ad quem talem connexionem habere possent; sed oporteret talem connexionem ad multa capita terminari; quod vnitati & connexioni repugnat: maximè cùm dicti Episcopi & Archiepiscopi frequenter habeant contrarias & dispares voluntates: & statuta contraria in diuersis prouincijs præcipiant obseruari. quare &c.

Secunda ratio pro exêptionibus. Secunda ratio ad probandum primum principale; quæ sumitur ex possibiliori & faciliori reductione dictorum Ordinum ad summum Pontificem, talis est. Quia quandocumque infima per media reducuntur in suprema, & hoc naturali seu regulari & conuenienti reductione, semper illud medium debet illud inferius, quod per ipsum reducitur, quantum ad eius totam latitudinem, virtualiter, & per modum eminentiæ continere. Sed nullus est Episcopus, vel Archiepiscopus, & Primas, vel Patriarcha, in tota vniuersali Ecclesia, citra summum Pontificem, cuius authoritas vel jurisdictio ad vnum totum talem Ordinem, secundùm eius totalem latitudinem se extendat: sed per viam priuilegiationis & exemptionis in quolibet tali Ordine ponitur vnum caput, cuius jurisdictio ad omnes qui sunt illius, quodam ordine mediatè vel immediatè se extendit. Ergo sequitur, quòd mediante tali vno medio possibilius & faciliùs possunt omnes vnius talis Ordinis reduci ad summum Pontificem, quàm mediantibus Episcopis: quia facilior, ordinatior, & possibilior est reductio, mediante vno medio, quàm mediantibus multis & diuersis. Major patet ex naturali reductione entium vniuersi in ipsum Deũ. Quia vnum elementum superius continet totum elementum inferius, excepta terra, quæ secundùm se totam non continetur ab aqua, propter necessitatem humani generis. Infima sphæra cœlestis continet omnia elementa: sic sphæra sphæram, ascendendo: & intelligentia continet virtualiter orbem, quem mouet: & continet vna virtualiter, quidquid est perfectionis in inferiori. Et eodé modo videmus in homine, quòd sensus communis continet virtualiter omnes sensus particulares, & adhuc amplius: quia cognoscit differentias sensibilium: & æstimatiua continet alias virtutes sensitiuas apprehensiuas, & multò eminentiori modo omnes virtutes apprehensiuas inferiores continet: & isto modo fit ordinata reductio per talia media in supremum. Et confirmatur ratio: quia quando infima reducuntur in supremum per media; illa inferiora non possunt habere majorem vnitatem inter se, quàm habeant illa media, quibus mediantibus reducuntur in illud supremum. Sed illi qui sunt vnius talis Ordinis, habent majorem vnitatem inter se: cùm per debitam connexioné habeant vnum caput sui Ordinis, quàm habeant omnes Episcopi & Archiepiscopi inter se: quia non possunt reduci in caput vnum, citra summum Pontificem. Quare, &c. Nec valet, si dicatur, quòd eodem modo sequeretur, quòd alij sæculares fideles Christi, incedentes per viam mãdatorum, non possunt reduci in summum Pontificem per suos Episcopos & Prælatos. Dicendum, quod non est simile: quia tales fideles vnius Diœcesis non habent aliquem specialem modum viuendi, ratione cujus connexionem habeant ad alios alterius Diœcesis, præter communem obseruantiam mandatorum, ad quæ etiã obseruanda Prælati & Episcopi obligãtur: quia secundùm Fulgentium loquentem in persona Prælatorum, nobis & vobis salutaris indicitur obseruantia mandatorum: & ideo tales non habent aliquam connexionem specialem ad alios alterius Diœcesis, ratione cujus magis possint eis vniri & connecti, quàm proprijs Diœcesis. Secus autem est de Religiosis præfatis, vt visum est: quare instantia non valet.

Tertia ratio pro exêtionibus. Tertia ratio, quæ sumitur ex multiplicis fructus consecutione, talis est. Quia id expedit prædictis Ordinibus sic generalibus, ex quo multiplicior fructus, & euidentior vtilitas consequitur. Sed priuilegia & exemptiones sunt hujusmodi. Ergo, &c. Major patet; quia expedientia ex vtilitate consequentis finis potissimè declaratur. Minor probatur per multa. Primò, quia per hujusmodi exemptiones dicti Religiosi perfectiùs connectuntur, vt in prima ratione declaratur. Secundò, quia bona plura spiritualia injunguntur; cujusmodi sunt disciplinæ Regulares, orationes, & Missæ; quæ frequenter in Capitulis generalibus dictorum Ordinum injunguntur; vt patet in Capitulo generali Cisterciési: & sic suppono de alijs. Tertiò, quia Religionés sic exemptæ, virtute dictarum exemptionũ, propter connexionem ordinis & jurisdictionis, ordinare possunt, & iam de facto ordinauerũt, quomodo habeant solemnia studia in Theologica facultate, ad exaltationem fidei Christianę, & instructionem & illuminationem vniuersalis Ecclesiæ; quantum præcipuè pertinet ad saluté animarum, sicut liquidè patet Parisius: & quãtum ad non medicantes, cujusmodi sunt Cistercienses, qui habent in studio solemne collegiũ in sancto Bernardo Parisius, & notabiles Baccalaureos ac Magistros; & Cluniacenses; & illi de S. Dionysio: & etiam quantùm ad mêdicantes, sicut sunt Prædicatores, & Minores, & Augustiniani, & Carmelitæ. Adhuc auté nô vidimus, quòd non exempti, qui sunt sub Episcopis, nec ipsimet Episcopi, tale studium vel Collegium ordinarint. Imò magis impediunt, quàm promoueant. Non enim nutriunt clericos, eis in té-

poralibus prouidendo; nec prouident Ecclesijs meliores promouendo: sed nepotes & cognatos nescios & idiotas & dissolutos; ponentes seruos in equis, & permittentes Principes ambulare super terram: facientes monstrum in Ecclesia: ponẽtes pedes sursum, & caput deorsum, ordinem Ecclesiasticum peruertendo. Vnde etsi sint Parisijs aliqua collegia clericorum sæcularium; talia non sunt ordinata per Episcopos, sed magis per Cardinales, & per alias deuotas personas; sicut per Reginam Ioannam bonæ memoriæ, & per magistrũ Robertum de Sorbona. Plures enim Prælati, (vnde dolendũ est,) auaritiæ student à minimo vsque ad maximum, vt dicitur in Isaïa, & quærunt quæ sua sunt, nõ quæ Iesu Christi, secundùm Apostolum: licet aliqui magna polleant virtute ac sanctitate; & illi sunt, qui exemptos approbant, non impugnant. Item in Religionibus priuilegiatis vel exemptis virtute priuilegiorum & exemptionum ordinantur multa ad opera misericordiæ pertinentia; sicut eleemosynæ ad sustentationem pauperum, ad hospitalitatem pauperum, mediocrium, & magnarum personarum, cujuscumque status existant: sicut liquidè patet in Ordine Cisterciensi, qui in hospitalitate & eleemosynarum largitione præcipuè floret; intantum, quòd bona Cisterciensis Ordinis magis dicenda sint, quantùm ad vsum, bona totius communitatis, quàm propria bona Cisterciẽsis Ordinis. Non enim buccellam panis comedunt sibi, nec despiciunt prætereuntem, & absque operimento pauperẽ: sed benedicunt eis latera pauperum, & de velleribus eorum calefiunt. Vnde vigent, Domino cõcedente, & in vita actiua, & in vita contemplatiua: nec ibi Martha habet conqueri de silentio Mariæ: sed Maria sedens ad pedes Domini Martham solam ministrare relinquit. Sub istis etiam tribus rationibus includi possunt Abbatiæ, quarum Abbates licet non habeant superiores in eodem Ordine, habent tamen Priores Conuentuales in diuersis Diœcesibus & regnis: quia etiam quantum ad omnia membra reduci per vnum prouincialem ad summum Pontificem possent, sicut est Abbatia majoris Monasterij, S. Dionysij, & multæ aliæ, quæ habent membra in diuersis & regnis prouincijs sic diffusa.

Qui fundarint Collegia Parisiensia.

Ierem. 6.
Philip. 2.

Bona Cisterciensium communia sunt.

Secundò, quantum ad secundam partem huius articuli, ostẽdo, quod supposito malo regimine, & inexperientia plurium Prælatorum & multiplicibus infestationibus eorumdem, non solum prædictis ordinibus, sed etiam Abbatijs alijs & Collegijs particularibus, prædictæ libertates exemptionum & priuilegiorum expediunt. Quod declaratur duplici ratione. Prima ratio sumitur, inquantum Religiosi ad contemplationem diuinorum, & ad vacandum diuino seruitio principaliter ordinantur. Secundo, prout ad obseruantiam triplicis voti Religionis specialiter obligantur, à quibus non exemptos per suos prælatos contingit multipliciter impediri. Prima ratio talis est. Quia illud expedit statui perfectionis Religiosorum, per quod deuotius, quietius, & perfectius possunt vacare operibus contemplatiuæ vitæ, orationibus deuotis, & diuino seruitio perfectius & deuotivs persolvendo. Sed priuilegia & exemptiones quantum ad ordines prædictos sunt hujusmodi. Ergo, &c. Maior patet, qui a contemplari diuina, orare pro se, & pro viuis ac defunctis, laudes diuinas cantare, missas celebrare, sunt illa quæ ad statũ Religionis principaliter ordinantur. Minor declaratur per oppositum de non exemptis, qui per citatio nes forẽses, sententias indebitas, fulminationes, pecuniarum extorsiones indebitas, & importabiles procurationes, ab huiusmodi actibus frequentius impediuntur, & impediebantur exempti antequam eximerentur: & hæc fuit præcipua causa quare summi Pontifices priuilegia & exemptiones huiusmodi prædictis Ordinibus & alijs monasterijs ordinatione prouida cõcesserint. Propter enim prædicta beatus Gregorius summus Pontifex & Doctor egregius, qui etiam monachus & Religiosus fuit, & multa monasteria de suo patrimonio construxit, ac per hoc status Religiosorum bene cognouit, exemptiones & priuilegia legitur Regularibus cocessisse, scribens Castorio Ariminẽsi Episcopo, vt habetur 18. q. 2. c. *Luminoso*, sic. *Luminoso Abbate referente, plurimis in monasterijs multa à præsulibus præjudicia atque grauamina monachos pertulisse cognouimus. Oportet ergo vt tua fraternitatis prouisio de futura quiete salubri disponat ordinatione: quatenus conuersantes in illis, in Dei seruitio, gratia illis suffragante, mente libera perseuerent.* Vnde sequitur in illo Capitulo, quod Episcopus non potest ibidem aliquam potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis leuissimam faciendi. Et sequitur in fine, vt *semotis vexationibus ac cunctis grauaminibus diuinum opus cum summa deuotione perficiat.* Secunda ratio, quæ sumitur, inquantum ad obseruantiam triplicis voti Religiosi specialiter obligatur, talis est. Nam illud expedit Religiosis, per quod remouentur illa, quæ ipsos impediunt ab obseruantia trium votorum regularium. Sed priuilegia & exemptiones sunt hujusmodi. Ergo, &c. Minor patet, quia vniuscujusque rei ordinatæ ad aliquem finẽ, seu ad aliqua opera exercenda, expedit, vt remoueãtur impedimenta per quæ posset à consecutione finis hujus impediri, & à proprijs & debitis operationibus exercendis. Minor declaratur, quia per frequentes & forẽses citationes, grauamina, oppressiones, bonorũ impeditiones, compellerentur Monachi frequenter exire claustrum, sequi oppida, frequentare consortia mulierum, habere proprium pro expensis, inobedire proprijs Abbatibus, & eos non habere in reuerentia, per hoc quod frequẽter per interpellationem interpositam, & nimiũ fauorem Episcoporum & assistentium eis, excuterent se ab obedientia & jugo Abbatum suorũ & ordinis: quæ omnia sunt impedimenta regularis obseruantiæ, & vitæ cõtẽplatiuæ. Quare, &c. Et si dicatur, quod aliqui vadunt & frequentant ciuitates & oppida, licet exempti, dicendũ quod non tot, nec ita frequenter: & supponi debet, quod honestiores mittantur, & si aliqui deuient, puniri debent; nec debet excessus vnius in vnam totam multitudinem redundare. Impossibile est enim, vel difficile, quin in vna magna congregatione sint aliqui mali. Nam secundũ Hieronymum in omni congregatione & gradu semper optimis mixta sunt pessima, sicut patuit in societate Christi; sed quia plures sunt boni quàm mali, propter vnum malum vel duos non debet vna congregatio diffamari. Remotio ergo impedimentorum obseruantiæ regularis, & elongatio à strepitu sæcularium, est vna causa, quare exemptiones expediant statui Religioso-

Exemptiones ex hypothesi necessaria.

Incommoda secutura, si non essent exemptiones.

rum;& hanc causam assignat beatus Landericus Parisiensis Episcopus super exemptione Abbatiæ sancti Dionysij; allegans beatū Augustinum, dicens sic. *Libri Augustini de Ecclesiasticis gradibus docent Monachos sub quiete regulariter viuentes sua singulari lege debere quiescere, & ab omni infestatione clericorum intrepidos remanere; ne sæculares strepitus eos lædant, quos districta regula seruitutis Domini moderatur. Præsertim cum Episcopi non possint esse ita soliciti de obseruantia regularium statutorum, sicut ipsi Abbates & Priores, qui ad hujusmodi obseruantias sunt consimiliter obligati. Vnusquisque enim magis afficitur ad obseruantiam sui status quam alterius. Prælati etiam Episcopi non habent experientiam regularis obseruantiæ, sicut Abbates & Priores; cùm tamen experientia facti sit necessaria in statu Religioso. Vnde propter defectum experientiæ sæculares clerici prohibentur esse Abbates: non autem Abbates vel Monachi prohibentur esse Episcopi: quia Abbates & Monachi bene possunt scire de statu Episcopali, magis quàm econtrario.* Quod etiam subiectio Episcopalis impediat Religiosos à quiete vitæ contemplatiuæ, patet ex dictis aduersariorum, qui innuunt, exemptiones magis debere dari Mendicantibus propter studium. Ex quo sequitur secundum eos, quod esse subjectum Episcopis impedit ab actu studendi. Ergo multò fortiùs ab actu contemplandi & orandi; cùm oratio secundum Damascenū sit deuotus ascensus mentis in Deum, qui de facili impeditur.

Tertio declaro principaliter, quod dari exēptiones, & datas firmari, expedit celsitudini & auctoritati summi Pontificis, quia cùm in Ecclesiastico principatu deceat esse vnū monarcham principalem Christi vicarium, in ijs quæ sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ, & specialiter in ijs quæ ad salutem pertinent animarum, (cujusmodi est summus Pontifex,) qui habeat super alios claue non errante plenitudinem potestatis: liquidè patet, quòd est immediatus curatus cujuslibet Christiani, & quod potest Episcopatus trāsferre, & in eadem diœcesi aliquos à iurisdictione Episcopi eximere, & curæ alterius supponere. Per hoc autem quod in qualibet prouincia sunt aliqui exempti & priuilegiati immediatè sub summo Pontifice, hujusmodi potestas & auctoritas evidentiùs declaratur. Multum autem expedit, quod auctoritas sūmi Pontificis à fidelibus cognoscatur. Errare enim circa eius potestatem citò vergeret in hæresim, & posset perniciosum esse, & scandalum animarum generare. Secundo expedit celsitudini status summi Pontificis, quia cum sit vniuersalis prouisor omnium Christi, cui Christus peregrè proficiscens in cœlum, vtriusque imperij, terreni simul & cœlestis iura commisit: quantum ad illa specialiter, quæ ad salutem pertinent animarum: expedit, quod ad honorē sedis Apostolicæ, & etiam quantum ad extirpationem schismaticorum & rebellium, ratione Ecclesiæ habeat ad manum aliquod subsidium tēporale, quod virtute exēptionum prædictarum habere potest promptius & facilius, quam si essent exemptiones hujusmodi annullatæ, vt aliqui Prælati nituntur cautelosè per aliquas rationes sophisticas procurare. Nam seipsos per amotionem seu reuocationem exemptionū hujusmodi exaltare cupientes, celsitudinē & amplitudinem auctoritatis summi Pontificis coarctare & deprimere implicitè moliuntur.

Exemptiones dare expedit auctoritati Papæ.

Quartò principaliter ostendi potest, quod hujusmodi exemptiones expediunt statui & cōnexioni vniuersalis Ecclesiæ. Statui quidē, quia per hoc multa bona specialia & spiritualia proueniunt vniuersali Ecclesiæ quantum ad studia communia in Theologica facultate, & quātum ad participationes & eleemosynarum largitiones, sicut in tertia ratione primi articuli visum fuit. Connexioni autem expediunt, quia hujusmodi exemptiones seu personæ exemptæ & priuilegiatæ sunt sicut nerui connectentes corpus Ecclesiæ in ordine ad summum Pontificem. Nam per hujusmodi exemptiones statim habetur præ oculis reductio cujuslibet Christiani in summum Pontificem: & quod est immediatus ordinarius & curatus cujuslibet Christiani absque præjudicio alicujus alterius cuiuscumque. Ex hoc autem præseruatur specialiter vnitas Ecclesiæ contra schismaticam prauitatē. Nam si nulli Religiosi essent exempti, citius & facilius possent Prælati discedere & se subtrahere de facto à iurisdictione summi Pontificis: quæ tamen discessio futura est, antequam reueletur ille filius perditionis scilicet Antichristus, secundum Apostolum ad Thessaloni. & quia vnitas obedientiæ & connexionis consistit in ordine ad summum Pontificem successorē Petri, in persona Petri, cui dictum est singulariter à Christo, *Pasce oues meas, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: & ad hoc multum fiunt exemptiones, vt dictum est: sequitur ergo, quod expediunt statui & cōnexioni vniuersalis Ecclesiæ, vt est per habita manifestatum.

Exemptiones expediunt Ecclesiæ

2. Thess. 2.

Ioann. 21. Luc. 22.

Quintò dico, quantum ad quintam partem secundi articuli, quod supposito bono regimine Prælatorū, non expedit particulares Abbatias seu particularia Collegia, potissimè distantes vel distantia à sede Apostolica, ita passim & regulariter esse exemptas vel exempta, sicut Ordines sic communes vbique terrarum diffusos, qui in proprijs Ordinibus sufficientes habent correctores intrinsecos: nisi Capitulis prouincialibus & Diffinitoribus & Visitatoribus eorumdem, de quibus aliqualiter prouisum fuit per Innocentium tertium, daretur maior auctoritas puniendi delinquentes, tam Monachos quam Abbates. Quod potest ostendi specialiter ex duobus. Primo, quia propter nimis longam distantiam sedis Apostolicæ, & per cōsequens propter absentiam correctoris possent Abbates seu Præsidentes in hujusmodi collegijs, & aliqui nobiles & potētes subditi, propter potentiam amicorum, multa mala perpetrare, & à regularibus obseruātijs multipliciter deuiare. Vnde si Abbate vel præsidentē alicujus talis collegij, vel aliqua persona potente deuiante à rectitudine vitæ vel regiminis, ad ejus correctionē vel punitionē debitam semper adire sedem Apostolicam oporteret, quantum ad Abbatias sic distantes, propter tarditatem & prorogationem remedij, possent mala quamplurima personis & locis prædictis interim euenire; & propter impunitatem malorum, Præsidentes & potentes prædicti perpetrare mala & peruersa scelera nullatenus formidarent. Nam vt dicit Sapiens in Ecclesiaste; *quia non cito fertur contra malos sententia, ideo filij hominum absque vllo timore perpetrant mala.* Pœnæ enim sunt quędam medicinæ, vt dicitur 2. Ethic. posset enim falsitas, quantum

Quibus nō expediat, exemptiones habere.

Eccles. 8.

ad illos, qui conuersationem sic delinquentium non viderent, multipliciter palliari. In correctionibus enim & punitionibus peruersorum mora periculum ad se trahit. Vnde in talibus principijs est obstandum, iuxta illud Poeticũ. *Principijs obsta, sero medicina paratur, cùm mala per longas inualuere moras.* Licet enim Innoc. 3. ordinauerit, quod Abbates vnius prouinciæ singulis annis habeant prouinciale Capitulum vnum, non tamen per illam constitutionem, datur sufficiens authoritas illis Abbatibus congregatis in prædictis Capitulis, seu Diffinitoribus vel Visitatoribus deputatis ab eisdem, & specialiter quoad Abbates puniendos, in excessibus corrigendis: cùm nullam authoritatem habeant pro excessu quocumque deponendi aliquẽ Abbatem, seu ipsum alias grauiter puniendi; sed solum monendi & fauendi parti, quæ eis videbitur sanior, scribendo summo Pontifici; nisi ad Collegia, in quibus sunt homines literati & spirituales, in quibus homines edocti in sacra pagina, quæ est propriè de pertinentibus ad salutẽ, principaliter & cõmuniter præferuntur & dominantur. Nam cùm spiritualis homo iudicet omnia, & ipse à nemine iudicetur, vt dicitur 1. ad Cor. 2. sapientis etiã sit ordinare, vt dicitur primo Metaphysicæ, tales possunt secundum diuinas regulas de alijs iudicare, & statuta, quæ ad perfectionem vitæ proficiunt & inducunt, salubriter ordinare. Ex quo sequitur, quod non expedit, aliquam Religionẽ esse exemptã personarum Laicarum, & specialiter vbi Laici principaliter & cõmuniter dominantur. Nam *animalis homo non perciperet ea quæ Dei sunt. Non enim potest intelligere, quia spiritualiter examinantur*; vt dicitur 1. ad Cor. 2. imò tales laici sic exempti, quantumcumque sint de ordine militari, nisi habeant superiores clericos, per quos habeant in obseruãtijs regularibus erudiri, prout ordinantur finaliter ad salutem; non sunt in statu perfecto, nec tuto. Vnde & Moyses qui fuit dux populi Israelitici, fuit legis promulgator; & Dauid Rex bellator strenuus, fuit eximi⁹ Prophetarũ; & Iudas Machabæus armauit suos sermonibus optimis & muniuit. Propter quod illa quæ de Templarijs, quidquid sit de illis, ab exemptiones impugnantibus inducuntur, nullã habent roboris firmitatem; & hoc magis parebit suo loco, in solutionibus rationum.

1. Cor. 2.

1. Mac. 12.

Authoris protestatio.

Quantum ad tertium articulum, in quo rationes aduersariorũ sunt soluendæ, protestor, quod Episcopos sanctos & bonos volo sicut patres honorare; sed quia iste doctor, cuius rationes immediatè tanguntur & soluuntur, nimis diffamatoriè & sophisticè contra exemptiones & Priuilegiatos procedit: ideo repellendo dicta sua, tamquam sophistica & falsa, oportet contra ipsum in aliquib⁹ impingere, & contra malum regimen & intrusiones indebitas aliquorum; quod & attendentes aliqui sancti prædecessores Episcopi, & defectus illorum, qui habebant succedere, prævidentes, exemptiones & priuilegia non solum dabant Religiosis, sed etiã procurabant, sicut de beato Landerico Parisiensi Episcopo, quantum ad exemptionem Abbatiæ sancti Dionysij, fuit dictum. His visis, ad rationes, quæ contra hæc in tractatu fratris Egidij continentur, per ordinem est dicendum.

Prima ratio aduersus exemptiones.

Prima ratio nititur ostendere, quòd repugnat cursui naturæ. Quod probat primò per August. qui dicit 7. de Ciuit. Dei c. 3. quod *sic Deus res administrat, vt eas proprios motus agere sinat.* Proprium autem Episcoporum est, præesse in diœcesi sua, & iurisdictionẽ circa omnes illius diœcesis exercere: quod totum tollit exemptio. Vnde sicut agente naturali approximato passo disposito, sub illa dispositione in qua illud natum est agere, & istud pati, miraculum esset, si non ageret; sicut fuit in camino puerorũ, vt legitur in Daniele: sic Prælato approximato passo disposito, cùm sit suæ diœcesis, si non agit, si velit, miraculum est in moralibus. Vnde proximatio in agente naturali facit necessitatem, sed in agente à proposito facit vel dat facultatem agẽdi, & sequitur actio, si adsit voluntas: miracula autem in naturalibus rarò, & pro euidenti vtilitate fiũt. Ergo eodem modo Papa rarò debet facere miracula in moralib⁹ de iure positiuo: miraculum autem in moralibus est exemptio. Ergo rarò debet concedi, sicut pro euidenti vtilitate Ecclesiæ; sicut causa studij rationabiliter concedi potest Mendicantibus totaliter deditis studio; non autem non mendicatibus, qui parum vel nil student; & multominus canonicis sæcularibus, & cætera. Tanguntur autem in ista prima ratione quatuor. Primò quod imitando Deum debet Prælat⁹ circa suos subditos proprios motus, siuẽ proprias operationes exercere: secundo quod Diœcesis tota est approximatio, secundũ quod natus est agere Prælatus, & subditũ esse suæ Diœcesis est passum esse approximatum agenti. Tertium est, quod Episcopus agit in talẽ, & agere potest si velit, nisi impediatur per miraculũ in iure positiuo. Papa enim nõ facit miracula in naturalibus nec in moralibus, de iure naturali vel diuino; sed bene agit miraculum in moralibus de iure positiuo, aliquos eximendo: sed hoc raro agere debet. Quartũ est, quod causa studij solum, sicut mendicantib⁹, & non alijs.

August.

Daniel. 3.

Ad primum ergo dictũ huius rationis scilicet ad dictum Augustini dicendum, quod non est simile de rebus vel agentibus naturalibus, & de agentibus à proposito: quia res naturales agũt ex instinctu naturali eis indito à Deo, & impresso mediantib⁹ causis secundis determinatè mouentibus & dirigentibus huiusmodi res naturales in ordine ad suos fines naturales: ratione cuius dicitur, quod opus naturæ est opus intelligentiæ; & quod natura agitur mota ab intelligentijs & superioribus causis, vt dicit cõmentator super duodecimo Metaphisicæ. Omnes autem operationes in causis secundis dependent ab vna arte primæ causæ; vt dicitur ibidẽ: & ratione huius determinationis & directionis per causas superiores natura vt in plurib⁹ plurinum non abundat superfluis, nec deficit in necessarijs, vt dicitur tertio de anima. Sed si causæ superiores malè & difformiter dirigerent entia naturalia, ita quod ex defectu directionis causarum superiorum natura vt in plurib⁹ produceret monstrum, generando superfluum, cum sex digitis, vel diminutum cum tribus digitis, Deus res huiusmodi non sineret, vt in pluribus, cursus suos inordinatos agere: cùm sic vt in pluribus res naturales deficerent ab assecutione sui finis, sed prouideret de alio principio directiuo, vel immediatè dirigeret huiusmodi res naturales. Sed quia causæ superiores secundariæ vniformiter & sine errore mouent & dirigũt vt in pluribus, sicut patet in motibus cœlestib⁹, & in-

Responsio ad dictum Augustini.

telligentijs mouentibus; ratione cuius res naturales vt in pluribus, non deficiunt, sed vt in pluribus assequūtur finem suum: ideo congruum est, vt Deus secundum generalē influxum sic tales res administret, vt eas proprios motus & cursus agere sinat; & sic intelligit Augustin[9]. Sed secus est in proposito: quia Episcopi ipsi, qui sunt causæ superiores secundariæ, agunt à proposito, & vt in pluribus deficiunt in mouendo: aliqui propter defectum scientię & rationis, quæ debent esse in eis intrinsecum directivum; alij propter malitiam vertibilis voluntatis; alij propter vtrumque, ratione cujus conformiter non mouent cum causa prima, quæ Deus est; siue cum Christo, qui est primus motor, & finis vltim[9] in Ecclesia militante; sed ab ea vel ab ipso multipliciter & in pluribus deuiant & delinquunt; ratione cujus summus Pontifex generalis Christi vicarius debet & potest tales immediatè regere, vel prouidere de alijs directiuis, cujusmodi sunt Abbates, Priores, & Capitula generalia; & sibi debet tales non mediantibus Episcopis reseruare. Non quia intendat impedire illuminationem Prælatorum in illos Religiosos, qui sunt suæ Diœcesis, sed vt impedimēta remoueat, quibus multipliciter impediebant dictos Religiosos ab actu vitæ contemplatiuæ, & ab obseruantia regulari, vt est per habita manifestum: licet multi sint alij Episcopi scientia & virtutibus multipliciter insigniti & illustrati, qui ab omnibus & specialiter à Religiosis haberi debent in magna reuerentia & honore: & isti sunt, quibus exemptiones Religiosorum sanctè & regulariter viuentium non displicent, præsertim cum de suorum successorum meritis non sint certi. Ad secundum dictum dictæ rationis, quod agens est approximatū passo, dicendū quod approximatio in proposito non attenditur secundum situm localem, sed secundum iurisdictionē Prælati in subditū. Modò sicut ad Papam, qui est caput Ecclesiæ, pertinet determinare Diœceses; sic & illas mutare, & diuidere, & stante eadē locali distantia facere de subdito non subditum; & ita non est aptum recipere actionem talis agentis. Et ista solutio procedit, & quantum ad Ordines communes, & quantum ad Abbatias particulares, supposito malo regimine Prælatorum. Potest etiam dari alia solutio, quantum ad Ordines communes vbique terrarum diffusos; dato ꝙ Prælati in regimine Ecclesiastico huiusmodi Religiosos minimè molestarent: quia cū dicti Religiosi Ordinum sic cōmunium sint per omnia regna & omnes prouincias Christianitatis diffusi; nullus est Episcopus vel Archiepiscopus citra summum Pontificem, cujus iurisdictio ad singulos illorum se extendat: & per consequens nullus talis Episcopus vel Archiepiscopus potest esse sufficiens medium omnium illorum contentivum, nec per consequens potest in omnes illos iurisdictionis officiū exercere. Prætetea dici potest tertio, ꝙ iste Doctor salua sui reuerentia ex falsa imaginatione procedit: quia supponit ꝙ potestas iurisdictionis sit de essentia, vel necessaria ex concomitantia ordinis Episcopalis, quod non est verum, imò istæ potestates possunt ab inuicem separari, & frequēter separantur de facto, vt in solutione decimæ quartæ rationis vbi agitur de triplici potestate, plenius ostendetur. Item propriæ operationes ordinis Episcop. sunt, ordines celebrare, chrisma conficere, virgines & altaria consecrare, Ecclesias dedicare: à quibus operationibus non impediuntur, saltem in ordine Cisterc. nec credo quod in alijs exemptis impediantur à talibus operationibus, nisi quia per hoc volunt sibi iurisdictionem indebitè vsurpare, & quādoque extorsiones aliquas, & prauitates simoniacas immiscere. Per hoc patet ad tertium dictū, quod ibi non est miraculum, imò miraculum esset, si ageret: cum passum sic quantum ad iurisdictionem ab hujusmodi agente non solùm elongatū, sed etiam suæ actioni minimè sit subjectum, nisi quantum ad ea quæ sunt fidei dumtaxat: sicut miraculum esset si ignis cōbureret combustibile distans, & suæ actioni non subjectum. Item nō est miraculū si Papa sit immediatus ordinarius curatus cujuslibet Christiani, vel quod habeat immediatam iurisdictionem in quemlibet Christianum, quia hoc sibi competit de iure diuino, cui jus positivum consonat; imò dicere vel statuere contrariū esset erroneū. Potest etiam authoritatem exercendi iurisdictionem, & absoluendi, alijs cōmittere, quam Episcopis. Authoritas enim seu potestas absoluendi fundatur immediatè super characterem sacerdotalem; sed vsus clauium quandoque ligatur & restringitur propter defectum materiæ, vel quia subditus nō habetur, vel quia casus à superiore retinentur, secundum Ecclesiæ ordinationem. Imò vlteriùs conueniens est, quod Abbates possint subditos professos absoluere de istis, de quibus Episcopi subditos suos absolvere nō possunt, vt Religiosis euagandi materia subtrahatur. Præterea, nō dicitur esse miraculum, nisi excedat facultatem naturæ vel agentis secundum cursum communem, vel quantum ad substantiam facti, vel quantū ad modum faciendi. Sed in exēptione neutrū concurrit, vt patet per habita, & de facili patere potest. Quare, &c. Item, vt patet per habita, si esset frequenter error in naturalibus, oporteret frequenter fieri miracula: dimitterent tamē vel desisterent habere rationem miraculi, quia non haberent rationem insoliti. Et quia Episcopi circa regimen Religiosorum vt in pluribus deuiant, ideo oportet per priuilegia & exemptiones eis vt in pluribus subuenire; & ratione soliti iam non meretur rationem miraculi, dato etiam quod alias essent miracula in iure positiuo. Item illud quod tanquam species cōdiuidit aliquod commune, non dicitur miraculosè contineri sub illo. Sed priuilegia & exemptiones cōdiuidunt ius positivum ex opposito ad jus cōmune positivum, quantum ad generales regulas iuris positiui. Ergo, &c. Major patet quia species non miraculosè, sed de necessitate rei ex cursu communi sub genere continentur. Minor probatur per illud quod habetur 3. d. c. *Porrò*, vbi dicitur, quod Canones alij sunt decreta Pontificum, alij sunt statuta Conciliorū: & subditur, quod hæc de generalioribus regulis intelligenda sunt; & sequitur ibidem. *Sunt autē quædā priuatæ leges, tam Ecclesiasticæ quam seculares, quæ priuilegia appellantur*, de quibus 6. Etimolog. Isid. ait. Priuilegia sunt leges priuatorū quasi priuatæ leges, nam priuilegium inde dictū est, quod in priuato feratur. Ex quibus verbis colligitur, quod ius positivum seu lex positiua, sicut quoddam commune diuiditur in ius commune, siue legem communem, & ius priuatum, siue legem priuatam; quæ quidem lex priuata

Agentis & passi approximatio hic in quo sita sit.

Papa cujuslibet Christiani pastor.

Isid. lib. 5 cap. 18.

priuilegium appellatur. Ad quartum dictum prædictæ rationis, seu prędicti Capituli, vbi ponitur, quia rationabiliter & laudabiliter debēt & possunt concedi præcise causa studij, & quantū ad Religiosos solos mendicātes, qui sunt ex toto dediti studio, &c. Dicendum, quòd studium in sacra pagina ad proficiendum sibi & alijs ad salutem, bene est causa cōgrua, quare aliqui eximi debeāt, & priuilegijs dotari. Sed ex hoc directè concluditur contra ponentem; quia ex hoc euidenter supponit, quod prælati impetunt subditos indebitè, & impediunt ab actu contemplatiuæ & actiuæ vitæ, ad quam duplicem vitā studium Theologicū præcipuè ordinatur; & sic contra seipsum arguit, propriam vocem ignorādo. Sed quod vlterius dicitur, quod est præcisa causa, falsum est: imò causa præcipua in exemptionibus Religiosorum est, vt deuotius & quietius insistant diuino seruitio persoluēdo; offerre etiam sanctum sacrificium in celebratione missarum pro viuis & defunctis, non minus facit ad profectum Ecclesię militantis & purgantis, necnon & gaudium & repletionem triumphantis Ecclesiæ, cum alijs deuotis orationibus & obseruantijs, quæ in Religionibus obseruantur, supposita sufficienti scientia, quàm ipsum studiū absolutè. Quod autem vlterius dicit, quod non mendicantes in modico vel nihil dediti sunt studio, si intelligit de omnibus falsum est; imò Cistercienses, Cluniac. & alij habent studia in Claustris suis: & solemne studium habent Cisterc. in ciuitate Parisiēsi, & Baccalaureos, & Doctores. Præterea plures fuerunt Doctores excellētes in Theologia non mendicantes, quā mendicantes, sicut August. Greg. Hieron. Bernardus & Anselmus. Præterea ex quo secundum istum Doctorem, qui loquitur, esse exemptum ab Episcopis facit ad profectum studij, per aliam viā essent reducendi ad amorem studij ipsi Religiosi, quam per amotionē exemptionū. Præterea in eo quod dicit, quod magis sunt concedendæ mendicantibus quam alijs, non est sibi credendum; quia ibi loquitur in causa propria, cum ipse fuerit de ordine Mendicantium: licet non reprobem, sed approbem; quod exemptiones mendicantibus studio deditis cōcedantur: quod tamen eis magis concedendæ sint quàm alijs, falsum est; vt est per habita manifestū, & adhuc inferius videbitur in suo loco.

Causa præcipua exemptionum nō est studium.

Secunda ratio aduersarij.

Secunda ratio, de qua sicut & de alijs, facit vnum Capitulum magnum, ducit ad hoc incōueniens, quod exemptio tollit à Prælatis proprias operationes, & per consequens substantiā & virtutem. Et hoc probat sic. Supponit enim ex dictis in 1. Capitulo per Philosophū & Damasc. quod in omnibus rebus naturalibus reperitur substātia, virtus, & operatio; & qui tollit à rebus proprias operationes, tollit substantias & virtutes. Formatur ergo sic ratio. Quia sicut est in regimine vniuersi respectu rerū naturaliū, sic debet esse in regimine Ecclesiæ, etiam quantum ad illa, quæ sunt de iure positiuo. Sed in regimine rerum naturalium res naturales nō destituuntur proprijs operationibus, sed solùm raro per viam miraculi. Ergo eodemmodo in regimine Ecclesiæ, quantum ad illa quæ sunt de iure positiuo, Episcopi, qui sunt præcipua opera Dei, & aliquo modo summi Pontificis, non debent destitui proprijs operationibus, nec esse otiosi. Sed totum oppositum facit exemptio, Ergo, &c. Maior patet, quia ars imitatur naturam, inquantum potest, secundum Philosophū. Vnde artificialia, & illa quæ sunt de iure positiuo, quæ sunt ab intellectu & sapientia humana, debent imitari naturalia, quæ sunt ab intellectu diuino, & sapientia diuina. Vnde & cùm summus Pontifex non possit facere miracula in naturalibus, nec in moralibus quæ sunt de iure naturali, sed solum in ijs quæ sunt de iure positiuo: debet tamen, inquantum potest, illa quæ sunt de iure positiuo, facere conformia ijs, quæ videmus in naturalibus, & ijs quæ sunt de iure naturali; & per consequens rarò & pro euidenti vtilitate Ecclesiæ, quod est facere miraculum in iure positiuo. Minor probatur ex duob⁹. Primo quia ad destructionem propriarum operationū sequitur destitutio substantiarum & virtutum, à quibus ipsæ operationes originem sumunt. Secundo probatur per hoc, quia aliter sequeretur, quod entia naturalia essent superuacua & otiosa, quod est inconueniens, & adhoc confirmandum adducitur illud Sapientiæ 14. vbi dicitur. [Tu Pater omnia gubernas sapientia, quoniam, dedisti in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam: ostendens, quoniam potens es ex omnibus saluare, etiamsi sine rate quis adeat mare: sed vt non essent superuacua sapientiæ tuæ opera, propter hoc exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.] Et applicando ad propositum quantū ad regimen Ecclesiæ, dicit, quod sicut transeuntes mare, quod est congregatio aquarum, salvantur per nauem: sic transeuntes mare procellosum huius mundi, saluantur & liberantur per bonum Prælatum. Dicitur enim Prælatus nauta, inquantum gubernat Ecclesiā; dicitur nauis, inquantū verbo & exēplo portat subditos ad portum salutis: dicitur anchora inquantum facit nauem, id est Ecclesiam, firmam stare. Nec est inconueniens quod secundum mysticam Theologiam diuersis nominibus designetur: sicut Christus assimilatus est pastori, inquantum gubernat oues; assimilatus est oui, inquantum pro nobis factus est victima: assimilatus est agno, propter eandem causam, & mansuetudinem, & innocentiam. Est ergo Prælatus nauis animata, sicut seruus dicitur organum animatū, & Rex dicitur lex animata. Ex his ergo concluditur, quod exemptio amouenda est: ex eo quod tollit à Prælatis proprias operationes, & per consequēs substantiam, & virtutē, &c.

Ars imitatur naturā.

Sap 14.

Ad dissolutionem istius rationis præintelligendum est, quod exemptionum & priuilegiorum rationabilis & expediens congruitas duobus innititur, primo scilicet defectiuo & oppressiuo regimini Prælatorum Pontificum, secundo promotioni obseruantiarum Regulariū. Ratione primi est intelligendum, quod nunc de facto, licet de iure positiuo & diuino esset sēper aliter faciendum, plures sunt Prælati, qui non intrant per ostium in ouile, (vnde dolendum est,) sed vel per violentiam Principum, vel per procurationem fraudulentam, vel per simoniacam prauitatem, vel per indiscretam prouisionem, tacita veritate, & suggesta forsitan falsitate. Et ratione mali ingressus sequitur malus & peruersus progressus; & non solum peccatū est in forma, sed quandoque in materia: ita quod interdum promouetur aliquis in Prælatum, qui non posset nec sciret, aliquē actum hierarchicū,

Exemptionū congruitas quibus nitatur.

seu ad Prælatum pertinentem exercere. Accidit etiam plerumque, quod licet aliqui sint literati & magni clerici, & habeant legitimum ingressũ: per versibilitatem tamen voluntatis in malitiam & per malum & peruersum consilium, opprimunt subditos per auaritiam, super eos nimis tyrannicè dominando, quærentes magis quæstum tẽporalem, quàm animarum salutem: intendentes marsupijs euacuandis, quam vitijs extirpandis; sicut dicit B. Bernardus super Cantica: & fit quandoque, & vtinam non frequenter, tale monstrum in corpore mystico, quod est Ecclesia, ac si in corpore naturali poneretur oculus in pede, & pes in capite; & quantum ad custodiam & nutritionem ouium Christi, ac si lupus acciperetur pro pastore; licet hoc non verificetur de omnibus: imò sunt aliqui boni, & & sancti, & literati, & fuerunt; & illi sunt qui talia præuidentes, exemptiones & priuilegia approbant, & approbarunt. Promotioni etiam obseruantiæ Regularis innititur exemptio; quia quantum ad Ordines communes, vbique terrarum diffusos, non posset vita perfectè regularis sine exemptionibus vel priuilegijs obseruari: tum quia Episcopi diuersarum Prouinciarum & regnorum non essent vt in pluribus vnanimis voluntatis: tum quia nulla Diœcesis vel determinata Prouincia ad tantam latitudinẽ & amplitudinem se extendit. His ergo prælibatis, ad rationem, & ad ea quæ sibi implicantur, per ordinem est dicendum. Primo concedo in entibus naturalibus quæ sunt substantiæ subsistentes, substantiam, virtutem, & operationem; & quod dicta entia non sunt à suis proprijs operationibus destituenda, nisi in certis articulis per viam miraculi, & ad bonorum liberationem, & ad diuinæ potentiæ manifestationem, & ad fidei & salutis promotionem: sicut patuit de tribus pueris in camino ignis, & de eductione populi Israëlitici de Ægypto, in diuisione maris rubri. Sed hoc vlterius considerandum est, quod entibus naturalibus ab ipso Deo qui est natura naturans, quodam ordine prouisum est de substantia, virtute, & operatione: ita quod primo dedit substantiam, secundo proportionabiliter virtutem, tertio secundum eandem proportionem operationem consequentem. Non enim dedit terræ leuitatem, vt moueretur vel situaretur sursum; nec igni grauitatem, vt naturaliter descenderet deorsum; vel igni naturam vel virtutem infrigidandi, nec aquæ virtutẽ calefaciendi; sed ista tria prædicta, substantiam, virtutem, & operationem, in entibus secundum proportiones debitas ordinauit: ita quod entia naturalia per suam substantiam mediante virtute in suas proprias operationes naturaliter inclinantur, & assequũtur vt in pluribus suos fines, secundum intentionem primi motoris qui est Deus. Verùm quia sancti summi Pontifices præuiderunt horum contraria in regimine Ecclesiæ obseruari, ita videlicet, quod illi qui habent statum prælationis interdum carent substantia & virtute, quæ ad statum huiusmodi requiruntur, quantum ad scientiam & virtutes: quia etiam præuiderunt, quod licet multi habeant sufficientiam scientiæ, habuerunt tamen malum regimen & ingressum; quia quæ malo sunt initiata principio, impossibile est, vt ad bonum finem pertrahantur; præuiderunt etiam, quod dato quod non habeant defectum in scientia vel ingressu, tamen per malitiam suæ voluntatis perturbarent, vt in pluribus, Religiosorum contẽplationis quietem: quia etiã non sunt ita soliciti; nec habent iurisdictionem se ad omnes partes Ecclesiæ extendentem: ideo religiosos exemptionibus & priuilegiis munierunt. Quia ergo substantia & virtus sunt operationis principiũ, & illa quæ sunt de iure positiuo debent naturalia imitari, cauendum esset primò, ne promouerentur indigni, & ne promoti super subditos importabiles tyrannides exercerent: quia si modicus error in principis, magnus est in effectibus, vt dicitur in principio *Cœli & mundi*; sequitur quod magn⁹ error in principijs sit causa maximi erroris in ijs quæ sequũtur. Dicẽdũ ergo ad formã rationis ꝙ Põtifex in eximendo & priuilegiãdo imitatur naturã, errori multiplici qui est prĩcipijs, salubriter succurrendo, & de præsidentibus, Abbatibus, & Prioribus, & Capitulis generalibus magis solicitis & exemptis, prouidendo, & obseruantijs regularibus subueniendo; quia vbi sunt defectus, vt in pluribus, ibi sunt remedia, vt in pluribus, apponenda. Ad illud autem, quod vlterius additur, quod essent superuacui & otiosi, dicendum quod ideo non sequitur; quia multos alios habent subditos, circa quos possunt prælationis officium exercere; & vtinam hoc bene facerent, & seipsos solicitè custodirent. Sed de talibus mirum est, quod de talibus exemptionibus & priuilegijs conqueruntur, cùm de seipsis & de alijs subditis, qui suæ iurisdictioni relinquuntur, aliqui eorum tam negligentes existant; sicut illi specialiter, qui vt in pluribus, in Domibus & Palatijs regum sunt, & in vanitatibus occupantur; & vbi visitant, non ædificant, sed diripiunt & rapiunt: nec de spiritualibus, sed solum de carnalibus & spolijs curam habent. Vlterius est dicendum, quod quantũ ad priuilegiatos, qui sunt Cisterc. Ordinis, non sunt otiosi, nec proprijs operationibus spoliati; quia recipiuntur in prædicationibus: offeruntur eis Abbates benedicendi, & & Monachi ordinandi: nec subterfugiuntur, nisi ex culpa sua. Vnde priuilegia Cisterciensiũ non sunt eis quoad talia, quantum ad bene vtẽtes, in præiudicium, sed sunt in remedium contra indebitè denegantes. Quod autem Cistercienses non visitant, non est mirum; cùm per seipsos tam per patres Abbates, quàm generalè Capitulum, quod anno quolibet in Cistercio celebratur, longè diligentiùs, districtiùs, & solertiùs, visitentur, etiam præcipuè cum iuridictio capituli generalis authoritate summi Pontificis; & concessione Ordinis, ad omnes Christianitatis prouincias, & præcipuè quoad personas dicti Ordinis se extẽdat; quod de nullo Põtifice citra primum dici potest. Quod autem vlterius adducitur, quod Episcopus est nauis, & cætera: concedo totam illam metaphoram de bono Prælato: tamen in pluribus, quantumcumque sit bonus, non ducit, nec etiam subditos per mare huius mundi, nisi mediantibus fluctibus procellosis, per quos subditi frequenter naufragium patiuntur. Si igitur summus Pontifex, qui multò fortiùs & efficaciùs nauis, nauta, & anchora generaliter dici potest, eligat quantum ad suum familiatem populum ipsos religiosos, per populũ Israël designatos, nautas certiores & expertiores quantum ad religionem, qui ducant Religiosos huiusmodi per mare magis quietum, minusque procel-

S. Bernard. Serm. 33. in Cantica.

Responsio ad 2. rationem aduersarij.

Non sunt otiosi Episcopi, etiam circa exemptos.

procellosum, & per consequens minus periculosum: cujusmodi sunt illi, qui religionibus prædictis immediatè præsunt, in hoc non facit contra rationem nauis vel nautæ spiritualis; sed magis nauem spiritualem, & nautam approbat & eligit tutiorem. Quidquid enim de statuum Religiosorum & Prælatorum præeminentia sit, de qua me non intromitto ad præsens, tamen omnes concedunt, quod status Religiosorũ est tutior, eo quod ipsum pauciora pericula & cautelæ plura præsidia consequũtur: & ita Religiosus nauem conseruantem & ad portum deducentem non exit, se periclitando in mare, vt supponit iste Doctor: sed non dimittendo nauem principalem, quæ est Ecclesia, siue summus Pontifex, adhuc de superabundanti nauiculam Religionis ingreditur tutiorem. Si autem vellemus loqui de Prælatis insufficientibus & intrusis; dicendum, quod tales sunt naues de materia insufficienti, & debili, & malè compaginata; & nautæ idiotæ, nescij plerumque, & interdum maleuoli erga subditos: nec quærentes solicitè portum salutis animarum, in profundũ maris, quantum in se est, se & subditos demergentes. Et vt sit ad vnum dicere, valde paucos videmus, qui saluti inuigilent animarum: sed vanitatibus, possessionibus defendẽdis, & vsurpationibus indebitis acquirendis.

Solutio rationis prædictæ. Ex dictis ergo per modum epilogi patet solutio ad rationem. Primò quia non priuãtur operationibus proprijs, cùm multi subditi eis adhuc remaneant; ad quorum regimen adhuc sufficere possunt. Secundo quia Cistercienses quantum ad spiritualia, quæ sunt illuminare, perficere, & ordinare, eorum influentiam non renuunt. Tertiò, quia aliqui sunt, qui non habent sufficientiam scientiæ & virtutis: imò quasi totaliter eis carent: & ideo non est mirum, si à talibus operatio subtrahatur. Quarto, quia certius & tutius regimen eligitur. Quintò, quia etiã naturalia, vt in pluribus, non agunt operationes contrarias eorum substantiæ & virtuti. Sed hoc faciunt Prælati, vt in pluribus, his diebus; quia loco ædificationis & visitationis, dissipãt & euellunt. Sexto, quia loco ignis charitatis, qui deberet in ipsis regnare, abũdat in eis ignis cupiditatis & auaritiæ: & ideo ne talis ignis, qui non est perficiens, sed cõburens & consumens, totum destruat, quantum ad spiritualia & temporalia: per viam exemptionum & priuilegiorum est sibi materia rationabiliter subtrahenda: licet nullus, quantum ad illa quæ sunt fidei, sit exẽptus, & sic cùm ad illos pertineat fidem defendere, non debent dicere, & respectu cujuscũque exempti suæ Diœcesis, proprijs operationibus vniuersaliter se priuari, nisi quia temporalia spiritualibus anteponunt: nec possunt temporalia rapere sicut vellent: licet ista non verificentur de omnibus; imò sunt multi valentes clerici & boni, & sancti, vt superiùs dicebatur.

Tertia ratio aduersarij. Tertia ratio, de qua Capitulum vnum facit, talis est. Quia contra naturam Ecclesiastici regiminis est, quod fiat idolum de pastore, sine culpa Prælati vel Pastoris. Sed exemptio facit idolum de pastore Ecclesiastico, sine culpa sua. Ergo est contra naturam regiminis Ecclesiastici. Major de se manifesta est secundum eum. Ad probationem minoris, sic distinguit triplex lignum, scilicet lignum saluans, vt si de ligno fiat nauis; lignum crucians, vt si de ligno fiat patibulum; lignum idolum, vt si de ligno fiat simulacrum. Huic autem triplici ligno potest assimilari prælatus. Nam vt cõparatur ad bonos, debet esse lignum salvans; quia debet esse quasi nauis portans suos subditos per procellas huius sæculi ad portum salutis: & de hoc potest exponi, quod dictum est Sapientiæ 14. *Exiguo ligno, &c. etiam transeuntes per mare liberati sunt.* Secundò vt punit malos iustè comparatur ligno crucianti, admodum patibuli, de quo Sap. 14. *Benedictum est lignum, per quod fit iustitia.* Tertio modo accipitur lignum pro ligno idolo, Sap. 14. *Maledictum sit idolum*; per quod potest intelligi prælatus si sit pastor, & ex culpa sua est idolũ, de quo Zach. 11. *O Pastor, & idolum, derelinquẽs gregem*; quando scilicet ex culpa prælati derelinquitur grex. Sed tunc est pastor & idolum, quando scilicet non ex culpa sua, sed per exemptionem subtrahitur sibi grex. Hoc enim intelligimus nomine idoli, quod manus habet & nõ palpat; oculos, & non videt. Prælatus enim quantum ad exemptos manus habet & non palpat; quia non potest corrigere eorum delicta vel peccata. Quare, &c.

Responsio ad tertiam rationem. Ad istam rationem breuiter est dicendum, quod nomine idoli, quoad Prælatos, nõ libenter vterer, nisi ipsimet vterentur, sed vellem eos curialiùs nominare. Ad majorem tamen propositionẽ dicendum, quod bene possunt per summum Christi Vicarium à jurisdictione Prælati aliqui subditi eximi, propter majoris boni & perfectionis regularis promotionem, vt visum est supra, etiam absque culpa Prælati sui vel alterius. Secundò etiam, licet non ex culpa sua, tamen ex culpa aliorum malè regentium, & impedientium seu molestantium quietem & contẽplationem obseruantiæ Regularis. Legimus enim plures fuisse punitos pœna damni temporalis seu iurisdictionis temporalis propter peccata aliorum. Ista autem duo, quantum ad causas exemptionum concurrunt, vt patet in instrumentis Papalibus super hoc confectis: quare debent tanquam iustæ & rationabiles sustineri. Secundò respondendo ad minorem dico, quod quantum ad Cistercienses specialiter spectat, non habent rationem idoli; cum habeant ipsos benedicere & ordinare: nec oportet, vt habeant eos visitare, vt dictum est supra, quia habent multum populum residuũ & multos alios, ad quorum regimen non sufficiunt sine adiutorio. Vnde non debent de exẽptionibus seu priuilegiationibus conqueri; imò propter oneris alleuiationem deberet ad actiones assurgere gratiarũ. Item non dicunt se esse idolum, quando derelicto totali grege curias Regũ sequũtur, ibi impertinentia pertractando. Quod etiã dicitur, quod manus habent & non palpant, verũ est, quod apud exemptos non palpant, nec spoliant bona temporalia, prout vellent; oculos habent corporales, & spiritualiter non vident: quia de multis Ecclesiæ pastoribus, non tamen de omnibus, (& vtinam de nullo,) verificatur illud Isaiæ 56. *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt, vniuersi canes muti, non valentes latrare. Videntes vana, dormientes & amantes somnia, & canes impudentissimi, nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, in viam suã declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum. Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erunt sicut ho-*

Mm

die, sic & cras, & multo amplius.

Ratio aduersarij. Quarta ratio sumitur ex animalibus reseruatis in arca Noë. Nam Deus ex illis animalibus non aquaticis, nec ex putrefactione generatis, voluit seruare opera sua, & naturalem ordinem in operibus suis, relinquendo sibi semen ad conseruationem & continuationem illorum, quæ non possunt, nisi per naturalem generationem ex decisione seminis in conjunctione maris & fœminæ continuari in esse: & ideo bina & bina vtriusq; sexus introducta sunt in arcam. Ex hoc sic arguitur. Quia licet Deus per diluuiū vel alias, non aquatica destruxisset, potuisset tamen alia earumdem specierum ex nihilo produxisse, sicut fecit à principio mundi, vel ex alia materia præjacente, si voluisset, per miraculū. Sed vt conseruaret naturalem ordinem in rebus naturalibus, & vt opera sua frustra non essent, voluit talia continuari in esse, non solum per se immediatè, sed mediantibus generantibus naturalibus. Cùm ergo Prælati sint præcipua opera Christi & summi Pontificis, debet in eis summus Pontifex ordinem seruare, ad similitudinem ordinis naturalis, quem Deus in hujusmodi reseruatis animalibus obseruauit; vt scilicet conseruentur subditi in esse spirituali, & continuentur in esse, mediantibus Prælatis, & non ab ipso immediatè. Sed totum istum ordinem tollit exēptio. Ergo &c. Iste enim est ordo gubernandi Ecclesiam, vt quilibet subditus subjiciatur suo superiori modo debito. Et si dicatur, quod nullus est exemptus simpliciter, quia quilibet exēptus subditus est Papæ: Respondet, quod sicut Deus non potest aliquam creaturam eximere à seipso, quin sibi subjiciatur, potest tamen eximere aliquam creaturam à causa secunda per miraculū, sicut potest facere, quod stans in igne non conburatur: sic Papa in iure positiuo, quātum ad jurisdictionem Ecclesiæ, propter generalem ejus jurisdictionem, non potest aliquem eximere à sua iurisdictione; potest tamen de plenitudine potestatis aliquem eximere à Prælato medio, & hoc raro, & propter euidentē vtilitatem; faciendo scilicet quod aliquis existens in aliqua Diœcesi, Episcopo illius nō subdatur, quod est facere miraculū in iure positiuo; sicut est miraculum in naturalibus, quod stans in igne non cōburatur. Et addit vlterius, quod duplex est exemptio, vna naturalis, qua quis injustè grauatus à suo superiore, per interpositā appellationem se eximit à iurisdictione ejus: alia non naturalis, quando quis eximitur absque culpa Prælati à jurisdictione ejus. Prima est fouenda, secunda est tollenda.

Responsio ad quartā rationem. Ad istam rationem, & ad ea quæ tanguntur in ea, per ordinem est dicendū. Et primo quod summus Pontifex quosdam in esse spirituali cōseruat mediantibus Episcopis, & quosdam immediatè per seipsum, sicut Abbates exemptos, & quosdam Religiosos etiam specialiter exemptos; partim per se, & immediatè, & partim mediātibus proprijs superioribus suis ejusdē Ordinis; sicut Abbatibus & prioribus ejusdem Ordinis; qui quantum ad victum & vestitum, cultum diuinum, & obseruantias regulares, sunt ejusdem speciei cum eis, in esse moris, & obseruantiæ regularis; & per consequēs per tales magis possunt spiritualiter generari in esse Religionis, conseruari & continuari, quam per alios, qui non sunt in esse tali; quasi alterius speciei & dissimiles in prædictis: quia non quodlibet fit ex quolibet, sed determinatū ex determinato, 1. Physi. Vnde & quodlibet animal reseruatum in arca Noë nō generabat quodlibet indifferenter, sed solum aliud in eadem specie, propter quod exemptiones non adhuc repugnant illi ordini, quē Deus in illis reseruatis animalibus conseruabat, sed magis eis cōsonant, vt patet ex prædictis. Quod autē vlterius dicitur, quod esset miraculum in iure positiuo, si Papa talia immediatè conseruaret: sicut fuisset miraculum, si Deus per creationem, vel de alia materia talia produxisset; dicendum quod falsum est; quia productio talium per creationem, vel productionem de alia materia non disposita, nec determinata, differētiam habuisset in specie & genere à productione talium per viam generationis, & ex parte potētiæ productiuæ, quæ est infinita, & idem quod essentia diuina, & quantum ad modum, quia sine motu; & quantum ad subjectum, quia vel de nihilo, vel de materia non disposita. Sed potestas jurisdictionis summi Pontificis, licet sit generalior & efficacior jurisdictionibus aliorum Prælatorum; non tamen tantum differt re vel ratione ab illis, sicut potētia Dei prædicta à potentia creaturæ naturaliter generantis: & ideo absque miraculo in jure positiuo potest immediatè in quemlibet Christianū suæ jurisdictionis potestatem exercere: cum quilibet Christianus sit materia determinata & disposita, secundum quod hujusmodi, ad recipiendum immediatè suæ jurisdictionis influentiam vel effectū; cùm sit, vt prius dictum est, immediatus ordinarius cujuslibet Christiani. Potestas etiam absoluendi peccatorem pœnitentē in summo Pontifice innititur characteri Sacerdotali ejusdem speciei cum characteribus aliorum Sacerdotum: & potestas ordinandi cum potestatibus aliorū; & eisdem verbis vtitur quantū ad modum agēdi: & ideo dicere, quod subditum quemcumq; inferiorem absolui immediatè à summo Pontifice Sacramentaliter, sit miraculum in iure positiuo, falsum est, & incōuenienter dictum: quia omnes Christiani, secundum ius diuinum & positivum, sunt sibi immediatè subjecti. Alij autem sunt vocati in partem solicitudinis. Propter quod illud dictum de animalibus in arca reseruatis, peccabat in duobus, vt est per habita manifestum. Quod autem tertiò dicebatur, quod aliquem in Diœcesi non esse subditū Episcopo illius Diœcesis, est miraculū in iure positiuo, sicut in naturalibus, quod stans in igne non cōburatur; Dico quod falsum est: quia ignis est agens naturale determinatum ad vnum, & agit ex necessitate naturæ in passum dispositum & approximatum: nec secundum cursum naturæ ejus virtus vel inclinatio ex diuersitate corporū variatur. Sed ius positivum innititur rationi humanæ, quod non solum considerat finem, sed etiam rationem finis, & circumstantias, ratione cujus diuersa potest constituere, & facere, secundum diuersitatem temporum vel factorum. Vnde & in veteri testamento serpens æneus fuit ad honorem Dei longo tempore conseruatus: & tamen ipsum confregit Ezechias ad reprimendā idolatriam Iudæorum, qui ipsum quasi quiddā diuinum adorabant. Sic eodem modo summus Pontifex stante ratione iuris positiui potest facere absque miraculo in illo iure; quod illi qui quandoque fuerunt Episcopis subjecti, à iuris-

Potestas Papæ generalior est potestate aliorū.

Ius positivū innititur rationi.

4. Reg. 18.

dictione eorum eximantur, vel propter mala & pericula euitanda, vel propter maiorem boni promotionem: nec ex hoc sequitur aliquod miraculum in iure positiuo, imò hoc est de ratione eius: cum circa humana facta variabilia versetur, quæ dependent ex libero arbitrio vertibilis voluntatis. Exemplum hujus habemus in Esther de epulis & literis Assueri. Imò stante eadem ratione & volitione finis intenti, possunt actus diuersi & varij secundum diuersitatem temporũ & subditorum in ordine ad eundem finem intentum rationabiliter imperari: sicut licet reseruare & confringere serpentem illum fuerint actus diuersi & varij, secundum diuersitatem temporum; erat tamen eadem ratio finis intenti: quia vterque actus ordinabatur ad Dei reuerẽtiam & honorem. Quod autem inferiùs dicitur de exemptione naturali, & non naturali; dicendum, quod illa exemptio quam facit & concedit summus Pontifex, ob causas prædictas, est ita bene naturalis, sicut illa quæ fit per interpositam appellationem: tum quia minus violenta, & ex majori deliberatione procedens: appellatio enim quandoque fit minus iustè & minus temperatè, & quandoque plus fit motu pœnæ, vel arbitratione temporalis commodi consequendi: sed exemptio Religiosorum, fit principaliter ad vacandum diuino seruitio liberiùs, & ad diuina perfectiùs contemplanda. Et ideo ratione finis principaliter intenti debet Religiosorum exemptio nobilior & rationabilior judicari, quàm illa, quæ fit pręcisè propter violentiam amouendam.

Esther 1. Num. 21. 4 Reg. 8.

Quinta ratio aduersarij.

Quinta ratio sumitur ex eo quod exemptio repugnat naturali ordini & connexioni elementorum. Boëtius enim libro de consolatione, in illa prosa, *O qui perpetua mundum ratione gubernas*, loquens Deo de ordine & connexione elementorum ait. *Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis, arida conueniant liquidis. Numeris*, id est proportionibus, quæ faciunt quasi quamdam melodiam & harmoniam. *Ligas* id est connectis, *frigora*, idest elementa frigida, *flammis*, id est elementis calidis. Et *arida* idest, sicca, *conueniant*, cum elemẽtis *humidis*. Ista autem coniunctio & communicatio non est, nisi per qualitatem communem. Conuenit enim terra cũ aqua in communi qualitate, quæ est frigiditas: & aqua cum aëre in humiditate: & aër cum igne in caliditate, sicut habetur 2. *de generatione*. Et ista proportio dicitur harmonia, iuxta illud Iob 34. *Quis enarrabit cœlorum rationem: & concentum cæli quis dormire*, idest quiescere, *faciet*: vt, supple, non dissoluatur? Fit autem ista harmonia & melodia à superioribus in infimis per medium corpus. Sed exemptio tollit hunc modum, coniungendo inferiora supremo sine medio. Ergo tollit proportionem & melodiam istam: cui se debet Ecclesiastica hierarchia conformare. Positiua enim quantò magis sunt conformia motui & cursui naturali: tantò magis stabilia & perpetua cernuntur esse. Ad istam rationem quintam breviter est dicendum, quòd exemptiones & priuilegia esse in Ordinibus communibus antedictis, magis consonat ordini & connexioni elementorum, quàm si per Episcopos regerentur: quia constat quod connexio & harmonia in elementis, habet fieri, vt in arguendo tangebatur, ratione qualitatis conuenientis: & quia aqua conuenit cum terra in frigiditate, & cum aëre in humiditate, ideo est medium conueniens, & connectens; & ex hoc sequitur quod vbi est maior conuenientia inter superiorem & inferiorem, ibi est maior connexio, & harmonia maior. Ergo. Minor constat: quia superiores eiusdem Ordinis cum inferioribus in eodem Ordine magis conueniunt, quam Episcopi; & per consequens conuenientioribus medijs reducũtur per ipsos in propriam harmoniam quam per Episcopos: cùm Abbates & Priores præsidentes religiosis exẽptis, melius eos regere sciant, & secundũ statum religionis, quam Episcopi. Et propter hoc sæculares clerici prohibentur esse Abbates, & non monachi vel Abbates Episcopi: quia Abbates bene possunt scire de statu Episcopali, & nõ econtrario, cùm experientia facti sit necessaria in statu religionis, vt dicit Innoc. 3. *Extra de electi. & offic.* Item falsum supponit, sc. quod omnes exempti coniungantur Papæ sine medio; quia coniunguntur mediantibus Abbatib⁹, Prioribus, Capitulis generalibus, quæ sunt media conuenientiora, & magis proportionata, vt dictum est. Item in connexione perfecta Ecclesiæ militantis non debet contrarietas reperiri, sed pax & concordia charitatis, quæ tamen contrarietas in elementis reperitur. Vnde connexio elementorum deficit à sufficiẽti repræsentatione connexionis Ecclesiæ militantis. Item nõ sequitur illud incõueniens, si subdit⁹ immediatè coniũgatur Papæ, sicut si terra immediatè coniũgeretur igni; quia ignis magis activus est ad destructionẽ terræ, quæ nimis est passiua: quia Dominus Papa non est agens destruens, sed magis perficiens: imò oportet ponere, quod ex institutione Christi sit immediatus Prælatus cuiuslibet Christiani. Nec etiam Pręlati medij respectu etiam non exemptorũ impediuntur, quin immediatè per viã iurisdictionis & administrationis sacramẽtorũ possint spiritualiter influere in quẽlibet Christianum, & quin habeãt virtute determinatam ad determinatę influendum. Virtus siue iuridictio spiritualis in Papa non impeditur per Prælatos medios, quin immediate influat in subditos, quãdo decreuerit expedire. Itẽ falsum supponitur, quantum est ad Cistercienses; quia saltem Episcopi, nisi renuant, in Abbatibus benedicendis, & monachis ordinandis, habent rationem mediorũ, vt dictum est suprà. Aliæ etiã Abbatiæ particulares sunt exẽptæ, non ad tollẽdam debitam connexionem, sed quia Episcopi diœcesis eorum, qui eos conuertere debebant, eos infestando, connexionem & harmoniã debitam dissoluebant. Item non est simile de immediata connexione elemẽtorum superiorũ & inferiorũ, quæ in vtraque qualitatę conueniẽtiã habent, & de immediata coniunctione inferiorum personarum Ecclesiæ ad summum Pontificem, quantum ad iurisdictionẽ & subiectionem; cum hoc nullã contrarietatem nec repugnãtiam habeat; præsertim cùm summus Pontifex magis habeat virtutem subiectiuam & cõseruatiuam; potissimè cùm sit immediatus ordinarius cuiuslibet Christiani, vt patet ex dictis & magis prosequendo patebit.

Iob 38.

Respons. ad 5. ration

Exempti non coniunguntur Papæ sine medio.

Ratio sexta aduersarij

Sexta ratio ostendit, quod exemptio se non debet extendere ad omnes personas inferiores Ecclesiasticas, per simile in elemẽtis. Quia nullũ elemẽtũ secundum se totũ coniungitur elemẽto superiori mediato sine medio: sed si coniunga-

tur, hoc est secundum minorem eius partem, & hoc ob aliquã euidentẽ vtilitatẽ: sicut patet de terra, quæ si immediate coniungatur aëri, hoc tamen non est secundũ se totam, sed solũ secũdum partẽ minorẽ; vt quantũ ad partẽ habitabilẽ, quæ est longè minor, quã quarta pars terræ; & hæc etiã est pro vtilitate publica inde ꝓueniẽte: quia tota terra si esset cooperta aquis, homines & jumẽta, & alia animalia viuere non valerent. Ergo eodẽ modo in Ecclesia personæ Ecclesiasticæ inferiores, siue religiosæ, siue seculares, nõ debent secundũ totũ immediatè coniungi summo Pontifici sine medio: ex quo sequitur, ꝙ paucæ debent fieri exemptiones, & in paucis inueniri debet, quod inferius iungatur superiori multum actiuo sine medio; & specialiter multùm passivum multùm actiuo: (exemplum de aqua & igne;) & etiam pro vtilitate publica inde prouenienꝛte, sicut ratione studij & scientiæ, ex quo prouenit vtilitas Ecclesiæ; quia ex eo nutritur fides & roboratur. Vnde si priuilegia & exemptiones concedãtur alicui vniuersitati, vel alicui religioni totaliter deditæ studio, potest inde sũmus Pontifex meritò commendari. quæ fiunt in elementis applicãdo ad propositum, potest esse coniunctio inferioris ad superius secundum aliquam sui partem sine medio; sicut inter aliquam partem terræ & aërẽ; in aliquibus tamen est impossibile, sicut inter aquam & ignẽ. Illa autem quæ videmus in ordine elementorũ secundũ possibile & impossibile, possum' adaptare ad status Ecclesiasticos secundum decentiã & indecentiam, & secundum vtilitatem & nocumentum. Ex hoc autem arguit, vlterius procedendo: quod exemptio maiorem habet decẽtiam & conuenientiam cum paupertate, quam cum diuitijs; & quod conuenientius & decentius est, & magis vtile Ecclesiæ, quod Religiosi pauperes sint exempti, quam Religiosi diuites. Et hoc specialiter propter tria. Primo quidem propter otiositatem. Nam diuites, communiter loquendo, sunt magis otiosi, quam pauperes: quia magis habent sufficientiã vitæ, quã pauperes; & propter otium incidunt in cogitationes vanas & prauas, iuxta illud Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia otiositas.* Secunda ratio est ꝓpter prosperitatẽ, quod in eadẽ authoritate exprimitur, cum dicitur, *saturitas & abundantia panis.* Ad quod etiam adducitur illud Psalmi. *Psalm 90.* *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis.* Per latus enim, siue per sinistrã, aduersitas, & per dexteram, prosperitas designatur. Tertio hoc idem patet ex securitate, quia habent quãdam securitatem in diuitijs suis, & non ponunt Deum adiutorem suum; & confidentes in diuitijs suis, dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt, &c. Quod dictum est de diuitibus Religiosis, communiter de Capitulis Canonicorum sæcularium, quorum fundamentũ sunt diuitiæ, veritatem habet: quia vacantes otio, de diuitijs suis confidentes, nec cogitant quod proficuum, seu quod damnosum: nec in cordibus suis ruminant, quomodo Ecclesiæ suæ proficiãt, sed quomodo Prælatum suum impediant; & impinguati recalcitrant: qui si exemptione carerent, humiliter obedirent. Totum autem est cõtrarium, quantum ad tria prædicta, quantũ ad Religiosos Mendicantes deditos studio. Quare tales exemptionibus gaudere debent, & non alij non Mendicantes, &c.

Responsio ad 6. rationẽ. Ad istam rationem, & ad ea, quæ implicantur in ea, per ordinẽ dicendum. Et primò, quod non omnes inferiores Ecclesiasticæ personæ, Religiosæ vel sæculares, sunt exemptæ, sed aliquæ; ex certis causis prædictis, & propter vtilitatem publicam, & majorem honorẽ Christi, & ejus vicarij, & specialiter propter majorem connexionem Ecclesiæ conseruandam, & prauitatem schismaticã efficacius extirpandam & euitandam. Nam si Papa non posset immediatè regere inferiores subditos, nisi Mediantibus Episcopis, (vt iste Doctor prætẽdit, ordinem Ecclesiasticum secundum naturalia penitus metiendo seu limitando,) multi errores & prauitates schismaticæ sequerentur: & quilibet Episcopus se vellet per hoc eximere à summo Põtifice, & dicere, quod mandata sua fieri non liceret. Item comparare summum Pontificem elemento summè actiuo, & habenti contrarietatem actiuam & corruptivã respectu inferiorum, quos comparat aquæ, vel elementis passiuis; mala est cõparatio, & magnum improperium dicit Papæ: *Mala comparatio aduersarij.* qui magis habet virtutem conseruatiuam subjectorum, & nullomodo destructiuam, inquantũ talis. Vnde virtus ejus ad corruptionem, vel destructionem, vt sic, minimè se extendit, nisi respectu vitiorum. Quod autem vlterius additur, quod causa studij, ex quo consurgit vtilitas publica, possunt aliqui eximi, concedo; sed adhuc habet duo contra ipsum. Primò cùm multa collegia Regulariter studeant, quod exẽptio de necessitate consequentiæ non est contra ius positivum, nec miraculum in ipso iure positiuo, vt ipse frequenter fingit. Sicut etiam non dicitur esse miraculum, si terra immediatè coniungatur aëri in aliqua sui parte. Secundò sequitur, contra ipsum, quod Episcopi vt in pluribus impediunt per inordinatam executionem iurisdictionis suæ actus scholasticos, qui ad vitam contẽplatiuam & actiuam pertinent: quia hujusmodi duplex vita in sacra scientia quæritur & docetur. Nisi enim actus scholasticos impedirent, exemptio causa studij nullatenus expediret. Et certũ est, quod non minus per ipsos in personis Religiosis potest diuinum seruitium & regularis obseruantia multipliciùs impediri; ex quo patet, quod sibi ipsi cõtradicit manifestè. Sed ad illud quod vlterius subjungit, detrahendo, & bona in mala conuertendo, & diuisionẽ inter mendicantes & non mendicantes seminando, quod tales exemptiones magis decent mendicantes, quàm non mendicantes, seu diuites: dicendum, quod in illo dicto est multipliciter refellendus. Primo, quia illud dictum, quantum in se est, seminarium est discordiæ inter Religiosos; qui deberent mutuò se fouere. Secundo quia ipse fuit de ordine Mendicantium; & ideo non est sibi credendum in causa sua. Tertio quia ex dicto suo manifestè se constituit de numero peruersorum Pastorum, de quibus dicitur Ezech. 34. *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum est, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis; & quod confractum est, non alligastis,* &c. Sequitur. *Sed cum austitate imperabatis eis, & cum potentia.* Et sequitur ibidem liberatio gregis de manu Pastorum hujusmodi per-

Excessus aduersarij in Cœnobium Ordinis Cisterciensis. uersorum. Et patuit hoc manifestè per illa, quæ ipse, & sui, contra Abbates Cisterc. Ordinis in Loco-regio, quæ est Abbatia Cisterc. Ordinis perpetrarunt. Vult enim quod non mendicantes Religiosi suæ jurisdictioni subdantur, & non alij, qui nihil habent in communi; vt ibi capiat pinguedinem temporalem, de infirmis & pauperibus non curando. *Responsio ad tria motiua aduersarij.* Ad tria sua motiua per ordinem est dicendum; & ideo ad illud de otiositate, dicendum, quod non sunt otiosi; sed sēper occupati, vel in diuino seruitio, vel in lectionibus, vel quandoque in labore manuali, & per Missas quas celebrant, & laudes diuinas, & disciplinas regulares, quibus continuè occupātur, succurrunt viuis & defunctis, & aliquomodo illam futuram gloriam per modū cujusdam prælibationis repræsentant: nec sunt exclusi à studio; imò omnes certis tēporibus insudant sacro studio, licet non inanibus philosophiæ verbis, quæ quandoque malè intelligentes, & nimis eis inhærentes demergunt cum suis erroribus & sophisticationibus in infernum. Et item habent multos studentes excellentes clericos, & multa excellentia studia; & adhuc possunt habere plura meliùs per viam exemptionum, quam si exēptionibus carerent; & plures fuerunt excellentes clerici de habentibus in communi, quam de alijs; sicut patet de August. Greg. Hieron. Ambros. Bern. Anselmo, &c. Ad illud, quod additur secundo de prosperitate, &c. Dicendum 1, quod Religiosi habentes in communi, non sunt diuites, quantascumque possessiones habeant; sed sunt veri pauperes, & votum paupertatis emiserunt: nec habere in communi diminuit de perfectione regularis professionis seu paupertatis. *Matth. 19.* Apostoli enim Christi reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, & ob hoc promissionem de sedendo super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus, acceperunt à Christo; & tamen aliqua habuerunt in communi, diuidendo singulis, prout vnicuique opus erat; & venientes ad conversionem ponebant bona, quæ habebant, ad pedes Apostolorum & erant illis omnia communia, vt habetur in actibus Apostolorum. *Actor. 5.* Nec propter hoc erant imperfecti, si nō exponebant se fortunæ, & voluntatibus varijs aliorum, Habere enim aliqua in communi pro sustentatione vitæ, & ad tenendum hospitalitatem, & ad vacandum operibus misericordiæ, sicut potissimè fit in Ord. Cisterc. cujus Ordinis bona, quantum ad vsum quem videmus, non tā dicenda sunt bona Cisterc. Ordinis, quàm totius communitatis, non facit diuitem diuitijs repugnantibus paupertati regulari, imò arguit veram paupertatem regularem; & verè illa est felix & beata paupertas, quæ nec mendicare cōpellit, nec diuitibus adulari; imò sine cujus beneficio & influentia non possunt viuere mendicantes. *Habere bona in communi non aduersatur paupertati.* Et ꝙ allegatur de Ezechie. 16. quod *hæc fuit iniquitas Sodomæ superbia*, &c. Dico, ꝙ superbia in veris Religiosis nō Mendicantibus elevatis in altum non regnat, sed potiùs in Mēdicantibus. Nā secundū Poëtā, *Asperius nihil est humili, cū scandit in altum.* Et ꝙ additur, *& abundantia panis*, dico, quod accipitur panis pro abundantia in cibo & potu. Certum est autem de facto, quod Religiosi non Mendicantes in claustris suis asperius & rigidius & parcius viuunt, vt in pluribus, quàm Mendicantes hinc inde discurrentes; & parciùs bonis temporalibus vtuntur. Item Religiosi claustrales & etiam alij non Mendicantes de Ord. Cisterc. abstinent ab esu carnium, nisi in loco determinato infirmi & debilitati: & hoc de licentia superiorum, secundum regulam sancti Benedicti, quod non faciunt alij, saltem de Ordine hujusmodi Doctoris. *Parciùs viuunt non mendicantes, quàm mendicātes.* Constat autem, quod prosperitas humana & superabūdantia in victu, magis consistit in vsu, quam in possessionibus tenendis propter bonum cōmune, cum parcitate victus. Talia enim sunt propter vsum; & ita illi qui talibus vtuntur pinguiùs, ditiores quoad talia dici debent. Vnde etiā Religiosus Mendicans plus habet de prosperitate humana, & de solatio, discurrendo, loquendo, aërem hauriendo, & de alijs pro libito-voluntatis, quam Monachus claustralis. Si dicatur, quod Abbates & Officiales lautè vivunt, & habent tractare possessiones, Respondendum est multò fortiùs pro ipsis, quam ipse respondeat pro Prælatis, quod mores diuitum pejores sunt, quam potentum: & specialiter, quod isti laborant pro communitate pascenda & defendenda. Vnde nec isti nec illi, scilicet Officiales & Claustrales sunt otiosi, nec habent panem ad superabundātiam, sed ad sufficientiam & moderantiam, sine superabundantia & defectu. Quod tertiò arguit de securitate victus, magis est ad oppositū, quam ad propositum; quia ex hujusmodi securitate non cōpelluntur per diuersa loca discurrere, & inhonesta mendacia diuitibus adulari: nec habere proprium, contra votum paupertatis, & salutem animarum: magis etiam quietè vacare possunt diuinis. Econtrario autem est de Mendicantibus. Vnde propter defectum securitatis victus, ne penuriam & inopiam patiantur, frequenter habere proprium aliqui non formidant. Item prosperitas quoad bona temporalia non est per se causa mali; imò quoad bene vtentes, talia bona sunt instrumēta & organa ad felicitatem, vt habetur 1. & 10. Ethicorum. Superabundantia autem quę felicitatem impedit, locū non habet in Religiosis, qui illa non habent in proprio, licet in communi: & eisdem parcè vtentes quoad seipsos, ipsa liberaliter & misericorditer distribuunt secundum exigentiam personarum. Securitas etiam victus perfectionem spiritualem non impedit. Aliter enim sapiens Salomon mendicitatem & superabundantiam diuitiarum respuens, victui suo necessaria nulla petiuisset. *Prouer. 30.* Ex quibus patet, quod illud Ps. *Cadent à latere tuo*, &c. *Psalm 90.* Religiosos non Mendicantes non tangit; quia mendicitatem & superabundantiam diuitiarum tamquam extrema periculosa fugiūt, victui necessaria pro se & alijs tamquam medium duarum malitiarum, quantum ad sufficientiam, iuxta Salomonis consiliū retinentes. Virtus est medium duarum malitiadum, cum sit *habitus electiuus in mediocritate cōsistens, determinata ratione, prout vir sapiens determinabit*, vt habetur 2. Ethic. Præterea temporales diuitiæ superabundantes non solum sunt causa vel occasio deuiandi à rectitudine virtutis, sed etiam ipsa mendicitas & inopia temporalium & necessariorum ad vitam facit mendicantes, quantum in se est, frequentiùs deniares dicente sapiente Eccli. 27 *Propter inopiam multi deliquerunt.* Et Prouerbiorū 30. Salomon mendicitatem & diuitias superabundantes respuens, subdit causam dicens, *ne egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.* *Prouer. 30.* Et Glossa su-

per illud 1. ad Thessallo. 5. *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos.* Dicit ergo. Sicut diuitiæ negligentiam salutis pariunt, ita egestas, dum saturari quærit, à iustitia declinat. Ex quibus liquide patet, quod ex mendicitate & egestate possūt periuria, mendacia, adulationes, furta, euagationes per mundum, deceptiones multorum, & alia multa mala prouenire: licet veri Religiosi mendicantes omnia relinquentes propter Christum, sciant & velint sibi à talibus præcauere. Sed hoc dico pro tanto, quia non est status in mundo, quantumcumque ad perfectionem spiritualem fuerit ordinatus, quin etiam in ipso, inquantum ad malè vtentes, possit inueniri, & fortè de facto inueniatur, occasio deuiandi. Ex quibus omnibus epilogando concludo, quod licet expediat dari exemptiones mendicantibus; magis tamen nō mendicantibus decet & expedit eas dari. Et primo ad obuiandum cupiditati Prelatorum, quæ magis haberet materiā, circa quā ageret, in nō mendicantibus. Et hæc forte est causa, quare aliqui Prælati exemptiones impugnant: & hæc etiam fuit causa econtrario, quare Prælati super religiosos exemptos iurisdictionem ordinariam amiserūt; iuxta illud Ezec. 34. Vbi loquens Dominus per Ezechiēl de malis pastoribus, dicit. ***Pro eo quòd facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri; eoquod non esset pastor: (neque enim quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant:) propterea pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ipse super pastores, requiram gregē meum de manu eorum, & cessare faciam eos vt vltrà non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltrà eis in escam***; sicut circa principium huius operis fuit dictum: & hæc etiam fuit vna causa, quæ ad exemplum domini mouit summos Pontifices, Christi vicarios & imitatores, ad exemptiones concedendum. Fuit etiam alia causa, non solum ratione studij, vt iste doctor supponit, sed vt liberiùs diuino seruitio insisterent & vacarent: vt patet per beatum Gregorium in capitulo præallegato 18. q. 2. c. *Luminoso*. Vnde cùm religiosi non mendicantes magis continuè insistant diuino seruitio, & diuinis laudibus decantandis, quàm alij, magis debent exemptionibus gaudere, & eis sunt rationabilius concedendæ. Non etiā carent studio, vt dictum est suprà. Et ad hoc, quod amplius vacarent studio, posset per aliam viam, quàm per reuocationem exemptionum melius & efficaciter prouideri; cùm ipsemet supponat ex dictis suis, per Episcopos studium impediri. Istam autem solutionē diutius pertractaui; quia iste Doctor cautelosè contra Religiosos non mendicantes, magis ex animo detrahendi, quàm ex zelo veritatē dicendi, procedere videbatur: nec fortè excepit mendicantes ab alijs amore ipsorum, licet fuerit de ordine eorumdem; sed attendens quod virtus vnita fortior est seipsa dispersa, vt dicit author de causis, vt & religiosi debilius se defendāt; voluit, quantū ad exēptiones, mendicantes à non mendicantibus separare: inter istos & illos cautelosè, quantum in se est, diuisionē & discordiā seminādo. Sed sicut dicitur Prou. 1. ***Frustra iacitur rete ante oculos pennatorū.***

In omni statu est occasio deuiandi

Septima ratio probare nititur, quod exemptio repugnat ordini vniuersi, & hoc probat ex duobus. Primo quia sicut dicebatur in secundo capitulo, Deus non vult destituere res proprijs operationibus; nec agere omnia immediate, nisi mediātibus causis medijs, licet nō ex indigentia hoc faciat, sed ex decentia, volens eas non esse otiosas sed per hoc seruare ordinem vniuersi. Et ad hoc allegant Commētatorem super nonū Metaphisicæ. Ergo multo fortiùs summus Pontifex non debet immediatè agere opera Prælatorum sine Prælatis medijs; & hoc non solum ex decentia, sicut Deus, sed etiam ex indigentia: quia cùm sit homo, non potest omnia agere sine adiutoribus medijs. Sed eximendo Religiosos à iurisdictione Prælatorū, facit opera Prælatorū sine medio, & per cōsequēs Prelatos facit nō Prelatos, quoad exēptos: quia q tollit à rebus ꝓprias operationes, tollit etiā proprias existentias. Ex quo sequitur quod exemptio repugnat ordini vniversi. Secundo probat hoc, quia vniuersum habet tres partes principales, scil. copora inferiora, vt elementa, quæ reguntur per superiora; item substantias separatas spirituales regentes omnia corpora: Deus autē sic regit vniuersum, quod reducit inferiora córpora, vt elementa, in superiores substantias, idest in spiritus, per corpora cœlestia, & per illas in seipsum. Ergo eodem modo summus Pontifex debet personas inferiores reducere in seipsum per Prælatos medios. Decet ergo, quod influentia summi Pontificis pertingat ad omnes; non tamen immediatè, sed mediantibus Prelatis medijs, sicut influentia corporum cœlestiū pertingit ad elementa inferiora, mediantibus superioribus elementis: & sicut in operibus inuenitur talis ratio, ita in spiritibus; & adhoc allegat Aug. 3. de Trinit. c. 4. Et quia per exemptionem iste ordinatissimus ordo interciditur & interrumpitur, patet quod exemptio repugnat ordini vniuersi; quare tollenda est. Ad istam septimā rationem, quantū ad primum motivum, est dicendum, sicut dictū fuit ad rationem primā & secundam: quia nulla noua ibi tangitur difficultas: quia summus Pontifex nō priuat totaliter Prælatos suis actionibus: quia adhuc eis multi subditi relinquūtur. Item, quia aliquam mediationem habent respectu Cisterciensiū, vt dictum est. Item, quia non est simile de agentibus medijs naturalibus respectu Dei, & Prælatis medijs respectu Papæ, quantum ad regimen subditorum; quia agentia naturalia habent naturas & essentias proportionatas proprijs actionibus suis, ad quas ex vi naturæ propriæ naturaliter & vniformiter inclinantur: & ideo fines intentos secundum diuinam ordinationem, vt in pluribus, assequuntur. Sed Prælati medij plerumque carent scientia & virtutibus, quibus mediantibus deberent quibusdam actionibus hierarchicis subditos perficere, illuminare, & informare. Frequenter etiā carent legitimo ingressu, & conuertibilitate voluntatis quærunt finem contrariū fini intento à summo Pontifice, & à Christo, cuius vicarium gerit, magis quærentes quæ sua sunt, quàm quæ Christi Iesu; bona temporalia spiritualibus preferentes, plus de præda temporali, quam de salute animarum, curantes: vnde non est mirum, si quantū ad Religiosos exemptos, qui in bonis spiritualibus vigent, eorum iurisdictio subtrahatur. Quod etiam additur, quòd Papa cùm sit homo, indiget medijs adjutoribus, dicendum,

Ratio septima aduersarij.

Resp. ad 7. Rationem.

vt prius; quod sibi quoad hæc de competentioribus medijs prouidit; qui magis solicitè volunt & sciunt regere subditos, quantum ad obseruãtias regulares. Ad secundum motivum, cùm dicitur, quod Deus sic regit vniuersum, quod reducit inferiora corpora in spiritus per corpora cœlestia media; dicendum, quod Papa Religiosos reducit in seipsum per Superiores medios ejusdem Ordinis, qui sunt viri cœlestes per sanctam conuersationẽ. Prælati etiam medij, quãtum ad illa quæ sunt fidei, bene habent rationẽ medij, cùm quantum ad illa quæ sunt fidei, exẽptio nullatenus concedatur. Et quod vlterius dicitur, quod influentia summi Pontificis non debet pertingere ad inferiores immediatè, nisi mediantibus prælatis medijs; sicut nec influentia cœli in elementa seu corpora inferiora, nisi mediantibus superioribus elementis, dicendum quod istud argumentũ à simili procedit ex falsa imaginatione. Non enim est imaginandũ, quod Papa in personas Ecclesiasticas ad modum cœli præcisè habeat influentiam generalem: habent enim magnam diuersitatem istæ influentiæ generales. Nam cœlũ sic generaliter influit, quod ad hoc quod producat determinatum effectum, oportet quod eius influentia determinetur per agens 2. cum sit agens æquiuocũ alterius rationis. Vnde producit oliuam mediante semine oliuæ, & equum mediante semine equi, & hominem mediante semine hominis. Vnde secundo Physic. homo generat hominem, & sol. Sic ergo cœlum est causa generalis & mediata respectu inferiorum effectuum; quod non potest esse immediata, nec propria & determinata. Sed secus est de generalitate influentiæ potestatis & iurisdictionis summi Pontificis. Sic enim est generalis eius influentia & potestas, quod tamen est immediata & propria; cùm sit immediatus ordinarius cujuslibet Christiani; & habeat in actione & virtute magis vnigeneam rationem, quàm cœlum respectu agentium inferiorum: sed alios instituit Episcopos, eos vocando in partem solicitudinis. Potestatem enim sibi datã à Deo non sic alij potest dare, quin retineat eã sibi. Cum enim sit ordinarius in omnibus, Diœceses ipsas pro se non contra se limitauit, sed ne esset confusio in regimine subditorum. Quòd enim Papa sit ordinarius in qualibet Diœc. respectu cujuslibet Christiani, patet per Nicolaũ Papã scribentem Michaëli Imperatori, dicentẽ: *Per principalem igitur beatorum Petri & Pauli potestatem ius habemus in quoslibet clericos & monachos cujuscumque Diœcesis.* vt habetur 9. q. 3. *Cuncta per mundum nouit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habet indicandi.* Ista autem immediata jurisdictio per exẽptos filios potissimè declaratur. Et timendum, ne iste prælatus per rationes sumptas ex naturalibus rebus & exemplis exemptiones impugnãs, volens per naturalia & inania philosophiæ verba potestatẽ summi Pontificis limitare, per cõsequens istam jurisdictionem immediatã summi Põtificis extinguere, vel saltem diminuere, moliatur. Ex prædictis patet solutio ad singula, quæ in dicta ratione tangebantur.

Responsio ad 2. motiuum.

Influentia cœli & Pontificis non sunt similes.

Octaua ratio probare nititur, quod exemptio contradicit ijs, quæ videmus in istis corporibus inferioribus, prout in ipsis reperiuntur diuersi gradus in nobilitate naturæ. Nam volens æquiparare inanimata animatis; & animata vita vegetatiua animatis vita sensitiua præcisè, sicut conchæ; & hæc animatis vita sensitiua & secundum locum motiua; & ista animatis vita intellectiua; facit contra naturam & ordinem hujusmodi corporum, & tollit gradus in entibus: ita volens æquiparare inferiores personas Prælatis, vt scilicet immediatè sint subditi summo Pontifici per exemptionem, facit contra naturã subjectionis & prælationis, & contra ordinem Ecclesiæ: & quod grauius est, exemptio facit eos super Prelatos: quia Prælati Episcopi in Archiepiscopos, Archiepiscopi in Primates, & Primates in Patriarchas, & Patriarchæ in summũ Põtificem reducuntur. Sicut tamen terra non solũ conjungitur cœlis, sed etiam super cœlos eleuatur, licet sit infimum elementũ, inquantũ corpus Christi ex 4. elementis cõpositum est super omnes cœlos; & non solum terra, sed etiam alia elementa, inquantũ virtute continentur in corpore humano: & hoc etiam erit suo modo in alijs corporibus gloriosis: & hoc pro euidenti vtilitate vniuersalis Ecclesiæ, & pro eminenti excellentia gloriæ electorum: sic pro euidenti vtilitate Ecclesiæ, & pro defensione fidei, quam maximè defendunt studiosi & sapientes, possunt infimæ personæ exemptione gaudere, & immediatè collocari sub summo cœlo, & sũmo Pont.

Octaua ratio aduersarij.

Ad istam rationem breuiter dici potest, quod licet Religiosi sint inferiores, quantum ad statũ, sunt tamen aliqui & fortè multi, vel esse possũt, superiores & perfectiores quantum ad meritũ: potissimè cùm Prælationes his diebus minimè vel rarò distribuantur secundùm merita personarum. Et cùm dicitur vlterius, quod per exemptiones inferiores personæ æquiparantur Prælatis, & aliquomodo eis præferuntur, dicendũ quod non est verum. Esse enim immediatè sub jurisdictione summi Pontificis, non facit subditum æquiparare Prælato Episcopo; sicut esse immediatè sub dominio & iurisdictione Regis; cujusmodi sũt multi pauperes homines & populares, non est esse æqualem, vel æquiparatum, Comitibus, Ducibus, Paribus, & alijs Baronibus. Vnde & Romani sunt immediati Parochiani summi Pontificis, cùm sit propriè Romanus Pontifex: nec propter hoc sunt æquales Cardinalibus, vel alijs Prælatis Ecclesiæ. Vnde est ibi fallacia consequentis à superiori ad inferius affirmando; & à pluribus caussis veritatis ad vnam; & secundũ quid ad simpliciter. Licet enim esse immediatè sub iurisdictione summi Pontificis per exclusionem à iurisdictione aliorum Prælatorum, dicat aliquam dignitatem libertatis & nobilitatis: nõ tamen dicit aliquam dignitatẽ per se loquẽdo, quantum ad gradum superioris, quem eo ipso habeant dicti subditi in Ecclesiastico principatu, per quem præferantur Episcopis vel sequenter; sicut exemplificatum est in regali principatu. Et cum dicitur vlterius, quod sunt superiores, dicendum, quod non sequitur, vt patet ex dictis; & item reducuntur per Prælatos Ordinis sui tãquam per competentiora media, vt est per habita manifestum. Vnde non obstante immediata iurisdictione summi Pontificis super hujusmodi Religiosos exemptos & priuilegiatos, adhuc remanet Episcopis prærogatiua multiplicis dignitatis; sicut in sacris Ordinibus conferendis, Abbatibus benedicẽdis, Episcopis cõsecrandis, quibus prærogatiuis carent Religiosi subditi, & inferiores Prælati. Dicendum ergo per interem-

Responsio ad octauam rationem.

Fallaciam admittit hic aduersarius

ptione minoris, quod scilicet per hoc non æquiparantur Prælatis; & ad probationem ejus patet ex dictis, quod peccat per fallaciã cõsequentis. Et quod vlterius dicitur, quod viri sapientes & studiosi hujusmodi exemptionibus & libertatibus gaudere debent, concedo; & dico vlterius, quod similiter eisdem gaudere debent viri cœlestes, contemplatiui, diuino seruitio totaliter dediti: inter quos etiam multi sapientes & studiosi: sicut rei euidentia in pluribus Ordinibus manifestat.

Nona ratio aduersarij. Nona ratio nititur ostendere, quod exemptio repugnat ijs, quæ videmus in homine; & specialiter formationi hominis in vtero. Et formatur ratio sic ex dictis suis: quia illum ordinẽ debet tenere summus Pontifex in formatione & regimine Ecclesiæ, quem videt teneri in formatione fœtus siue hominis in vtero. Sed in formatione hominis in vtero non fit transitus ab inferiori ad superius sine medio; sicut à vegetatiuo in intellectivum sine sensitiuo medio. Ergo eodemmodo summus Pontifex vicarius Dei, videns ordinem, quem voluit tenere Deus in formatione sui & aliorum, secundum regulam communem, debet illum ordinem tenere in regimine Ecclesiæ; vt scilicet inferiores, qui per gradum vegetativum designantur, reducat in seipsum, mediãtibus medijs per sensitivum medium designatis. Ergo, &c. Major patet, quia formatio corporis humani designat formationem Ecclesiæ, quæ est ex pluribus hominibus, sicut ex pluribus membris mysticis instituta. Minor patet per philosophum in libro de animalibus: quia embryo siue fœtus humanus, priùs viuit vita plantæ, per hoc quod nutritur primò & augetur, sed non sentit si pungatur; quia nondum habet neruos, qui sunt organum tactus. Postea cum fit caro, & formatur, & apparent nervi, sentit & viuit vita animalis: & postmodum membris figuratis & lineatis, & aliqualiter consolidatis, infunditur anima rationalis, quę est forma specifica hominis. De alijs autem, quæ pertinent ad formationem hominis, de quibus facit magnam digressionem, quia non sunt ad propositum, supersedeo causa breuitatis. Ab isto autem modo communi formationis hominis in vtero excipiũtur à Deo pauci, scilicet Adam, qui fuit formatus de terra sine viro præcedente, & Eva de costa sine fœmina, & Christus de fœmina sine viro, virtute Sancti Spiritus appropriatè: & isti tres modi sunt possibiles soli Deo: alij autem formantur per communem generationem maris & fœminæ modo dicto: sic etiam summus Pontifex paucos potest eximere, propter causas prædictas; non tamen ita communiter, sed debet modum communem prædictum, vt in pluribus, obseruare.

Responsio ad nonam rationem. Ad istam rationem est dicendum, quod quidquid sit de vnitate formæ, vel pluralitate formarum in homine, nullus tamen sanè sentiens ponit in homine plures animas: imò est articulus Parisius condemnatus. Quod ergo dicitur in formatione hominis, de vegetatiuo, sensitiuo, & intellectiuo, quod scilicet priùs viuit embryo vita vegetatiua, &c. duobus modis potest intelligi. Vno modo secundum apparentiam operationum, non secundum diuersitatem, vel qualitatem animarum seu formarum, ita quod licet sit vnica forma, scilicet anima intellectiua, qua primò viuimus, sentimus, & intelligimus, priùs tamen apparẽt opera vegetationis, quam sensus vel intellectus, vna tamen anima existente. Et si anima intellectiua in gradu Ecclesię summum Pontificem repræsentaret, sequeretur secundũ istam viam, quod solus in Ecclesia jurisdictionẽ haberet, & quod nulla iurisdictio Episcopis deberetur. Sed potest intelligi secundum diuersitatem animarum, & hoc dupliciter. Vno modo quod vna, scilicet vegetatiua, remaneat veniẽte sensitiua, & sensitiua adueniente intellectiua. Et hoc est impossibile, & publicè condemnatum Parisius: & specialiter, quia sequeretur, quod anima intellectiua non est actus prim⁹ corporis physici organici potentia vitam habentis, quod est contra philosophum. 2. de anima: & per cõsequẽs etiam sequeretur, quod non esset forma substãtialis, sed vel accidẽtalis, vel quod solùm vniretur corpori, sicut motor mobili, quod est falsum, & hæreticum. Quare, &c. *Articulus Parisijs damnatus.* Vel potest intelligi ista diuersitas formarum siue animarũ; ita videlicet, quod advenienre sensitiuo tãquam forma perfectiori corrumpitur vegetativum; & aduenieẽte intellectiuo corrumpitur sensitivum, quod intellectivum cõtinet omnes gradus præcedentes, sicut pentagonum, tetragonũ, & trigonum, vt habetur 2. de anima; & sic ille processus posset habere veritatẽ. Sed tũc, vt apparet manifestè, ille ordo graduum vel animarum locum nõ habet, nisi secundũ quod illa formatio hominis est in fieri, & non in facto esse: quia ad infusionẽ animæ rationalis omnes aliæ corrũpuntur; & in generato esse hominis remanet tantum anima intellectiua; quæ immediatè informat corpus siue materiam primã, quæ tenet infimum gradum in ordine omnium entium, & per consequens sequitur, secundũ viam hujus doctoris, & suam similitudinẽ, in ijs quæ videmus in homine, quod saltẽ in facto esse formatę Ecclesiæ omnes sint immediatè sub iurisdictione summi Pontificis, quod quidem verum est, & contra ipsum. Sequitur etiam, quod ad eius iurisdictionem cesset & deficiat omnis iurisdictio mediatorum Prælatorum, quod tamen falsum est, & manifestè cõtra ipsum. Vnde patet, quod suum simile sibi ipsi contradicit. Quia tamen de ordine & perfectione graduum, tam in formis quam in personis Ecclesiasticis fit mentio in argumento prędicto, ad eius solutionem pleniorem, & ad declarationem propositi, est intelligendum, quod triplicem præeminentiam perfectionis graduum, in personis Ecclesiæ reperimus. *Triplex præeminentia hic potest spectari.* Vnam quidem secundum gradum habitualis & gratuitæ perfectionis; & loquendo de ista præeminentia, licet ad statũ Prælationis requiratur, qui est status exercendæ perfectionis; tamen quantum ad factũ, possunt esse aliqui religiosi, & sæculares subditi, quantũ ad habitualẽ acquisitam, & quantum ad perfectionem gratuitã & infusam, &c. excellentiores, quàm Prælati, etiam quantumcũque sit Prælatus summus: imò multi Prælati ab ista perfectione deficiunt, sicut, (vnde dolendum est,) rei euidentia manifestat: & sic patet, qnod gradus hujus perfectionis non sic se habet secundum præeminentiam respectu subditorum, & Prælatorum, etiã respectu summi Prælati, sicut se habet respectu naturalium ad inuicem ordinatorum: imò frequenter talis gradus inuenitur major & perfector in subditis quam in Prælatis, cuius semper cõtrariũ in formis natulalib⁹ reperitur. Secũdo in personis Ecclesiasticis inuenitur præeminẽtia perfe-

perfectionis graduũ, quantũ ad sacramentũ Ordinis, sicut inter ordines inferiores & superiores, inter ordines sacros & non sacros, sicut inter subdiaconatum & diaconatum, & inter diaconatum & Presbyteratum: & sic semper in talibus promotus ad ordinem superiorem, quantũ ad gradum ordinis, perfectior est quàm ordinatus ad ordinem inferiorẽ. In talibus etiam bene verum est, quod secundum ordinationem Ecclesiæ, non debet aliquis ordinari per saltum; sed ordinatè, gradatim ascendendo, secundũ quod hujusmodi ordines gradatim se habent in ordine ad consecrationẽ corporis Christi: & in hoc est simile cum ordine graduũ in formis. Tamen in hoc est dissimile, quia si de facto aliquis per saltum ordinatus esset, & verum characterem illius ordinis reciperet, nec esset reordinandus, secundum illum ordinem; licet ordinatus esset ob ordinem intermissum de transgressione puniendus. Est etiam in alio dissimile; quia adueniente ordine superiore, non cedit inferior, sed stat cum illo; cuius contrarium est in formis, saltem quantũ ad illas, quæ sunt principiũ vitæ. Loquendo etiam de gradibus ordinis, secundũ quod ordo est sacramentum verum, sic bene est, quod saltem quantum ad ordines sacros subditi per Prælatos in summũ Pontificem reducuntur, & hoc vel p ppríos diœcesanos, sicut non exẽpti & Cist. priuilegiati, nisi eis indebitè denegetur; vel per alios Episcopos non diœcesanos, & hoc vel de licentia diœcesanorum, vel quia diœcesani indebitè denegant, sicut Cisterc. vel sine licentia, sicut in exemptis, qui diœcesanos quandoque in suscipiendis ordinibus refugiunt; & hoc vel propter libertates suarum exemptionũ conseruandas, vel quia Prælati diœces. in talibus ordinibus conferẽdis exigunt ab eis aliqua, quæ redolere videntur simoniacam prauitatẽ. Nec tamen per hoc excluditur, quin Papa habeat immediatè potestatem quemlibet ordinem conferendi: sed quia non potest vbique præsentialiter interesse, indiget talibus Episcopis medijs, quibus potestas conferendi ordines reseruatur. Tertio in personis Ecclesiasticis reperimus præeminentiam graduũ, quantũ ad præeminentiam iurisdictionis; & sic summus Pontifex obtinet suum gradum, & dicitur habere quoad hoc plenitudinem potestatis; & habent super omnes alios ordinare de rebus Ecclesiæ, diœceses diuidere & limitare; & oportet ipsum recognoscere immediatum curatum & ordinarium cujuslibet Christiani: & sic aliquos siue religiosos siue sæculares, quantum ad iurisdictionẽ eximi à jurisdictione Prælatorũ, & immediatè sub iurisdictione summi Pontifici esse, nullũ est inconueniens; nec ordini graduum in formis repugnat: vt est per habita manifestum: nec oportet, quod quantum ad iurisdictionem omnes subditi in summum Pont. per Episcopos reducantur. Et sic patet per prædicta, quod ista ratio contra exemptos vel priuilegiatos nihil concludit.

Ordines sacri & non sacri.

Ordinatus per saltum non est reordinandus.

Ratio 10. aduersarij.

Decima ratio probare nititur, quod exemptio est contra naturam: per ea quæ videmus in anima humana, saltem in homine, quantum ad consecutionem salutis; nam cum anima humana sit creata in horizonte æternitatis, vt dicitur in libro de causis, & per consequens teneat gradum medium inter corporalia & spiritualia, sicut horizon qui est circulus imaginatus terminator visus, tenet gradum mediũ inter hemisphærium superius & hemisphæriũ inferius, sequitur ꝙ oẽs substantiæ spirituales sint supra animã intellectiuã & per consequens mediatæ inter ipsum & Deum: ex quo sequitur, quod reducitur per ipsas sicut per medium in ipsum Deum. Angeli autem sunt huius substãti, propter ꝙ homines quantum ad consecutionem salutis, in Deum per Angelo reducantur. Vnde Angeli sunt hominibus ad custodiam deputati, secundum Gregorium. Sed sicut Angeli sunt medium inter Deũ & homines, sic Prælati Episcopi sunt medium inter alios homines & summum Pont. in ijs quæ sunt ad Deum, juxta illud ad Hebr. 5. Omnis Pont. ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum. Ergo sequitur, quod eximere homines à custodia Prælatorum, est eximere ipsos à custodia Angelorum. Cùm enim homo compositus sit ex anima & corpore, oportet quod habeat duo genera custodum, spirituales vt Angelos, corporales vt homines. Prælati autem dicũtur Angeli, quia tam Angeli quam Prælati Episcopi per eandem rem corporalẽ, sicut per stellam vel stellas, designãtur, juxta illud Apocal. 1. Septem stellæ Ang. sunt septem Ecclesiarum. Et ibidem dicit Glossa, quod stellæ sunt Episcopi, qui debent alijs lucere verbo & exemplo. Quia ergo tam Angeli quã Episcopi signãtur per stellas, & quæ vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem, sequitur quod Episcopi conuenienter Angeli possint dici. Sicut ergo multum subtraheretur bono Ecclesiæ ad salutem electorum, si Angeli spiritus remouerentur à custodia hominum: sic multum subtrahitur bono Ecclesiæ ad salutem electorum, si Angeli homines, idest Episcopi, subtrahantur custodia hominũ aliorum. Et quia hoc facit exemptio, ideo non solum non est facienda, sed facta remouenda.

Apocal. 1.

Ad istam rationem est dicendum, quod multipliciter deficit. Primò, quia ad hoc non est data exẽptio, vt subtraherentur homines à custodia Prælatorum: sed quia Prælati Episcopi in multis non custodiebant religiosos subditos, sed ipsos multipliciter impediebant à diuino seruitio, & ab obseruantia regulari, rapiẽdo bona ipsorũ, pascendo semetipsos, & nõ dictos religiosos; & per consequens facientes opera contraria operibus Angelorum. Ideo data fuit exemptio ad impedimenta hujusmodi remouenda; & prouidendum fuit per sedem Apostolicam, à qua sicut à fonte influente & conseruante omnis, vera religio trahit ortum, de alijs ejusdem religionis, qui Angelorum opera veriùs sectarentur, verbo & exemplo lucendo, cujusmodi sunt Abbates & Priores qui per scientiam legis diuinæ, & verbum sanctæ prædicationis per Angelos congruè designãtur. *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiã, & legem ex ore ejus requirent: quia Angelus Domini exercituum est.* Malac. 2. Vnde non solum Episcopi, verumetiam alij inferiores Prælati, & generaliter sacerdotes sacra docẽtes, & legem diuinam scientes, longè plusquã multi Episcopi, per Angelos congruè designantur: & specialiter cùm per castitatis & voluntariæ paupertatis obseruantiam se à carnis illecebris, & ab inordinato amore temporalium elongantes, & vitam angelicã & cœlestẽ ducant, potius quã humanam. Ex quo patet, quod non sequitur, quod si religiosi subditi eximantur à custodia

Respons. ad prædictam rationem.

Malac. 2.

vel iurisdictione Episcoporum, quod propter hoc eximatur à custodia angelorum hominum. Imò est ibi fallacia consequentis à destructione antecedentis: quia non sequitur, non est homo, ergo non est animal: quia non solum homo est animal: ita non sequitur, non sunt sub custodia Episcoporũ, ergo non sunt sub custodia Angelorum: quia vt patet ex dictis, non solum Episcopi, sed etiam alij Prælati scientes legem Dei per Angelos congruè designãtur. Item etiam in alio deficit: quia nullus quantũ ad ea quæ sunt fidei, eximitur à custodia Prælatorũ. Item videat iste, qũo illi sint Angeli, qui cõtinuè in curijs Regum sunt, qui numquam subditis verbũ Dei proponunt, nec proponere faciunt; absentes procurationes pecuniarias capiunt, & præsentes omnia rapiunt, inhonestè etiam vivunt: multa alia possent dici; sed causa breuitatis dimitto.

Ratio 11. adversarij. Vndecimum & duodecimum capitulum probare nituntur exemptionẽ esse malam, ex comparatione Ecclesiæ ad arcam Noë, quæ Ecclesiam figurabat. Nam secundũ Aug. 5 de Ciuit. c. 26. arca illa Noë figurabat Ecclesiã tribus modis, primo ratione peregrinationis, secundo ratione suæ proportionis, tertio ratione distinctionis, Et item addit quartum modum, sc. ratione suæ consummationis. *Ratio 12.* Et ex his quatuor modis accipit quatuor rationes, probãtes ꝙ exẽptio his quatuor modis repugnat. Primæ duæ rationes tanguntur vndecimo capite, & aliæ duæ duodecimo. Prima ergo ratio probat, quod exemptio repugnat formæ & dispositioni arcæ, inquantũ figurabat Ecclesiam ratione peregrinationis; quia sicut arca illa de ligno facta saluabat Noë, & omnes qui cum ipso erant, à procellis diluvij, sic Ecclesia virtute ligni crucis in quo pependit Christ⁹, saluat illos qui in ea sunt, à procellis maris hujus mundi: sed illa arca non saluabat habitantes in ea, nisi quia erat debito modo formata & ordinata, prout Deus mãdauit & ordinauit. Nauis enim non saluat à procellis, nisi sit debito modo formata & ordinata. *Ecclesia arcæ Noë comparatur.* Ergo eodem modo Ecclesiã saluare non potest existentes in ea, nisi sit ordinata secundum ordinem à Deo datum & propositum. Sed secundũ *Ephes. 4.* Apostolum, Deus sic formauit Ecclesiam suam, quod primo posuit Apostolos gubernatores Ecclesiæ, per quos Episcopi designantur, qui debent gubernare Ecclesias sibi cõmissas, & omnes personas in suis diœcesibus existentes. Quod probatur ex hoc, quia naturale est, vt frequenter dictum est, quod reducantur infima & inferiora per media in suprema, primum autem & supremum officium in Ecclesia est gubernatio Ecclesiæ, quod officium exercebant Apostoli, quibus succedunt Episcopi. Ergo per hos tamquam per summos omnes alij debent reduci ad Deum. Inter Apostolos erat vnus supremus, sc. Petrus; cui succedit summus Pontifex, Christi vicarius, & Petri successor. Alij autem Episcopi gerunt vices aliorum Apostolorum, vt fuerunt sparsi per mundum, & cuilibet aliqua pars mundi collata est ad conuertendum. Cardinales, autem qui sunt collaterales Papæ, designantur per Apostolos, vt erant cum Christo, & ei assistebant. Vnde & summus Pontifex vtrosque, sc. Episcopos & Cardinales, non irrationabiliter vocat fratres. Exemptio autem hujus ordinationi Ecclesiæ contradicit, quare tollenda est. Secũda ratio ex parte hujus arcæ sumitur ratione suæ proportionis. Nam Ecclesia componitur ex hominibus; arca autem illa fuit figurata & proportionata secundum figuram & proportionem corporis humani. Fuit enim illa arca sexies longa quàm lata, & decies longa quam alta; quia Genes. 6. legitur quod *Genes. 6.* longitudo arcæ erat trecentorum cubitorum, latitudo quinquaginta, altitudo triginta: qui numeri si multiplicẽtur per sexies & decies, reddunt numerum trecẽtenarium modo prædicto, Talis autem est figura corporis humani proportionaliter, vt in pluribus, & secundum communem modum; quod facilè videri potest, si corpus humanum iaceat in terra expansum, accipiendo longitudinem à capite vsque ad pedes, latitudinem à dextra vsque ad sinistram, plicatis brachijs, & digitis vnius man⁹ digitis manus alterius. applicatis; altitudinem autem accipiendo à dorso vsque ad pectus. *Figura corporis humani.* Sicut ergo homine naturaliter sic proportionato, si aliquis accipiẽs de vna parte corporis coniungeret alteri, hujus proportio tolleretur, & eodem modo fuisset de arca Noë: sic exemptio quia tollit aliquas personas Ecclesiasticas de vno loco, vbi sunt naturaliter situatæ, & ponit eas in alio loco, vbi sunt positiuè & pro voluntate participãtis collocatæ, clarè patet, quod exemptio contradicit proportioni arcæ Noë Ecclesiam figurantis.

Tertia ratio quæ ad 12. capitulum pertinet, sumitur ex distinctione locorũ, quæ erat in illa arca tricamerata, quia ex tribus filijs Noë sumpsit originem, & bicaminata, quia ex Iudæis & Gentibus coniuncta; & licet in ea essent tres stationes, erant tamen in ea quinque loca: ita quod secundum assignationem minorẽ erant duo loca inferiora, duo superiora, & vnus supremus; in primo loco inferiori erat sentina, quæ immũditias recipit, in secũda apothecaria in quo cibaria reponebãtur. In primo loco medio erant animalia immunda, in secundo mitia & munda, in supremo, qui erat quintus locus, erant homines & aues. Et licet in hujus arca ad literam essent animalia munda & immunda, aues & homines, tamen prout arca ista figurat Ecclesiã, per omnia huius animalia possent homines designari; ita quod per animalia immunda signãtur homines non conuersi ad fidem, quorum tota vita est immunda; quia *omne quod non est ex fide, peccatum est.* *Rom. 11.* Per animalia mũda simplices laïci cõuersi ad fidẽ: per homines literati clerici, quorũ Deus est pars hereditatis eorum: per aues Prælati Episcopi, quorum est volitare super alios, designantur. Et specialiter summus Pontifex per aquilam super alias aues congrue designatur, vt de illo possit dici illud Ezechiel. 16. *Aquila grandis magnarum alarum, magno membrorũ ductu, plena plumis & varietate, venit ad libanum, & tulit medullam cedri.* *Ezech. 17.* Aquila grandis est summus Põtifex, qui preficitur toti Ecclesiæ; quæ est magnarum alarum, qui assumptus est, non in partem solicitudinis, sed in plenitudinẽ potestatis: sub alis protegens totam Ecclesiam, ad totam se extendens, vt non sit qui se abscondat à calore eius. Item habet magnum menbrorum ductum, quia Christianissimi Reges propter deuotionem, quam habẽt ad Ecclesiam, sustentant eam. Item plena plumis & varietate, propter copiam virtutum; quia sicut ille status est supremus in dignitate, sic debet esse sanctissimus & altissim⁹ in sanctitate. Item varietate, propter varios gra-

dus Ecclesiæ. Item venit ad Libanum, idest ad candorem puritatis, & tulit medullam cedri, idest altissimam iurisdictionem in tota Ecclesia. Applicando ergo prædicta ad propositum, sicut in arca Noë illa quæ erant in inferiori loco, non coniũgebãtur illis, quę in supremo nisi p mediũ, sed omnia tenebãt loca eis competentia; sic inferiores personæ Ecclesiasticæ non debent in Ecclesia coniungi summo Pontifici nisi per Prælatos medios; & quia contrariũ facit exemptio, conjungens inferius supremo sine medio, patet, quod repugnat distinctioni locorum illius arcæ; & per consequens tollenda est. Quarta ratio sumitur ex eoquod repugnat consummationi arcæ Noë, quia arca in parte inferiori erat multum ampla & lata, & quanto plus tẽdebatur ad superius; tantoplus stringebatur, & adeo fuit restricta, quod fuit in vno cubito geometrico consummata. Inferiora autem non coniungebãtur supremo nisi per media. Sic Ecclesia in parte inferiori quantum ad simplices parochianos, qui cunctis subduntur, est multũ ampla, & procedendo ad superius restringitur; quia Curati subduntur Archidiaconis, qui sunt pauciores, & illi Episcopis, qui adhuc pauciores; & tandem in vno cubito, idest summo Pontifice consummatur. Ex quo patet, quod inferiores in Ecclesia ad similitudinem consummationis arcæ Noë non debent coniungi summo Pontifici immediatè, sed Prælatis medijs ordinariè. Et quia contrariũ facit exemptio, ideo abolenda est. Ad istas quatuor rationes per ordinem est dicendum. Ad primam cũ dicit, quod exemptio repugnat dispositioni arcæ Noë, prout ratione peregrinationis designat Ecclesiam, dico per interemptionem; & ad probationẽ, cum arguitur, quod ista sicut nec illa saluare non potest, nisi inquantum sic ordinata, secundum ordinem, quem Deus in Ecclesia instituit; dico q verũ est. Dicitur tamen Deus instituere, non solum illud quod immediatè instituit; sed etiam quod eius supremus vicarius, cui relinquit ordinationem Ecclesiæ; ad eius & electorum salutem, voluntate eius & authoritate hujus instituit. Hujusmodi autẽ est exemptio propter diuinum seruitium, & propter contẽplationem, & obseruantias regulares, instituta & concessa, vt est per habita manifestum; quare ratio non valet. Et quod vlterius dicit, quod primo posuit Apostolos, & cætera, dico, quod adhuc Episcopi tenent primum gradum post summum Pontificem ordine dignitatis, potissimè quantum ad dignitatem ordinis, inquantum habent potestatem Ordines conferendi. Possunt etiam omnibus personis suæ diœces. quantum ad ea quæ sunt fidei præesse; quia hoc exemptio non tollit: sed quod habeant potestatem super omnes religiosos suæ diœcesis, maxime super literatos, non expedit, nec oportet. Imò propter multiplicem defectum & excessum eorum, & quia religiosos multipliciter infestabant, quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, in hoc contra Apostolorum officium multipliciter facientes; decuit & oportuit, vt summus Pontifex qui totius Ecclesiæ, sicut Noë ipsius arcæ, curam habet, sibi de alijs prælatis magis solicitis & expertis prouideret: & ipsos à iurisdictione Episcoporum eximeret: & hoc etiam ordinauit De & mandauit per Prophetam Ezech. 30. vt prius fuit allegatum. Arca etiam sic quantum ad religiosos disposita, magis potest saluare à procellis maris hujus mundi, quam per alium modum, vt in solutione ad secundam rationem fuit superius declaratum. Ex quibus patet, quod ratio, non concludit. Ad secundã rationem est dicendum, primò, quod mystica Theologia non est argumentatiua, secundum Aug. Quia autem addit de proportione quãtitatis ad proportionem cordis humani, dicendum quod non est simile. Sicut enim augmentato numero fidelium per conuersionem infidelium ad fidem, & diminuto per conuersationem fidelium, non mutatur nec variatur proportio capacitatis & cõmensurationis Ecclesiæ, quin saluari possint quotquot sunt in ea, siue pauci, siue multi: quia nauicula Petri etsi fluctuare potest, numquam tamen submergi, dicente Christo, *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua:* sic per hoc, quod aliqui immediatè subsunt jurisdictioni summi Pontificis, per exemptionẽ, hujusmodi proportio nullatenus variatur: cùm sedes hujus sit omnium aliorum Ecclesiarum domina & magistra. Tertio dicendũ, quòd illi, qui sunt de vna diœcesi, non ita sunt de essentia iurisdictionis diœcesani, sicut sunt membra de essentia corporis humani; dimensiones de essentia quantitatis corporalis; quia membra corporis saluari non possunt, nisi corpori conjungantur: illi tamen qui sunt de vna diœcesi, saluari possunt, absque hoc, quod sint sub jurisdictione illius diœcesani: alias non possent se trãsferre ad alias diœceses: sicut nec membra corporis possunt ad aliud corpus transferri; salua consistentia eorum. Sed bene verum est, quòd membrum Ecclesiæ saluari non potest, nisi corpori Christi, quod est vniuersalis Ecclesia, vniatur: sicut nullus tempore Noë seruatus fuit, qui esset extra arcam. Ex hoc autem, quòd aliquis est sub iurisdictione diœcesani, vel ex eo quòd à jurisdictione ejus eximitur, non dimittit jurisdictionem Ecclesiæ vniuersalis; quare ratio non valet. Item si ratio valeret, sequeretur, quòd omnes diœceses essent æquales, secundum huius propoitionem; & quod summus Pontifex non posset diœceses diuidere, nec vnire; q falsum est, & summi Pontificis derogat potestati. Quare, &c. Vnde non oportet figuratum seu rem figuratam, figuræ seu rei figuratę per omnia respondere. Aliter enim vna res numquam contraria figuraret. Et tamen videmus in Scriptura sacra, quòd Christus & diabolus, qui tantã habent distantiam, per res easdem, sicut per serpẽtem & leonem, designantur: & hoc propter diuersas proprietates repertas in eisdem. Dicitur enim leo diabolus, ratione rugitus & deuorationis. Vnde in Canonica Petri dicitur. *Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Dicitur autem Christus leo ratione victoriæ in Apocal. *Vicit leo de tribu Iuda.* Similiter serpens ratione malitiæ & astutiæ, & veneni, significat diabolum. Vnde in Apocal. dicitur *Serpens antiquus.* Ratione autẽ prudentiæ & virtutis medicinalis, inquantum thiriaca fit de serpente, vnde à tiro serpente denominatur, significat Christum, ipso dicente in Ioann. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto,* &c. Ex quo patet, quod non oportet quod res figurans secundum quamlibet ejus proprietatẽ conueniat figurato. Vnde Ecclesia per arcam Noë figurata quantum ad supremum gradum iurisdictionis crescere non potest in altum, quia

Respons. ad rationes aduersarij sumptas ex arca.

Episcopi sũt in primo gradu.

Luc. 22.

Christus & diabolus per easdem res figurantur in Script. diuersimodè.

1. Petri 5.

Apocal. 5.

Ioann. 3.

quem non est dare superiorem in Ecclesia militante: & ita altitudo Ecclesiæ siue quantum ad Papã, qui tenet supremũ gradũ in Ecclesia, supra gradum ordinis, siue quantum ad gradum iurisdictionis, crescere non potest. In latitudine & longitudine jurisdictionis crescere potest & diminui, secundum quod aliqui auertũtur à fide, vel conuertuntur ad fidem. Vnde in primitiua Ecclesia fuerunt pauciores fideles, quàm modò, & in aliquibus partibus mundi fuerunt Christiani, vbi modo non sunt: sicut in Africa. Istud tamen augmentum vel detrimentum longitudinis vel latitudinis non impedit hujusmodi arcam, quin inter fluctus maris hujus mundi possint salvari existentes in ea. Potest etiam dici mysticè, quod Ecclesia habet trecentos cubitos in longitudine, prout continet perfectionem regularẽ, cui debetur fructus centesimus, dum in fide Trinitatis obseruatur; ita quod numerus centenarius referatur ad fructum, & ternarius ad obseruantiam triplicis voti, vel ad fidem Trinitatis. Item habet triginta cubitos in latitudine, quantum ad obseruantiam decem præceptorum decalogi in fide Trinitatis: nam ter decem faciunt triginta: sed dicitur habere quinquaginta cubitos in latitudine, quantum ad latitudinem charitatis, cui debetur jubilus & gaudium æternæ felicitatis, quæ per quinquagenarium numerum congruè designatur. Vnde & in veteri testamẽto annus quinquagenarius, quo hæreditas reddebatur, & serui liberabãtur, annus jubilæus dicebatur. Ad terriam rationem, quæ in duodecimo capitulo sumitur ex distinctione locorũ ipsius arcæ, dicendum, concedendo, quæ ibi ad literã dicuntur; sed quãdo vlterius figuratiuè prædicitur dicendo, ꝙ per animalia immitia & immunda figurantur infideles nondum conuersi ad fidem; dico, (licet hoc nõ sit ad suum propositũ,) quod falsum est; quia ex quo illa arca designabat Ecclesiam, animalia quæcumque existentia in ea non poterant homines designare, nisi vt sunt in Ecclesia & de Ecclesia, & corpori Ecclesiæ conjuncti. Infideles autem vt tales, sunt actu extra Ecclesiam, nec per eam vt sic, salvantur; quia qui non credit, jam judicatus est. Animalia autem etiam immunda existẽtia in arca saluata fuerunt per eam esse naturali. Ex quo patet quod illud signum falsò assumitur: sed possent illa animalia licet immunda, peccatores designare, qui cũ baptismum receperint, qui est omnium aliorũ sacramentorũ janua, possunt recipere pœnitentiæ sacramentũ, & per cõsequens salvari & de numero membrorum Ecclesiæ possunt dici. Quod autem vlterius dicitur de distinctione locorum, & quod inferiora non conjungebantur supremo, nisi per media, dicendum, quod non obstante distinctione mansionum, Noë tamen dominabatur omnibus animalibus quæ erant in arca; & de illis in arcam reponendis & servandis habuit immediatè præceptum. Vnde immediatè dominabatur vxori & liberis, hominibus & alijs animalibus, existẽtibus in arca, & immediatè habuit regimen & gubernationẽ omnium prædictorũ. Sed eodem modo per eandem figuram concluditur, quod non obstante varietate graduum in Ecclesia, summus Pontifex vicarius per illum Noë designatus, habet immediatã jurisdictionẽ super vniversalẽ Ecclesiam, & super omnes personas in ea contentas. Vnde & à Christo recepit iurisdictionẽ hujusmodi, cum sibi dixit sine aliqua determinatione cõtrahente, *Pasce oues meas* &, sic argumẽtũ magis cõcludit oppositum, quam propositum. Quod etiam vlterius adducitur de distinctione locorũ, & quod aues & homines erant in quinto loco immediatè cum Noë, magis arguit, quod religiosi, qui sunt clerici & literati, qui etiam tamquam viri contẽplatiui duabus alis, scilicet cognitione & amore, præ alijs volant in altum, & specialiter in ipsum Deum, per aues congruè designantur, debeant immediatè esse sub jurisdictione summi Pontificis per prædictum Noë designati, quam sub jurisdictione Episcoporum: præsertim cùm summus Pontifex se habeat ad Ecclesiam sicut Noë ad arcam illã se habebat. Quod autem vlterius dicitur aquila grandis, concedatur; iste tamen doctor qui exemptiones nititur tollere, contendendo quod sint contra naturam & ordinationem Ecclesiæ, multum nititur, si intrinsecus inspiciantur dicta sua, alas istas diminuere, & magnum membrorum ductũ & longum decurtare & abbreuiare, & aquilam istam temporaliter & spiritualiter deplumare: cum sedes Apostolica multa bona temporalia recipiat ab exemptis & privilegiatis: & exempti multis virtutibus polleãt, alij quibus carẽt, & carerent ipsi, si exemptiones eorum & priuilegia tollerentur; præsertim cum Episcopi magis eligãt à suis subditis tẽporalia & carnalia metere, quàm eos inducere ad virtutes. Multum etiam nititur deprimere istam altissimam jurisdictionem, quia exemptionibus per suas rationes sublatis, alij Episcopi se vellent processu temporis summo Pontifici coæquare. Ad quartã rationẽ, quæ sumitur ex ipsius arcæ consummatione, patet ex dictis, quia non obstante maiori vel minori latitudine locorum superiorum & inferiorum, Noë tamẽ omnibus dominabatur. Sic non obstante maiori vel minori latitudine seu numerositate graduum Ecclesiæ Papa omnibus dominatur immediatè. Sed quia cum homo sit, nõ potest omnibus actu & in proprijs personis intendere, vocat alios in partem solicitudinis. Item exempti reducũtur per hunc modum in summũ Pontificem; quia monachi qui sunt multi, per Abbates, Abbates per Patres Abbates, & per capitula generalia, & tandem reducuntur in vnum, quo mediante possunt in spiritali cubito, idest summo Pontifice consummari, & ei vniri, vt est per habita manifestum.

Tertia decima ratio sumitur ex his quæ habẽtur in actibus Apostolorũ. Tres enim sunt gradus prælationis in Ecclesia: supremus in quo est Petrus & summus Pontifex eius successor, vicarius Christi; & in isto non possunt esse plures; quia ꝙ per superabundantiam dicitur, vni soli conuenit. Post istum gradum sunt Apostoli & successores eorũ, scilicet Episcopi. Præter hunc est tertius gradus habentium jurisdictionem post Episcopos, scilicet isti, qui cõstituti sũt per Apostolos, cujusmodi fuerunt diacones, qui fuerunt per Apostolos ordinati, inter quos fuit Stephanus primus, Philippus secundus, per quos diacones conuenienter possunt designari omnes alij minores Prælati, habentes iurisdictionem infra Episcopos, sicut Archidiaconi & Abbates. Curati autẽ existẽtes in majori numero, conueniẽter repræsentantur per 70. discipulos à Christo electos. Ex quolibet autem istorum graduum, per ea quæ habẽtur in actibus Apostolorũ, pro-

Ecclesia crescere potest & minui.

Annus Iubilaus.

Animalia arca nõ designant, nisi homines in Ecclesia existentes.

Papa se habet ad Ecclesiam, vt Noë ad arcam.

Papa omnibus immediatè dominatur.

Ratio 13. Aduersarij.

bari potest, quod exemptio sit tollenda, & Deo odiosa; quia secundum quemlibet graduum istorum Deus vtitur medio in reductione aliorum in seipsum. Sed exemptio non vtitur medio, sed tollit ipsum: Ergo. Majorem declarat per inductionem, & de gradu supremo quantum ad Petrum; quia eduxit Petrum de carcere mediante Angelo, quia Angeli sunt medij inter nos & Deum: & ita licet Petrus fuerit supremus in hierarchia Ecclesiæ; non tamen in hierarchia simpliciter: quia habebat Angelum custodem, Angelica autem hierarchia est supra Ecclesiam. De illa eductione habetur Act. 10. Licet ergo Deus potuisset immediatè liberasse Petrum, noluit tamen ipsum eximere ab officio Angeli. Similiter licet potuisset immediatè vel per Angelum conuertisse Cornelium, voluit tamen ipsum conuertere mediante Petro, nec ipsum voluit eximere à jurisdictione Petri. Et de hoc habetur Act. 10. Item quantùm ad secundùm gradum Ecclesiæ, qui est Apostolorum, quibus succeduut Episcopi, habetur Act. 5. quod Apostolis existentibus in carcere, aperuit Angelus carcerem, eis dicens: *Ite, stantes in templo loquimini populo omnia verba vitæ hujus.* Sic ergo reduxit Apostolos ad se per Angelum, & plebem per Apostolos: nolens plebem eximere à jurisdictione Episcoporum. Sic etiam summus Pontifex Dei imitator, debet, vt dicit, reducere plebem: idest omnes infra Episcopos reducere in seipsum per Episcopos, qui tenent locum Apostolorum. Item quatùm ad tertium gradum noluit Eunuchum eximere à jurisdictione Philippi, vbi legitur locutus spiritus Philippo, dicens. *Surge & vade* &c. *accede, adjunge te ad currum*, &c. & sequitur quod *Philippus baptizavit Eunuchum*. Ex quibus omnibus inducendo per gradus Ecclesiæ, patet, exemptionem esse exosam: addit tamè iste Doctor in fine sui capituli, quod quotquot conuertebantur, siue per Petrum, siue per alios, erant de jurisdictione Petri habentis jurisdictionis totalitatem. Sed quantum ad jurisdictiones alias conuersi in primitiua Ecclesia erant de jurisdictione saltem voluntaria couertentium, quia parati erant eorum facere voluntatem.

Act. 5.

Act. 8.

Responsio ad 13. rationem adversarij.

Ad istam rationem dicendum, quod ista ratio aliqua falsa assumit, & cum hoc nil contra exemptos concludit, imò contradicit intentioni ponentis. Falsum enim supponit in hoc, quod dicit, Religiosos exemptos reduci in Papam sine medio: imò reducuntur mediantibus Prælatis suis ejusdem ordinis, vt dictum est supra, qui sunt media superiora & magis ordinata. Ex alia parte in hoc quod dicit, quod Papa debet reducere ad exemplum Dei, omnes citra Episcopos per Episcopos in seipsum, dicit falsum; quia nec Christus id fecit vniuersaliter, nec Petrus: imò Christus per seipsum multos immediatè conuertit, & etiam Petrus, sicut ipsemet ponit exemplum de Cornelio Act. 10. qui non fuit reductus mediantibus alijs Apostolis. Et multi alij fuerunt immediatè conuersi per Petrum, vt habetur in Actibus, quod *loquente Petro cecidit Spiritussanctus super omnes, qui audiebat verbum*, &c. & sequitur ibi. quod conuertit multa millia hominum. Ergo non oportet istam catenam ponere, quia nullam, quod de necessitate pertransantur omnia media inter inferiorem & superiorem in hierarchia Ecclesiæ, ad hoc quod fiat reductio in supremum. Item in exemplum de Philippo & Eunu-

Act. 10.

cho est contra ipsum; quia ille Eunuchus fuit reductus mediante Philippo in jurisdictionem Petri; (qui Philippus inferiores Prælatos designat,) non mediantibus alijs Apostolis. Ergo eodem modo Abbates & alij inferiores prælati possunt esse etiam media reductionis suorum subditorum in summum Pontificem, non mediantibus Episcopis. Prætereà si verum esset, quod iste doctor dicit, sequeretur: quod Cardinales Presbyteri & diaconi nō possunt immediatè subjici summo Pontifici, nisi mediantibus Episcopis. Præterea sequeretur, quod non esset immediatè Pontifex Romanus, & multa alia incōuenientia sequerentur. Illa ergo quæ sunt in Actibus Apostolorum scripta, quæ ipsemet allegat, magis sunt contra ipsum, quam contra exemptos. Quod etiam in fine dicit, quod omnes acquirebantur jurisdictioni Petri, erant autem sub illis qui ipsos conuertebant voluntariè, magis derogat jurisdictioni Episcoporum, quàm illam augeat. Et ideo in hoc dicto non est bonus aduocatus pro Episcopis. Nō enim negarem Episcopos habere jurisdictionem ordinariam in suis diœces. exceptis illis, de quibus Dominus Papa facit sibi reseruationem specialem, sicut facit de exemptis; licet jurisdictio eorum, sit de jure positiuo, & ordinatione Ecclesiæ; jurisdictio autem Papæ est de iure diuino. Vnde ex dictis hujus doctoris, hic & in alijs dictis suis, reperiuntur multa falsa, & ad propositum impertinentia, & contradicentia sibi ipsi. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus omnem gradū nobilitare voluit in couersione in fideliū pertinentem ad numerū electorum, ad insinuandum, quod sit commune gaudium electorum, & omnium ciuium supernorum. Vnde & in reparatione ruinæ Agelicæ voluit Angelos ministerialiter operari. Ipsemet autem factus homo adhuc genus humanum magis nobilitare voluit. Vnde nullum prætermisit, quin ei daret gratiam alios conuertendi. Imò de quo minùs videtur, nec sexum nec gradum fœmineum prætermisit; licet mulieri secundum legem communem non permittatur docere: tamen voluit per mulierem, sicut per Magdalenā resurrectionis mysterium suis fratribus & Apostolis nuntiari. Legitur etiā quod beata Catharina quinquaginta Rhetores immediatè conuertit ad fidem: nec illi fuerunt reducti in Deum, vel in summum Pontificem immediatè per Episcopos, sed fœmina mediante. Multas enim vias habet Christus conuertendi homines ad fidem, & reducendi in seipsum & fatua præsumptio est, ipsum vel ejus supremum vicarium in talibus limitare.

Reducuntur exempti ad Papam mediantibus Abbatibus suis, &c.

Aduersarius aduocatus malus Episcoporū.

Omni gradui & sexui data est gratia alios ad Deū reducendi.

Quarta decima ratio innititur triplici gradui sacerdotij, quod in Ecclesia reperitur: & licet ibi defendendo se, multa dicat impertinētia ad propositum de charactere: scilicet quod sit spiritualis potestas & distinctiua, discurrendo per septē Ordines, quantum ad sacramtum Ordinis, & quod in quolibet eorum character imprimitur, quæ omnia magis habet tractari super quartum sententiarū. Accipiendo tamen quod est ad propositū, dicit, quod in Ecclesia distinguitur triplex sacerdos, sc. simplex & paruus; qui non potest alium facere sacerdotem: Sacerdos magnus, qui potest alium sacerdotem facere, sc. Episcopus; & sacerdos summus & totalis, scilicet Papa, qui habet totalitatem iurisdictionis: & sicut est triplex sacerdos, ita est triplex sacerdotium; sim-

Ratio 14. Aduersarij.

plex, in quo constitutus est quilibet sacerdos nō Episcopus: & hoc sacerdotium innititur simplici characteri sacerdotali, qui est potestas conferendi Eucharistiam, sed non conferendi Ordines: magnum autem sacerdotium, in quo gradu sunt omnes Episcopi, innititur characteri & perfectioni characteris, qui est potestas non solū conficiendi Eucharistiam, sed etiam conferendi Ordines. Sed summū sacerdotium, in quo est solus Papa, innititur characteri & perfectioni characteris & totalitatis iurisdictionis. Qualiter autē hoc habeat esse, declarat; quia licet characterū sacerdotalis sit supremus, qui in ordinibus imprimatur, nec sit dare alium characterem super ipsum; est tamen dare perfectionem characteris: sicut licet non sit dare in naturalibus vitam supra vitam humanam, quia anima humana est vltimum & supremum, ad quod potest natura attingere, etiam dispositiuè, vt patet 2. Physicorum: est tamen dare perfectionem in hujus vita: quia est dare hominem parvum & imperfectum sicut puerum, qui licet possit cibum conuertere, sicut nutrimentū in substantiā nutritis non tamē propter suam inperfectionem potest alium hominem generare: & est etiam dare hominem, siue virum perfectum, qui non solum potest cibū corporalem in seipsum conuertere, sed etiā potest alium hominem generare. Vnumquodque autē tunc pefectum est, quādo potest generare sibi simile, secūdo de anima: sic licet non sit character super characterem sacerdotalem, est tamē dare perfectionē characteris; ita ꝙ simplex sacerdos qui recipit characterē simpliciter & absolutè est parv⁹ & iperfectus sacerdos, quia non potest facere aliū sacerdotē; licet possit conuertere cibū corporalem in cibū spiritualem, siue conuertere substātiā panis in substantiā corporis Christi, qui est cibus spiritualis, & est cibus animæ, nō ventris. Sed Episcopus est sacerdos magnus & perfectus, qui non solum potest substantiam panis conuertere in corpus Christi, sed etiam facere alium sacerdotem, ordinē sacerdotij conferēdo. Ex quo patet, quod Episcopatus non est alius Ordo ab Ordine sacerdotali, qui alium characterem à charactere sacerdotali recipiat; licet sit alius, inquantum vltra characterem sacerdotalē recipit perfectionē illius characteris. Ex quibus omnibus patet, quod vltra Episcopatum non est dare aliquid ordinis, nec quantum ad characterem, nec quantum ad characteris perfectionem; licet sit aliquid dare vltrà, quod est jurisdictionis, sicut Archiepiscopatus, Patriarchatus, Papatus. Et ad hoc insinuandum Papa scribendo, non scribit se Archiepiscopum, nec Patriarchā, sed solum Episcopū, dicens. *Clemens Episcopus, &c.* vt det intelligere; quod quidquid habet vltra Episcopum, non est ordinis, sed iurisdictionis. Propter quod dicitur assumptus solus; non in plenitudinē ordinis, quia ad hoc sunt assumpti omnes alij Episcopi, sed dicitur assumptus in plenitudinē potestatis, idest iurisdictionis. Dicitur ergo simplex sacerdos sacerdos parvus, quia potest in corporis Christi consecrationē, sed nō potest Ordines conferre; sed dicitur Episcopus sacerdos magnus, ratione perfectionis characteris, quantum ad Ordinum celebrationem: dicitur autem summus Pontifex sacerdotes summ⁹, suppositis prædictis, ꝓpter totalem & summam iurisdictionē. Ex his autem formatur ratio, quia infimum reduci debet in supremum per medium. Sed Episcopi qui sunt sacerdotes magni, sunt medij inter sacerdotes paruos & imperfectos, & etiam inter alios non sacerdotes, & inter sacerdotē summum & totalē, qui est summum Pontifex. Ergo per ipsos debent reduci in Papam. Sed exemptio tollit istam mediationem quia ponit Sacerdotes parvos, & etiam non Sacerdotes, immediatè sub summo Pontifice. Ergo exemptio tollenda est, & nullo modò concedenda, nisi fiat pro evidenti vtilitate Ecclesiæ, quæ consistit in studio; quia indubitanter credimus, quod si periret studium, periret fides, & si periret fides, Ecclesia naufragium pateretur.

Magnum Sacerdotiū.

Summum Sacerdotiū.

Respon. ad 14. ratio. aduersarij.

Ad rationem istam dicendum est, quod ibi est fallacia accidentis, variatione medij. Nā de potestate ordinis concludēdo procedit ad potestatē jurisdictionis, quæ tamen sunt alteri⁹ & alterius rationis. Nam illæ possunt ab inuicem de facto separari. Potest enim Episcopus qui habet plenitudinem ordinis, esse sine plebe, & per consequens sine potestate jurisdictionis. Exemplū de Episcopo, qui renunciauit Episcopatui suo. Potest etiam aliquis non Episcopus eligi in Papam, & ipso facto habet plenitudinem jurisdictionis, licet nō habeat plenitudinem ordinis. Vnde solum in consecratione Episcopi imprimitur aliqua potentia seu qualitas indelebilis spiritualis, per quam potest aliquas operationes sacras & hierarchicas exercere, respectu corporis Christi mystici, & sic alia à charactere Sacerdotali. Quod videtur probabile, licet non sit ordo, qui est sacramentū, siue in hujus consecratione acquiratur sola pfectio characteris Sacerdotalis, vt sic character ille recipiat magis & minus, vt iste doctor dicit: quod videtur dubium, maximè cùm ejus perfectio non dependeat ex perfectione vel incremento organorum corporalium, vel alicujus dispositionis spiritualis recipientis incrementum, ratione cuius incremēti habeat potestatem ordinis conferendi; sicut est considerare in perfectione hominis respectu actus generādi; siue hoc fiat ex ordinatione Christi vel Ecclesiæ hoc habentis à Christo per modum pactionis. Quidquid sit de hoc, nihil assero, quoad præsens. Primus tamen modus videtur magis probabilis; quia cum Episcopus possit in aliquas operationes, differentes specie, in quas non potest simplex Sacerdos, videtur quod Sacerdotales & Episcopales potestates sint specie differentes. Hujus autem operationes sunt confirmare, Sacerdotes facere, consecrare, sanctum chrisma conficere, in quas non potest simplex Sacerdos, non propter imperfectionem characteris Sacerdotalis: cum transubstātiare substātiā panis in substātiam corporis Christi sit operatio nobilior, quam aliqua prædictarum: sed quia sunt potestates alteri⁹ rationis. Quacumque tamen via data, bene volo, quod Episcopi soli possint ex officio Ordinē Sacerdotalem conferre, qui inter Ordines Sacerdotales tenet gradū supremum: & ex hoc bene volo, quod possint dici Sacerdotes magni, licet Papa possit alijs cōmittere, & de facto cōmittit, quod possint Ordines minores conferre: sed per hoc nihil concluditur ad propositum: quia habito respectu ad gradum Episcopalem, ratione cujus Episcopi dicūtur Sacerdotes magni, quantum ad potestatem Ordinis, cum summus Pontifex, quoad potestatē Ordinis, nō habeat super eos, vt ipsemet fatetur: sequitur, quod prout dicuntur Sacerdotes ma-

An Episcopatus nouū characterem imprimat.

rii nō sunt medij inter Papam & alios; sed quo ad hoc sunt æquales Papæ; & sic sua mediatio nihil facit ad propositū reductionis; & ideo concludendo ex hoc, quod non sunt vel esse possunt immediatè sub jurisdictione Papæ, nisi mediantibus Episcopis, variat medium, vt per se patet. Imò ex hoc sequitur, quod immediata jurisdictio super personas inferiores nō plus repugnat Papæ, quàm alijs Episcopis, imò quod ipsi magis quam alijs debeat conuenire. Item dicere, quod nullus Sacerdos paruus, vel alius non Sacerdos, debeat esse sub jurisdictione Papæ immediatè, est falsum, & hæreticum: cùm sit immediatus ordinarius cujuslibet Christiani. Item si Sacerdotium magnum, quod ad Episcopos pertinet, de necessitate esset super Sacerdotiū parvum, quātum ad jurisdictionem; tunc sequeretur, quod non Sacerdos, vel nō Episcopus, electus in Papā, post ejus acceptationē, ante ejus ordinationem vel consecrationem, esset sub jurisdictione alicujus Episcopi, nec haberet vniuersalem iurisdictionem super alios, quod falsum est, & contra seipsum in sequentibus. Vnde in talibus cōtradicit sibi ipsi, quia eo ipso quod aliquis non sacerdos vel non Episcopus, est canonicè electus in Papam, licet ex hoc non habeat plenitudinem ordinis, accipit tamen ex ipsa sua electione plenitudinem potestatis, & apicem iurisdictionis. Cùm igitur quilibet Christianus ordinetur ad æternam beatitudinem consequendam, ad quam ordinatur Papale officium, secundū quod hujus, necesse est dicere, quod non repugnat alicui Christiano immediatè subesse iurisdictioni summi Pontificis. Iurisdictio ergo, siue quantum ad correctiones, siue quantum ad sacramentalē absolutionem, non sic præcisè consequitur Episcopalem dignitatem: quin possit non Episcopo conuenire: nec obest, quin aliquis non Episcopus, etiam secundum ordinationem Ecclesiæ, possit habere iurisdictionem latiorem, quam aliquis Episcopus, citra summum Pontificē. Potentia enim sacramentaliter absoluendi, quantum ad sacramentum pœnitentiæ, fundatur immediatè super sacerdotalē characterem absolutè; licet vsus restringatur secundū ordinationem Ecclesiæ. Quamquā ergo omnes & singuli Episcopi sint assumpti in plenitudinē ordinis, quātum ad potestatem absoluēdi, & ordines conferēdi, habent tamen potentiā ligatam, quantum ad vsum, specialiter in absolutionibus sacramētalibus, & dispensationibus; & propter determinationem & subtractionem materiæ, & propter retentionem casuum aliquorum, & propter limitationem iurisdictionis. Sed summus Pontifex dicitur sacerdos summus, quia non solum habet plenitudinem ordinis, quantum ad potestatem habitualem, sed habet plenitudinē vsus, quia nullus casus, nulla persona, suam subterfugit potestatē, ex eo quod potestas ejus ordinaria ad omnem casum, & ad omnem personam generaliter se extendit. Potest igitur aliqua persona infima reduci immediatè in Papam, & quātum ad potentiam iurisdictionis, & quantum ad potentiam ordinis; quia cum sit Episcopus, potest ordines sacros immediate conferre: quia tamen vbique non potest præsentialiter interesse, alij Episcopi possunt alios ordinare, qui in partem solicitudinis sunt vocati. Et potest eis, & alijs non Episcopis, iurisdictionem cōmittere, sicut Abbatibus, & alijs, eā tamen à se nullatenus abdicando.

Papa vniuersalem habet jurisdictionem.

Papa summus sacerdos.

Intelligendū est etiam ad euidentiā prædictorū, quod quia Episcopus ratione plenitudinis ordinis reseruatur Ordines celebrare; virgines, altaria, calices cōsecrare, Ecclesias dedicare & recōciliare, quæ Prælatis inferioribus & sacerdotibus, paruis & simplicibus nullatenus cōceduntur, possunt dici sacerdotes magni, & non obstante quod aliqui de ipsorum diœcesi ab eorū jurisdictione eximantur eorum sacerdotio magno, ratione cuius dicūtur habere plenitudinem, nullatenus derogatur, vt patet ex dictis; quare ratio non valebat. Propter quod ad solutionem præfatæ rationis, & plurium præcedentium & subsequentium rationum est distinguēdum de potestate. Est enim quædam potestas sacramentalis quæ est respectu corporis Christi veri, in qua potestate ordo sacerdotalis tenet gradum supremum: quia ibi datur potestas trāssubstantiandi substantiam panis in substantiam corporis Christi, & substantiā vini in substantiā sanguinis: & isti characteri innititur potestas absoluendi sacramentaliter, quæ potest exire in actū, supposita iurisdictione & natura subiecta; & si attendatur modus huius transsubstantiationis; quantū ad multa, & termin⁹ hujus transsubstantiationis; quia est ibi vera substantia corporis Christi ex vi conuersionis, & anima Christi ratione concomitantiæ naturalis, & Deitas ratione vnionis: sic ista potestas est altissima quæ hominibus cōceditur: nec huius sacerdotiū recipit magis nec minus: nec est bene dictū, quod dicatur sacerdos parvus ad modum pueri, qui cibū potest conuertere, non tamen sibi similē generare: nam hujusmodi sacramentum, prout recipitur per modum cibi & spiritualis nutrimenti, sic non solum conuenit sacerdoti, sed cuilibet Christiano. Hæc tamen est differentia inter ipsum & alios cibos corporales, quod iste cibus conuertit cibantem in seipsum, dicente August. *non me mutabis in te; sed tu mutaberis in me.* Ecōtrario autem est de alijs cibis corporalibus. Sed vt istud sacramentum comparatur ad potestatē ministri consecrantis & transsubstantiantis, sic solum competit talis potestas habenti characterem sacerdotalem. Secunda est potestas ordinis Episcopalis, quæ est respectu corporis Christi mystici, & est disparata à potestate præcedenti, licet illam præsupponat; & isti potestati vt sic, competit circa corpus Christi mistycum actiones sacras exercere, cujusmodi sunt Ordines celebrare, & cōfirmare, Chrisma conficere, virgines & altaria consecrare, Ecclesias dedicare; & sic de alijs. Tertia est potestas iurisdictionis, & ista non est necessario connexa ordini Episcopali, nec illū de necessitate præsupponit, imò si accipiatur iurisdictio quantum ad sacerdotalē absolutionem, solum præsupponit characterē sacerdotalem. Si autem accipiatur quantum ad correctiones ordinarias & statuta, sic etiam potest competere non sacerdoti, & multò fortius sacerdoti nō Episcopo, sicut Abbatibus & Decanis; & potest poni exemplum in alijs multis, sicut in electis confirmatis ante eorum ordinationem vel consecrationem. Imò talis jurisdictio in correctionibus conceditur sexui muliebri, sicut Abbatissis, de quibus minus videretur, licet iurisdictio spiritualis, etiam non sacramentalis nec, plenariè nec propriè competat mulieri: quia etiam in foro judiciali nec excommunicare, nec absolvere potest, habet tamen po-

Potestas sacramentalis.

Eucharistia non mutatur in nos, vt alij cibi.

Potestas ordinis Episcopalis.

Potestas iurisdictionis.

test iurisdictionem secundum quid, respectu monialium sibi professarum, quantum ad observantiam regulæ, & quantũ ad aliquas punitiones regulares vnde cum potestas iurisdictionis sit alia, & disparata à potestate ordinis Episcopalis, & etiam quandoque à potestate ordinis sacerdotalis; cùm contingat vnam sine alia reperiri, & èconuerso, sicut Episcopum sine iurisdictione, & iurisdictionẽ sine ordine, & sine potestate Episcopali, vt exemplificatum est, & exemplificari potest in multis: arguere de vna potestate ad aliam, est æquiuocare de potestate; & etiam committere fallaciam accidentis; vt est per habita manifestum. Et ista distinctio valet ad dissolutionem pluriumrationum, sicut patere potest diligentiùs intuenti.

Ratio 15. adversarij. Quinta decima ratio sumitur ex ipso ordine, non secundum quod est sacramentum, prout accipiebatur in ratione præcedenti; sed prout definitur ab August. 19. de Ciu. Dei, vbi definit ordinem, sic dicens, quod *ordo est parium dispariumque rerum sua cuiq; loca tribuens dispositio.* *Definitio ordinis ex August.* Ex quo patet, q in vniuerso vel in Ecclesia alicui locum sibi non debitum tribuere, est horror, & non ordo, peruersio, & non ordinatio: cùm ordo nihil sit, nisi dispositio tribuens vnicuique locum suum. Sicut ergo videmus in ordine vniuersi, quod cũ aër sit medi⁹ naturaliter inter ignẽ & aquam, si aqua vel pars aquę removeretur de loco suo, & immediatè conjungeretur igni, non esset ordo; sed horror: sic cùm Episcopi sint medij inter summũ Pont. & alios inferiores, quantum ad iurisdictionem spiritualẽ; sequitur, quòd collocare huius homines inferiores sub summo Pont. quãtum ad iurisdictionem, sine Episcopis medijs, & tollere de loco suo medio, est ordinẽ peruertere, & perversitatẽ inducere in Ecclesiã: & quia hoc facit exẽptio, sequitur quod sit tollenda. Item videm⁹ in naturalibus, quod quantum agens naturale dat alicui de forma, tantum dat sibi de loco, nã semp formaliora sunt & perfectiora & superiora inferioribus. Facere ergo quod inferius teneat locum superioris, est facere quod non formale sit formale, & èconuerso. Sicut autẽ est diversitas locorum secundum sitũ, quantum ad inferiorem & superiorem, sic est diversitas locorum in Ecclesia secundum gradum dignitatis, quia ibi est ponere gradus, secundum minus dignum, & magis dignum, & dignissimũ: minus dignum non debet immediatè poni sub dignissimo; sed debet in ipsum reduci mediante magis digno, quod est sub dignissimo: & quia oppositum facit exemptio, ponendo minus dignum immediatè sub dignissimo, scilicet inferiores immediatè sub summo Pont. sequitur quod exemptio tamquam quædam peruersio Ecclesiastici ordinis sit tollenda.

Respons. ad supradicta rationem. Ad istam rationem, licet novam nullam ponat difficultatẽ, quæ non fuerit tacta superius, tamen ad omnia quæ implicat, per ordinem est dicendum. Primo concedendo diffinitionẽ Augustini de ordine, prout ad propositum spectat, dico, quod exemptio non tollit ordinem, prout ab Augustino diffinitur, imò exemptis locus debitus conceditur & conseruatur, prout expedit perfectioni obseruantiæ regularis. Nam loquẽdo de ordine prout est dispositio tribuens vnicuique rei locũ suum, si velimus per similitudinem locorũ & locatorũ in ordine Ecclesiastico manuduci, videmus naturaliter loquendò ipsũ locatũ ab ipso loco totaliter contineri; ita quod locus est vltima superficies corporis continentis siue continentis: & ista continentis cõditio cõuenit loco, non solum secũdũm quod est de cõsideratione naturalis, sed etiam prout est de consideratione mathematici: ita quod locus habet rationem continentiæ respectu locati. Secundò locus habet rationẽ immobilis, ratione eiusdem distantiæ vel respectus per comparationẽ ad orbem, prout habetur ex 4. Physic. quod locus est vltimum cõtinentis immobile primum: vnde concludit Philosophus de loco 4. Physicorum post multa, dicens. *Vult autem immobilis esse locus, quare continentis terminus immobile primum hic est locus.* *Loci proprietates ex Aristotele.* 3. de ratione loci est conseruare locatum in ordine ad eliciendum operationes ei debitas per naturam. Nunc autem applicando ad propositum, loquendo de Religionibus communibus priùs dictis, nullus est Episcopus vel Archiepiscopus, vel quicumq; sub summo Pont. qui in sua diœcesi vel prouincia dictos ordines secundum eorum totalitatem contineat; & ideo non possunt habere rationem loci naturalis respectu dictorum oredinum, nec possunt huius ordines cõuenienter disponi, nec locari sub aliquo determinato diœcesano vel prouinciali sub summo Pont. Item non conseruabantur personæ omnes in statu Religionis, sed impediebantur multipliciter per eos, quantum ad obseruantias regulares dicti ordines, & etiam Abbatiæ particulares, tempore quo eis subdebantur; propter quod Religiosi sub talibus naturaliter non locãtur, supposito particulari & malo regimine ipsorũ. Item non est ibi sufficiens immobilitas, tum propter malas & indebitas provisiones, tum propter violentas, fraudulentas, & simoniacas intrusiones, tum propter diœcesum diuisiones, tum etiam propter diœcesanorum translationes. Sed summus Pont. ratione vniversalis jurisdictionis, & plenitudinis potestatis, habet virtutẽ omnium Religionum & ordinum contentiuam: *Papa habet virtutem omnium Religionum cõtentiuam.* habet etiam virtutem conseruatiuam in ordine ad obseruantias regulares, & ad diuinum seruitium deuotiùs persoluendum; & hanc causam præcipuè prætendit in exẽptionibus & priuilegijs, quas vel quæ concessit: habet immobilitatẽ, primũ quia est 1. continens ministeriale in orbe Ecclesiastico, 2. ꝓpter stabilitatẽ sedis Apostolicæ, 3. quia transferri non potest ad statum superiorem, cùm gradum supremum obtineat in Ecclesiastico principatu, 4. etiam quia iste principatus diuidi non potest; cum sit vniuersalis proprius, & maxime propter Ecclesiastici corporis & capitis vnitatem. 5. immobilitatem habet propter fidei stabilitatem: quia Petro pro se & suis successorib⁹ dictũ est à Christo. *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*, &c. *Luc 22.* Ex quibus omnibus sequitur, quod exemptio non tollit ordinẽ, nec causat horrorẽ: sed ad similitudinem loci naturalis exemptos extrahit à loco eis innaturali, propter rationes prædictas, & eos collocat sub summo Pontificẽ, qui est locus eis debitus ad similitudinem loci naturalis, si ꝓprietates loci naturalis diligentiùs attendantur. Vnde ad hęc dantur exẽptiones & priuilegia, vt religiosi quietiùs vivant, & in statu regulari perfectiùs cõseruentur, & operationes eis debitas possint liberius & perfectiùs exercere: sicut res naturales quiescunt, conseruantur, & operationes proprias exercent, in suo loco pro-

proprio naturaliter. Ex quo patet, ꝙ exēptio nō est horror, nec peruersitas ordinis Ecclesiastici: sed est corruptionis & peruersæ deuiationis Ecclesiastici ordinis conueniens medicina. Et ad exēplū, quod inducitur de ordine elemētorum, dicendo, quod si aqua vel pars aquę immediatè conjungeretur igni, esset horror in ordine naturali: dicendum, quod non est simile, primo quia influentia seu continentia ignis elementaris immediatè se non extendit naturaliter ad elemētū aquæ: jurisdictio autē & potestas ordinaria sūmi Pont. immediatè se extendit, vt prius dictū est, ad quemlibet Christianum 2. non est simile, quia ignis in vtraque qualitate, scilicet caliditate & siccitate contrariatur qualitatibus aquæ: & ideo respectu eius propter ejus nimiam acritatē & contrarietatem, habet respectu aque virtutē corruptiuam: sed altitudo & plenitudo potestatis ordinariæ summi Pont. non contrariatur religiosis, nec alicui Christiano: imò magis ei conuenit, & habet virtutem conseruatiuam & perfectivā respectu subditorū, quare argumētū non valet, nec est exemplum ad propositum; & cum hoc malè sonat, si perfectiùs deducatur. Vnde nulli Christiano repugnat subesse immediatè summo Pont. nec oportet quærere talem mediationem, vt necessario, nec vt de congruo requisitam, sicut inter elementa, vt prius dicebatur. Ad illud quod addebatur vlterius, quod agens quantum dat de forma, tantum dat de loco, & quod superiora sunt formaliora, & min⁹ habent de materia, dicendum, quod si vellemus talia applicare ad propositum, & malè intellectum; illi dicūtur formaliores, qui omnia ista temporalia & caduca, quæ materialia & per hoc corruptibilia sunt, relinquunt, & appropinquant primo actui, qui est Christus, secundum quod Deus; & qui secundum quod homo, paupertatem verbo docuit & exemplo. Quod autem vlteriùs additur, quod sicut est diuersitas locorum secundum situs, quantum ad superius & inferius, sic est diuersitas locorum in Ecclesia, secundum gradum dignitatis: dicendum, quod esse immediatè sub iurisdictione summi Pont. licet quandam libertatem & securitatem ponat, non tamen, secundum quod huiusmodi, ponit aliquem gradum essentialem Ecclesiasticæ dignitatis vel superioritatis, nec quantum ad essentialem gradum ordinis sacerdotalis vel Episcopalis, nec etiam loquendo quantum ad essentialem gradum vel superioritatem jurisdictionis: cum personam nullam iurisdictionem habentem eximi non repugnet: licet nullum sit inconueniens exemptos habere jurisdictionis potestatem. Sicut esse immediatè sub dominio Regis, non facit in regali principatu comitem, vel baronem: cū multi plures subdantur immediatè regi, prout superi⁹ dicebatur: propter quod ratio ista multipliciter deficit, vt est per habita manifestum

Similetudo de elementis, &c. infulsa.

Nulli Christiano repugnat subesse Papæ immediatè.

Sexta decima ratio innititur ordini diuinarū personarum. Licet enim in diuinis non inueniatur propriè hierarchia, cum hierarchia idem sit quod sacer principatus, principatus autem non est in diuinis respectu diuinarum personarū, sed solum respectu creaturę, secundum quem modum dicitur 12. Metaphisicæ, quod totum vniuersum est vnius principatus, cuius principatus concluditur in fine duodecimi vnus esse princeps, scilicet Deus. Et sicut dicimus, quod Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritussanctus; non tamen tres dij, sed vnus est Deus: sic dicere possumus, ꝙ princeps est Pater, princeps Filius, princeps Spiritussanct⁹: nō tamen tres principes, sed vnus princeps. Sicut Aug. 5. de Tri. c. 13. vult, quod totius creaturæ principiū est Pater, principium Filius, principiū Spiritussanctus; non tamen tria principia, sed vnum principium. Quāvis tamen in diuinis non sit principatus respectu diuinarū personarū: & quod principat⁹ semper intelligatur secundum sub & supra, secundum majorem & minorem dignitatem: in diuinis autem personis nihil superius & inferius, nihil majus & minus, sed est omnimoda æqualitas, iuxta illud August. 5. de Trinitate. *Filius per omnia est æqualis Patri, & similis Patri:* ponitur tamen in diuinis propriè ordo originis, secundum quod est vna persona ab alia, non tamē prior nec major alia. Et ratione huius ordinis originis possumus saluare, quod vna persona operatur per aliam, & quod vna mittit aliam; & quod vna persona habet principalitatem in aliquo opere, vel in aliquo actu, vt ad aliam personam comparatur. Et hoc declaratur, & quātum ad actus notionales in productionib⁹ personarum, & quantum ad actus essentiales transeuntes extrà in productione creaturarū. Quantum enim ad actus notionales in productionib⁹ personarum diuinarum, quia filius est à Patre; per actum notionalem generandi, per quem accipit à patre essentiam & virtutem, dicimus ꝙ pater agit per filium. Agens enim agit per illum, cui dat virtutem, per quam agit. Propter quod dicitur Ioann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt:* sic: scilicet vna persona mittit aliam: quia hoc est mittere, aliquem operari aliquid per illum. Similiter vnia persona in aliquo opere principalitatem habet, vt ad aliā comparatur. Vnde Aug. 6. de Trinit. dicit, quod Spiritussanctus est de Patre principaliter, ita quod licet Pater & Filius vnica spiratione spirent Spiritum sanctum, tamen per huiusmodi spirationem Spiritussanctus est à Patre dupliciter: quia est à patre immediatè, & secūdum se, inquātum Pater immediatè & secundū se spirat Spiritum sanctū, & est à Patre principaliter & mediatè, inquantum Pater mediante Filio & per Filium, spirat Spiritum sanctū, eoquod det Filio, quod spiret, inquantum communicat sibi virtutem spiratiuam: sed est à Filio tantum immediatè & secundū se: non enim spirat mediantè Patre, quia ad Patrem nō se habet datiuè sed receptiuè. Non enim dat patri, quod spiret, sed recipit à Patre. Applicando autem prædicta ad creaturam, siue ad opus creatū, possumus dicere, ꝙ licet Pater & Filius & Spiritus sanctus vnica creatione simplici producant creaturam, eo quod sunt indiuisa opera Trinit. secundum Aug. & Dion. cum sit vna & indiuisa virtus in tribus personis; quia tamen illa virtus & substantia est in Patre, vt non ab alio communicata; in Filio vt à Patre, in Spiritu sancto vt ab vtroque communicata; dici potest quod creatura vel creatio est à Patre tripliciter, immediatè, & duobus modis mediatè, & principaliter, inquantum virtutem creandi communicat filio & prout eam una cum filio cōmunicat Spiritui sancto: sed est in filio huiusmodi creatura vel creatio dupliciter, vno modo immediatè prout est à qualibet psona, alio modo mediatè & principaliter prout virtutem creandi cōmunicat vni personæ sc. Spiritui sancto: sed est à Spiritu san-

Ratio 16. aduersarij

Vnicū principium creaturæ sunt tres personæ

August. 5. de Trin.

Ioann. 1.

Spiritussanctus est dupliciter à Patre.

Creatura sunt à Patre tripliciter, à Filio dupliciter, à Spiritu sancto vno modo.

cto immediate solum, prout est à qualibet persona, quia respectu diuersarum personarum habet se Spiritussanctus modo receptiuo solum, & non datiuo. Pater ergo ad opus creatum tripliciter comparatur, vno modo secundum se, alio modo vt dat virtuté creãdi filio, tertio modo vt dat virtutem Spiritui sancto: sed filius operatur ad hujusmodi opus dupliciter, vno modo secundum se, quia ipsum creatum est secundum se à filio, aliomodo est à filio mediante Spiritu sancto, inquantum vna cum Patre dat virtutem creandi Spiritui sancto: sed ad Spiritum sanctum comparatur huius opus solum vno modo, prout sc. est creatum ab ipso. Ex prædictis sumitur argumentum ad principale ꝓpositum. Quia summus Pont. constitutus in sede à Deo, tamquã imitator Dei, debet in suis actionibus imitari ordinem, quem videmus in actione diuersarũ personarum. Sed personæ diuinæ seruant suum ordinem inconcussum, quia Pater cõmunicat naturam, & ea quæ habet, Filio, & non ècontrario; & Pater semper spirat Spiritũ sanctũ per Filiũ, & ex hoc spirat principaliter, & Pater producit opus principaliter respectu filij, quia virtuté creandi communicat filio, & producit opus huiusmod i principaliter respectu Spiritussancti, quia spirando ipsum, communicat ei virtutem creãdi: propter quod opus creatũ semper reducitur in Patrem & Filium & Spiritum sanctũ &: semper reducitur in filium per Spiritum sanctum. Ergo eodemmodo summus Pontifex debet reducere personas inferiores in seipsum mediantibus prælatis medijs. Sed contrariũ facit exemptio, quia inferiores personas reducit in supremum non ꝑ medium. Et cum nihil sit aliud, nisi quædam deordinatio coniungere inferius supremo sine medio. Idem ergo est facere exẽptiones, & facere, quod personæ inferiores reducãtur in summum Pont. non per medios prælatos, & quod summus Pont velit operari in personas inferiores Ecclesiasticas, nõ per Prælatos & medios; acsi Pater velit creaturas in seipsum nõ per filiũ mediũ; & eas creare non per filiũ: ac etiamsi Pater & Filius velint reducere creaturas in se, ac eas creare, non per Spiritum sanctum, cui communicant virtuté creãdi. Dicit tamen, quod hoc nõ est simile õnino, sed simile est secũdũ impossibilitaté & indecentiã; quia ex parte diuersarũ personarũ est impossibile tollere hujus ordiné mediationis in reductione. Sed exẽptio quantũ ad summum Pontificem nõ dicit impossibilitatem, sed indecentiam, quia decet eum non solum exemptionem non facere, sed etiã factam tollere, nisi faciat hoc pro magna & euidenti vtilitate Ecclesiæ.

Respons. ad prædictam rationem. Dicendum ad istam rationem, quod in ipsa assumuntur impertinẽtia, & transcendentia materiam exemptionum, de qua fit sermo: & aliter potest videri, quod adducere talia arcana & pertinentia ad origines & emanationes diuinarum personarum ad exemptionum & priuilegiorum materiam, est transcendere negotium de quo hic agitur, & magis videntur talia adduci ad *Ostentatio.* ostentationem scientiæ ex parte dicentis, scribentis, vel proponentis, & ad inducendum simpliciũ intellectum in quandam admirationé dictorum, & stupefactionem, vel hæsitationé simplicium intellectivum, quam ꝑpter aliquam efficaciam, quam habeant ad probandum intẽtum. Nec glorietur iste doctor, quod talia inuenerit; quia ab alijs doctoribus longè melius & diffusius tractantur super primũ sententiarũ, vbi determinatè & propriè habent locũ, & à magistro Henrico de Gandauo in summa sua, sicut sciunt illi qui viderunt. Ne tamen illa, quæ in prædicta ratione tangũtur, aliquid contra exẽptioné & priuilegia, quantum ad simplices & imbecilles intellectus, concludere videantur, discurrendũ breuiter est per singula prædictorum, concedendo quæ vera sunt & ostẽdendo satis clarè, quod ad propositum nõ concludunt. Quod enim dicitur, ꝙ in diuinis non est hierarchia siue principatus respectu diuersarum personarum, ꝑpter omnimodam æqualitatem & identitatem naturæ & virtutis, verum est. Quod etiam vlterius additur, quod in diuinis est ordo originis, inquantum vna persona originatur ab alia, hoc similiter verum est. *Ordo originis inter personas diuinas.* Vnde cùm essentia diuina sit purus actus, & purum necesse esse, & sit simplex in fine simplicitatis, impossibile est ponere pluralitatem personarum in diuinis, & distinctionem realem inter eas, nisi per eas relationes originis. Ita quod est ibi ponere Patrem, à quo alius, & Filium qui ab alio, & Spiritum sanctũ qui ab vtroque: vt Pater in diuinis solũ datiuè se habeat per cõparationem ad alias personas, & nullomodo receptiuè; ratione cujus à Dion. dicitur fontata deitas: Spiritus autem sanctus quãtum ad diuina solum receptiuè se habeat: Filius autem se habeat receptiuè ad Patrem, & datiuè ad Spiritum sanctum: istæ tamen relationes originum, ac per hoc oppositę & distinctiuæ psonarum, sc. paternitas, & filiatio, & spiratio passiua, propter identitatem omnimodam, & simplicitatem fundamenti respectu vtriusque extremi, quodquidẽ est essentia diuina, nullam compositionem faciunt in diuinis: & hoc in quæstionibus ordinarijs, in quibus ex intentione ista materia pertractatur, fuit diffusius pertractatum & declaratum. Ex hoc etiam ordine originis sequitur, quod vna persona agit mediante alia, & ꝙ vna mittit aliam, & quod vna mediante alia & per aliam operatur. *Quæ persona mittat aliam.* Ita quod in ꝓductione creaturæ Pater agit immediatè & mediante Filio & Spiritu sancto; filius immediatè & mediãte Spiritu sancto: Spiritussanctus immediatè solũ. Sed quod vlteriùs dicitur applicando ad propositũ, quod Pater naturam, & quæ habet, communicat Filio, & semꝑ spirat per Filium, & mediante Filio, Spiritũ sanctũ: & respectu operis creati semper creat per Filium, & mediante filio, & ꝑ Spiritum sanctum & mediante Spiritu sancto, opus etiam creatũ reducit in seipsum ordinatè, mediante Spiritu sancto & mediante filio: & quod eodemmodo summus Pont. debet reducere personas inferiores Ecclesiasticas mediantibus prelatis, tamquam Dei imitator, & à Deo constitut[9] in sede. Et quod simile est, exemptiones facere, & personas inferiores Ecclesiasticas reducere in summum Pontif. non per prælatos medios, acsi Pater velit reducere creaturas non per Filiũ, & eas velit creare, non per filium: ac etiam si pater & filius vellent reducere in se creaturas & eas creare non per Spiritum sanctum: & etiam quod dato quod exemptio non dicat impossibilitatem quantum ad summum Pont. dicit tamen indecentiam. Hoc scilicet in ista ratione iacet venenum, & defectus multiplex rationis: & ideo ad hoc est principaliter respondendum & dicendũ, quod ad istud simile per longè maiorem diffi- *Defectus rationis aduersarij.*

militudinem respondendum est. Quod enim quidquid Pater operatur, operetur per filium, & Pater & Filius per Spiritum sanctum, hoc habet absolutam necessitatem omnino impossibile aliter se habere; quia Pater omnia quæ habet communicat Filio, & Pater & Filius Spiritui sancto, quoad omnia essentialia; ac differunt ratione relationum oppositarũ constituentiũ & distinguentiũ personas in diuinis, dicente Christo Iesu filio Dei in Ioanne. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*: &, *Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis* &c. Et alibi, *Ego & Pater vnum sumus*, quantum ad identitatem essentiæ, quod vniformiter tenendum est de Spiritu sancto respectu Patris & Filij; cum etiam in diuinis sit perfecta & omnimoda æqualitas, eoquod essentia & virtus in diuinis supra quam fundatur æqualitas, sint omnino idem; cùm omnia absoluta transeant in substantiam in diuinis, dicẽte Paulo ad Philip. 2 de Christo, *Cùm sit forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo*. Ex istis omnibus sequitur, quod impossibile sit Patrẽ operari nisi per Filium, & Patrem & Filium nisi per Spiritum sanctum: quia cum sit eadem virtus numero, & indiuisibilis in tribus personis producendi creaturam, & essentia diuina, quæ est eadem, omnino, quod sua virtus, vt præcisè conueniens tribus personis, & non vt connotans aliquam relationem vel notionem distinctiuam, sicut ratio producendi creaturam: impossibile est, quod Pater producat aliquam creaturam, quin eadem creatura eadem productione producatur à Filio & Spiritu sancto, propter omnimodã identitatem & æqualitatem virtutis productiuæ. Verumtamen, quia Filius habet illam virtutem sibi à Patre cõmunicatam per generationem æternam, & per modum intellectus, & Spiritussanctus à Patre & Filio per modum voluntatis: licet tres personæ eadem virtute & indiuisa operatione producant creaturam, dicitur tamen creatura produci à Patre per Filium, seu mediante Filio; & à Patre & Filio per Spiritum sanctũ, seu mediante Spiritu sancto: & hæc est necessitas inconcussi & incõmutabilis ordinis in diuinis, vt sic intelligatur Pater agere per Filium, & Pater & Filius per Spiritum sanctũ: non sicut agẽs principale per instrumentale, sicut Rex per ballivum: nec sicut genus vniuersale per particulare, sicut sol vel cœlum per hominem: sed sicut per agens æquale habẽs per omnia eandem essentiam & virtutẽ, habẽs tamen illam per alium, vel ab alio cõmunicatam: nec sic ponenda est principalitas in diuinis personis quod alia dicatur minus principalis, quia principalitas ibi non potest continere essentiam, sed solum relationem designantem à quo alius, vel à quibus alius: quia Pater est à quo alius, scilicet Filius: & Pater & Filius, à quibus alius, scilicet Spiritussanctus. Vnde illa principalitas moderatè & sobriè intelligẽda est: quia nisi sanè intelligeretur, occasionem erroris posset de facili generare: potissimè si illa principalitas non ad relatiua vel notionalia, sed ad essentialia per simplices homines referretur. Tantum ergo colligendum est ex prædictis, quod identitas virtutis & essentiæ, vt præcisè conueniens tribus personis nullam distinctionem connotando, est causa, quod opera Trinitatis sunt indiuisa. Sed communicatio eiusdem essentiæ & virtutis ab vna alteri, & à duabus vni, est ratio quod vna per alteram, duæ per tertiam operentur. Ex quo etiam sequitur, quod ad omnem operationem, ad quam se extendit virtus operatiua in Patre respectu effectus exterioris & creati, se extendit virtus operatiua in Filio & Spiritu sancto, propter identitatẽ virtutis creatiuæ & operatiuæ in tribus, & per comparationem ad extra, Christo dicente Ioan. 5. *quæcumque ille facit, hæc & Filius similiter facit*. Sed totũ est ẽcõverso in summo Pont. per cõparationẽ ad Prælatos Episcopos respectu inferiorum personarum. Primo quia non est eadem potestas iurisdictionis nec ordinis, in Papa & alijs Episcopis, saltem secundum identitatem numeralem: nam quidquid sit de identitate specifica, quantum ad potestatem iurisdictionis in Papa & in alijs Episcopis, licet potestas ordinis sit eadẽ specie in ipso & in alijs Episcopis, tamen sunt secundum materiam differrentes; nec sunt sic similiter in actu, quantum ad conseruationẽ in esse, nec quantum ad aliquem effectum causandum, quod de necessitate concurrant in eũdem effectum. & habeant opera indiuisa, sicut dictum est de operibus triũ personarum in diuinis; nec per consequens summus Pont. in omni opere suo operetur per Prælatos, vel ipsis mediantibus, sicut de diuinis personis dicebatur. Secũdo est dissimile, propter inæqualitatẽ virtutis & jurisdictionis. Nã propter õnimodã idẽtitatẽ substãtiæ & æqualitatẽ virtutis, negabatur, & negatur ratio principatus in diuinis. Sed Prælati medij non habent æqualitatem potestatis ordinariæ jurisdictionis cũ summo Pont. quia summus Pont. est assumptus in plenitudinẽ potestatis, & alij in partem solicitudinis; ratione cujus jurisdictio summi Pont. ad multa se extendit, ad quæ jurisdictio Prælatorum Episcoporum sigillatim vel insimul sumptorum nullatenus se extẽdit. In omni enim ordinato principatu oportet ponere aliquem vnũ principalem & primũ, cuius authoritas se extendit ad aliquid vltra, ad quod potestas seu authoritas inferiorũ seu mediorum nullatenus se extendit. Quod si veritatẽ habet in principatu ciuili vel regali, multo fortius in Ecclesiastico principatu, sicut habetur expresse 24.q.7. cap. *Est aliud piscandi genus, quo genere sanctum Petrum piscari Dominus jubet*, &c. Licet ergo in diuinis nõ inueniatur principatus; quantum ad diuinas personas ad se inuicem comparatas, propter omnimodam identitatem & æqualitatem substantiæ & virtutis; inter personas tamen Ecclesiasticas propter inferioritatem & particularitatem potestatum & iurisdictionum ex vna parte, & superioritatem & excedentem generalitatem ex alia, reperitur variatio principatus, ratione cuius persona principãs vniuersaliter in Ecclesia militãte, non solum de possibili, verum etiam de jure diuino, & de expedienti & decenti multa potest & debet, non mediantibus Prælatis medijs, operari: & dicere oppositum, siue dicere, esse omnio simile de sũmo Pont. & Prælatis medijs, respectu personarum inferiorum, & de Patre & Filio & Spiritu sancto respectu creaturarum operando vel reducendo, siue secundũ possibilitatem siue secũdum decentiã, est velle æquare potestatem Episcoporum omnium, potestati & jurisdictioni sũmi Pont. quod est inconueniens & hæreticũ, & enim perniciosũ. Tertio est dissimile, quia Dominus Papa non solum de possibili, sed etiam de

Ioa. 15. & 16

Ioan. 10.

Philip. 2.

Quid sit, Patrem agere per Filium.

In Diuinis non est principalitas.

Malè argũtur à S. Trinitate ad Papam & Episcopos.

Hæreticum est æquare Episcopos summo Pontifici.

conuenienti & decenti retinet multos casus, à quibus post retentionem alij Prælati absolvere non possunt, nec in ipsis dispensare: & hoc decet & expedit, & ad detestationem scelerum; & vt homines à perpetrandis nefandis actibus efficaciùs retrahantur. Si autem non posset agere in inferiores personas, nec ipsas in seipsum reducere, nisi per Prælatos medios, non posset sibi casus huiusmodi retinere. Vnde in signum, quod nullus casus peccati subterfugiat iurisdictioné Papæ, dictum est in persona Petri sub signo vniuersali distributiuo, Mat. 16. *Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcumq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis*: quia habet plenum vsum clauium propter plenitudinem potestatis: alij autem Sacerdotes & Episcopi habent claues ligatas & limitatas, quantũ ad vsum, per determinationem vel subtractionem materiæ, secundum ordinationem summi vicarij Iesu Christi. 4. deficit ratio prædicta per dissimile, quia cum hoc; quod impossibile est, Patrẽ operari, nisi per Filium, propter predictas rationes, tamen hoc dato per impossibile, quod esset possibile, ad huc tamen nõ deceret; & hoc quia in Patre & Filio & Spiritu sancto est voluntas omnino cõcors: quia eadem per essentiã, & propter eundem finem operantur, scilicet propter diuinam voluntatem, quæ est finis non sui ipsius, quia sicut in diuinis non est causa efficiens per comparationem ad diuinas personas, sic etiam non est causa finalis: sed sicut Pater & Filius & Spiritussanctus sunt causa efficiens creaturarum, sic etiam sunt causa finalis earum, iuxta illud in Prouerb. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*. Et non solum Christus secundũ quod Deus, habet voluntatem concordem & conformem Patri, sed etiam secundum quod homo, ipso dicente Ioan. 7. *Sicut docuit me Pater, hac loquor*. Et *Qui me misit mecum est, & non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei facio semper*. Non autem potest sic dici de medijs Prælatis Episcopis respectu summi Pont. quia plerumq; in voluntate & opere non concordant: quia summus Pontifex tamquam summus vicarius & monarcha militantis Ecclesiæ intendit promotionem boni communis, quod in perfectis religiosis potissimè relucet. Prælati autem medij Episcopi quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, bonum huiusmodi nituntur impedire. Et ideo non est indecens, sed decens & expediens, quod religiosi non per Episcopos medios, sed per alios sui ordinis; & aliqui immediatè, sicut Abbates, in summum Pont. reducãtur. Item per exemptiones & priuilegia sequitur communis vtilitas, & quantũ ad mala euitanda, & quãtum ad bona promouenda, vt fuit per habita manifestum. Item summus Pont. non habet se solum datiuè in Ecclesiastico principatu, ad similitudinem Patris in diuinis, nec alij solum receptiuè se habent respectu eius: imò ad sui creationem & promotionem concurrit electio & cõsensus Cardinalium. Si etiam eligitur non Episcopus vel non Sacerdos, ab alio ordinatur & cõsecratur. Item inquantum talis dignitas recipitur in natura peccabili, recipit ab alijs Ecclesiæ sacramenta, sicut sacramentum pœnitentiæ, & extremæ vnctionis. Ex quibus patet, quod ratio huius doctoris deficiebat in multis, vt pri⁹ dicebatur.

Casuum reseruatio à Papa.

Matth. 16.

Prou. 16.

Ioann. 7.

Non cõcordant Episcopi cum Papa vt Filius cũ Patre.

Septima decima ratio innititur Angelicis hierarchijs. Ponitur enim triplex distinctio in Angelis. Vna est hierarchiarum, quæ accipitur ex diuersitate illuminationum, & sunt tres, vt patebit. Alia est distinctio ordinum, quæ accipitur ex diuersitate operum, & sunt nouem ordines, quia in qualibet hierarchia sunt tres ordines Angelorum. Tertia est distinctio Angelicarum personarum & accipitur penes diuersitatem naturarum; quia quot sunt Angeli siue personæ Angelicæ, vt dicit, tot sunt Angelorũ species, in quolibet tamen ordine sunt quasi innumerabiles Angeli, licet sub vna specie, secũdum ipsum, plurificari non possint. Quod autem quotquot sunt Angeli, tot sunt species Angelorum, ita quod non possunt esse plures Angeli in eadem specie, probat ex tribus. Primo ex hoc quod Angeli sunt quædam formæ subsistentes à materia separatæ: quia cum sint quædam formæ sine materia, non possunt differre, nisi formaliter & per formam. Sed idem est differre formaliter & per formam, quod differre specie, ergo &c. Major patet, Minor probatur per Aug. 83. quæstionum, vbi notat ideas, esse formas, vel species, formam & speciẽ accipiendo pro eodẽ. Secundo probat ex eo, quod formæ sunt sicut numeri, vt habetur 8. Metaph. Sed nulli sunt numeri formaliter differentes habentes totidem vnitates, seu æqualiter distantes ab vnitate. Ergo eodem modo nullæ sunt formæ formaliter differẽtes habẽtes totidem perfectiones, vel æquè perfectè seu æqualiter distantes à primo in gradu perfectionis; licet differẽtia numero possint esse æquè perfecta. Major patet per Philosophum 8. Metaph. vt dictum est, & etiam patet per rationem; quia sicut omnes numeri procedũt ab vnitate, sic omnes formæ & omnes species procedunt à Deo, quia secundum Boetium in lib. de Trinit. *Est vere vnus, in quo nullus est numerus* rerum absolutarum, licet sit in ipso numerus rerum relatarum. Conueniunt etiam formæ cum numeris; quia sicut numeri propinquiores vnitati sunt magis simplices & minus compositi, ita formæ propinquiores Deo, sunt magis simplices, & minus compositæ. Est tamen in hoc dissimile, quod numerus, quanto est propinquior vnitati tantò habet rationem minoris numeri, quia continet in se plures perfectiones. Propter quod Deus, qui est numerus sine numero, dictus est infinitorum nominum; quia continet in se perfectiones infinitas, vt vult Dion. 1. de diui. nom. 3. probat hoc idem, vt Angeli comparantur ad animam humanam; & ista prælatio solum conuincit, quod Angeli non sunt compositi ex materia & forma, sed sunt formæ simplices. Nã cùm anima humana sit forma ipsius corporis, & omnis forma secũdum se totam sit quidam actus; impossibile est quod aliqua forma sit materia, vel aliquid, quod sit pura potentia. Et tamen sic est, quod nullum cõpositum ex materia & forma potest esse forma. Ex quo sequitur, quod anima humana nõ potest esse composita ex materia & forma. Est etiam alia ratio, quia aliter sequeretur, quod perficeret immediatè duas materias, scilicet suam, & materiã corporis, quod est impossibile. Cum igitur Angelus sit actualiter & simpliciter formalior qualibet anima humana, & simplicior, cùm anima teneat gradum infimum in genere substantiarum separatarum, sequitur, quod Angelus non possit habere ma-

Ratio 17. aduersarij.

Triplex in Angelis distinctio.

In Deo non est numerus absolutorũ, sed relatiuorum.

Angelus simplicior anima humana

teriam partem sui, sed est ipsa forma, & per consequens non potest differre ab alio Angelo, nisi forma & specie. Quare &c. Ex quo sequitur principalis conclusio, quod cùm Angeli sint quædam formæ, & natura per antonomasiā dicatur de forma, vt habetur 1. Physic. & 5. Metaph. sequitur quod distinctio Angelorum accipiatur pro distinctione & diuersitate naturarum; & quia non sunt duæ species in vniuerso æquè perfectæ, sic quod non possunt duo Angeli esse æque simplices, vel æquè perfecti. Et quia in natura perfectiori recipitur pfectius & nobilius esse, nō erūt duo Angeli habētes æquè nobile esse. Itē quia natura intellectualis habēs perfectiorē naturā & perfecti' esse, habet per cōsequens perfectiorē & perspicaciorem intellectū, sequitur, quod non possuntesse duo Angeli habentes æquè perspicacem intellectum. Ex quibus omnibus patet, quod distinctio Angelorum est accipiēda tripliciter. primò ex simplicitate & diuersitate naturæ, secundò ex nobilitate essendi, 3. ex perspicacitate intelligempi. Quomodo autem accipienda sit distinctio ordinū ex diuersitate ordinum vel denominationū quæ sumuntur ex operibus, patebit in capitulo sequēti. Restat ergo videre principaliter, quomodo distinctio hierarchiarū accipi debeat ex diversitate illuminationum, quas illuminationes oportet descendere à Deo in Angelos, secundum quod ipsæ hierarchiæ sunt ad inuicem ordinatæ. Hoc est ergo regulare in hujusmodi hierarchiarum illuminationibus, quod cōmuniter loquendo, hierar. illuminatur immediatè ab eo quod est supra se, & illuminat omnes qui sunt sub se: ita quod 1. hierar. illuminatur immediatè à Deo & illa illuminatio pertingit immediatè ad omnes Angelos 1. hierarchiæ, licet per hoc non excludatur, quin Angeli perfectiores eiusdem hierarchiæ, & etiam eiusdem Ordinis, illuminare possint angelos ejusdem hierar. vel ordinis minus perspicaces & minus pfectos, iuxta illud Isaïæ. *Seraphim clamabant alter ad alterum.* (Isa. 6.) quod exponere videtur Dion. quantum ad doctrinam, ita quod alter petebat ad altero edoceri. 1. ergo hierar. quia est inter Deum & Angelos 2. hierarchiæ, illuminatur à Deo, & illuminat Angelos 2. hierar. tamquam inferiores, 2. hier. quæ est inter angelos & angelos illuminatur ab angelis 1. hierarchiæ, & illuminat angelos 3. hierarchiæ 3. hierarchia quæ est inter angelos & homines, illuminatur ab angelis 2. hierarchiæ & illuminat homines. Et sic differunt huiusmodi illuminationes in quodam generali, vel penes primum effectivum seu illuminatiuum, vel penes substantiam receptiuam. 1. modo differunt 3. hierarchia & 2. vtroque modo differt 3. hier. à 1. & secundo modo tantum à 2. vt patet intuenti. Ponit exemplum familiare & grossum, quātū ad doctrinam humanam. quia 1. ponitur magister habens cathedræ excellentiam, 2. sunt baccalarij 3. lectores, 4. prædicatores, 5. plebs vel populus. A doctore ergo siue magistro descendūt illuminationes doctrinę in baccalarios, & isti sunt vt 1. hierarchia, & inter istos etiā sunt gradus, quantum ad maiorem vel minorem perspicacitatem intellectus. A baccalarijs descendūt illuminationes in lectores, qui se habent, vt 3. & infima hierar. à prædicatoribus descendūt illuminationes in populares, qui repræsentant hie. hominnm, quæ illuminatur ab infima hiera. Angelorum. Ex his ergo omnibus formatur ratio ad propositum: quia Ecclesiastica hierarchia debet imitari hierarchias Angelicas & cœlestes Sed in angelicis hierarchijs inconcussum videmus hunc prædictum ordinem obseruari, quod 2. hiera. se habet immediatè ad primā 3. immediate ad 2. ita quod in ipsis hierar. quantum ad illuminationes, inferiora reducuntur ad superiora per media, nec in talibus est exemptio secūdum totum, nec secundum partem: sed omnes de 1. hierar. illuminantur immediate à Deo, & omnes de 2. illuminantur immediate ab illis de 1. hierar. & eodēmodo illi de 3. respectu 2. nec illi de hierar. inferiori vnquā collocātur supra illos hierarchiæ superioris, nec ita immediate illuminantur à Deo, sed tenent suum ordinem inconcussum. Eodēmodo in Ecclesiastica hiera. inferiores non debent collocari circa superiores immediatè, vel circa supremum, sed debent reduci in superiores vel in supremum per prælatos medios: & quia oppositum facit exemptio, ex ipsis Angelicis hierarchijs patet, exemptionē non esse faciendam, sed tollendam.

Ad istam rationem est dicendum, quod tota virtus huius capituli prout ad propositum spectat, in medio cōsistit sc. in vltima applicatione ad propositū. (*Responsio ad ration. aduersarij.*) Quia tamen in hoc capitulo præmittit quasdam longas digressiones ad propositum impertinentes, quæ magis habent locū super 2. sententiar. quā in proposito, quarū quidem disgressionum quædam sunt falsæ vel dubiæ, & quædam virtutem habent: ideo in solutione dictæ rationis seu dicti capituli sic procedam, quia ad 1. concedo illa quæ vera in dicto capitulo continentur: ad illa quæ falsa sunt vel saltem dubia respondebo, 2. soluā ad formā rationis, prout facere videtur contra exemptiones vel privilegia per simile de Angelicis hierar. Quantum ad 1. in declarando distinctionem angeli debere sumi penes diuersitatē naturarum, duo ponit, quæ videntur dubia. Vnum est, quod non possunt plures Angeli esse in eadem specie, 2. quod videtur supponere, quod esse recipiatur in natura angelica tamquā aliquid realiter differens ab ea, prout etiā alibi multa scripsit ad probandam diuersitatē esse & essentiæ. Quantū ad 1. quidquid sit de facto, vtrum sc. sint plures angeli in eadē specie: dicere tamen, ꝙ non possunt esse plures Angeli in eadē specie quacumq; potētia, sicut suæ rationes innuunt, nō est tutū, nec cōuenienter dictum. 1. quia dicere, Deum non posse facere plures angelos in eadem specie, est articulus condemnatus Parisijs, ab Episcopo, & (*Artic. Parisiensis.*) de consilio omniū magistrorū in Theologia, qui pro tempore regebāt. 2. quia si non possent esse plures Angeli in eadē specie, aut hoc esset ratione perfectionis specificę angelicæ naturæ, aut quia formæ simplices carentes materia, siue nō habentes materiam partem sui. Sed nullum istorū impedit, nō 1. quia non potest dici, quod ratione perfectionis sibi repugnet communicari pluribus suppositis, quia hoc repugnaret Diuinæ naturæ, quæ summæ perfecta est: quod tamen falsum est. 2. non ratione imperfectionis, quia iam magis istis quidditatibus inferioribus repugnaret quod videmus esse falsum. nec potest dici 3. quod angelicæ quidditati repugnat ex eo quod caret materia & est forma simplex; quia animæ separatæ sunt simplices formæ sine materia, vt prius porbatum est, & etiā probari po-

test: quia si anima humana in essentia sua includeret materiam, sequeretur, quod illa materia esset act⁹ & forma materiæ corporis: quod vniversaliter materiæ repugnat, quod videlicet sit actus vel forma; & tamen sunt plures animæ separatæ sub eadem specie. Nec potest dici, quod istæ animæ differant vel indiuiduentur per respectum ad corpora, quæ informauerũt, vel quia sunt habitu formæ corporum: quia iste respectus præsupponit suum absolutum & suum fundamentũ, & magis indiuiduatur per ipsum, quã ècontrario, nec respectus est de formali ratione absoluti. Item non sunt actu formæ corporum, & tamen actu realiter distinguũtur. Ergo oportet ponere, quod seipsis formaliter differant; & per consequens non sequitur vniuersaliter loquendo, ꝙ differre formaliter sit differre specie; sicut 1. & 3. ratio ejus supponebãt. Ex quo patet, ꝙ quidditas angeli, quãtũ est de se, plurificabilis est in plura supposita absoluta; & cũ non sit act⁹ purus, nec infinit⁹ plurificabilis est hujusmodi quidditas angeli secũdũ plurificationẽ suppositorũ. Essentia autẽ diuina vna & eadẽ numero manens simplex in fine simplicitatis, subsistit in trib⁹ personis relatiuis: ꝙ sibi cõuenit, propter eius infinitatẽ & illimitationẽ. Præterea omnis quidditas, quæ potest intelligi sub ratione vniuersalis sine cõtradictione, ita ꝙ in ratione cõceptus ejus non includitur singularitas, talis inquã plurificabilis est eadẽ specie manẽs in plura supposita. Sed omnis quidditas specifica creaturæ est hujusmodi. Ergo &c. Propter hoc dicit Auicenna 6. Metaph. suæ, quod necesse esse differri non potest, quia non habet rationem vniversalis, nec genus, nec differentiã. Item Porphirius absque distinctione dicit, quod species est dicibilis & prædicabilis de pluribus differẽtibus numero. Ergo &c. Item Angelus posset annihilari à Deo, quo annihilato nõ videtur ratio, quin Deus posset eandem naturam producere, cum illa species non habeat repugnantiam ad esse; & cum nihil angeli annihilati remaneat, magis videtur verisimile, quod produceret illã speciem in alio supposito, quàm in 1. maxime secundnm illos, qui dicunt, quod nihil idem numero resurgere potest, nisi aliquid ei⁹ remaneat. Ex hoc enim magis dicitur resurrectio hominũ possibilis, quia homine mortuo remanet materia & forma, sc. anima separata, quæ in morte separatur ab ipso corpore, sicut perpetuũ à corruptibili, vt habetur 2. de Ani. licet nõ intendã dicere, nec velim, quin Deus rem simpliciter annihilatam possit eandem numero reparare; sed hoc dico propter aliquorum doctorum opinionem. Sic ergo absolutè loquendo dico, quod possunt esse plures angeli in eadem specie, non per viã generationis, sed à Deo per viã creationis; nec videtur esse aliqua repugnãtia ex parte potẽtiæ Dei creãtis, nec ex parte angelicæ naturæ creabilis: & ad hoc possent adduci plures rationes aliæ: sed quia ad propositum exemptionum non pertinent, ideo dimittantur: nec tamẽ tamdiu istam disgressionem tenuissem, nisi occasionem dedisset. Sed vtrum de facto sint plures angeli in eadem specie, nouit ille, cui millia millium ministrant, & decies centena millia assistunt. Videtur tamẽ quibusdam probabile sine assertione temeraria dicendũ, ꝙ de facto sunt plures Angeli in eadem specie, & ad majorem amicitiã naturalem ponendam inter eos; & quia aliquibus pijs mentibus videretur durum, quod diuina sapientia & diuina bonitas permitteret vnam totam speciem intellectualem damnari, & fine suo frustrari. Constat autem secundum fidẽ Catholicã, quod multi Angeli damnabiliter ceciderũt, quare &c. Hoc tamen iudicio illius, cuius sapientiæ non est numerus, & qui sua sapientia creauit Angelos; relinquatur.

Differre formaliter & differre specie non idem est.

Possunt esse plures Angeli ejusdẽ speciei.

Responsio ad 1. rationem pro diuersitate specifica Angelorum omnium.

Ad rationes eius in oppositum, per quas nititur probare impossibilitatẽ plurium Angelorum in eadem specie, per ordinem est dicendum. Ad primum cùm dicit, quod Angeli sunt quædam formæ subsistentes sine materia, cõcedo; & quod vlterius dicitur, quod ex quo non habent materiam partẽ sui, non possunt nisi formaliter differre, & per cõsequẽs specie, dico hic, quod differre formaliter potest duobus modis intelligi. Vno modo differre formaliter secundum absolutam rationem formæ, ita quod illæ formæ habeant quandam contrarietatem & oppositionẽ inter se, prout contrarietas largo modo extenditur ad prædicamentũ substantiæ, nec habeant æqualem gradum entitatis, per comparationem ad primum, & per cõsequens ex illis formis, quia sunt principaliter contrariarum & inæqualium operationum, non possit formari vnus concept⁹ perfectè vniuoc⁹, & sic dico quod differre formaliter est differre specie: nam perfecta vniuocatio solum modo in specie specialissima reperitur, æquiuocationes enim latent in generibus, vt habetur 4. Phys. & sic accipit formã pro specie Aug. lib. 83. quæstion. Idea enim propriè est respectu specierum. Alio modo differunt aliqua formaliter, non secundum absolutam rationem formæ modo prædicto: sed secundũ quod hæc forma, inquantum sc. duæ formæ participant eandem formam, & eundem gradum entitatis secundum rationem specificam, iuxta illud Porphirij, quod plures homines participatione speciei sunt vnus homo; & sic duæ quantitates separatæ, & etiam quælibet duæ formæ conuenientes in specie, sicut etiam duæ animæ separatæ, differunt formaliter, & isto modo differre formaliter non est differre specie. Vnumquodq; enim per illud, per quod habet esse formaliter, distinguitur ab alio formaliter, vel specie vel numero: propter quod illa ratio non valet.

Ad secundũ.

Ad Secundam rationẽ, cum dicitur quod formæ sunt sicut numeri, dicendum, quod ibi accipit formam secundum absolutam rationem formæ, prout dicit gradum determinatũ entitatis, per comparationem ad primum, modo prius dicto; non autem accipit formam, secundum quod hęc forma, & prout vna forma singularis, ad aliã in eadem specie comparatur.

Ad tertium.

Ad Tertiam, cum arguit, comparando Angelos ad animam humanam, dicendum, quod illa magis facit ad oppositum, quam ad propositum. Bene enim cõcedo, tãquam verum & necessariũ, quod anima non est cõposita ex materia & forma, & quod Angeli non sunt ex materia & forma compositi: sed quando ex hoc concluditur vlterius, quod cum sint formæ simplices, differunt formaliter; & per consequens secundum speciem, falsa est conclusio, & mala & defectiua consequentia, vt patet ex prædictis. Imò si per exemplum de humana anima sequeretur sua conclusio, eadem ratione sequeretur, quod animæ humanæ separatæ different specie, quod est falsum, nec valet euasio de aptitudine, & respe-

ctu ad corpus, quia illa differentia aptitudinum & respectuũ præsupponit differentiã animarũ. Et vt sit ad vnum dicere, omnis entitas siue absoluta siue respectiua, seipsa formaliter, idest essentialiter, differt à quacumq; alia entitate: licet quantum ad suum cõseruari in esse actuali multa alia exigat, nec possit solitaria existere, vel cõseruari in esse. Quantum ergo ad simplicitatem formæ, & exclusionem materiæ, bene cõcedo similitudinem inter Angelum & animam humanam; sed quod concluditur ex dicta similitudine, quod non possunt esse plures Angeli in vna specie, est concludere, quod animæ humanæ differunt specie, etiam dum corporibus vniuntur; vel quod sit vnus intellectus in hominibus omnibus, secundum errorem Auerrois in 3. de anima, quod est falsum & hæreticum. Propter quod iste doctor volens ascendere super altitudinem nubium, ponẽs solium suum super astra, sine alis supernæ dilectionis & discretæ cognitationis volans super hierarchias Angelorũ, erroneis sui declarationibus & applicationibus, timere debet, ne in profundum errorum viliter & damnabiliter demergatur. Cum ergo dicitur, quod distinctio Angelorum accipitur penes diuersitatem naturarum, debet intelligi, specie vel numero differentium, vt patet aliqualiter ex prædictis. Quod autem vlterius dicitur, quod distinctio Angelorum accipitur itẽ ex nobilitate essendi, si intelligat quod ipsum esse, quantum ad suum principale significatum dicat aliquam actualitatem superadditam essentiæ, & ab ipsa realiter differentem, sicut in multis tractatibus suis nititur declarare: sic dico ipsum falsum supponere: & in ista sua operatione de diuersitate esse & essentiæ à multis doctoribus efficaciter reprobatur: & aliàs dixi in quæstione ordinaria, & in quolibet, quod mihi super hoc videbatur: & licet ad hoc probandum possent adduci multæ rationes: quia tamen ad propositum de exẽptionibus non pertinet de esse & essentia disputare, ideo supersedeo quoad præsens. Potest tamen dici breuiter, quod cum actus perfectus & primus dans esse simpliciter, si sit receptus de necessitate, requirit puram potentiam receptiuam, esse autem essentiæ cum sit actus perfectiuus & primus, cum sit prima participatio esse diuini, & per ipsum res dicatur esse simpliciter, sequitur, si recipiatur in aliquo, quòd ipsum receptiuum sit pura potentia simpliciter, ad modum materiæ primæ, quod repugnat manifestè actualitati formæ & naturæ Angelicæ. Ex quo sequitur, quod in Angelis non differat realiter esse ab essentia, quantum ad principale signatum. Possent ad hoc multa alia adduci, sed quia impertinentia sunt, dimittantur, vt ad alia magis pertinentia procedatur. His ergo disgressionibus aliqualiter impugnatis, ad rationem prout contra exemptiones applicatur, est principaliter & breviter respõdendũ. Quãdo ergo dicitur, quod Ecclesiastica hierarc. debet imitari cœlestem hierar. dicendum quod verum est, prout est possibile, & in ordine ad bonum illorum, qui accepturi sunt hæreditatem salutis. Ad hunc enim finem cœlestes hierarchiæ & militiæ ordinantur, vt habetur ad Hebr. 1. Omnes sũt admissi. spiritus, &c. Et quando dicitur in minore, quod in cœlestibus hierarchijs nulla est exemptio, quantum ad illas illuminationes, nec secundum totum, nec secundum partem, dicendum 1. quod Deus aliquas illuminationes causat immediatè in quẽlibet Angelum beatum, & in quamlibet animã beatam, sicut lumen gloriæ, & actus beatificos objectiuè, quasdam tamen illuminationes, respectu contingentium pertinẽtium ad regimen vniuersi, & dependentium ex libero arbitrio diuinę voluntatis, secundùm ordinem sapientię suę causat in Angelos inferiorũ hierarchiarum mediantibus superioribus. Similiter in Ecclesiastica hierarchia potest Papa immediatè exercere actũ jurisdictionis suæ in aliquos, & potissimè quantum ad illa, quæ sunt de necessitate salutis; & potest etiam alijs non Episcopis committere; sicut actum absolutionis sacerdotalis, qui innititur charactêri sacerdotali: quosdam etiam actus exercet per se immediatè, vel per Episcopos medios, sicut celebrationes ordinum, consecrationes virginũ, & sic de alijs, vt prius dicebatur: & per hoc saluatur aliqualiter ordo Ecclesiasticæ hierar. ad similitudinem hierarchiæ Angelorum. 2. dico, quod quantum ad exemptionem, non est simile de Ecclesiastica hierarchia & de angelica vel cœlesti: quia in cœlesti hierar. illi qui sunt perfectiores in naturalibus & in gratuitis simpliciter, alijs minus perfectis præferuntur, & eis superiores efficiuntur; & per consequens expedit, quod inferiores à talibus illuminentur, nec exemptio ibi expediret; quia ibi non cadit defectus nec malitia ex parte promouentis Dei, nec ex parte promotorum. Sed plerumque contingit oppositum in Ecclesiastica hierar. vbi ad statum prælationis promouetur quãdoq; minus digni, minus sufficientes, & minus literati, & multæ deceptiones & defectus ibidẽ cõtingunt, propter quos defectus expediũt exemptiones in Ecclesiastica hierar. magis quã in cœlesti: & defectus imitationis Eccle. hierar. in ordine ad angelicã vel cœlestem, magis prouenit ex indebita promotione & indebito regimine Prælatorum, quam ex ipsis exemptis: imò ipsæ exẽptiones sunt in remedium mali regiminis, & reductiuæ secundum rem ad similitudinẽ regiminis angelorum. 3. dico quod esse exemptum, vel esse immediatè sub summo Pont. non ponit gradum dignitatis essentialis, vel superioritatis per se loquendo, in Ecclesia Dei; sicut facit esse de prima hierar. vel 2. ipsorum Angelorum. 4. dico quod non est simile, quia Angeli inferioris hierar. numquam sunt assumendi in superiorẽ hierar. Sed homines inferiores quãdoq; sunt assumendi ad hierar. superiorem quam Prælati: imò potest esse, quod subditus assumitur in ordinem Seraphim, & Prælatus ad ordinem infimum, vel fortè nullum: sed poterit damnari in inferno, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Ex quibus patet, quod ratio nõ valet, nec istæ impugnationes exemptionum videntur procedere ex zelo salutis animarum ipsorũ subditorum: sed magis videntur tendere ad deprædationem & expoliationem bonorum temporalium eorumdem.

Mala conclusio aduersarij.

Esse non differt ab essentia.

Responsio.

Quoad exemptionem non est simile de hierar. celest. & Ec.

Octaua decima ratio innititur ordinibus Angelorum. Deus enim totam hierar. & militiam cœlestem, omnes angelos, omnia corpora cœlestia, omnia elementa, & totum vniuersum ordinauit ad bonum & ad regnum electorũ, vt boni finem beatitudinis æternæ ad laudem Dei efficacius consequantur, & mali sua culpa dãnati amplius confundantur. Omnes autem huius ordines, seu militiæ & principatus cœlestes, quantũ

Ratio 18. aduersarij.

ad actum pugnandi & bellandi pro electis durabunt vsque ad finem mundi. Sed in fine mundi quantum ad actum pugnæ & belli cessabunt, *1. Cor. 15.* iuxta illud 1. ad Corint. 15. *Deinde filius cum tradiderit regnũ Deo & Patri, & euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* Intelligẽs per regnum electos, in quibus regnauit, quos tradet Deo Patri in fine mundi. Secũdum glossam ibidẽ, Angeli Angelis, homines hominibus, dæmones dæmonibus præsunt: sed in fine mundi cõpleto numero electorũ, cessabit omnis prælatio: remanebunt tamen huius ordines tam in Angelis quam in hominibus, qui facient vnã ciuitatem Dei, quantum ad majorem vel minorem gloriam & quantũ ad majorem vel minorem triumphum; secundum diuersitatem meritorum, *Ioann. 14.* iuxta illud in Ioan. *In domo Patris mei mansiones multa sunt.* Et sicut in ciuitate Dei erit vnus Deus omnes glorificans, secundum diuersas mansiones, & secundum quod diuersimode meruerũt: ita in ciuitate diaboli erit vnus ignis, omnes damnatos tam dæmones quam homines crucians, secundum magis & minus, & secundũ quod diuersimode meruerunt. In fine ergo mũdi cõpleto numero electorum, non erit necesse, quod Angeli Angelos, vel homines homines doceant, quantum ad nouam instructionem: quia non vlterius perficientur scientia: sed omnes immediatè docebuntur & illuminabũtur à Deo, *Isaïæ 31.* iuxta illud Isaï. 31. *Ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum suum, dicens, cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum vsque ad maximum, ait Dominus.* Similiter completo numero electorũ cessabit motus cœli, iuxta illud. *Habac. 3.* *Sol & luna steterunt in habitaculis suis.* Cessabunt etiam elementa, quantum ad operationes suas cõtrarias, per quas agunt & patiuntur, & ad inuicem generantur & corrumpuntur; & vniuersaliter generatio & corruptio cessabunt in istis inferioribus. Ex quibus omnibus patet, quod electi sunt quodammodo finis omnium, & quod totum ordinatur ad bonum electorum, vt prius dicebatur. Vt autem videamus plenius distinctiones Angelorum, & quomodo ordinantur ad bonum vniuersi, adhuc aliud aliquid est dicẽdum de distinctione hierarchiarum. *Distinctio Hierarch. Angelicarũ* Sicut enim videmus in curia regis temporalis, aliqui sunt secretarij, intromittentes se de omnibus, quæ sunt in regno, sicut camerarij & consules; alij sunt Magistri & iudices, agentes opera, & exercentes judicia, quæ pertinent ad totũ regnum: alij præpositi & ballivi sparsi per diuersas partes regni. Primi ergo sicut secretarij, immediatè docentur à Rege, quomodo vult regi regnũ suum, & postea docent alios, constituunt primam hierarc. Magistri autem intromittentes se de toto regno constituunt secundam. Alij autem sparsi per diuersas partes regni, constituũt tertiã. Prima ergo hierarchia docetur à Deo immediatè, secũda à prima; & tertia à secunda: & sic accipiuntur secundum diuersitatẽ illuminationũ. *Dist. Ordinum in Angelis.* Distinctio autem Ordinum, vt prius dicebatur, accipitur secundum diuersitatem operum, ita quod in prima hierarchia sunt tres ordines. Primus ordo denominatur à causa scientiæ, scilicet ab amore; *Seraphim.* & dicitur Seraphim, idest ardentes & accensi amore Dei: amor enim est tota causa, quare aliquis reuelat alij secreta sua. Secundus ordo tamquã sub Seraphim denominatur ab ipsa sciẽtia, quæ non est ita alta, sicut sua causa. Nam secũdum Hugo. super Angelica hierar. *Intrat amor, vbi foris stat scientia.* Et dicitur ille 2. ordo Cherubim, idest sciẽtia. *Cherubim.* Cherubim enim plenitudo scientiæ dicitur. 3. ordo denominatur ab effectu scientiæ, qui est iudicare, & dicitur ille ordo Throni, quasi sedes Dei, in quibus sedet Deus, *Throni.* proferens iudicia sua de regimine vniuersi. Et bene dicitur denominari ab effectu scientiæ; iudicare enim est effectus sciẽtiæ. Nam vt habetur in prologo Ethicorum, vnusquisq; bene iudicat de ijs quæ nouit, & horũ est bonus iudex. In 2. autem hierarchia sunt alij tres ordines denominati ab alijs tribus operibus vel actibus. 1. actus est, illa quæ sunt iudicata & sententiata p Thronos, & reuelata, illis de 2. hierarchia modo debito imperare; secundum quod accipiuntur Dominationes, 2. actus est impedimenta remouere, quantũ ad Virtutes, quarum est miracula facere; per quæ remouentur impedimenta incredulitatis, & inducuntur corda fideliũ ad credendum. 3. actus est, remotis impedimentis imperata in effectum mancipare, quantum ad Potestates. Similiter in 3. hierarchia ponũtur tres ordines. 1. est Principatus, qui quasi princeps se intromittit de vna vel pluribus prouincijs vel populis, sicut princeps Persarum intromittebat se de Persis, & Michaël de Iudæis, tamquã princeps eorum, *Daniel. 10.* Secuudum ordinem faciunt Archangeli, *Archangeli* qui majora nuntiant; vnde & se intromittunt de singularibus personis; hoc tamen est inquantũ bonũ illarum singularium est bonũ totius multitudinis: sicut Gabriël nũtiauit Mariæ natiuitatem Christi, *Luc. 1.* quod fuit bonum totius populi Christiani. Tertium ordinem faciũt Angeli, *Angeli.* qui se intromittũt de singularibus personis, vt singulares sunt, & vt bona eorum sunt bona singularum personarum. Ex his formatur ratio ad propositum. Quia summus Pont. in ordine Ecclesiastico, & in personis Ecclesiasticis, tamquam Dei imitator, debet apponere curã & diligentiam, ut talem ordinationẽ teneat in Ecclesiastico principatu, qualem tenet Deus in cœlestibus hierarchijs & in ordinibus Angelorum, provt ordinatur ad bonum regimen electorũ. Dicitur Deus sic ordinare cœlestes hierar. & ordines Angelorum, quod vnaquæque militia & vnusquisque Angelus tenet gradum, & locum sibi debitum: ita quod ordo inferiorum numquam perfectior est superiori, nec hierar. inferior superiori hierarchia: nec illuminatur ordo inferior à Deo, sicut superior, quantum ad illa quæ spectant ad regimen vniuersi. Ergo eodẽmodo summus Pontifex debet vnicuique seruare locum suum, nec debet inferiores personas sibi immediatè coniungere, sed mediantibus Prælatis medijs, ad similitudinem eorum quæ videmus in hierarchijs & in ordinibus Angelorum. Et quia contrarium facit exemptio, quia ordinẽ debitum non seruat, locum proprium non custodit, quia res debitas esse in loco inferiori collocat supra illum locum, & in loco eis non debito, nec ordine sibi competenti, sequitur, ꝙ exemptio est tollenda, & non concedenda, nisi pro euidenti causa, & raro, pro vtilitate Ecclesiæ, ad eas faciendas moueatur.

Respons. ad ration. aduersarij. Ad istam rationem breuiter est dicendum, ꝙ licet ecclesiastica hierar. debeat imitari cœlestẽ, tamquam ab illa excita, & ad illam finaliter ordinata, psonæ tamẽ Ecclesiasticæ ab imitatione hujus-

huiusmodi deficere multipliciter dignoscuntur: ratione cuius non est simile de personis Ecclesiasticis, quantum ad rationem exemptionis, & de ipsis hierarchiis & ordinibus Angelorũ. 1. Quia perfectiores & digniores angeli simpliciter in superiori hiera. & ordine ponuntur, secũdùm valorẽ personarum, & exigentiam meritorum. Sed in Ecclesiastica hierar. plerũque pręferuntur, vt dictum est, personæ minùs sufficientes, carẽtes scietia & virtutibus, pleni cupiditate & avaritia, intendentes cõmodum temporale, non curantes profectum subditorum: quandoque etiã non intrant per ostium in ovile: sed per violentã intrusionem, vel per simoniacã pravitatem. Dato etiã quòd promotores vel electores habeant voluntatem meliorẽ promouendi, non tamen propter defectum notitiæ, possunt discernere meliorem. Item dato, quòd pro pręsenti melior eligeretur, potest tamen perverti; per vertibilitatem & malitiã voluntatis. Sed nihil tale contingit in Ordinibus Angelorũ. Nam ille, qui est spirituum põderator, in cuius oculis omnia nuda & apta sũt, vult semper præponere meliores. Angeli etiam beati, cùm sint confirmati in bono, semper intẽdunt electorum salutem, nec deviare possunt per errorem vel malitiam à rectitudine veritatis: ob quod in Angelicis spiritibus locũ non habet exemptio. Sed propter defectus prędictos in promotione & regimine Prelatorum, necessaria est exemptio, potissimè Religiosis, vt divina quietiùs contẽplentur. 2. Solvi potest, & jam in parte dictũ est, quòd oẽs Ordines, & omnes Angeli bene mouent, & opantur circa electos, in ordine ad finem intentum à Deo: sc. propter diuinam bonitatem, propter diuinum honorem, & propter electorum salutẽ. Sed Prælati frequenter mouent subditos per imperitiam, & operãtur circa illos, in ordine ad finem contrarium, sc. vt satisfaciant suæ ambitioni & cupiditati: propter quod in militante Ecclesia est opus exemptione, non autem in Ecclesia triumphantẽ. Nec propter exemptionem ponitur exẽptus in loco sibi non debito: cùm hoc non ponat essentialem gradum dignitatis in Ecclesiastico principatu; & cum hoc cùm Papa sit immediatus ordinari' cuiuslibet Christiani. Et specialiter cùm multi exempti sint perfectiores Prælatis, quantũ ad merita scientiæ & virtutis. Propter hæc ratio non concludit.

Disparitas inter Angelos & homines quoad hierarchias.

Ratio 19. aduersarij.

Nonadecima ratio innititur distinctioni hierarchiarum & ordinũ Angelorum, prout post iudicium remanebunt. Dictum est enim, quod omnes hæ distinctiones hier. & ordinum angelorũ, quamdiu durat mundus vsque ad diem iudicij, sunt ordinatæ ad pugnandum, & ideo vocantur militiæ cœlestes: quia sicut homines quamdiu viuunt, pugnant vt saluentur, iuxta illud Iob 10. *Militia est vita hominis super terram.* ita angeli, quamdiu durat mundus, pugnant & bellant pro hominibus vt saluentur, & distinguũtur p principatus, quantum ad hierarchias; nam hierar. sacer principatus dicitur: & per acies, quantum ad ordines Angelorũ. In vno n. principatu bene sunt plures acies, ita in vna hiera. bene sunt plures ordines Angelorum. In qualibet etiam acie sunt multi bellantes; sicut in quolibet ordine sunt multi Angeli bellatores. Quãdoq; etiã contingere potest, quod antequam habeatur vel reveletur diuinum judicium de modo pugnandi, quod habet fieri mediantibus Angelis 1. hier. & immediate per Thronos, boni Angeli inter se resistentiam vel pugnam habent, quantũ ad particulare volitum; vt sc. non velit vnus idẽ quod ali': juxta illud quod scribitur in Daniele, quod princeps Persarum, qui erat Angelus, restitit Michaëli, qui erat princeps Iudæorum viginti & vno diebus. Volebat enim Michaël liberare Iudæos, credens hoc esse faciendum propter orationes multorũ bonorum Iudæorũ; & princeps Persarum, hoc impediebat, vel non permittebat, videns multa bona contingere Persis, quorũ Princeps erat, ꝓpter Iudæos cõmorantes inter illos. Vterque enim volebat bonũ populi cujus erãt princeps: & ista pugna durauit, donec acceptũ fuit diuinum responsũ, & diuinũ iudiciũ de liberatione Iudæorum: & ita vterq: mouebatur vno bono spiritu, & habebat bonam intentionem. Sicut etiam in vna cõmunitate possunt homines diuersi diuersa velle, & vnus velle, & alius non velle, secundum quod conscientiæ diuersimodè informantur, & tendunt ad diuersos fines, quorum tamen vterque est bonus. Sicut eodem vento existente in mari, si aliter & aliter vela vnius nauis & alterius ordinentur, ibunt naues in aliam & aliam partem. Ex dictis ergo per modũ epilogi, quod distinctio hierar. vel principatuum potest sumi vno modo ex modo illuminationum, quia vna & eadem hierar. habet aliquomodo vnum & eundem modũ illuminationis; vel potest sumi à modo bellandi, quia quælibet vna & eadẽ hierar. pugnat pro electis vno & eodem modo: & prima hierar. facit reuelando secreta Dei. Secunda intromittẽdo se de toto regno, &c. Ad hæc autem repetuntur & epiloganţur ista, ad insinuandum quod dictæ hierar. & acies siue ordines non poterunt remanere post judiciũ; vt sunt quædam & quidã principatus ad pugnandum vel militandum pro victoria electorum, remanebunt tamen quinque modis, vt ex hoc videatur, quod exẽptio sit tollenda. Remanebunt primò quantum ad majorem vel minorem plenitudinem gloriæ, secũdo quantum ad majorem vel minorem perfectionem naturæ, 3. quantum ad majorem vel minorem nobilitatem essendi, 4. quantum ad majorẽ vel minorẽ perspicacitatem intelligendi, 5. quantum ad majorẽ vel minorẽ lætitiam triumphandi. Vlterius enim non erunt bellantes, sed solũ triumphantes. Nunc enim præsens Ecclesia est militans, non triũphans. Sed cœlestes hierar. sunt vtrumque. triumphantes in se, bellãtes pro nobis. Sed quando Christus tradet regnũ suũ, id est omnes electos, Deo & Patri, tunc non erit vlterius pugna, nec, remanebunt ista, quantum ad effectum bellandi, sed quantum ad lætitiam triumphandi; & hæc secundum magis & minus: quia omnes superiores Angeli, quantum ad omnia 5. prædicta inferiores præcedunt, cùm eis, quantum ad prædicta, secundum tribuentis seu remunerantis justitiam, gradus nobilior debeatur. Ex quibus omnibus formando rationem ad propositum, quod non solum ab Angelis seu hierar. seu ordinibus Angelorum relegatur exemptio, prout ordinantur ad pugnandum pro electis vsque ad finem mundi; imò etiam quod post iudicium apud hierar. & ordines cœlestes locum exemptio nõ habebit: quia quilibet in suo gradu & in suo ordine secundũ propriam capacitatẽ habebit plenitudinẽ gloriæ, & sic de aliis, secundum exigentiam meritorum; nec inferioris

Bellum inter Angelos sanctos quid sit & vnde. Daniel. 10.

Epilogus aduersarij.

& minoris meriti, tenebit locum vel gradum superioris & maioris meriti; sed omnes tenet, secundum proprium ordinem, locum suum. Et quia exeptio facit oppositũ; sequitur ex ipsis ordinibus angelorũ, ante iudiciũ & post, quod exeptio non est facienda, sed tollenda.

Responsio ad prædictã rationem. Ad istam rationem breviter est dicendũ, quod licet ibi sit magna & longa multiplicatio verborum, sicut in alijs præcedentibus, quæ etiã magis pertinẽt ad materiam 2. Sentẽtiarum, quã ad propositum; cum hoc quod ratio transcendens est, & de materia transcendenti, sicut & aliæ, virtus tamen ejus, quantum ad propositũ pertinet, in modico consistit, nec tãgit diffigultatem aliã à prædictis. Tota enim virtus rationis in hoc cõsistit, quod superiores Angeli sic seruabunt gradum & ordinem suum, quod plus habebunt de perfectione naturæ, & de plenitudine gloriæ, de nobilitate essendi, de perspicacitate intelligendi, & de lætitia triumphandi, quam inferiores, inquãtum perfectiores sunt in naturalibus, & in gratuitis, & in essentia gloriæ, & plus habuerũt, & nobiliori modo de regimine vniuersi, quã inferiores; & per consequens plus iuuerunt ad victoriam contra mundum, carnem, & diabolum obtinendam. Ex quo sequitur, quod post hoc judiciũ illi electi plus habebũt de gloria & de lætitia triumphandi, qui plus in præsenti habuerunt de gratia, & de charitate finali; & plus cæteris meruerunt; & qui aduersarijs salutis, in se & in alijs perfectiorem victoriam habuerunt: ita quod si prælati in hujusmodi pugna alios excelluerũt in prædictis, sequetur etiam, quod sicut habent gradum altiorem in Ecclesia; sic habebunt & in cœlo, præsertim quia secundum Apostolũ, *Qui bene administrauerit, bonum gradum sibi acquiret.* *1. Timo 3.* Verũ, quia plures sunt Prælati, qui in huius pugna remissè, negligẽter, & quandoq; perniciosè se habẽt, nec intrant aciẽ secundũ formã traditã à Christo principante, nec pugnant ad intentionem principis, sc. ad consecutionẽ salutis subditorum, ex eo quod in eis deficit charitas, & superabundat cupiditas; ideo gradum dignitatis iniustè detinent & occupant in Ecclesia militãte. Nec sequitur, quod ante judiciũ vel post, consequentur gradum beatitudinis altiorem: imò timendum est, ne consequantur gradum damnationis grauiorem. Non est ergo simile de gradibus dignitatis in Ecclesia triumphante & militante: quia semper in Ecclesia triũphante gradus dignior & altior tribuitur magis digno; cujus contrarium fit frequenter in Ecclesia militãte, non autem in triumphante. Quod etiam per simile ad pugnam corporalem potest aliqualiter declarari. Licet enim in regno temporali dux & comes teneant locũ & gradum altiorẽ, quàm vnus simplex miles, possibile est tamẽ, quod vnus pauper miles sit magis strenuus, & magis expertus in armis, & in arte militari, quam vnus baro magnus regni sui: & ideo supposito quod huiusmodi pauperi militi velit exercitus obedire, magis expedit, quod exercitui præficiatur, quàm baro ditior & generosior eo in ordine ad finẽ victoriæ obtinendæ. Sic etiam summus Pontifex videns negligentiã, & inexperientiam, & auaritiã Prelatorum, Religiosos potest eximere à iurisdictione eorũ, & de prælatis alijs, licet sint minoris status, Abbatibus & Prioribus magis expertis, & magis solicitis prouidere; secundum quod consecutioni finis æternæ beatitudinis magis nouerit expedire. Ex quo enim omnis Prælatio, tam hominũ quã angelorũ, debet ordinari ad salutẽ electorũ, religiosi diuino seruitio mancipati, se Christo, prout est eis possibile, conformantes, cũ sint venturi ad illam beatitudinẽ & forte ad gradum altiorem quàm Prælati, secundum exigentiam meritorũ, à iurisdictione eorũ eximi debẽt, per quos consueuerunt à diuino seruitio, & ab actibus contemplationis & deuotionis, multipliciter impediri. Item exemptio non ponit exemptos super Episcopos, vt frequenter dictum est; imò Episcopi sunt in gradu dignitatis altiori; & eis competunt aliqui actus ratione ordinis Episcopalis, sicut ordines celebrare, chrisma conficere, & sic de alijs, qui non competunt alijs personis inferioribus quantumcumque exemptis. Habent etiam multos alios subditos, pro quib⁹ debent plusquam fecerũt, præliari, & eos debẽt illuminare per doctrinam sanctæ prædicationis. Sed tamen his diebus non consueuerunt se talibus occupare. Item, vt pluries dictũ est, nullus, quantum ad illa quæ sunt fidei, est exemptus. Ex quibus omnibus patet, quod ratio non valebat. Item quod ipse connumerat nobilitatem essendi cum alijs, si intelligat quod in Angelis, ipsum esse, quantum ad principale significatum, dicat rem aliã ab essentia, falsum est, vt patet ex dictis, & alias fuit diffusi⁹ declaratũ. Quare &c.

Vicesima ratio nititur ostendere, quod exẽptio magis cauenda est in personis ecclesiasticis, quãtum ad aliquid, quam in ordinibus vel hierarc. seu personis angelicis: & replicando multa quæ dicta sunt prius adhuc iteratò. 1. adducit rationem ad tollendam exemptionem per comparationem ad Angelos, vt faciunt ad regimen vniuersi. 2. adducit aliam rationem ad probandũ, quod quantum ad aliquid minus debent fieri, & etiam magis nocẽt in personis Ecclesiæ, quam in Angelis. 1. ratio est talis, & jam tacta est frequenter superius, quia sic se debet habere summus Pont. in regimine Ecclesiæ quantũ ad personas Ecclesiasticas, quæ in Prelatione existunt, sicut Deus in regimine vniuersi. Vicarius enim inquantũ potest, debet imitari illũ, cujus est vicarius. Sed Deus sic regit mundum per angelos, vt nullus superextollatur super gradum suũ & ordinem, & nullus eximatur à suo gradu & ordine: & magis digno plus communicat de huiusmodi regimine vniuersi; quia vt dicitur ad Rom. 13. *Quæ à Deo sunt: ordinata sunt.* Ergo & summus Pont. sic debet facere & regere Ecclesiã sibi commissam, vt nullus super extollatur, vel eximatur à suo gradu & ordine: ita quod personis existentibus in gradibus magis dignis magis communicet de huiusmodi gubernatione, secundum quod magis vel minus sunt assumptæ in partem solicitudinis. Et quia cõtrarium facit exemptio, ideo sequitur quod sit cauenda. 2. ratio, quod magis cavenda est in personis Ecclesiasticis, quam in Angelis, est talis. Quia Deus posset sine Angelis gubernare mundum æquè bene & perfectè, sicut mediantibus angelis. Vnde non per aliquam indigentiam ex parte sui, sed propter abundantiam bonitatis suæ, vult huiusmodi dignitatẽ regiminis communicare suis Angelis, modo dicto. Sed non est sic de summo Pont. quod possit totũ facere per seipsum. Imò si vellet hoc facere, diceretur sibi: sicut dixit Ietro Moysi. *Stulto labore consumeris, & vltra virum tuum est negotium; solus illud ferre non potes,*

Ratio 20. aduersarij.
Rom. 13.
Exod. 18.

vt habetur Exo. 18. Imo Prælatus semp præsens satis habet facere ad corrigēda forefacta suæ diœcesis, vt non vituperetur ministeriū suum. Et si Prælatus præsens non potest hoc facere summ⁹ Pont. hoc facere poterit semper absens? Si tamen aliquos eximat, nō fiet ita bene, nec ita bene corrigētur exēpti, qui nō habēt Prælatū Episcopū superse vigilantē, sicut non exēpti. Ergo &c.

Resp ad 20. ration. Ad istam rationem breuiter est dicendum, & primò, quòd bene verum est, quòd sicut Deus magis digno Angelo plus communicat de regimine vniuersi, & ipsum in gradu constituit digniori, sic summus Pontifex prout sibi est possibile, deberet personas magis dignas & magis idoneas ad regimen Ecclesiasticum, & ad salutem electorum, àd dignitates Ecclesiasticas & ad Prælationes promouere: & hoc idē debent facere in collegiatis Ecclesijs electores: ad salutem enim electorum omnis Prælatio Ecclesiastica finaliter ordinatur. Et sicut sunt digniores & perfectiores promouendi & honorādi, sic sunt insufficientes & inidonei deponendi. Et si sic fieret, tunc Ecclesia melius regeretur, & fortè si omnes Prælati insufficiētes à suis officijs deponerentur, & qui ad regimen Ecclesiasticum non sunt apti, pauci in suis officijs vel gradibus remanerent. Gradus ergo Ecclesiastici seu dignitates Ecclesiasticæ Ecclesiā non gubernant, sed personæ in talibus gradibus vel dignitatibus existentes: & ideo secundū proportionē pson arum & graduū essent Ecclesiastici ad dignitates Ecclesiasticas assumēdi. Si tamen fiat contrarium, quod personæ inidoneæ, insufficientes, & insciæ, & etiam tyrannicæ, per fraudem & per simoniam ad huiusmodi dignitates assumantur, non est inconueniens, imò est necessarium, quod personæ diuino vacantes seruitio ab eorum jurisdictionibus eximantur, de Prælatis alijs medijs magis expertis & magis solicitis prouidēdo.

Non gradus sed personæ gubernant Ecclesiam.

Nūc iste doctor nō loquitur nisi de gradibus dignitatis, ac si per'o æ nihil facerent in regimine, sed ipsa dignitas quasi machina regeret Ecclesiam, vel quod personæ magis dignæ semper in gradu digniori ponantur, cuius oppositū ad sensum videm⁹ de facto. Item Episcopi Prælati magis habēt de regimine Ecclesiæ & subditorū, quàm eis expediret, nec sufficiunt ad regendum. Item habent aliquos nobiles actus, ratione Episcopalis ordinis, quos non habent alij minores Prælati, sicut ordinare, virgines consecrare, &c. vt dictum est prius. Item est alia potestas & dignitas Episcopalis ordinis, & alia dignitas & potestas Episcopalis & spiritualis jurisdictionis, vt prius fuit visum in solutione 14. rationis, propter quod ratio non valet. Ad aliam rationem, cùm dicitur, quod magis cauenda est in personis Ecclesiasticis, quàm in Angelis, dicendum quod falsum est, vt probatum est superius; quia in Angelicis spiritibus & in regimine ipsorū non cadit error, nec deceptio, nec dominatio, sicut frequenter cōtingit, quantū ad Episcopos medios in Ecclesiastico principatu. Et quando dicitur vlterius, quod Deus totum posset regere immediatè & æquè bene, non tamen summus Pont. cum sit creatura, & homo defectibilis, nec possit vbiq; præsens esse, ad hoc dico, quod verum est, sed ex hoc concludi non potest, quod exemptio sit tollenda; nec quod summus Pont. stulto labōre consumatur, accipiens solus negotium vltra vires. Imò iuxta consilium Ietro sacerdotis Madian elegit ad partem sui oneris, & sui regiminis supportandam, viros sapientes & gnaros, odientes auaritiam: cuiusmodi erant sancti Episcopi & Confessores in Ecclesia primitiua. *Exod. 18.* Verum quia processu temporis vidit, quod vnusquisque in viam suam, scilicet ad auaritiam, declinabat, & quod pascebant pastores semetipsos, & lanis gregis operiebantur, gregem autem Domini non pascebant, vt habetur Ezech. 34. sicut prius fuit allegatum: & cum hoc, ad Ecclesiasticū regimen mouebantur, vt in pluribus, min⁹ digni: quosdam Religiosos certis ex causis voluit eximere, & eis de pastoribus sui Ordinis, Abbatibus, Prioribus, & capitulis generalibus & prouincialibus, gnaris & sapiētibus, & auaritiam odientibus, prouidere. Ex quo patet, quod per hujusmodi exemptiones statuto labore nulla ten⁹ se consumit, nec solus est in regimine exemptorum: sed prouidit sibi de conuenientioribus medijs in ordine ad salutem electorum, Religiosorum specialiter, efficacius consequēdam. Videmus etiam, quòd exēpti melius & acri⁹ corripiuntur, quam non exempti, & specialiter quā Sacerdotes sæculares: sicut cōtinuè rei euidentia manifestat. Vnde etsi summus Pont. corporaliter sit absens, habet tamen alios præsentes loco sui. Dico tamē, quòd Abbatis particularib⁹ mediocribus & pauperibus, multū distātibus à sede Romana, quæ non habēt in propinquo sufficientes correctores, non expedit exemptio, supposito bono regimine Prælatorū, sicut circa principium hujus operis dictum est. Supposito autem malo regimine, adhuc eis melius esset, eximi, quàm per tyrannicum malorū Prælatorum nimis excessū ē gravari. Caueat ergo tam maiores quàm minores Prælati, tam sc. Episcopi quā Abbates, ne super subditos per ambitionē & auaritiam tyrannizent. Tyrann⁹ enim. non commune respicit, nisi propriæ vtilitatis causa, vt dicitur 5. Politic. & hoc est correctiuum rectarum politiarum, vt dicitur 5. Politic. Propter quod, sicut tyrannicū regimen fuit & est causa, ex parte Prælatorum, quare aliqui subditi à jurisdictione eorum sunt exempti, sic etiam si Abbates aliquorum Ordinum per violentas intrusiones aliquorum, & injustas depositiones aliorum; & injustam & indebitam aggregationem pecuniarum, vellent super subditos Tyrannidem exercere, posset esse, quod eorum demeritis possent exemptiones hujusmodi aliquibus temporibus annullari. Nullum n. violentum perpetuū esse potest, sicut probatur 8. Physic. Dominium autem tyranni violentum est, vt habetur 5. Politic. ex quo sequitur, quòd dominiū tyrani perpetuari non possit, vt probatur ibidem. Debet enim Prælati regere suos subditos, secundum regulam eis traditam à principaliter principante: & secūdùm exigentiam finis, ad quē subditi ex intentione ejus ordinantur. Ex dictis patet, quòd ratio contra exemptionem non valebat.

Non solus Papa exemptos regit.

Dominium tyranni non diuturnum.

Ratio 21. aduersaij. 21, Ratio, vbi incipit fieri defectus ad illa, quæ palpari possunt, & tractari de facto, innititur malis, quæ fecit exemptio in Templarijs, quantum ad illa, quæ sunt fidei: itaquòd præsens ratio, & aliquæ aliæ quæ sequuntur, factis, seu effectibus malis, magis quàm rationibus innituntur: & potest sic formari ratio ex dictis suis. Quia illud debet caueri, & numquam vel raro concedi, ex cuius concessione homines habent occasionem labendi in diuersos errores apostasiæ & hæreticæ

prauitatis. Sed exemptio est hujusmodi. Ergo summus Pontifex non laxatis fibris, sed restrictis habenis procedere debet in exemptionibus concedendis. Major patet. Minor probatur, per ea quæ de facto videmus in Templarijs, qui occasione suæ exemptionis lapsi sunt in apostasiam perfidiæ, negantes & inducentes de nouo receptos ad negandũ Christum esse verum Deũ: asserentes Christum fuisse, non pro redemptione humani generis, sed pro suis sceleribus, crucifixum. Facti sunt etiam infideles, negantes Ecclesiæ sacramenta: specialiter sacramentum Eucharistiæ, quod est continentia sanctius, quia in eo continetur totus Christus, qui est Sanctus Sanctorũ, intelligentia pulchrius & purius, quia post vnionem verbi ad carnem, inter cætera Dei opera sublimitate intelligentiæ pulchrius elucescit. Est tertiò deuotione suauius, quia per ipsum incorporamur Christo, & efficimur mẽbra eius: qui quidem cibus sacramentalis differt ab alijs cibis communibus in tribus. 1. quia est cibus mentis non ventris, 2. quia conuertit in se cibatũ, iuxta illud Aug. ac si Christus ab ipso sumptus sacramentaliter, ei loqueretur. *Non tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me.* 3. differt ab alijs cibis, & ab alijs conuersionibus. Quãdo vnũ corpus per generationem vel nutritionem in aliud corpus conuertitur, hoc fit manente eadem substantia materiæ, quæ est subjectum manens sub vtroq; termino conuersionis. Sed tota substantia panis conuertitur in substantiam corporis Christi, eisdem accidentibus numero remanentibus. *Transubstãtiatio.* Secũdò non solum negabant Christum in Ecclesiæ sacramẽto, verumetiam ceciderunt in vitium & errorẽ idolatriæ, adorantes inanimata idola, credentes se per ea suas diuitias possidere. Adorabant etiã catũ in suis Capitulis, vt recognouerunt aliqui, & ipsi reuerentiam faciebant, credentes in talibus aliquid esse numinis, vel deitatis, quod est absurdũ. Si autem Templarij nõ fuissent exempti, sed fuissent à suis ordinarijs visitati, scita fuisset peruersa professio eorumdem; nec in tales errores & hæreses cecidissent, nec in ipsis tãdiu remansissent.

Ratio 22. adversarij. Vicesima 2. ratio annectitur causa præcedentium, quia est de Templarijs; tamen quia eadẽ solutio deserviet vtrique rationi, & innititur illis malis, quæ fecit exemptio in Templarijs, quantũ ad illa quæ sunt moris; & dicit illa mala fuisse detecta per ministerium, industriam, & diligentiam illustrissimi regis Francorum, signati per Angelum illum, de quo dicitur Apoc. cap. 14 *Apocal. 14.* quod *data est illi clauis putei abyssi, & aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus fornacis magnæ & obscuratus est sol, & aër de fumo putei.* Ad vidẽdum autem clarius, quomodo temporaliter errabant in moribus, est intelligendum, quod sunt tria bona mundana, circa quæ versantur mores humani, siue boni siue mali. Vnde si ad illa bona nos habeamus secundum Deum & rationem, sic sunt mores boni & virtuosi: si autẽ contra Deũ & rationem, sic sunt mali & vitiosi. Huiusmodi autem tria bona sunt, 1. bonũ delectabile, quantum ad gustum & tactum, 2. bonum vtile, sicut argentum & aurum, & illa quæ numismate mẽsurantur. 3. bonum honorabile, sicut præfici, præesse, vel dominari: & ideo respectu istorum trium bonorum, quantum ad abutentes, reducit Ioann. omnia peccata, quæ perpetrãtur in mũdo dicẽs 1. Ioa. 2. *Omne quod in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* *Isai. 2.* Templarij autem, quantum ad prædicta tria bona, & prædicta tria vitia, pessimè se habebant. Nam quantum ad delectabile *Vitia Templariorum.* secundum tactũ, siue quantũ ad venerea, sceleratissimè, sicut eis imponitur, se habebãt. Quãtum enim ad peccatum secundum venerea, possunt homines in gradu triplici se habere, vt habetur 7. Ethic. Sunt enim quidam incontinentes, qui à principio tentationibus & passionibus resistunt, sed in fine propter eorum desidiam victi succumbunt, & hi dicuntur mali. Alij sunt intemperati, qui non bellant contra tentationes & passiones, habituati in malum, est eis delectabile ire & viuere secundum illas; & multoties displicet eis, quod plus non tentantur, & quod plures motus non habent, siue non insurgunt, iuxta illud, quod dicitur in Prouerb. *Lætantur cum malè fecerint,* &c. *Prouer. 2.* & isti dicuntur peiores. 3. sunt bestiales, qui bestialitatem, idest vitium sodomiticum, quod est quædam bestialitas innominabilis, ratione cuius signanter dicitur passio ignominię in Epistola ad Rom. dicunt sibi *Rom. 1.* licere; quod isti qui talia agunt, sunt passi. Sed adhuc qui talia agunt, & dicunt talia licere, & non esse peccatum, sunt peiores, in hoc errorem & hæresim in moribus committentes. 2 errabant quantum ad bonum vtile, quod est concupiscentia oculorum, quia credebant quod per fas & nefas liceret eis bona temporalia acquirere vndecumque. 3. quantum ad bonum honorabile, quod est superbia vitæ, quia volebant omnibus superferri, sicut & ipsimet modo fatentur. Ex hoc sequebatur, quod omnibus alijs, seu aliorum honoribus inuidebant. Et creditur propter eorum inuidiam & superbiam ciuitatem Aconensem fuisse captam & perditam. Dicebatur enim publicè, quod erant amici Saracenorum, & quod Saraceni ad eorum rogatũ deferebant alijs Christianis. Dicebant Saraceni, quod Templarij erãt *Templarij de secta coöperta credebantur.* de lege cooperta: apud Saracenos enim philosophi & sapientes simulantes se credere legem eorum esse bonam, cum tamen sit tam irrationabilis, occultè tamen recognoscebant vnum esse Deum, qui est prima causa omnium, prout in libris eorũ legitur, & habetur, dicuntur esse de lege cooperta, quia aliter credunt quam prætendant; sic etiã quia sciebant Templarios non credere legem Christianam, sed simulare se credere, dicebãt eos de lege cooperta. Et si dicatur, quod quãdoq; strenuè bellabãt cõtra Saracenos, dicẽdum, quod & diabolus facit aliqua bona, sed illa facit intentione fallendi, sicut August. ait. Sic & Templarij si faciebant aliqua bona, non tamẽ bene: quia non faciebant illa intentione placẽdi Deo, nec merendi apud Christum, sed propter temporale lucrum, vel vt coram hominibus apparerent. Nunc autẽ ista mala propter exẽptiones Templarijs euenerunt; quia Prælati eos non poterant visitare. Ergo, &c.

Responsio ad 21. & 22. rationes. Ad istas duas rationes insimul est dicendum, quod nefandissima & sceleratissima sũt illa, quę istis Templarijs imponuntur, & summè detestabilia cuilibet Christano, quæ etiam multi ipsorum in regno Franciæ & alibi, & specialiter principales Magistri Ordinis Tẽpli publicè sunt cõfessi. Errabãt enim turpissimè & nefandissimè, si vera sunt, quæ dicuntur, quantũ ad principia fidei, & quantum ad principia naturæ; tamquam apo-

statæ perfidè negantes fidei fundamentū. Nam secundum Apostolum, *fundamentum aliud nemo potest ponere, preter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Et non modicum stuporis & admirationis inducit, quomodo in tot & tantis, & tam prouectis hominibus, nobilibus & ignobilibus, diuersorum generum & diuersarum linguarum, educatis à legitimis parentibus, nutritis inter fidelissimos Christianos, potuit tam subitò nō solùm lex fidei Christianę, verū etiā lex naturæ tā turpiter & horribiliter offuscari. Quomodo etiā princeps tenebrarū intrantes Ordinē illū propter honorem Christi, & ad Christi injurias vindicandas, & ad defensionem & recuperationem terræ sanctæ, ad debellandum inimicos fidei Christianæ, poterat tam citò peruertere, & in contrarium tam turpiter & tam grauiter immutare, & infeliciter & enormiter possidere. Rursus, si talia non haberent veritatē, quomodo principales Ordinis, qui erant exercitati in armis, in quibus metus inordinatus de facili cadere non debebat, tam vilia, tā horrenda, coram tota Vniuersitate Parisiensi, & postmodū multi alij coram sanctissimo Patre summo Pont. cōtra se & Ordinem sunt confessi? Et si vera sunt vniuersaliter quoad omnes, quomodo in Senonensi & Remensi, cum alijs prouincijs, multi Tēplarij ex certa sententia permiserunt se comburi, à suis primis confessionibus recedentes: cùm tamen scirent, se posse euadere, si redirēt ad primitus confessata? Hæc sunt, quæ materiā dubitationis hincinde pluribus administrāt. Inquæstæ etiam factæ in diuersis regnis, quæ fuerunt lectæ publicè in Ecclesia majori in Vienna tempore Concilij generalis, in multis contrariari sibi inuicem videtur. Ille autem, cui omne cor patet, & quem nullum latet secretum, sponsus scilicet Ecclesiæ Iesus Christus, ad illustrationē, purgationem, & pacem suæ sponsæ, velit super his reuelare plenam & meram veritatem, antequam hoc generale Concilium terminetur: ita quod veritate cognita, purissimus & ardentissimus zelus Christianissimi & Illustrissimi principis Regis Francorum, ratione præuia finem prosperum & salutiferum sortiatur: & vt summus Vicarius Iesu Christi, Petrique successor, sic regat nauem Ecclesiæ sibi cōmissam, vt inter procellas maris huius mundi euadens naufragium, eam perducat ad portum felicitatis æternæ, omnia quæ ad hunc & ad alios pertinent articulos, diffiniens & disponens ad honorem Christi, & exaltationem orthodoxæ fidei Christianæ. Sibi namq; in persona Petri dictū est. *Ego pro te rogaui Petre,* &c. Regentem namque Petri nauiculam non solum oportet esse solidatum in fide, verumetiam fluctuantes & debiles solidare, & stabiliter confirmare, & auersos & deuios ad veritatis rectitudinē reuocare. His ergo prælibatis ad objectiones istas, quæ prędictis erroribus innitūtur dicendū, quod dato, quod omnia essent vera, quæ Templarijs imponūtur, adhuc nihil per hoc rationabiliter concludi potest contra exemptos, & priuilegia illorum Ordinum, qui persoluendo diuino officio mancipantur, & in quibus sunt homines literati, & specialiter in quibus homines Iuristæ; & Theologi, & scientifici præferuntur. Dicere ergo, quod exēptio fuit in causa istorum errorum, non est verum. 1. quia vt multi & magni dicūt, non erant exempti; 2. quia dato quod essent exempti, tamen quantum ad illa quæ sunt fidei, non erant exempti. Imò quamtacumque exempti fulgeant dignitate, si de hæresi impetantur, Episcopis sunt subiecti, vt patet Extrau. *Ad abolendam,* in fine. Imò si Papa esset hæreticus, quod absit, in hoc esset minor & inferior fideli quolibet Christiano, 24. q. 2. *Achatius.* Sed si tales fuerunt, vt dicitur, sunt aliæ causæ congruentiùs & verisimiliùs assignandæ. 1. quia erant laici, & specialiter, quia rectores eorum & principantes apud eos, sacræ Scripturæ notitiam non habebāt. Sacra enim Scriptura est turris fortissima & munitissima propugnaculis: & mille clypei pēdēt ex ea, omnis armatura fortiū Cant. 4 Per ipsam enim custoditur, & roboratur scutum fidei ad extinguendum ignea tela nequissimi humano generi aduersarius. Ab ipsa etiam accipitur gladius spiritus, quod est verbum Dei. Propter quod cùm Christi præcipuis sectatoribus diabolus per inuidiam potissimè sit infestus, eoquod æternæ beatitudini consequendæ præ alijs sunt adscripti, non expedit aliquam religionem purorum laicorum esse exemptam: cùm hujusmodi nō habeant sacerdotes sæculares, nec Prælatos Clericos visitatores, nec habeat in Ordine intrinsecū directiuū, sed laici clericis dominantur, acsi pedes supra caput contra naturalem ordinem ponerentur. Labuntur de facili in errores, potissimè cum sint pompis & vanitatib[9] dediti, quæ cito excæcant hominem, nisi frænū inueniant rationis. Affectus enim ad temporale causat ignorantiam, & econuerso. Vnde Chrysostomus super Mat. *Nihil quo te ipsum ignores, ita facit, vt tēporalibus his rebus esse affixum: nihil hominem ita temporalibus rebus affici, sicut ipsa sui ignorantia* Defectus ergo scientiæ diuinarum Scripturarum potuit esse vna causa istorum errorum in Templarijs vt de ipsis verificetur illud Isa. 5. *Captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam* Et Ambr dicit *Grauissime peccas, si ignoras,* grauissimè inquam, idest periculosissimè Licet enim ignorantia excuset peccatum à tanto, quia tamen morbo non obuiat, nec ostendit pericula, nullum ponens prohibens cōtra peccatū, nec aliq retractiuū, potest esse ratio, ꝙ aliqui in errores grauissimos dilabatur: supposita tamē in hoc peruersitate vertibilis voluntatis. Propter quod dicitur Sap. 3. *Sapientiā & disciplinam qui abijcit, infelix est* Et Paulus 1. ad Cor. 2. dicit quod *animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt: stultitia enim videtur illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur,* sicut superius fuit dictum. 2. Ratio in Templarijs esse potuit, quia prædicto defectu supposito, maiores eorū habitabāt cum Infidelibus & Saracenis; & cum non haberent clypeum Scripturarū, quem scirēt opponere, cito poterant trahi extra limites veritatis. 3. Causa esse potuit otiositas. Non enim erant occupati in diuino seruitio, nec in studio literarum; & cum essent diuites, non indigebant opere manuali. Pauci etiam eorum & rarò se exercebant in actibus bellicosis; & in eisdem, vt dicitur, in captione ciuitatis Aconensis infideliter se habuerunt. Cum igitur animus hominis nesciat esse otiosus, si non occupatur in actibus virtuosis, de facili recipit cogitationes inutiles, & peruersas, & citò labitur in errores, & diuersa genera peccatorum; quia *sensus & cogitatio hominis prona sunt in malū ab adolescentia,* vt dicitur Genes. 8. Propter quod in ipsis, si vera sunt, quæ dicūtur, verificatū fuit illud Eccli. 33. *Multam*

Marginalia: 1. Corin. 3. — Difficile est dānare aut excusare Templarios. — Luc. 22. — Malè concluditur ex Templarijs contra exemptiones vniuersim. — Isai. 5. — Sapi. 3. — 1. Cor. 2. — Genes. 8.

malitiam docuit otiositas, & illud Ezec. 16. *Hæc fuit inquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, abundãtia panis, & otiositas*. Et B. Bernard. 2. de Cõsideratione dicit, quod otiositas fugienda est, *mater nugarum & nouerca virtutum*. Seneca etiam in Epistolis dicit, quod *otium sine literis mors est, & viui hominis sepultura*. Ratione quorum omnium concludit Salomon Prouerb 2. *Et qui sectatur otium, stultus est*. 4. causa cõtinuatiua erroris esse poterat, quia annũ probationis non habebãt, quod multum reddebat eos suspectos, & circumuenti, errores tã graues alijs reuelare forsitan non audebant; & ex hoc jamdiu est, quod habebant Prælati sufficientem occasionẽ inquirendi, quantũ ad illa quæ sunt fidei, cõtra ipsos: præsertim cum in historia de terra sancta, in qua narrãtur facta Godefridi de Buillon, in vno capitulo sint nõ modicũ diffamati. In omni ergo cõgregatione, & specialiter religiosa, & in actib⁹ bellicosis, requiritur, quod sint aliqui literati, qui sciant alios instruere de articulis fidei, & de pertinentibus ad salutem, & qualiter à Deo debet victoria belli principaliter expectari; & ad ipsum, & eius honorem principaliter ordinari: & narrare victorias, quas dedit Deus illis, qui pugnabant pro diuinis legibus defendendis, & pro cultu fidei augmentando. Vnde & Iudas Machabæus, dum deberent ingredi bellum; armauit suos sermonibus optimis. Et moyses dux populi Israëlitici accepit legem à Domino, & eam populo promulgauit. Et David Rex bellator egregius fuit eximius Prophetarum, sicut superius fuit dictum. Illa igitur quæ dicuntur de Templarijs, nihil impingere possunt nec debent in illos exẽptos, in quibus sunt præsidẽtes homines literati; & qui iam ramos emiserunt in cœlum, & ornauerunt de suis ramis & spiritualibus folijs Ecclesiam triumphantem; & direxerũt & dirigunt in viã veritatis fidei Christianæ multos filios Ecclesiæ militantis. Illi namq; probati sunt, quos Deus commendat: nec illos possunt nec debent homines reprobare, quos Deus per remunerationem præmij & operationem miraculorum multipliciter approbauit. Beatus enim Gregor. qui exemptiones concessit & induxit, egregi⁹ doctor, & summus Pont. monachus fuit, & multi fuerunt sancti in ordine S. Bened. Imò quasi omnes Abbatiæ nigræ ordinis S. Benedicti plurimorũ sanctorũ corporibus sunt ornatæ; & specialiter B. Benedic. cuius vitã scripsit B. Greg. & cuius regulam confirmauit, B. Maurus, & B. Hugo Cluniac. & B. Robertus, qui Cisterciensem Ordinem in honore Mariæ Virginis inchoauit, in quo floruit. B. Bernar. Abbas, & doctor egregius, B. Guillelmus 7. Abbas Caroliloci, & postmodũ Primas & Archiepiscopus Bituricensis. Et B. Petrus Monachus Bonæ-vallis Vienn. Diœc. & postmodũ Abbas in ordine, & deinde Archiepiscopus Tarentasiensis; & multi alij sancti in diuersis eiusdem Ordinis Cister. Abbatijs, pro quibus Deus fecit & facit multa & magna miracula, & quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. B. Edmũdus in Abbatia Pontini. & B. Malachias in Abbatia Claræ-vallis, propter deuotionem Ordinis, elegerunt Ecclesiasticam sepulturam; quia in dictis Abbatijs longo tempore in vita sua fuerant conuersati. In Ordine etiam B. August. sub cuius regula multi militãt mendicantes & non mendicantes, sicut Prædicatores, Præmonstratenses & Canonici Regulares, sunt & fuerunt multi sancti, sicut ipsemet B. Augustinus; apud Prædicatores B. Dominicus, & B. Petrus martyr; & in Ordine minorum B. Frãciscus patronus eorum, & B. Antonius. Vnde patet, quod illæ duæ rationes sumptæ de factis Templariorum, magis videtur procedere ex animo detrahendi, quàm ex zelo veritatem dicendi, seu mores hominum reformandi. Quare &c.

Bernard. 2. de consider.

Seneca

Historia belli terra sancta.

1. & 2. Mac.

Sancti aliqui Ordinũ Religiosorũ.

Vicesima tertia innititur malis & inconuenientibus, quæ facit exẽptio in Canonicis sæcularibus exemptis. Et hæc probãtur ex tribus, prout ad tria possunt specialiter cõparari. Possunt enim comparari ad Prælatos, à quibus se exemtos dicunt, 2. ad suos conciues & socios, 3. ad personas illis conjunctas. Sed in his omnibus malè se habẽt, ratione & occasione exemptionũ, quibus gaudent: vt probatur per singula discurrendo, ergo &c. Minor probatur 1. vt comparantur ad Prælatos; quia dedignantur Prælatos vocare superiores suos, sed se æquiparant Prælatis, vocãtes eos pares & vicinos: & quod grauius est, aliqui eorum reputant se Prælatis superiores, asserentes se posse excõmunicare ipsos: & dicunt se habere iurisdictionem in domibus Prælatorum, citantes & monẽtes familiares eorum: & quod peius est, insurgunt armati contra Prælatos: quæ omnia ab exemptione sumere originẽ, nullus sanæ mentis potest dubitare. Nec valet, si dicatur, quod capitulum eligit, siue facit Prælatum, & per consequens est prius & superius & præstantius Prælato, sicut est causa prẹstantior suo effectu; quia sic se habet capitulũ ad Prælatum, sicut calor, qui est accidens, ad formam substantialem ignis. Calor enim imperfectus in generatione ignis præcedit formam substantialem ignis, & se habet in huius generatione in ratione organi & instrumenti: sed ignis perfectus præcedit calorem perfectum; quia materia cum forma est causa omnium accidentũ, quæ fiunt in ea, vt dicitur in fine 1. Physicorum. Sic Capitulum imperfectum præcedit Prælatũ perfectum via generationis: & se habet in eligendo in ratione organi & instrumenti: inquantum eligit in virtute Prælati superioris, ad quem pertinet confirmatio electi. Sed Prælatus perfectus & confirmatus præcedit perfectum capitulum. Capitulum enim imperfectum est, donec habeat caput confirmatum; & cùm accidens non agat nisi in virtute substantiæ, vt imperfectum nisi in virtute perfecti, sequitur quod Capitulũ agere non possit nisi in virtute Prælati. Capitulũ enim dicens se exemptũ à Prælato, dicit se imperfectũ: & per consequens dicit se non posse agere, nisi in virtute ipsius: & sic negando loquelam ponit loquelã. Secundo declaratur hoc idem, prout comparantur ad consocios & conciues suos, tam clericos quã laicos. Nam incedunt armati, mouent rixas, vadunt errabundi de nocte, inuadũt clericos & laicos, & vulnerant eos. Et sicut alia non timent longinquum: sic isti summũ Pont. distantem non timent. Item Archidiaconi & alij, qui recipiunt à Prælatis dignitates: propter quas faciunt eis homagia, & promittũt se eis esse subditos, non obediũt Prælatis, nec metuunt eorũ sentẽtias, nec etiam sentẽtias canonũ formidãt. Item etiã in transitu & sine deliberatione debita cognoscũt de causis arduis; & matrimonia legitima, & per consequens rata, quia inter fideles, separant, nõ solum quoad thorum, sed etiã quãtum ad vinculum: separando, quos Deus conjũ-

Ratio 23. aduersarij.

1. Corin. 7. xit cōtra Euangeliū, & Apostolum 1. ad Cor. 7. *His qui matrimonio iuncti sunt, pracipio nō ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Item in sententiā canonis incidentes, vna & eadem die visitāt plures Ecclesias, & à qualibet illarum totam & integram procurationem recipiunt in pecunia numerata: quòd non licet Episcopis, nisi de Domini Papæ indulgentia speciali. Tertio declaratur hoc idem, vt cōparātur ad personas cōjunctas, tam laicos quam laicos, & ad vxores, sorores, filias, neptes, & alias personas eis conjunctas. Nam propter exemptionem nō timentes Prælatos, discurrunt noctiuagi de nocte per villam, portantes arma & vulnerātes eos, qui volūt suis voluptatibus obuiare, frāgentes ostia, & mulieres ibi existentes vi opprimētes, vel violenter inde educētes, & alia enormia facientes; quibus omnibus exemptio tribuit incentivum; quia carentes capistro & freno correctionis, inde faciunt materiam & audaciā delinquēdi. Ex quo sequitur, quod exēptio sit tollenda ab ipsis; præsertim cum in eis non appareat vtilitas studij, quo fides saluberrima defenditur & roboratur: sed magis student ad rixas & litigia, & placitorū, & multorum malorū multiplicationem. Quare &c.

Responsio ad prædicta rationem. Ad istam rationem dicendum, quod exēptio minus habet de cōgruitate & cōueniētia in Canonicis Ecclesiarū cathedralium, quam in personis religiosis, & in locis, & in Abbatijs eorumdē. Primò quidem, quia major est cōformitas, quātum ad victum, & quantum ad diuinum seruitium, & quantum ad modum habendi in proprio, & in communi, inter Episcopum & Canonicos propriæ Ecclesiæ cathedralis, quam inter Episcopum & Religiosos; qui differunt ab ipso Episcopo in victu & vestitu, & qui nihil habent in proprio, nec habere debent; & habent aliud seruitium in multis, & alias obseruantias regulares. Secundò, quia Episcopus magis immediatè se habet in ratione capitis immediatis respectu Canonicorum suæ Ecclesiæ cathedralis, quam respectu ipsorum religiosorum: & dicitur propriè sponsus immediat⁹ illius Ecclesiæ cathedralis, & ab ipsis Canonicis immediatè eligitur. Nec Decanus Ecclesiæ cathedralis ita potest habere nomen capitis & sponsi, respectu Canonicorum ipsius Ecclesiæ, sicut Abbas respectu suorum monachorum; nec ita perfectè astringuntur Canonici ad obediendum Decano, sicut monachi adstringuntur ad obediendū Abbati: nec habet tantam vim castigatiuam & punitiuam respectu canonicorum, sicut Abbas respectu monachorum. Tertiò quia Abbatiæ vnius Diœc. non sic intimè faciunt vnum corpus cum Episcopo, sicut Collegiū Cathedrale cum proprio Episcopo: & ideo magis cōgruè possunt per viam exemptionis ab invicē separari. 4. Quia si Abbas excedat, vel sit impotens & deficiens in correctionibus monachorum, adhuc potest apponi remediū, vel per patrem Abbatem, vel per Capitula generalia, quantum ad illos cōmunes Ordines: vel saltē per Capitula prouincialia, quātum ad alias particulares Abbatias: ita quòd ob defectum correctionis nō oportet semper adire Romanam Curiā, sicut superius fuit dictum. Licet autem exemptio nō tantum deceat Capitula Cathedralia, sicut Collegia Religiosorum sicut dictū est, hoc tamen non obstante, adhuc expedit, quòd aliqua Capitula Cathedralia sint exēpta. 1. Propter nobilitatem aliquarum Ecclesiarum Cathedraliū, & ad authoritatem Sedis Apostolicæ perfectiùs declarandā. 2. Quia Canonici tenentur ad residendum in Ecclesia, vt insistant diuino seruitio persoluendo pro viuis & defunctis, propter quòd bona Ecclesijs sunt concessa. 3. vt magis seruentur iura Ecclesiæ, & quantum ad possessionum & iurisdictionum Ecclesię perpetuam conseruationem: & quantum ad præbendarum Ecclesiæ magis discretā & rationabilem distributionem. Nam multi sunt Prælati, qui non curant, nisi quomodo ditentur ipsi temporaliter, & amici eorum; ratione cujus si omnium ad Ecclesiā pertinentiū haberent dominium & jurisdictionum, citò perirent iura Ecclesiæ; pręsertim cum totum capitulum, vbi sunt multi oculi, & multæ valentes personæ, plura videant: quod etiā magis est stabile, quam sit Episcopus: quia Capitulum non moritur, nec transfertur, sicut Episcopus: & plures oculi plus vident quam vnus: & quod à pluribus quæritur, etiam tamen sint sapientes, faciliùs & efficaciùs inuenitur. Item etiam in concessione præbendarum Ecclesiæ multi Episcopi non attendunt ad merita personarum, in ordine ad bonum Ecclesiæ; nec in ordine ad finem principaliter intentum à Christo; sc. ad consecutionē beatitudinis æternæ; ob quæ omnia expedit, vt talibus Ecclesijs solēnibus Cathedralibus, ne pereant Ecclesiarū iura, & promoueantur digni, exemptiones & libertates à sede Apostolica concedantur: præsertim cum multi Episcopi plus intendant ad promotionem sui sanguinis, vel ad satisfaciendum suæ auaritiæ, quę ad honorem Christi & Ecclesiæ, vel quam ad bonum animarum. Ex quibus dictis sequitur satis validū argumentum. Quia si Cathedralia capitula, de quibus minus videtur, vt dictum est, expedit eximi: qui cum Episcopis minus conueniunt, & per ipsos possunt de facto in suis obseruantijs regularibus multipliciùs impediri, hos eximi magis conuenit. *Expedit etiam Capitula Cathedralia eximi.*

Minus expedit Canonicos eximi, quàm Religiosos.

Responsio ad crimina Canonicis objecta. His ergo prælibatis, ad illa quæ contra canonicos sæculares & cathedrales exemptos proponit, est per ordinē respondendum. Et 1. cum nullus malus debeat ab aliquo sanæ mentis in sua malitia sustiueri; dico, quod non est honestū, nec decens, nec consonum rationi, quòd aliquis Canonicus, seu quicūq; de ecclesia Cathedrali velit se simpliciter parificare Episcopo, quantū ad dignitatē & authoritatem grad⁹ vel ordinis: vel quod possit authoritate propria cōtra ipsum excōmunicationis sententiā fulminarè. In casu tamen ad iurisdictionem Ecclesiæ pertinente, ne pereant jura Ecclesiæ, potest suæ ordinatè insistere doti; & debet cultori Ecclesiæ libertati, cuius tam ipse quàm Episcop⁹ membra sunt: licet Episcopo ratio capitis, quod est mebrum nobili⁹, debeatur: & inter membra corporis caput debeat cōputari. Quòd autem dicit, quòd incedūt armati, & c. ista non approbo, nisi in casu necessitatis, quæ rarissimè accidit. Ad id, quod vlteriùs addit, quòd exēptio est in causa, non sequitur, sed peruersitas voluntatis: quia aliqui nobiles Canonici nō exempti facere talia nullaten⁹ formidarent, nisi suis cōscientiis præcauerent. Ad id quod dicitur, quòd Capitulū se habet ad Episcopum, sicut accidēs & organum, & sicut calor impe fectus ad introductionem formæ substantialis, dicendum quòd non est verum. 1. Quia accidens imperfectum præcedens

formã substantialem in materia, non remanet idẽ numero post introductionem formæ substantialis, sed omnia accidentia præcedentia corrumpũtur ad introductionem formæ substantialis, & introducuntur nova, secundùm exigentiam & naturã illius formæ. Aliter n. forma substantialis nõ perficeret immediatè ppriam potentiã materiæ, nec daret actum primum, quod est inconveniens. Sed Capitulum idem nũo remanet, ante electionem & post, & ante confirmationem Episcopi, & post: quare non fuit simile. Item non agunt exẽpti in virtute sui Diœcesani, sed magis in virtute sũmi pontificis: quæ virtus est maior & solidior, q̃ ppria diœcesani: quare ratio non valet, Quod itẽ dicitur, quòd Canonici exempti non vacant studio, dicendum per interemptionem: imò multi sunt vacãtes studio Theologicæ veritatis, & etiã scientiæ Iuris Canonici. Vnde & in Ecclesia nostræ D'næ parisiensis vidi simul in actu, (& adhuc sunt,) plures Doctores & Baccalarios in Theologia, & in scientia Iuris Canonici: & in multis ecclesiis cathedralibus multi sunt canonici in vtroque Iure, & in Theologia, quæ est omnium sciẽtiarum domina & magistra, magis excellenter literati, quàm sint proprij Episcopi illorum locorũ, vel prælati. Quantum ad 2. principale, prout scõparantur ad socios suos, & concives, vel subditos: quòd videlicet incedunt armati, & vulnerãt, argumentum indiget probatione, & quicumque talia faciunt, malè agunt: & licet non habeant papam præsentem, semper tamen habẽt Decanum, & Capitulum, cuius correctioni subduntur. Possent etiam esse tanti generis, & tantæ præsumptionis & audaciæ, quòd dato, q̃ exẽpti non essent, Episcopus nõ auderet man' ponere super eos. Itẽ si aliqui pauci sunt mali in vno Capitulo, cùm alij plures sint boni, nõ debent boni, propter aliquorum paucorum malitiam, suas perdere libertates. Ad illud, quod Archidiaconi non timent incidere in sententiam canonis, dico, quòd hoc est malũ si verum est: sed ex hoc sequitur, quòd multò minùs timerent sententiam Episcopi: & ideo revocatio exemptionis nihil proficeret, quãtum ad illos. Quod item additur, quòd separant matrimonia rata & legitima, dico, quòd hoc facere erroneum est in moribus & in fide: quia contra veritatem sacræ Scripturæ, & ordinationem Episcopi: & in hoc non sunt exempti, sed Episcopis subduntur: propter quod si non corripiuntur à tantis erroribus & excessibus, est negligentia prælatorum. Quod additur, quod vna die de pluribus Ecclesijs recipiunt integras procurationes pecunia numeratã, dico, quod hoc malum est, & turpis quæst', repugnans Iuri Canonico & Diuino: & vtinã Episcopi, quorũ procurationes sunt lõgè plus sumptuosæ, similia & grauiora facere nullatenus attẽtarent. Ad tertiũ principale, vt comparantur ad personas coniunctas, quòd discurrunt noctivagi, & armati, frangentes ostia, alios vulnerantes, & mulieres vi opprimentes & educentes, dico, quòd talia sunt tam gravia, si sint vera, q̃ non possunt aliqua ratione æquanimiter tolerari: nec supponendũ est, quòd Decanus & Capitulum alicuius exemptæ Ecclesiæ talia publicè facta trãsire permitterent impunita: nec exemptio est in causa talium excessuũ, sed perversitas voluntatis. Dato etiam, quòd aliqui pauci hæc facerẽt, non tamen ppter hoc debet vna tota cõmunitas diffamari, nec suis libertatibus priuari: quia per aliam viam potest remediũ adhiberi: nec debet culpa vni' in totam multitudinẽ redundare: præsertim cùm à nulla determinata persona exempti Capituli dependeant originaliter huiusmodi libertates, sed in favorem totius collegij sint cõcessæ. Item si homo iste consideraret, qualiter sui, tam de propria familia, quàm de parentela, se habuerunt in Bituricensi ciuitate & diœcesi, in primordio suæ promotionis, forsitan haberet minorem occasionem aliis detrahendi. Nam sicut fama cõmunis fert, in suæ promotionis exordio sui rapiebant per violentiã mulieres. filias burgẽsium & vxores: & cũ querimonia deferebatur ad ipsum, respondebat, quòd sui non erant Angeli, sed homines: ac si diceret, quod indifferenter liceret homini cũ mulieribus carnaliter cõmisceri: & ob hanc causam ciuitate cum confusionẽ exiuit: & longo tẽpore ausus non fuit in illis partibus remanere. Vnde si suos proprios tam malè corrigebat, non est præsumendũ, quòd meliùs corrigeret Canonicos nõ exemptos: & quia turpe est Doctori, cùm culpa redarguit ipsum, priùs deberet amoveret trabẽ de oculo proprio: postea, iuxta Christi sentẽtiã, festucã de fratris sui decentiùs & ordinati' amoueret.

Decanus canonicorum exemptorũ superior.

Vitia familiarium aduersarij.

Matth. 7. Luc. 6.

24. Ratio innititur iis malis, quæ in Religiosis diuitibus & exemptione contingunt. In tribus n. vt dicit, principaliter delinquũt. 1. Quantũ ad illa quæ suã Religionem respiciunt, portantes inordinatum habitum: & quandoque, ne cognoscantur, se transferentes ad habitum sæcularẽ: ferentes falcones & alias aues venaticas: portãtes gladios & arma bellica, alios vulnerantes: quod simplicitati & perfectioni Regulari repugnat: cùm in Religione sit detestabile, non solùm non refrænare linguam, iuxta illud Iacobi, *Si quis putat, se religiosum esse, non refrænans linguã, huius vana est religio*: sed delinquunt quantũ ad sacramenta Ecclesiastica, & quantum ad statuta Ecclesiæ, matrimonia clandestina celebrando contra prohibitionẽ Ecclesiæ: licet matrimonium sit magnũ sacramentum, inquãtũ significat coniunctionẽ Christi & Ecclesiæ: iuxta illud ad Ephes. 6. *Sacramentũ hoc magnum est*, sc. matrim. *dico autẽ in Christo & Ecclesia.* Potest autẽ aliis de causis dici sacramentum magnum, sc. vel ratione effectus, quia purgat ab originali & actuali, si inueniat, sicut Baptism', vel ratione continentiæ, sicut sacramentũ Eucharistiæ, in quo Christus realiter continetur, vel ratione ministri, sicut Confirmationis & Ordinis. Item contra ordinationem Ecclesiæ recipiunt excommunicatos & interdictos ad diuina officia, sepeliunt excommunicatos in cœmeteriis benedictis, communicantes mortuis, quibus non licebat communicare viuis: non curantes etiã de reconciliatione cœmeteriorum sic pollutorum. 3. Delinquunt aliis iniuriando, & de facto vidit, vt dicit, vnum interfuisse in fractione portarum hospitij vni' Prælati, vbi plures fuerũt vulnerati, & vnus interfectus. Item per potentiam diuitiarũ opprimunt alios, iura aliorũ vsurpantes, vagabundi de nocte, vi mulieres opprimẽtes, implentes illud vaticinium Iere. 24. *Video ficus bonas, bonas valde: & malas, malas valde.* Per bonas ficus, boni Religiosi, per malas, mali congruè designãtur. Itẽ non dant se studio, quia si amarent sacrarum scientiã literarũ, carnis vitia non amarent, secundũ Hieron. Propter quod summus Pontifex talibus non debet exemptiones concedere: sed datas revocare. Addit & vlteriùs per modum corollarij, quòd sicut Deus potest creaturã eximere à causa secunda, in ordine naturali, ita vt remaneat ordo ad Deũ,

Iac. 1.

Ephes. 6.

Ierem. 24.

ad Deū, non remanente ordine ad creaturā, quod fieret, si Deus calefaceret aliquid sine igne: vel si existentem in igne nō permitteret calefieri, sicut fuit in camino trium puerorum: sic etiam in moralibus existētib' de iure naturali, potest Deus tollere, & suspēdere ordinem ad proximū, remanēte ordine ad Deū: sicut præcepit Abrahæ, vt interficeret filium suum innocentē; & Hebræis, vt acciperent de Ægyptiis vasa aurea & argētea, quæ secum detulerunt: & Oseæ, vt acciperet vxorē fornicariam, & faceret filios fornicationis: quæ omnia, cùm sint contra ius naturale, non possunt fieri sine peccato mortali, nisi sublato ordine ad proximum: quo sublato remanente tamen ordine ad Deum, potest De' præcipere, vt talia sine peccato fiant, quia ratio peccati est, inquantū deordinatur à Deo: Deus tamen talia facit raro, & pro euidenti vtilitate fidei: sic summus Pont. qui licet nil possit facere contra ius naturale, quia talia suæ potestati non subduntur, potest tamen facere cōtra ea, quæ sunt de iure positiuo, cuiusmodi est exemptio: si velit eā facere, quia potest, debet raro eā facere, & pro magna & euidenti vtilitate Ecclesiæ. Vnde, quòd vnam magnā Religionem, in nullo, vel modica ex parte, deditam studio, faciat exēptam, ex qua exemptione tot mala oriuntur, non decet, nec expedit, vt credit: cùm, secundùm Apostolum, non omnia quæ licent, expediant.

Daniel. 3.
Genes. 22.
Exod. 3.
Oseæ 1.

Responsio ad 23. & 25 ration. adversarij. Ad istam rationem, sicut ad præcedentem, breviter est dicendum, quòd religiosi diuites dici nō debent, cùm votum emiserint paupertatis, licet diuitias & possessiones habeant in communi: nec tales diuitiæ sint ab eis habitæ & possessæ: nec etiam exemptiones eorum, per se loquendo, sunt alicui causa culpæ vel lapsus: sed inordinata volūtas malè vtentis. Quòd autē aliqui Religiosi deferant habitum inordinatum & dissolutum, reprehensione dignum est: cùm omnia, quantū ad exteriorem & interiorem conuersationem, honestè & secundùm ordinem fieri debeāt apud eos, & debeat lux eorum lucere coram homini. vt videant op. eorum bona, & glo. Pat. eor. qui in cælis est. Vnde si portarent aliqui habitum dissolutum in Ordine Cister. si deueniret ad Superiorū notitiā, grauiter punirentur: & idem fieret in Cluniacensi, Præmonst. & in aliis exemptis Abbatiis. Nam in Cluniaco, & in Maiori monasterio, & in Abbatia S. Dionysij deferunt habitum per omnia regularem, humilitatem & austeritatē pœnitentiæ præferentem. Si autem in aliquib' locis particularibus exemptis, vel in aliquibus particularibus personis inueniatur oppositū de facto, non debet in alios omnes redundare: præsertim cùm talia, & multomagis grauiores excessus, in deferendo arma, & in vulnerationibus, puniretur: si ea ad superiorum notitiam contingeret deuenire. Nec est magnum mirabile, si inter tot homines vnius magnæ Religionis vbique terrarum diffusæ, inueniantur aliqui à Regularibus obseruantiis deuiare: cùm inter Apostolos Domini, qui tamen non erant nisi 12. vnus pessim' sit repertus. Item exēptio non debet dici causa talium dissolutionum & excessuū: cùm plures non exempti inueniātur in his culpabiles, magis quā exēpti. Nec miru, cùm Prælati Episcopi, vt in pluribus, in suis visitationibus plus intendant temporalem quæstum, quàm morum reformationem, vel salutem animarum. Nam aliqui eorū in suis visitationibus & procurationib' excessiuis plerūque calices & ornamenta Ecclesiæ secum deferunt, morum reformationem quasi totaliter negligentes: cùm tamen deberent loca, quæ ad eorum procurationē non sufficerent, propriis sumptibus visitare: vt habetur 10. q. 3. c. *Cauendum.* Nec possunt, vt in pluribus, habere tantum zelū in reformatione & promotione morum, quantum ad obseruantias regulares, sicut Prælati propriæ Religionis & professionis. Videm' etiā, quòd in exemptis Ordinibus, maximè cōmunibus, sicut Cister. Cluniac. &c. longè melius & rigidiùs fiunt correctiones, quàm in Ordinib' non exemptis: & vtinam Prælati non excederent in avibus & canib' venaticis, & in equitaturis, & in aliis vanitatibus hui' mūdi. Ad illud, quod principaliter secundò additur, quòd delinquunt, quantū ad Ecclesiæ Sacramenta, &c. dico, quòd qui talia agunt, malè faciunt, & si sciretur, quantùm ad exemptos, grauiter puniretur. Caueant tamen Episcopi, ne talia quandoq; perpetrēt etiam non exempti, & presbyteri seculares. Non est etiam supponendum, quòd aliquem excōmunicatū sepeliāt in suis cœmeteriis, nisi pri' à proprio Sacerdote sacramentaliter absolutum, & ab ordinario, vel per statutū Iuris super hoc expressè editum, vel per priuilegium speciale: supponendo semper, quòd sit in forma Ecclesiæ sacramentaliter absolutus, ac promiserit stare iuri & ordinationi Ecclesiæ, Extra. *De sepul.* in fin. Cui n. cōmunicatur viuo, per sacramentorum Ecclesiæ exhibitionem, potest cōmunicari mortuo per debitum ecclesiasticæ sepulturæ. Quod tertiò obiuntur aliis iniuriari, &c. si ita fieret, ille monach' esset grauiter puniendus, & carceri mancipandus. Hoc n. factum est particulare. Et si vellem vs vnū factum per affectum contrarium referre, possemus isti Prælato, qui talia scribit, improperando dicere illud, *Medice, cura teipsum.* Accidit namq; in Diœcesi Bituric. cùm ad quamdam Abbatiam Cisterciensis Ordinis, quæ Locusregius nominatur, ipsemet declinasset, vbi nec procurationē habet de iure, nec de consuetudine, nec authoritatē habet visitandi, cùm Ordo Cister. per priuilegia Apostolica à talibus sit immunis: non fuit contētus cibis regularib', quos illi de prædicta Abbatia soliti erant liberaliter ministrare: sed volens ibidem comedere carnes, contra voluntatē Religiosorum dicti loci, & contra mandatum ac priuilegium Sedis Apostolicæ, sui proprij famuli violēter ibidem duos porcos rapuerūt & mactauerūt: Prioremq. dicti loci contradicentem ac resistentem taliter tractauerunt, & inhumaniter verberarunt, quod ex illa læsione vnum amisit oculum infra breue temporis interuallum. Non est supponendum, quod Religiosi, qui habent abundāter diuitias in cōmuni, velint in damnationem animarum suarum ad se trahere per violentiam alienum. Specialiter cùm homines, vt in pluribus, non ita pro bonis temporalibus cōmunibus, sicut pro proprijs consueuerint, anxiari. Quod autem dicit vlterius, q debet raro eximere, sicut Deus raro facit miracula, vel raro eximit res naturales à suo ordine naturali, solutum fuit superius: quia non eādem necessitatem ordinis & inclinationis, habent Prælati medij ad inferiores suæ Diœc. sicut habent res naturales ad suas operationes proprias exercendas. Itē priuilegium vel exēptio, cū sit quædam lex priuata, est quædam species iuris positiui, & per cōsequēs non habet rationē miraculi, vt superiùs dicebatur. Quòd etiā dicit, quòd non debet, nisi rarò, cùm debere sit verbum necessitatis, vt habetur ff. *De verbor signific.* L. *Pecun.*

Matth. 5.
Prælati Religiosi aptiores sunt Episcopis ad regenda cœnobia.
Luc. 4.
Priuilegium est species iuris positiui.

sequitur quod potestate summi Pontif. quantum in se est, raritate debilitet, & necessitate laceret: & supponendum est, quod si auderet, huius potestatem expressius limitaret. Quod autem dicitur, quod diuites Religiosi in modico vel in nullo sūt dediti studio, dicendum per interemptionē: quia in claustris suis habent determinatū spatium ad studendū. Vnde reseruato modico tempore pro corporis necessitate & victu, totum residuum temporis expendūt in diuino seruitio, vel in oratione, vel in lectione. Item etiam multi habētes diuitias in communi, habent solemnia studia, & Magistros & baccalarios in Theol. facultate, sicut Cisterc. & alij plures, vt priùs fuit dictū. Diuitiæ etiā de se nō præstant impedimētum ad studendum, sed requirūtur ad habendum libros, & ad necessitati corporis prouidendum, iuxta illud 10. Ethic. *Ad bene contemplandum, oportet sanum corpus existere, & coassistere corpori necessaria, & reliquum famulatum.* Et contra ibid. *Turbatum ab ægritudine, & egentem, non est facile contemplationi insistere.* Item exēptio non datur solum propter studium, sed principaliter datur ad quietius & deuotius vacandum diuino seruitio: & in hoc etiam attenditur euidens & communis honor & vtilitas Ecclesiæ: & per hoc Deus honoratur, & diuinus cultus ampliatur. & à Deo multa spiritualia & temporalia beneficia impetrantur. Nam vt habetur Iac. vltimo. *Multum valet deprecatio iusti assidua.* Ex quibus patet, quod ratio non valet, nec probat intentum.

Ari. Eth. 10.

Iac. 5.

Ratio 25. aduersarij.

Vicesima quinta ratio plures implicans, innititur significato nominis ipsius exemptionis. Et est prima ratio talis, nam hoc significat exēptio, quod aliquis eximitur à suo ordinario. Sed non potest quis eximi à suo ordinario, nisi eximatur à suo ordine Ecclesiastico, quem debet habere in Ecclesia. Esse autem extra debitum ordinē Ecclesiasticū est malū. Ergo &c. Secunda ratio talis est. Nā illud est malum, quod est inhonestū, & per quod tollitur status honoris Episcoporum & Pont. sed hoc fit per exemptionem, Ergo &c. Mai. patet per Apostolum 1. ad Cor. 14. *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.* Hoc autē est honestum, in quo seruatur honoris status. Minor probatur: quia in hoc conseruatur status honoris Episcoporum & Pontif. quod sunt supra alios, in ijs quæ sunt ad Deum, vt dicitur ad Hebr. 5. Debent enim esse medij inter summum Pōtificē, & alios homines, in ijs quæ sunt ad Deum, & in spiritualibus. Sed superioritas & mediatio per exēptionē tollitur, vt de se patet. Ergo &c. 3. ratio sumitur ex hoc, quod per exemptionem tollitur debitus ordo, idest debita ordinatio, quantum ad subditos: & ista confirmat 1. rationem. Nam debitus ordo hoc requirit, quod inferiora reducantur in superiora per media. Et hoc est, quod ait Dion. de Diu. nominibus. *Ipsa est, inquit, diuina scientia, quæ est omnium effectiua & semper omnia concordans, & semper est causa indissolubilis omnium concordationis & ordinis. Semper fines priorum coniungit primis secundorum; & hoc modo dispositionem & harmoniā omnium pulchrè operatur.* In hoc ergo stat harmonia & consonatia totius vniuersi, quod fines primorum siue principiorum debēt coniungi primis secundorum. Priora autem sunt summa, 2. autē sunt media, 3. sunt inferiora. Similiter in Ecclesiastico principatu summus Pont. est omnino Prior, Episcopi sunt medij, alij autem tertij. Infima ergo Pontificis debent coniungi primis & supremis aliorum Prælatorum, vt de ipso verificetur spiritualiter, quod de ipso Christo dicitur ad literam. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Infima etiam aliorum Prælatorum debent attingere suprema aliorum inferiorum. Sed iste vniuersalis ordo per exemptionem tollitur & confunditur, ergo &c. Si autem obijciatur per illa, quæ prius dixerat, quod Capitulum imperfectū in eligendo præcedit Prælatum imperfectū: Prælatus autem impefect⁹ dicitur, donec per superiorem confirmetur, Sed Papa electus numquam ab alio confirmatur, & ita sequitur, quod semper remaneat imperfectus, & per consequens collegium Cardinalium ipsum eligentium. Ergo &c. Ad quod respondet bene, dilatando tamen se ad multa, quæ nil faciunt ad exemptionis materiam: quod scilicet electio summi Pont. est exceptæ actionis. Cum enim Papa ex ipsa sua sola electione, quantum ad regimen Ecclesiæ, accipiat omnē formalitatem, omnem dignitatem, omnem superioritatem & apicem, quantum ad illa quæ iurisdictionis sunt, & in ipsa sua electione sibi detur tantū de formalitate, dignitate, & iurisdictione, quantum potest habere, eo quod ipse sit summ. inter alios homines hic viuentes, quantum ad illa quæ iurisdictionis sunt, non indiget alio homine ipsum confirmāte vel stabiliente: nec in ipsum, quantum ad illa quæ iurisdictionis sunt influente, cum superiorem in terris non habeat: superiora enim influunt in inferiora, & ipsa stabiliunt & cōfirmant, non econtra. Ex quo sequitur, quod sua electio sit sua confirmatio. Hoc enim videmus in ordine corporum in vniuerso, quātum ad cōtinentiam & situm, quod superiora & vniuersalia secundum situm & continentiam influunt in inferiora, & ipsa continent, & ab inferioribus non continentur. Vnde & supremum corpus cœleste influit, & alia inferiora continet, & non ecōuerso iuxta illud 4. Physic. *Terra est in aqua, aqua in aere, aer autem igne, ignis in cœlo, cœlum autem non amplius.* Sic etiam Papa alios Prælatos confirmat & continet: ipse autem à nullo alio puro homine confirmatur. Similiter in naturalibus videmus, quod quantum generans dat generato vel passo de forma, tantum dat sibi de loco, & per cōsequens de præsidentia & influentia. Papa autem cùm ex vi suæ electionis accipiat summū de formalitate & influentia & præsidentia: quantum ad alia quæ iurisdictionis sunt in Ecclesiastico principatu, non indiget homine confirmante, sed ipsa sua electio est sua confirmatio. Intelligēdum tamen est, vt dicit, quod licet per electionē accipiat apicem, quantum ad ea quæ sunt iurisdictionis, non tamen quantum ad ea quæ sunt ordinis: quia si eligeretur non Sacerdos, oporteret quod ordinaretur in Sacerdotem, ad hoc quod posset conficere corpus Christi. Similiter si eligeretur non Episcopus, oporteret quod fieret & Episcopus, ad hoc quod posset confirmare vel facere alios Sacerdotes: & quod sit magnus Sacerdos, quantum ad illa, quæ sunt ordinis. Sic etiam ex ipsa electione non sequitur, quin inquantum peccator, possit esse alij subditus, & ab alio beneficiū absolutionis sacramētalis recipere, quia seipsum absoluere non potest. Cùm enim non sit homo qui non peccet, nullus ab illa sententia est exemptus. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Necessariū est enim propositum confitendi, & etiam ipse actus confessionis, si adsit locus & oportunitas confitendi. Licet autem Papa à puro homine non cō-

1. Cor. 14.

Dionys.

Psal. 8.

Luc. 17.

firmetur; non tamen ppter hoc excluditur operario Dei vel Christi, qui est verus Deus & ver' homo. Ipse enim dicit, *sine me nihil potestis facere.* Imò ꝙ ejus confirmatio habeat esse immediatè à Christo, paret per illud quod dicit Petro Luc. 22. *Ego pro te rogaui Petre,* &c. Ex quibus verbis colligitur, quod Petrus, & quilibet eius successor, cõfirmatur in fide immediatè à Christo, Fides autem est fundamentum in iurisdictione, quæ est ædificium Papæ super ædificatum super fundamentũ fidei. Sed per hoc quod subditur, *Et tu aliq. c. conf. f. t.* datur intelligi, quod ad Petrũ, suosq; successores, pertinet mediatè vel immediatè confirmatio aliorum Prælatorũ. Signanter autem, vt dicit, loquitur hic Christus de fide: quia debet se principaliter intromittere de ijs, quæ sunt fidei. Alia autẽ quandoq; alijs sunt commissa: quia si in Ecclesia Dei esset Archidiaconus, ad eum spectaret custodia & executio temporalium: & si esset in Ecclesia Romana Cancellarius, ad eũ spectaret collatio beneficiorũ, & determinatio vel definitio causarũ & quæstionũ; ita quod Papa nõ intromitteret se, nisi de fide. Itaque electo Papæ immediatè reducitur in Christum; confirmatio autem aliorũ Prælatorum reducitur in Papam, vel immediatè, quantũ ad superiores Prælatos, vel mediatè quãtũ ad inferiores, licet immediate aliquos Episcopos vel Abbates cõfirmet: quãvis vt dicit, hoc nõ possit esse sine aliqua ordinatione; & semper exemptio aliquam inordinationem importat. Et replicando quæ prius fuerant dicta, addit vlterius, quod si Deus, qui potest in naturalibus omnia facere immediatè & æquè bene, non tamen vult, sed dignitatẽ suam vult communicare creaturis, & sic administrat res, vt eas ꝓprios motus agere sinat, vt in principio dicebatur per Augustinũ: sic etiam summus Pont. debet administrare personas Ecclesiasticas, vt eas ꝓprios cursus agere sinat; & cùm executio eorum quæ pertinẽt ad Ecclesiam non possit æquè bene per vnũ fieri hominem singularem, quantumcumq; bonum, sicut fit per plures bonos, sequitur, quod exemptio concedenda non sit, nisi pro magna & evidenti causa. Quod etiam electio summi Pont. quantum ad confirmationem reducatur in Deũ vel in Christum, probatur per illud quod habetur Matt. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus,* &c, Et sequitur; *Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque* &c. quod singulariter & specialiter dictum est Petro, suisque successoribus. Alijs autem dictum est generaliter post resurrectionem Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remis,* &c. Et in signum huius Evangelium quantum ad resurrectiones mysterium, singulariter dicit de Petro juxta illud Matth. 28. *Ite dicite discipulis ejus & Petro.* Et Luc. vlt. duo discipuli euntes in Emmaus, & reddeuntes in Ierusalem, inuenientes vndecim congregatos dicẽtes, *surrexit Dominus verè, & appa. Simoni,* ita ꝙ sicut Petrus primus cõfessus est Christum Dei filium, ita inter omnes alios viros post resurrectionẽ meruit prim' videre Christũ, quæ omnia indicant principatum Petri & successorũ ejus esse exceptæ actionis. Ad istam rationẽ, & alias precedentes, & ad quasdam authoritates sanctorũ respondent quidam, duabus distinctionibus per totum processum principaliter innitentes, 1. distinctio est, quæ suprà specialiter in solutione 1. & 4. rationis fuit tacta, quod duplex est potestas alia ordinis, alia jurisdictionis. 1. duplex, vna sacerdotalis, cujus actus propri' est conficere corpus Christi: alia Episcopalis, cujus actus proprij sunt consecrare, confirmare, & ordinare. Actus autem potestatis jurisdictionis sunt visitare, corrigere, & confirmare. Et iste actus, vt dicunt, est proprius Episcopi, vt Episcopus est, cum sit potestas ordinaria, quæ regulariter & per Episcopatum cõsequitur. Est tamen, vt dicũt, differentia inter istos actus prædictarum potestatũ, quia quantum ad duos 1. actus qui absolute fundantur super potestatem ordinariam, Papa non potest nec debet aliquem Episcopũ arctare, quin sacerdos possit conficere, & Episcopus ordines conferre, & confirmare; sed quantum ad 3. actũ fundatum super potestatem iurisdictionis, Papa potest illum actũ restringere, vel suspendere, vel etiã totaliter tollere: sicut patet, quãdo Episcopatũ diuidit, vel Episcopum ad tempus suspẽdit, vel etiã totaliter deponit. Et per hoc respondent ad prædictam rationem, & ad ea quæ implicantur in ea; quia exemptio vt dicunt, non remouet exemptum totaliter à suo ordinario Episcopo, quantũ ad actus ordinis Episcopalis, penes quos status honoris Episcopalis principaliter attẽdatur: sed solum quantum ad actus iurisdictionis: & quia actus siue executio iurisdictionis dependet ex libera potestate sũmi Pontificis, ideo sine præjudicio cujuscumque, potest ipsum subtrahere vel limitare, prout suæ dispositioni visum fuerit expedire. Sed licet illa distinctio principaliter sit vera, & eandem posuerim in præcedentibus, & per consequens illam negare non debeam, nec velim; in procedendo tamen vlterius, videntur isti licet ꝓcedant subtiliter, quędam dubia implicare. Primum dubiũ est in hoc, ꝙ dicunt, ꝙ actus jurisdictionis, qui sunt visitarem corrigere, &c. sunt ꝓprij Episcopi, vt Episcopus est, tamen iurisdictio est potestas ordinaria, qua singulariter & per se consequitur Episcopum. Nam si hoc haberet veritatẽ, cum per se præsupponat de omni & semper, vt habetur 1. *Posteri.* sequeretur, quod nullus Episcopus, ipso remanente Episcopo, posset priuari, vel suspẽdi, vel deponi à potestate jurisdictionis, nec ab actibus qui ipsam consequũtur, & fundantur super eam: cuius tamen contrarium est verum, sicut ipsi fatentur consequenter. Ex quo sequitur, quod nec potestas iurisdictionis, nec actus fundati super, eã propriè & inseparabiliter aliquẽ Episcopũ consequantur, nec Prælatum alium, nisi solum summum Pont. qui illam habet immediatè à Christo, & inseparabiliter, cum dixit illi, *Pasce oues meas. Et tibi dabo claues regni cælorũ,* qui etiam à Christo ex vi suæ electionis, dato ꝙ non Episcopus eligatur, accipit summũ apicem, & summã præsidentiam, quantũ ad illa, quæ jurisdictionis sunt in Ecclesiastico principatu, sicut superius dicebatur. Vnde illa potestas iurisdictionis ordinaria ita immediatè & inseparabiliter consequitur summum Pontificẽ, eo ipso quod electus est, respectu cujuscumq; Christiani, quod non potest ab ipso remanente in tali statu, nec potest aliquem eximere à seipso, licet si eligeretur sacerdos, vel non Episcopus, esset ordinandus & consecrandus: quia ipsa sui electio non dat sibi illa quæ sunt ordinis, licet det sibi illa quæ sunt jurisdictionis. Ex quo etiã patet, quod nec in summo Pont. ista plenitudo potestatis ordinariæ annectur inseparabiliter & per se or-

Marginalia (left): Ioann. 15. — Luc. 22. — Papa præcipuu munus. — Matth. 16. — Ioann. 20. — Matth. 28. — Luc. 24. — Respons. quorumdam ad ration. 25. adversarij.

Marginalia (right): Potestas duplex scilicet Ordinis & jurisdictionis. — Dubia — Ioann. 21. — Matth. 16

dini Episcopali, cum possit adesse ex vi electionis, antequã in ipsum consecretur, & abesse, causa cessationis vel depositionis in certis casibus; sicut in casu hæresis, Episcopali ordine remanéte. Sed inseparabiliter & per se sequitur statum summi Pont. quæ quidem summa potestas attéditur quantum ad plenitudinem iurisdictionis, quæ sibi competit, inquantũ est vicarius Christi, & successor Petri. Nam quantum ad Episcopalem ordinem, alios Episcopos non excedit. Secundũ dubiũ est in hoc, ꝙ dicunt, quodquantum ad duos primos, actus qui absolutè fundantur super potestatem ordinis, Papa non potest nec debet aliquem sacerdotem vel Episcopũ arctare, quin sacerdos possit conficere, & Episcopus ordines conferre & consecrare: quia licet tam potestas sacerdotalis ordinis quam Episcopalis indebili characteri innitatur, & per consequens illam potestatem summus Pont. auferre non possit, nec etiam aliquod agens creatum, & per consequens facere non possit, quin sacerdos si conficiat, quin confectum sit, & Episcopus si consecret, quin consecratum sit; tamen ex rationabili causa potest tam Episcopum quam sacerdotem suspendere & excommunicare, & eis dictos act⁹ interdicere: quod si contrarium facere attentarent, & mortaliter peccarent, & irregularitatem incurrerent. Et licet ordinati ab excommunicato, suspenso, vel interdicto, schismatico, vel præciso, ordines recipiant, & characterem ordinis, nec sint iterũ reordinandi: si tamen hæc scienter faciant, scientes Episcopum esse talem, & ipsi ab executione suorum ordinum sunt suspensi. Tertium dubium est in hoc, quod exemptio non remouet exemptũ à suo ordinario Episcopo, quantum ad illa quæ sunt ordinis; istud enim non est verum, quantum ad multos exemptos, qui possunt adire quoscumque Episcopos, sicut eis placet, pro recipiẽdis ordinibus, nec ꝑmitterent ꝓprios diœcesanos in suis monasterijs ordines celebrare; nec ꝑmitterent se vel suos ordinari ab illo, sc. ꝓprio diœcesano, ne aliquam iurisdictioné ꝓpter hoc vellet sup eos vsurpare: priuilegiati tamen non debent adire alium, nisi eis indebitè denegetur, sicut superi⁹ pluries fuit dictum. Quod ergo dicitur 1. in pertractando distinctionem prædictã, ꝙ potestas iurisdictionis & actus ad eã pertinentes, consequuntur ꝑ se ꝓpriè Episcopum, vt Episcopus est, non est verũ; 1. quia potestas jurisdictionis quãdoq; præcedit Episcopalé consecrationé: sicut in electo & cõfirmato, antequã in Episcopũ ordinetur, & consecretur. 2. quia potest remanere Episcopalis dignitas, quantum ad id quod ordinis est, cessante vel remota potestate jurisdictionis, sicut in Episcopo renunciãte, vel deposito, vt dictũ est supra. Verum est tamen, ꝙ Episcopum, vt ordinarius est, & vt ad certum titulum electus vel assumpt⁹ & ordinatus, concomitatur regulariter iurisdictionis potestas, & hoc de iure positiuo, inquãtum in potestaté solicitudinis secundũ ordinationé Ecclesiæ à Christi vicario sunt vocati. Hujusmodi enim potestas ordinaria, quantũ ad jurisdictionem determinatæ diœc. in Prælatis quibuscumq; citra summũ Pont. est de iure positiuo, & ordinatione Ecclesiæ: & ideo non solum de facto, sed etiam de iure potest recipere magis & minus, restringi vel dilatari ꝑ vnioné vel diuisioné diœc. vel Episcopatuũ: & etiam quantũ ad restitutioné casuũ & actionum respectu earumdem personarũ, vt quod aliquæ personæ non sint exemptæ, quantum ad illa quæ sunt fidei: sint tamen exemptæ, quantum ad illa, quæ pertinent ad jurisdictionem, prout Christi vicario ex causa rationabili visum fuerit expedire. Sed potestas ordinaria summi Pont. quantum ad ea quæ jurisdictionis sunt, non potest recipere magis & minus, nec restringi per subtractionem aliquarũ personarum, quamdiu sunt in hac vita, vel aliquorũ casuum de jure; quia illam potestaté habet à Christo immediatè & generaliter super omnem humanam creaturam; licet de facto restringatur vel dilatetur secundum obedientiam vel rebellionem & inobedientiam, & etiam infidelitatem aliquorũ. Hoc tamen est ad condénationem eorum, qui eius potestati ordinariæ & jurisdictioni à Christo immediatè fundatæ & sibi collatæ resistunt. Licet etiam restringatur vel dilatetur extensiuè de facto: secundum quod aliqui moriendo vel nascendo incipiunt vel desinunt esse viatores. Sed quãdiu homines vtriusque sexus sunt in statu viatoris, subsunt de jure diuino iurisdictioni summi Pont. Quamvis enim sint multi infideles & schismatici, tenentur tamen venire ad fidem Catholicam, & ad vnitatem Ecclesiæ, extra quam non est salus: quia *qui non credit, jam judicatus est*, vt dixit Saluator in Ioanne: & *sine fide impossibile est placere Deo*, vt dicitur ad Hebr. Secundum hoc igitur quod crescit vel decrescit Ecclesia, per conuersionem infidelium ad fidem, vel per auersionem aliorum à fide, vt prius dicebatur, secundũ hoc potestas Papæ dicitur de facto crescere extensiuè, licet de jure ad omnes generaliter se extẽdat. Hoc est ergo regulare, quod potestas jurisdictionis non de necessitate consequitur ordinem Episcopalem: potest enim Episcopus cedere potestati jurisdictionis, vel deponi, & etiam summus Pont. per cessionem vel depositioné in certis casibus; sicut in casu hæresis, ordine tamen Episcopali indelebiliter permanente. Sed in hoc est dissimile, quia remanẽte Papa in statu summi Pont. de jure non potest aliqua persona humana in hac vita, nec aliquis casus subterfugere suam jurisdictionem, nec suam ordinariam potestatem; quia summa & vniuersalis potestas ordinaria sibi de iure diuino, & authoritate Christi, sibi dignoscitur convenire. Sed secus est de alijs Prælatis Episcopis, quibus potestas iurisdictionis & ordinaria convenit de jure positiuo, vt dictũ est suprà, & quia summus Pont. potest super illa, quæ sunt de jure positiuo, & de ordinatione Ecclesiæ, ideo potest Episcopatus limitare & transferre, jurisdictiones Episcoporum arctare vel dilatare; prout vtilitati Ecclesiæ viderit expedire. Intelligendum tamen est vlterius, quod licet Papa possit suspédere vel restringere actus vtriusque potestatis, scilicet ordinis & iurisdictionis, differenter tamen; quia quantumcumq; suspendat Sacerdotem vel Episcopum ab executione sui officij, si tamen Sacerdos suspensus celebret & conficiat, confectum est; & si Episcopus ordinet, ordinatũ est; quia tales actus innituntur indebili potestati quæ est à Deo immediatè, vt superiùs dicebatur: peccat contra ordinationem, inhibitionem, & sententiam summi Pont. veniendo. Sed potest tollere vel suspendere actus pertinentes ad potestatem jurisdictionis: quia si oppositum attentetur, statuendo, excommunicando, vel suspendendo, aut visitando, &c. nihil reputatur esse

Papa quoad Episcopalé Ordinem alios non excedit.

Iurisdictio Episcoporũ est de jure positiuo.

Iurisdictio Papæ nõ suscipit magis & minus.

Ioann. 3.
Hebr. 11.

Nulla persona eximitur à iurisdictione Pontificis.

factum, nec habere aliquā roboris firmitatem, cum tales actus nulli indelebili potestati innitantur. Secunda Distinctio, cui principaliter innituntur, est de ordine essentiali & accidentali. Nā sicut in vniuerso est duplex ordo, vnus essentialis, qui respicit ipsas species rerum, quæ sunt sicut numeri, ita quod vna est perfectior alia; alius est ordo accidentalis, qui est ipsorum indiuiduorum: accidit enim isti indiuiduo, quod generetur ab isto vel illo, vt dicit Commentator: sic in Ecclesia militante est duplex ordo; vnus essentialis, secundum quem gradus prælationis ordinatè procedunt à summo Pont. & ab ipso dependēt, quantum ad eorum confirmationem, & regularem institutionem, vt patet de Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, &c. Alius potest dici ordo accidentalis, sicut ordo iurisdictionis, qui propter vnitatem specificā potestatis gubernatiuæ inventam in alijs Prælatis, quæ tamen principaliùs residet apud summum Pontificem assimilabatur ordini indiuiduorum sub vna specie: quia sicut accidit Sorti, quod generetur à Petro vel Martino; ita accidit religioso, quod visitetur ab Abbate, Priore, vel Episcopo, & si istud per accidens reducatur ad per se, magis reducetur ista gubernatio in Prælatos eiusdem vitæ & professionis, quam in alios Prælatos disparatos. Primum autem ordinem, vt dicunt, Papa nullatenus mutare debet, cū in eo essentialiter existat decor & pulchritudo in gradibus ecclesiasticis distributa. Secundum autem ordinē, qui est accidentalis, & à suo arbitrio plenè depēdet, potest ex causa rationabili liberè immutare. Primus n. ordo institutus est à Christo, vt dicūt, secund' autem ab institutione humana: & quantùm ad vsum & executionem, dependet totaliter à summo Pontif. quod patet ex hoc, ꝙ nouos Episcopatus & iurisdictiones instituit, & iam institutas diuidit: & omnes personas transfert de vna administratione ad aliam, put ratio suadet & vtilitas deposcit: quàvis articulos fidei, & essentialia in sacramentis, immutare nō possit: eo quòd talia ab institutione soli' Christi robur habeant firmitatis. Sed quamvis istud sit subtiliter dictum, videntur tamen isti in procedendo & exemplificando, inter vera quæ dicunt, multa dubia & repugnantia implicare. Nam in hoc, ꝙ dicunt exemplificando, quòd isti gradus Ecclesiastici, Patriarchatus, Primatus, & Archiepiscopatus, pertinent ad ordinem essentialē Ecclesiæ, & ordo siue potestas iurisdictionis ad ordinem accidentalem: repugnantiā & contradictionem implicare videtur. Constat enim quòd quidquid dignitas Archiepiscopalis, vel primatus, vel Patriarchatus, addunt super dignitatē Episcopalē, totum est ad potestatem iurisdictionis, cū nihil sit ordinis vltra consecrationem Episcopalem. Imò si Episcopus eligeretur in ipsam, non oporteret ipsum vlterius cōsecrari; nec aliquid posset sibi addi de potestate ordinis, licet ex vi suę electionis sibi detur & cōferatur sūma potestas iurisdictionis. Dicere ergo, ꝙ isti tres prædicti grad' Ecclesiastici, qui sūt supra dignitatē Episcopalē, & per consequens ad potestatē iurisdictionis pertinentes, ad ordinem essentialem pertineant, est in dictis repugnantiam implicare. Item dicere quod isti gradus procedunt & dependēt à summo Pont. quantum ad eorum confirmationem & regularem institutionem, & quod essentialis ordo Ecclesiæ in ipsis consistat, implicat similiter repugnantiam, vt patet manifestè. Item falsum est dicere, ꝙ isti gradus Ecclesiastici prædicti, sint de essentiali ordine Ecclesiæ, & immediatè instituti à Christo, eo modo quo imponitur: quia si sic esset, Papa nō posset eximere Episcopum ab Archiepiscopo, nec Archiepiscopum à Primate, quod falsum est. Oportet ergo dicere, quod isti gradus sunt instituti ab Ecclesia, sicut à Petro principaliter, & à suis successoribus in diuersis regnis & regionibus per temporū incrementa, specialiter quantum ad Archiepiscopos & Primates, ideoque sunt de iure positiuo; propter quod Papa habet in talibus plenariam potestatem. Vnde posset facere ex certa & rationabili causa, quod in regno vel regione, vbi sunt Patriarchæ, Primates, & Archiepiscopi, nō esset primas, nec Archiepiscopus, nec Patriarcha; itaque quod omnes Episcopi sibi immediatè sub essent. Potest etiam remanentibus prædictis gradibus inferiorem eximere à iurisdictione superioris. Item posset de Archiepiscopo vel Primate facere, ꝙ esset simplex Episcopus, & de suffraganeo facere, quod sit Archiepiscopus vel Primas, sedem Metropolitanam transferendo: non conferendo, vel auferendo, nisi illud solum, quod ad iurisdictionis pertinet potestatē. Quod etiā vlterius dicitur, ꝙ ordo vel potestas iurisdictionis assimilatur ordini accidentali indiuiduorum sub vna specie, dicendum, quod licet potestas iurisdictionis sit aliquomodo accidentalis respectu aliorum Prælatorum citra summū Pont. inquantum eis competit de iure positiuo, & secundum ordinationē Ecclesiæ: summo tamen Pontifici non est accidētalis: imò sibi potestas iurisdictionis plenariæ essentialiter & inseparabiliter cōuenit de iure diuino. Ex quo patet, ꝙ potestas Papæ ordinaria est arctior, amplior, & solidior: quia non à puro homine, sed à Christo immediatè fundata & concessa, quàm potestas ordinaria aliorum Prælatorū. Et hoc est, quod dicitur 24. q. 1. c. *Est aliud apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum Dominus piscari iubet, dicēs, mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit tolle.* Iterum etiam inferioribus Prælatis non assimilatur simpliciter ordo indiuiduorum sub vna specie, quia indiuiduam vnius speciei, æqualiter ipsam spem participant: sed potestas iurisdictionis, non æqualiter participatur ab habentibus eam, nec æqualiter in diuersis gradibus reperitur, quia vna potestas ordinaria est superior alia, vt per se patet. Vnde aliquomodo assimilatur ordini indiuiduorū, ꝓpter vniformitatem possidendi & gubernandi, & corrigendi, vt isti dicunt, & etiam propter vnitatem finis: quia omnis potestas iurisdictionis Ecclesiæ ad salutē subditorū, & ad æternā beatitudinē consequendam finaliter ordinatur. Item etiā licet accidat isti Religioso, quod visitetur ab isto vel ab illo, dicendum quod similiter accidit isti, quod ordinetur ab illo Episcopo, vel ab isto: & licet actus ordinandi, & specialiter sacerdotalem ordinem conferendi, in visitatore dignitatem Episcopalis ordinis non requirat, tamen hæc per se requiritur, ꝙ aliquis à suo superiore, quantū ad potestatem iurisdictionis, secundum quod hujusmodi, visitetur. Dicēdū est igitur, ꝙ bene duplex ordo in Ecclesia reperitur vnus accidētalis quātum ad potestatem iurisdictionis Prælatorū sub vno Pontif. vt dictum est, qui aliquomodo assimilatur ordini indiuiduorum sub vna specie, &

Secūda Distinctio quorumdam.

Papa quæ mutare possit, quæ non.

Iurisdictionis potestas non est accidentalis Papæ.

Papa in quo piscetur solus.

Matth. 17.

aliquomodo ordini specierũ in vniuerso, neutri tamen ordini assimilatur simpliciter, quin ibi vt visum est, contingat magnam dfferẽtiam reperire. Alius est ordo essentialis in Ecclesia, non de iure positiuo, nec institutus à puro homine, sed immediatè à Christo, & iste ordo in sacramẽtis, specialiter in sacramẽto ordinis potissimè declaratur, secundũ quod vnus ordo est pfectior altero; inquantũ ad consecrationẽ corporis Christi magis de propinquo, & principalius ordinatur. Et idem sentiendũ est de perfectione & præeminentia characterum, qui in dictis ordinib' indelebiliter imprimitur. Huiusmodi autem ordines seu characteres indelebiles sũmus Pont. auferre non potest, nec pertinẽtia essentialiter ad huiusmodi sacramenta: sicut nec articulos fidei potest aliquaten' immutare: licet possit ordinatos ab executione dictorum Ordinum suspendere, & eis certis ex causis executionem interdicere, eo modo quo superius dicebatur: ita quod licet prædictos actus de facto exerceant, non tamen possint illos licitè & sine peccato exercere. Item etiam ordo essentialis est inter ordinẽ Sacerdotalem & ordinem Episcopalem, licet Episcopatus non sit ordo, qui est sacramentũ: quia siue ordo Sacerdotalis & Episcopalis innitantur eidẽ characteri, siue pluribus, consecratio tamen Episcopalis Sacerdotalem ordinẽ necessario supponit: licet sacramentales ordines qui ordinantur ad Eucharistiæ sacramentum se mutuò non necessario supponant. Item inter istos ordines, scilicet Sacerdotalem & Episcopalem, per cõparationem ad suos actus, est sic ordo essentialis, quod confectio corporis Christi non potest fieri nisi à Sacerdote, nec collatio ordinis Sacerdotalis, actus cõfirmationis, quæ est sacramentũ, actus consecrationis Episcopalis, actus confectionis sacri Chrismatis possunt fieri nisi ab Episcopo: nec istæ potestates possunt ab eis auferri, prout superius fuit dictum. Per alium igitur modum respondendum est ad illa quæ in prædicta ratione 25. implicantur. Et primo ad illud quod dicitur, quod exemptio remouet exemptũ ab ordinario, & à suo ordine Ecclesiastico, quem debet tenere in Ecclesia, & per consequens, est mala, dicendum, quod exemptio non remouet exemptum à suo principali ordinario, qui est essentialiter & principaliter suus ordinarius, & de jure diuino, cuiusmodi est summus Pont. qui sine præjudicio cuiusquã est ordinarius omnium diœcesũ, & cujuslibet Christiani, vt habetur 9. quæst. 3. cap. *Per principalem*. Licet exemptum ab ordinario accidẽtali remoueat & de jure positiuo, quia quod Episcopi præsint, & quibus præsint, hæc habent à Papa; per cuius etiam authoritatem diœc. limitantur, diuiduntur, & vniuntur, sicut superius fuit dictum: ex quo patet quod non ponuntur extra ordinem, quem tenere debent. Sed propter malum euitandum, & majus bonum consequendum, suo principali ordinario perfectius vniuntur: & à loco quasi non naturali, in quo ab operationibus obseruantiæ regularis & diuini seruitij multipliciter impediebantur, per exemptiones & priuilegia remouẽtur: nec repugnat alicui Christiano immediatè sub jurisdictione summi Pont. contineri.

Ordo essentialis in Ecclesia à Christo institutus

Responsio Authoris ad Priorẽ partem.

Ad illud quod secundò arguebatur, quod exemptio tollit honoris statum, &c. dicendũ, quod per exemptionem status Pontificalis seu Episcopalis ordinis non tollitur, licet status iurisdictionis Episcoporum, quantũ ad exemptos, nisi pro fide dumtaxat, aliqualiter minuatur; & hoc vel propter maius bonũ, vel propter eorum demerita, & propter vexationes, quas Religiosis ante eorum exemptionem inferebant. Item remanet eis multum de iurisdictione, quãtum ad alios sæculares, & Religiosos non exemptos, quam etiã sufficienter exequi non possunt, prout requirit salus & vtilitas animarum: vnde magis deberẽt gaudere de alleuiatione oneris, quã tristari. Item stat' honoris eorum reseruatur in hoc, quod vltra minores Prælatos habent ordines celebrare, sacramentum confirmationis conferre, virgines & altaria consecrare, & sic de alijs: licet prædictos actus Episcopi ordinarij circa exemptos non exerceant, nisi velint exempti, vt dictum est suprà. Priuilegiati tamen debent, quantum ad ordines & benedictiones Abbatum, suis ordinarijs præsentari. Et si dicatur, quod non est supponendum, quod Prælati qui sunt in statu exercendæ perfectionis, velint prædictos Religiosos in prædictis actibus regularibus impedire: dicendum, quod si hæc faciebant tẽpore B. Gregorij, vt allegatum est priùs, 18. q. 2. cap. *Luminoso*, quando erant multi sancti Episcopi & deuoti, multo magis supponendum est, & timendũ, ne istis tẽporibus nouissimis in quibus sunt, secundũ dictum Apostoli, homines seipsos amãtes, & quærẽtes quæ sua sunt, nõ quæ Iesu Christi, acceptarent & vellent facere consimilia, vel etiam grauiora: & ideo supponendum est, quod illi qui petunt exemptiones & priuilegia reuocari, non intendunt per hæc animarum sui vel aliorũ salutẽ: sed proper suę iurisdictionis ampliationẽ & quæstũ temporalẽ: & magis supponẽdũ esset, quod ex ambitione & auaritia, quã ex charitate moueantur: specialiter cum multi satis negligentes super sui & aliorum custodiam videãtur; nec appareat, quomodo de se & alijs, qui eorum curæ & iurisdictioni supponuntur, possint in districto Christi judicio sufficientem reddere rationem. Quod autem 3. dicitur, quod per exemptionem tollitur ordo debitus, secundum quẽ inferiora debent reduci in suprema per media, juxta sententiam Dion. de Diu. no. &c. dicendum, quod illa regula tenenda est in ijs, quæ habent essentialem ordinem, & essentias & operationes secundum speciem differentes. Sic autem non est in proposito, quia iurisdictio citra summum Pont. in alijs ad accidentalem ordinẽ pertinet, vt dictum est supra, quare ratio non concludit. Et item secundum illam viam sequeretur, quod nullus non Prælat', & nisi Primas vel Patriarcha, posset esse immediatè sub jurisdictione summi Pont. quod falsum: est quia hoc nulli repugnat, imò de necessitate conuenit, vt dictum est supra: quare &c. Item cum Episcopi jurisdictionem non habeant, nisi secundum ordinationem & limitationem Papæ & Ecclesiæ, non habent rationem medij respectu illorum, qui authoritate summi Pont. ab eorum iurisdictione sunt exempti. Et per consequens exempti inquãtũ exempti, per ipsos tamquã per media in summum Pont. minimè reducuntur. Quod autem vlterius dicitur de prioritate & primitate principat' Petri, quia hoc attestatur plenitudini potestatis eius, suorumque successorum, gratia veritatis & materiæ concedatur: quod tamen subditur, quod ipsa eius electio, & sua confirmatio, & quod exvi suæ electionis accipit apicẽ & cul-

Ad 2. partẽ objectionis.

2. Timo. 3. Philip. 2.

Ad 3. partẽ responsio.

men iurisdictionis, non obstante quod sit non Episcopus, est contra ipsum, quantum ad multas rationes præcedentes, in quibus à potestate & dignitate Episcopalis Ordinis nititur procedere ad dignitatem & potestatem jurisdictionis, quasi istæ potestates non essent inter se disparatæ. Quod etiá vlterius dicitur, quod exemptio esse non potest sine aliqua inordinatione, &c. dicendum, quod dato quod Episcopi bene se haberent in regendo, tunc diceret inordinationem secundum quid, diceret tamen ordinationē simpliciter, in quantum esset ad majus bonum, & ad meliorem & ampliorē cultum diuinū principaliter ordinata. Supposito autem malo regimine Prælatorum, tunc dicit remotionem inordinatæ tyrannidis & inordinati regiminis, táquá terminá à quo, & accessum ad terminū ad quem, simpliciter ordinatum: quia in ordine ad cultum & seruitium diuinū deuotiùs & quietiùs per agendum, sicut frequenter allegatum est per beatum Gregor. 18. q. 2. &c. Quod autem repetendo dicit, quę prius dixerat in principio, quod Deus sic res administrat, vt eas proprios cursus agere sinat, &c. solutū fuit in principio ad 1. rationem; & hic repetere non oportet. Quod etiam dicitur vlterius, quod illa quæ pertinet ad regimen Ecclesiæ, non ita bene possunt fieri per vnam singularē personā, &c. solutum fuit prius: quia Papa non regit exemptos sine medijs & coadjutoribus; sed sibi prouidit de medijs eiusdem professionis conuenientibus, & magis solicitis & expertis. Concludo etiam vlterius, quod cōfirmatio electionis summi Pont. reducitur in Christū, imò à Christo immediatè confirmatur, per illud, ꝙ sibi simpliciter dicitur Mat. 16. *Tu es Petrus* &c. *Et tibi dabo claues Regni cælorum*. &c. Licet enim alijs discipulis insimul dixerit etiá sub signo vniuersali distributiuo Mat. 18. *Et quodcumque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumq; solveritis super terram, erit solutum & in cœlis*, tamē nulli ita principaliter, nec ita singulariter dictum est, sicut Petro. Item etiá quádo Christus talia dixit in Matth. adhuc erat non solum comprehensor, sed etiam viator, existens mortalis pro ministerio nostræ redēptionis: nec decebat, quod ipso existente nobis compassibili haberemus caput aliud loco sui. Sed post resurrectionē, idest post passionis triumphum, nouam vitam inchoās resurgendo, volens ascendere in cælum, & nos ponere in realem possessionem, & etiam corporalem, cœlestis ciuitatis, quátum ad naturam assumptam postmodū venturus ad judicium generale, vnicuiq; secundum opera propria redditurus, suam sponsam, scilicet Eclesiam, quam sibi proprio sanguine despōsauit, sine rectore eiusdem rationis vnigeneæ relinquere nolens; vnum super omnes alios instituit, cui totius gregis vniuersalis Ecclesiæ curam commisit, cum plenitudine jurisdictionis & ordinariæ potestatis, dicens sibi, sicut in principio operis huius dicebatur. Petre amas me? *Pasce oues meas*. Et ex tunc post ascensionem subtracta eius corporali præsentia secūdum modum conuersationis humanæ, Ecclesia sub Petro, idest sub Christi vicario dicitur remansisse. Quod autem vlterius addit iste doctor, ad probationem principatus Petri, quod post resurrectionem inter omnes viros primo vidit Christum, juxta modū loquendi qui in Euágelio ponitur, cum dicitur, Mat. vltimo. *Dicite discipulis ejus, & Petro*, &c. non habent magnam efficacia, & aliter exponūtur à sanctis. Ideo inquit, Greg. singulariter nominabatur, ne propter negationē desperaret. Item etiam primitas apparitionis post resurrectionem non est sufficiens signum vel probatio primariæ & principalis prælationis: cum legatur primo mulieribus apparuisse, quæ tamen dominiū jurisdictionis vel prælationis non habent propriè in Ecclesiastico principatu. Vnde licet intenta conclusio sit vera, sc. quod electio Papæ confirmatur à Christo, & quod Papa supra omnes de Ecclesia habeat principatum, per istam primitatem apparitionis, quod scilicet inter viros primo apparuerit Petro, hoc tamen non est authenticum, vt habetur ex virtute verborum Evangelij. Per hoc etiam intenta cōclusio efficaciter non probatur. Et per hoc patet ad rationē, & ad ea quæ in ea tangebantur.

Exemptio inordinationē nō habet

Matth. 16.

Matth. 18.

Papa super alios Episcopos.

Ioa. 21.

Marc. 16.

Greg. hom. 21. in Euāg.

Vicesima 6. & vltima ratio quantū ad tractatum hujus doctoris, nititur probare, quod per exemptionē efficiuntur exempti turpis pars Ecclesiæ. Pars n. habet pulchritudinem ex ordine ad suū totū, in eo ꝙ decenter secundum debitū & ordinatum sitū cum alijs partibus conjūgitur suo toti. Propter quod dicit August. in Enchiridio cap. 10. quod singula creata bona sunt; vniuersa verò valde bona: quia ex omnibus cōsistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo; & per oppositum dicit idē Aug. in Confess. quod turpis est pars, quæ suo non est congruēs vniuerso. Sed exempti sunt pars, quæ suo non congruit vniverso, quia nō tenent modum & ordinem competentē vniuersali Ecclesiæ, secundū quē semp inferiora reducuntur in superiora, ꝑ media, & semp alij à Pont. reducūtur in sūmū Pont. ꝑ pōtifices medios. Ergo &c. Secūdo ꝓbat hoc idē, quia homo cū sit medi⁹ inter Angelos & bestias, nō potest nisi triplici modo viuere, quia vel vivit vt homo, vel vt angelus, vel vt bestia: si vt homo, sic sibi cōpetit vita politica siue socialis, vel civilis, cū homo sit naturaliter animal politicū & ciuile, vt habetur 1. politic. Si ergo exēpti velint cōmunicare cū alijs de cōmunitate & ciuilitate Ecclesiæ, & velint táquá pars alijs annumerari, cū nō teneant modū aliorū, nec gradū, nec ordinē potestatis, ꝑ cōparationē ad vniversitatē Ecclesiæ, nō sunt dicēdi pars absolutè, sed cū additione, turpis; quia vt dictū est, turpis est pars, quæ suo nō congruit vniuerso. Ex quo sequitur, ꝙ exēpt⁹ ꝓpriè nō viuit vt homo, nec propriè vt pars huj⁹ Ecclesiæ. Sequitur ergo, ꝙ viuat altero duorū modorū: quia vel vivit vt angelus, seu diuinus, & sic viuit vita contemplatiua, & est melior homine, vel est vt bestia & est pejor homine: & vt viuit vita voluptuosa, juxta illud philosophi 1. polit. non indigens alio, sed per se sufficiens, non est pars ciuitatis, quare aut bestia, aut Deus, idest aut est peior homine, & est bestia idest bestialis, aut est melior homine, & tunc est Deus, idest diuinus vel Angelicus. Ex quo sequitur, quod exemptus cū non viuat vt homo, vel est diuinus & angelicus, si dat se contemplationi & studio, vel est bestialis, si dat se vitæ voluptuosæ, quare facere exēptos nō deditos studio, est facere quandá turpem partem in Ecclesia, & etiá facere homines bestiales, & bestialiter viventes. Vlterius in fine sui operis addit quasdá authoritates decreti ad suū propositū declarandū: sed vt dicit, ad aliá scientiá transferēdo, more Apostoli verba Poetarum ad suū propositū assumentis,

Vltima ratio aduersarij.

cũ dicit, corrumpunt mores bonos colloq. praua: & more Aug. cũ ait, trahit vnũquemq; sua concupiscentia sua. 1. igitur authoritas quam allegat potestà Distinctio. 98. cap. *Nullus*, vbi dicitur, quod nulla ratione clerici aut sacerdotes habẽdi sunt, qui sub nullius Episcopi disciplina aut prouidentia gubernantur. Tales enim acephalos, idest sine capite, prisca consuetudo nũcupauit. Ex quo sequitur, exemptos delinquere, quãtum ad statũ viæ. 2. authoritas est, ꝙ quicumq; suis Episcopis non obediunt, indubitanter reprobi existunt. Porro ipsi à Deo donum summi muneris consequuntur, qui suis doctoribus, qui rectè Episcopi intelligũtur; libenter obediunt. Ex quo habetur, quod exẽpti delinquẽdo, quãtum ad illa quæ sunt viæ, nõ consequũtur à Deo donũ summi muneris, idest ea quæ sunt Patriæ 3. authoritas est, ille procul dubio scãdalizat in Deũ, qui rectè non docet, & qui ejus scandalizat Episcopũ vel sacerdotẽ. Ex qua authoritate latenter datur intelligi, qualiter debeat fieri exemptio; quia solũ quantum ad rectè docentes, qui se dant studio, non autẽ quantum ad illos, qui non sunt studio dediti; quia cum animus hominis nesciat esse otiosus, tales qui non sunt dediti studio, dãt se voluptatibus, & ex hoc scandalizãt ejus Episcopũ vel sacerdotẽ. Et talibus nullaten' est exẽptio cõcedenda, & si data sit, nullatenus tolerãda.

Responsio ad 26 rationẽ aduersarij. Ad istam vltimã rationem huius doctoris, & ad ea quæ implicantur in ea, per ordinem est dicendum. Et primò ad solutionẽ rationis, & declarationem prædictorum, necnon ad ostendẽdum congruitatem & vtilitatem exemptionum; erit declarandum per modum epilogi, quod exemptio in vniuersitate Ecclesiæ nõ causat turpitudinem partis, sed potius est causa conseruatiua bonitatis & pulchritudinis in exemptis. Sicut enim vnumquodque trahit ex suis causis entitatem, sic etiam bonitatem, pulchritudinem & commendabilitatem. Pulchritudo igitur & bonitas atque congruitas exẽptionum ex quatuor declaratur. Primo ex causa finali; 2. ex sua causa efficiente, 3. ex causa formali, 4. ex causa sua materiali. Prima via sic patet, quia illud habet rationem boni & pulchri, quod ad bonum finẽ ordinatur, & per quod multa mala & turpia grauantia excludũtur & euitantur. In hoc enim acquiritur bonitas & pulchritudo, tã moralis quã etiam corporalis, quod abijcitur forma cõtraria, & inducitur forma pulchritudinis & decoris. Sed exẽptio est talis, quia ad bonum pulchrum & honestum finẽ ordinatur, scilicet ad quietius & deuotius & feruentius vacandum diuino seruitio, & contemplationi, sicut frequenter allegatum fuit per B. Grego. 18. quæst. 2. c. *Luminoso*. Item per exemptiones excluduntur & remouentur oppositiones vexantes, injuriæ violentæ, & expoliationes monasteriorum, quas Religiosi ante eorum exemptiones à suis ordinarijs sustinebant, vt patet in eodem decreto. Ergo &c. 2. via patet ex sua causa efficiente & originali; quia fuit à viris sanctissimis, & doctoribus excellẽtissimis summis Pont. introducta, qui maximũ & ardentissimũ zelũ pro statu Ecclesiæ habuerũt: cujusmodi fuit B. Grego. vt patet, per decretum præallegatum, quare &c. Tertio & hoc patet ex sua causa formali, 1. quia per hoc habetur major connexio Religiosorum inter se, & per comparationem ad summum Pont. 2. quia per hoc cõseruatur major vnitas & connexio Ecclesiæ, &

Pulchritudo exemptionis ex causis suis declaratur.

præcauentur schismata, ne in Ecclesia generentur. Ex hoc enim quod in qualibet prouincia & diœc. vident Prælati vigere obedientiam exemptorum, qui semper ac promptè parati sunt exequi summi Pont. sententias & mandata, non audent se ita colligere, nec concatenare, nec per consequẽs Romanæ Ecclesiæ per viam schismaticam repugnare. Tertiò, quia per exemptiones potestas summi Pont. lucidè declaratur; & per hoc quod habet aliquos exemptos in qualibet diœc. ostenditur & probatur, quod sit cuiuslibet diœc. ordinarius principalis: quæ omnia faciunt ad decorẽ & pulchritudinem Ecclesię Romanæ, & per consequens vniuersalis Ecclesiæ; cũ pulchritudo corporis de debita connexione membrorum inter se, & ordine ad caput, habeat principaliter declarari. Quarta via patet ex sua causa materiali, scilicet ex ipsis exemptis, qui vitam Angelicam ducunt, vacando diuino seruitio, quasi prælibando cœlestem melodiam spirituum bonorum, sicut patet in Ecclesijs principalib' ipsorum exẽptorum & priuilegiatorum: strictius & perfectius viuunt communiter loquendo, quam alij non exempti, quantum ad obseruantias regulares: & plura bona conferunt, & in pluribus subueniunt toti communitati Ecclesiæ in spiritualibus & in temporalibus, quàm alij, sicut suprà circa principiũ huius operis fuit dictũ; & hęc rei euidentia manifestat. Ex quo sufficienter cõcludi potest oppositum intenti huius Doctoris, scilicet quod exempti non sunt turpis pars; sed valde pulchra, suauis, & decora, formosa sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata, vt dicitur Cant. 6.

Ad 1. ergo, quod in prædicta ratione dicitur in cõtrarium, quod exempti sunt turpis pars, ex eo quod suo non cõgruunt vniuerso, dicendum per interemptionem. Imò sunt pars pulchra per cõgruentissimam ordinationem suo cõgruens vniuerso: & cum dicitur, quod non reducuntur in summum Pont. sicut alij per Pont. medios, dicẽdum, quod in summum Pont. per magis cõgruentia & proportionata media reducuntur, scilicet per Prælatos ejusdẽ Religionis, cum quibus magis cõueniunt, & qui tenent consimiliter cum eis tria vota Religionis, quod non faciunt Episcopi, qui possunt habere non solum in communi, sed etiam in proprio; nec sunt ita experti, nec ita soliciti, quantum ad obseruantias regulares, sicut Prælati Religiosi, sicut superius fuit dictũ, Quare &c. Non enim per debitam cõnexionem cohærere possunt vel conjungi, quibus vota & studia sunt diuersa, vt habetur in Concilio Hispal. Homines etiam diuersæ professionis nõ debent simul jungi, vt habetur in eodem Concilio 16. q. 7. cap. *In nona actione*. Nec ex huius exemptione causatur aliqua turpitudo, sed magis pulchritudo, vt dictum est: præsertim cum gradus Ecclesiastici, quantum ad jurisdictionis potestatem, non sint totaliter ad modum entium naturalium mensurandi, & specialiter cum potentia summi Pont. quantumcumq; omnes alias excellens, proportionem nõ tollat, quin possit immediatè influere in quemlibet quantumcumq; infimum Christianum.

Ad 1. partẽ rationis 26.

Concil. Hisp.

Ad illud autem quod 2. additur de triplici vita seu de triplici modo viuendi, dicendum est ꝙ exempti bestialiter non viuunt, sed viuunt vt homines vita politica & ciuili, quantum ad vitã actiuam, & vita diuina & Angelica quantum ad contem-

Ad 2. parti ejusdem rationis.

contemplatiuam; nec euadere tyrannidem Prælatorum, est dimittere rationem partis, quantum ad communicationem ciuium in Ecclesia militante: imò vt magis possint alijs communicare, quantū ad vitā actiuā, in operibus misericordiæ spiritualibus & corporalibus, propterea sunt exempti. Quod autem vlterius dicit, quod illi qui viuunt vt Angeli, & vita cōtemplatiua, non sunt pars cōmunitatis Ecclesiæ, malè dicit, & falsum. Nam communitas ciuitatis Ecclesiæ militantis tātæ est latitudinis & altitudinis in perfectione, quod vtramque vitam, actiuam & contemplatiuam, includit, quæ in scriptura per Liam & Rachelem, Martham & Mariam cōgruè designantur; & quantum ad vtramque vitam pollent exempti, & in vtramque specialiter se exercent. Ex quibus omnibus patet, quod vniuersitatem Ecclesiæ non deturpant, sed multipliciter faciūt ad ejus pulchritudinem & decorem, vt est per præcedentia manifestum. Ad illud autem quod dicitur vlteri⁹, allegādo quasdā authoritates Decreti, dicendum 1. quod ibi nimis præsumptuosè procedit, & multum vilificat, quantum in se est, jura & decreta, quæ sunt ab Ecclesia approbata, ea dictis Poëticis comparando. Cùm enim Ecclesia regatur à Spiritu sancto, non debent statuta Ecclesiæ ab aliquo Christiano seu Catholico Poëtica reputari. Ad illas tamen authoritates quas allegat, est cum reuerētia respōdendum, & dicendum, quod per illas nihil contra exemptiones vel exemptos cōcluditur, nec probatur. Loquitur enim 1. authoritas, & aliæ consequentes, cōtra non exemptos, qui suorum Episcoporum, quorum jurisdictioni subduntur, subterfugiunt disciplinā: non autē cōtra exēptos, qui à iurisdictione Episcoporū exēpti, sub suis proprijs Prælatis ejusdem professionis sub disciplina & regula viuere eligunt arctiori. Primos enim, scilicet nō exemptos, subterfugiētes suorū Episcoporū disciplinam, prisca cōsuetudo acephalos vocare cōsueuit: non autem huiusmodi exemptos, qui sub Christi vicario, qui est caput Ecclesię, & sub Prę latis sui ordinis districtè viuunt, & viuere volunt sub obseruantia regulari. Ex quo patet, quod 1. authoritas sanè intellecta in nullo contrariatur exemptis. Per hæc etiam patet ad 2. authoritatem: quia exempti, quantum ad Episcopos, dici non debent inobedientes, nec reprobi: cùm ipsis obedire, nisi quantum ad ea quæ sunt fidei, virtute exemptionū minimè teneantur: ratione cujus non sequitur, quin consequantur donū summi muneris, quantum ad illa quæ sunt patriæ: imò munus hujusmodi tātò perfectius cōsequūtur, quātum respectu Prælatorū sui ordinis, quibus obedientiam promiserunt, in virtute solemnis voti, & per cōsequens per actum virtutis latriæ, perfectiùs, promptiùs, & firmiùs obediunt, secundum ordinationem Ecclesiæ, & suæ sanctę regulæ approbatæ ab Ecclesia, secundum quam profitentur. Ex his etiam patet ad 3. authoritatem: quia tales suos Episcopos non scandalizāt, cùm & sanctè viuant & rectè doceant, vacando cōtēplationi, & operibus misericordię, & diuinis laudibus decantandis. Vnde de talibus exemptis scandalizari non debent; sed debēt exemptos hujusmodi de virtuosis actibus commendare; & debent erga alios suos subditos taliter se habere, præcauētes, ne alij non exempti, propter eorum malum regimen, processu temporis consimiliter eximantur. Quod etiam vlterius subditur, quod

Vita actiua & contemplatiua.

Qui acephali appellandi.

debent dari deditis studio, concedo; in hoc tamē tacitè recognoscit quod Prælati Episcopi non sunt studij sacræ Theologiæ promotores, sed magis, vt in pluribus, impeditores, quia exemptiones studentibus non prodessent, si Prælati diligenter studium promouerent. Item studium nō est præcisa causa, nec etiam principalis; quia exemptiones à sanctis patribus, sicut à B. Gregor. primitus sunt cōcessæ, sed magis diuinum seruitium, vt scilicet diuino seruitio quietiùs & deuotiùs insistatur, sicut patet per B. Grego. in capitulo suprà pluries allegato, 18. quæst. 2. cap. *Luminoso*. Ex quo sequitur vlterius, ꝙ exemptiones illis potissimè dari debent, in quibus vtraque exemptionis ratio notabiliter reperitur; qui videlicet circa sacrarū studium literarum, & circa diuinū seruitiū, & circa opera misericordiæ laudabiliter se exercēt: cujusmodi sunt multi, non solum mendicantes, sed etiam non mendicantes; sicut Cisterc. Clunia. & plures alij, habentes studia solemnia Parisius & alibi, in alijs locis Conuētualibus, continuè vacantes diuinis laudibus, lectioni, operibus misericordiæ, disciplinis, & alijs obseruantijs regularibus, prout rei euidētia manifestat. Et in hoc terminātur respōsiones & solutiones ad rationes & motiua quæ contra exēptiones in tractatu Fratris Egidij Ordinis fratrum Eremitarum sancti August. & Bituricensis Archiepiscopi, minùs rationabiliter inducuntur.

Quibus præcipuè dari debeant exemptiones.

VT TAMEN exemptionum materia, quantū ad decentiam & expedientiam, & vt veritas dictorum in præsenti tractatu, ac dubitatorū solutio, & quarumdam authoritatū expositio, pleniùs elucescāt; est intelligendum, quod licet quædam dicta B. Bernardi 3. de Consid. ad Eugen. Papā, & in quadam Epistola ad Henricum Senonens. Archiepiscopum, superficialiter intellecta, videantur exemptionibus repugnare, sanè tamen & intrinsecus intellecta, secūdum intentum loquētis, exemptionibus realiter non repugnant: nisi solum quantum ad illos, qui exemptionibus abvtuntur: sicut aliàs diffusius in quadam quæstione de quolibet declaraui.

S. Bernardi verba cōtra exemptiones allata soluuntur.

Ad quorum omnium intelligentiam pleniorē, breuiter est notandum, quod exemptiones possunt dupliciter cōsiderari, vno modo per cōparationem ad finem, ad quem secundum se, & ex intentione primariæ institutionis & concessionis earum, tam ex parte cōcedētium, quàm ex parte recipientium, per se & principaliter ordinantur. Alio modo possunt considerari per comparationem ad finem malum & inordinatum, qui est finis per accidens, ad quē exemptiones huiusmodi per inordinatā inclinationem appetitus infecti ex peruersa intentione referuntur; & iste finis per accidens secundum diuersas intentiones & affectiones abutentium variatur. Si 1. modo cōsiderentur exemptiones, sic nulli dubiū esse debet, quin exemptiones sint licitæ, & laudabiles, & expedientes: cùm ad bonum finem, laudabilem, & expedientem, ad diuinum seruitium quietius & deuotius & perfectius persoluendum, & ad alia multa spiritualia, & ad releuationē multarum oppressionum ipsarum Ecclesiarum ex intentione cōferentium principaliter ordinentur: sicut frequenter allegatum est per B. Grego. 18. q. 2. cap. *Luminoso*, qui scilicet B. Grego. Doctor excellentissimus habuit ordinatissimū zelū de bono statu Ecclesiæ, & de diuino cultu ampli-

Exemptiones possunt dupliciter spectari.

ando dictas exemptiones principaliter instituit & indulsit. Multi etiam effectus vtiles & fructuosi ad exemptiones hujusmodi consequuntur, sicut elucidatio potestatis summi Pont. connexio Ecclesię vniuersalis, illuminatio & eruditio fidelium, in ijs quæ pertinent ad salutem, per studiũ & prædicationem exemptorum, sustentationes pauperum, subsidium animarum, tam vivorum quàm defunctorũ, per devotas orationes, Missarũ celebrationes, & alia quæ pertinent ad obseruantias regulares, vt est per habita manifestum. Si autem considerentur exemptiones 2. modo, sic dicendũ, quòd licet exemptiones sint bonæ, secundum se, abutentibus tamen, ex affectione peruersa & intentione sinistra ipsas in malum finem referentibus, non sunt expedientes, sed nociuæ. Multa enim sunt bona, secundum se, & de genere suo, quæ tamen abutẽtibus sunt nociua: sicut potest poni exemplum, & quantum ad bona fortunæ, cujusmodi sunt diuitiæ & honores: & quantũ ad bona corporis, cujusmodi sunt fortitudo, sanitas, & pulchritudo: & quantũ ad bona animæ, cuiusmodi sunt scientia & prophetia, & alia dona gratis data, & virtutes morales, si sine charitate habeãtur: quæ quidem omnia sunt bona secundum se & in genere suo, sed tamen magis & minus, & secundum gradum suum, & ad bonum finem per se & principaliter ordinata: & tamen possunt esse in nocumentum per comparationem ad illos, qui ad superbiam vel jactantiã talibus abutuntur. Sicut etiam de bonis animæ patet, quæ inter bona enumerata præcellunt, juxta illud Apostoli dicentis, ꝙ scientia inflat, quantum scilicet ad abutentem, licet per se loquendo perficiat & illuminet intellectum: subjungit tamen Apostolus, quòd charitas ædificat, quia charitate & gratia gratum faciente non potest aliquis malè vti. Nam charitas & gratia gratum faciens de natura sua faciunt habentem formaliter Deo gratũ, & dignum vita æterna. Propter quod talia gratuita ex parte habentis non possunt cadere in abusum. Sic eodemmodo applicando ad propositum, licet exemptio sit bona secũdum se, & in genere suo, vt dictum est priùs, quia tamen non est de bonis gratuitis, potest ea aliquis malè vti, ex varijs & perversis affectionibus, & ex intentione sinistra finẽ malum & perversum, Deo, & rationi, ac fini, qui per se & principaliter debet quæri, contrariũ, secundum proprias cõcupiscentias, & affectiones peruersas & varias intẽdẽdo: sicut, verbi gratia, si aliquis vtatur exẽptionibus ad superbiam vel jactantiã, vel ad subterfugiendum superiorum obedientiã, vel ad bonorum temporalium liberiorem dissipationem, vel ad dissolutionẽ & euagationem: quæ tamen locum non habent in Ordinibus generalibus habentibus cõnexionem ad inuicem, prout rei euidentia manifestat: vel si aliquis principaliter intenderet, procurando vel cõcedendo exemptiones, jurisdictionis Episcoporum diminutionem, depressionẽ, & detruncationem, in odiũ Prælatorum, & non potius diuini cultus ampliationem, & oppressionum releuationem. Licet enim ad exemptiones sequatur diminutio jurisdictionis Prælatorum, hæc tamen per se & principaliter non intenditur, sed solum per accidens, inquantum erat Religiosorum oppressiua, & obseruantiæ regularis, & diuini seruitij ac boni impeditiua; sed principaliter intenditur diuini cultus ampliatio pacifica & quieta; & vt Ecclesiæ vel Abbatiæ ab oppressionibus & grauaminibus releuentur. Nec propter hæc exempti minus, imò magis spiritualiter nutriuntur, nec etiam extra locum eis competentem in corpore Ecclesiastico situantur, si summo Pont. qui est Christi vicarius, specialiùs & intimùis vniuntur: specialiter quoad illos exemptos, qui habẽt in suo ordine sufficientes & intrinsecos correctores, prout superius dicebatur. Attẽdendo igitur ad tales fines per accidẽs inordinatos & perversos, & per comparationem ad abutentes, B. Bernardus in prædictis locis exemptiones reprehendit, non secundum se, sed earum abusum, quoad illos, qui ex corruptione & mala inclinatione appetitus ac intentione sinistra ad jactantiam & superbiam, ac Prælatorum irreuerẽtiam, & specialiter quantum ad insignia Pontificalia, exemptionibus abutuntur: licet talia insignia Pontificalia possint ad bonum finem & licitum ordinari, licet à non Episcopis deferantur, si per hæc honor & reuerentia sedis Apostolicæ & Christi principaliter intendatur. Sicut etiam patet in diaconis, & pluribus Cardinalibus, inquantum per talia insignia specialiùs & intimiùs pertinere ad sedem Apostolicam demonstrãtur: ratione cuius congruum est, vt aliquibus signis præeminentiæ, quæ ad essentiam Episcopalis ordinis non pertinent, præ alijs honorẽtur. Non ergo contrariatur B. Bernardus in prædictis locis sententiæ B. Grego. quia B. Bernardus loquitur contra abutentes, & finem per accidens, & malum ex peruersitate volũtatis intendentes, nec habentes sufficiẽtes intrinsecos correctores. Loquitur etiam supposito bono regimine Prælatorum. Beatus autem Grego. exemptiones cõcedit & approbat, per comparationem ad bene vtentium, & ad finem principaliter intentum, ad quem per se ex intẽtione eas instituentium & cõcedentium ordinantur. Supponit etiam Prælatorum regimen defectivum. Et quia illud quod est per se, est potius, quàm id quod est per accidens, & secundum id quod est per se finis alicujus rei, & in ordine ad bene vtentem secundum exigẽtiam finis principalis, sit de illa re principaliter judicandum, non autem secundum finem per accidens: quia finis per accidens, qui accipitur ex parte vtentis, variatur secundũ quod vtẽs diuersimodè afficitur per comparationem ad fines varios & diuersos; propter quod de illis quæ sunt per accidens, non est curæ arti, vt habet alibi declarari: sequitur, quod considerando exemptiones & priuilegia secundum exigẽtiam finis, ad quem ex intentione principalis instituentis & concedentis, & per comparationem ad bene vtentes, secũdum regulam rationis principaliter ordinantur, debeant tamquam bonæ in genere suo simpliciter, expediẽtes, & laudabiles judicari: non obstante abusu aliquorum paucorũ, quorum particularitates de facto, maximè cum sint remediabiles, non debent in totius communitatis exemptorum multitudinem redundare.

His igitur aliqualiter declaratis, videtur rationabiliter concludendum, quod non obstantibus illis, quæ contra exemptiones ab alijs inducuntur, si diligenter attendantur prædicta, ꝙ exemptiones multipliciter expediunt, & à summis Pont. cum magna maturitate, necessitate, & cum deliberatione prouida sunt concessæ. Hæc enim attestatur summi Pont. plenitudini potestatis. Nam vt habetur 25. quæst. 1. Valet sancta

Effectus vtiles exemptionum.

Bona abutẽtentibus sæpè sunt nociva.

1 Corint. 8.

Charitate nemo potest abuti.

Exempti nõ sunt extra locum sibi cõpetentem.

Non aduersatur Bern. Gregorio.

Conclusio finalis.

Romana Ecclesia, vel ob regionis, vel necessitatis, vel exhibiti beneficij gratiâ, quibuslibet privilegijs suis munire, & extra generalia decreta, quædã specialia beneficia indulgere, considerata rationis æquitate. Et item cùm leges & statuta Legislatorum, tã in ciuili seu regali, quam etiã in Ecclesiastico principatu, per longam & perseverãtem obseruãtiam magnam trahant roboris firmitatẽ, & attestentur stabilitati perpetui principatus; & per oppositum per frequẽtem sui mutationem & variationem multum cadant à sui roboris firmitate, vt habetur ab Aristotele in Politicis suis: nec statuta frequenter mutata, & per reuocationem variata, cum tanta reuerentia & promptitudine obedientiæ, sicut stabilia & permanentia à subditis acceptentur: patet, quod periculosum est, & damnosum, præjudiciabile, & indecens stabilitati sacro-sanctæ sedis Romanæ Ecclesiæ, quæ à Petra qui est Christus, & super Petrã Christum est immediatè fundata, illa per reuocationem immutare, quæ per eamdem sedẽ sunt propter bonum commune, & maxime propter diuinum cultum perfectiùs ampliandum, cujusmodi sunt exẽptiones & priuilegia Ecclesiarum, cum magna maturitate & deliberatione prouida à sanctis Patribus summis Pont. jamdiu instituta & rationabiliter concessa: & specialiter cùm secundum jura & priuilegia Ecclesiarum & Sacerdotum inuiolata manere cunctis temporibus decernantur, dicente B. Leone Papa, vt habetur 25. quæst. 2. cap. 1. & 2. [Priuilegia Ecclesiarum & monasteriorum sanctorũ Patrum authoritate instituta, nulla possunt improbitate euelli, nulla nouitate mutari.] Præsertim cũ causa quæ mouit sanctos Patres summos Pont. ad exemptiones Religionibus concedendas, per augmentum continuum, & accumulationem grauaminũ in suo robore perseueret: nec sint Episcopi his diebus majoris sanctitatis & perfectionis, nec majoris zeli pro diuino cultu cõseruando & ampliando, quam fuerunt tempore B. Greg. qui dictas exemptiones principaliter instituit & indulsit, vt patet 18. q. 2. cap. *Luminoso*. Ex quibus patet, quod non est causa, quare exẽptiones istis temporibus debeant reuocari: sed quantò ab Episcopis & alijs, his diebus acrius & auidius impugnantur, tanto decet & expedit, vt summus Pont. ac sacro-sancta sedes Romana, à qua tota sancta Religio traxit ortum, suos exemptos peculiares filios per exemptionum & priuilegiorum conseruationẽ perpetuam fauorabilius prosequatur; præcipuè cum earum vel eorum reuocatio plenitudinẽ authoritatis & potestatis summi Pont. non modicùm offuscaret, quæ per hoc quod in qualibet diœc. vel prouincia habet exemptos & priuilegiatos filios speciales, vt priùs fuit visum, pleniùs elucescit. Earum etiam revocatio statui & honori, ac profectui tã temporali quam spirituali sacri Collegij Reuerendorũ Patrum dominorũ Cardinaliũ, ac sacro-sanctæ sedis Romanæ Ecclesiæ, quæ est omnium aliarũ Ecclesiarũ Domina & magistra, multipliciter derogaret. Videat igitur lynceis oculis & facie aquilari summus Pont. Christi vicarius, qui ad summũ dignitatis apicem Ecclesiastici regiminis est assumptus, quod intendentes ad hoc, quod exemptiones & priuilegia reuocentur, intendẽtes suæ potestatis & jurisdictionis dominiũ ampliare, plenitudinem potestatis summi Pont. latenter offuscare, limitare, & diminuere, moliuntur. Videat nihilominus ad honorem & profectũ sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ, bona ac vtilia quamplurima, tam spiritualia quam temporalia ex exẽptionibus & priuilegijs multipliciter provenire, & sanctorum Patrum suorum sequendo vestigia, suos exẽptos & priuilegiatos filios speciales contra impugnantes eosdem in suis libertatibus studeat inuiolabiliter conseruare: ad honorem Sponsi & summi Pastoris Ecclesiæ, cujus vices gerit in terris, Mediatoris scilicet Dei & hominum Iesu Christi: cui, cũ Patre & Spiritu sancto, est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Statuta per perseverantiam obtinẽt robur.

Nulla causa est revocandi exemptiones.

Explicit tractatus fratris Iacobi de Thermis, Abbatis de Caroliloco, Cisterciensis ordinis, Silvanectensis Diœcesis, contra impugnatores exemptionum: ab eodem editus in Vienna, tempore Concilij Generalis.

Scripsit etiam hic author hujus Disputationis Compendium; sed parum vtile fuisset illud eidem Disputationi subnectere. Item Quæstionem scripsit quodlibetalem, vt loquuntur, cujus modò meminit: sed quia non alia cõtinet, quam quæ hic edita sunt, nisi quòd fusiùs; vt etiam monet, de mente & verbis S. Bernardi, qui aduersus exemptiones allegari solet, differit, illam nunc omittimus: fortassis eamdem aliquando cum alijs ejusdem quæstionibus, si reperiri potuerint, edituri.



ANNOTATIONES

IN TOMVM QVARTVM BIBLIOTHECÆ CISTERC.

In Epistolā ad Patres de Monte Dei. FRATRIBVS &c. Ab initio ferè mundi in more positum fuit, vt homines se mutuò fratres appellarēt, aut inferiores maiores Patres dicerēt. Sic Gen. 19. Loth Sodomitas, & 29. Iacob alienigenas. Ioan. 20. Christus Apostolos, Apostoli passim fideles. 4. Reg. 4 Elisæus Eliam patrē vocat. Hæc autem appellatio in Cœnobiis mansit, exul à mundo. Meminit Guillelm⁹ speciatim fratris Stephani, qui ex Ordine S. Benedicti ad Carthusienses venerat, vt sibi iam antè noti & iuncti.

Ibidem. *Laborē meum quotid.* Labor ille est hic liber *De vita solitaria* inscriptus: quem, postquam Mōte-Dei rediit, quò illos inviserat, eorum gratia scripsit. Quod autem dicit, revixisse solitariam vitā per Patres Carthusienses, intellige vitam, qua non solùm seorsim à sæcularibus, sed etiam qua separatiab invicem Religiosi vivunt, non simul, vt Cœnobitæ.

Lib. de vita solit. initio. *Occurre in fauore* Melior est hæc lectio, quàm vulgaris, quæ habet, *in feruore.* Alia huiusmodi innumera ex autographo correcta semel dixisse sufficiat.

Ibid. cap. 21. & 28. & alibi. Amorem Dei, quo sc. eum diligimus, videtur statuere Spiritum sanctum: quod & Magister sentētiar. & alij ex August. docēt, sed improbāt Theologi

Medit. 4. Secessum in Cœnobium Signiacense videtur Author verbis illis describere, *Elōgaui, & mansi in solit.* &c. Indicat n. iam ante illū recessum se in paradiso sanctæ Religionis habitasse.

Medit. 5. Videtur negare, Christum orasse pro voluntariè peccantibus: fortassis, quia etiam suos interfectores de ignorantia excusavit, quando pro eis oravit: vel quia specialiter non oravit pro illis, sicut pro ignorātibus: cùm tamen generaliter pro omnib⁹ orauerit. Deniq; eo sensu exponendus est Author, quo Paulus, post notitiā veritatis acceptam peccantib⁹ *Hebr. 10.* hostiam non relinqui, asserens.

De Contemplando Deo. cap. 10. Philosophos veras virtutes, cum August. negat habuisse: quē tamen conantur Theologi benignè exponere, quia sentētia opposita pbabilior apparet.

De Dignit. Amoris c 7. Quod ait, Petrū charitatem non amisisse peccādo, non est intelligendum de habitu charitatis infuso, à gratia sanctificante inseparabili, sed de actu aliquo dilectionis imperfecto: non enim omnis amor Dei excludit peccatū mortale, vt aiunt Suar. & alij.

De Natura animæ p. 75. Fides non respuit rationem comitem: arguuntur tamen meritò, qui credere nolunt, nisi id quod ratio humana probat. Hoc est, quod intendit Author.

Disput. contra Abaila. *Iterum noua docet*, &c. Petrus Abaëlardus jam ante annos circiter viginti erroris damnat⁹ fuerat Suessione: circa annum verò 1138. iterum cœpit falsa dogmata scribere & docere. Hæc libro isto refutat Guillelmus, Signiaci monach⁹, abdicato Abbatiali sancti Theodorici pedo. Ob hanc causam, nullum se in hominibus dicit: beatus autem Bernardus, cui hoc opus nuncupat, ei postea rescribens, carissimū suum Guillelmum salutat, non Abbatem.

Quod hic videtur Author cum Augustino negare, virtutes vllas sine fide & spe reperiri, piè exponendum est, de virtutibus, quæ ad regnum cælorū promerendum valeant. *In Cant. ca. 1. pag. 156.*

Nec omnino aliquis excluditur à regno Dei. Hæc verba, & quæ subjungit, asserens, omnibus patere ianuam gratiæ, quibus similia alibi sæpe habet, vt & S. Bernardus Serm. 1. in Purific. & alibi, ostendunt satis, Deum gratiam omnibus dare, secundùm horum Patrum mentem. Hoc ideo notaui, quia infrà opinionē contrariam vnius æui illius Authoris horum oppositione refellere decreui. *In Epistolā ad Ro p178.*

Negat, opera bona ex debito deposcere remunerationem: sed hoc intelligendū est, seclusa promissione & pacto diuino: qua de re Theologi. *Ibid. p. 189.*

Negat, esse in Deo diuersum subsistendi modū, sed ibi subsistere sumit pro existere, nō vt hypostasis seú personæ proprietatem notat. *Ibid. p. 240.*

Non est gratia communis omnibus. Hæc sententia non est tenenda, nec Abaëlardus oppositam sequēs rectè in hoc arguitur. Ratio quoq;, quam Anonymus iste affert, inefficax est, & fallax. Nam ex eo quod non omnib⁹ reprobis collata sunt omnia dona, quæ gratiæ nomine appellari possunt, malè infert, nō omnibus gratiam dari, seu offerri: sic enim etiam inferret, nullum habere Dei dona, quia null⁹ habet omnia. Sufficit ergo aliquam gratiam reprobis concedi, qua si bene vterentur, ad maiorem & maiorem paulatim promoverentur, & tandē ad salutem pervenirent. Certè Patres reprobis gratiam concedunt: & inter hos S. Prosper, qui etiam illā abortiuis non negari censet. Quia autē illorū verba alibi adduxi, hoc loco non est necesse ea referre. Ideo nec Guillelmus hanc sententiā Abaëlardi notauit, quē tamen Pelagianismi damnauit, q hominem solis viribus naturæ bonū posse agere, senserit. Notanda etiam hic fraus Abaëlardi, qui cum Pelagianis gratiam Dei in lege & in libero arbitrio constituebat. Denique ex vtroque Authore, Guillelmo scilicet, & isto Anonymo, constat, illos errare, qui Abaëlardum putant liberum arbitrium negasse, cùm potiùs de gratia malè senserit, vt liberū statueret arbitrium, vt ex prædictis Auctoribus omnino sit manifestum. *Disp. Anonymi cont. Abail. 256.*

FINIS.

